

Тем, что эта книга дошла до Вас, мы обязаны в первую очередь библиотекарям, которые долгие годы бережно хранили её. Сотрудники Google оцифровали её в рамках проекта, цель которого – сделать книги со всего мира доступными через Интернет.

Эта книга находится в общественном достоянии. В общих чертах, юридически, книга передаётся в общественное достояние, когда истекает срок действия имущественных авторских прав на неё, а также если правообладатель сам передал её в общественное достояние или не заявил на неё авторских прав. Такие книги – это ключ к прошлому, к сокровищам нашей истории и культуры, и к знаниям, которые зачастую нигде больше не найдёшь.

В этой цифровой копии мы оставили без изменений все рукописные пометки, которые были в оригинальном издании. Пускай они будут напоминанием о всех тех руках, через которые прошла эта книга – автора, издателя, библиотекаря и предыдущих читателей – чтобы наконец попасть в Ваши.

**Правила пользования**
Мы гордимся нашим сотрудничеством с библиотеками, в рамках которого мы оцифровываем книги в общественном достоянии и делаем их доступными для всех. Эти книги принадлежат всему человечеству, а мы – лишь их хранители. Тем не менее, оцифровка книг и поддержка этого проекта стоят немало, и поэтому, чтобы и в дальнейшем предоставлять этот ресурс, мы предприняли некоторые меры, чтобы предотвратить коммерческое использование этих книг. Одна из них – это технические ограничения на автоматические запросы.

Мы также просим Вас:

- **Не использовать файлы в коммерческих целях.** Мы разработали программу Поиска по книгам Google для всех пользователей, поэтому, пожалуйста, используйте эти файлы только в личных, некоммерческих целях.
- **Не отправлять автоматические запросы.** Не отправляйте в систему Google автоматические запросы любого рода. Если Вам требуется доступ к большим объёмам текстов для исследований в области машинного перевода, оптического распознавания текста, или в других похожих целях, свяжитесь с нами. Для этих целей мы настоятельно рекомендуем использовать исключительно материалы в общественном достоянии.
- **Не удалять логотипы и другие атрибуты Google из файлов.** Изображения в каждом файле помечены логотипами Google для того, чтобы рассказать читателям о нашем проекте и помочь им найти дополнительные материалы. Не удаляйте их.
- **Соблюдать законы Вашей и других стран.** В конечном итоге, именно Вы несёте полную ответственность за Ваши действия – поэтому, пожалуйста, убедитесь, что Вы не нарушаете соответствующие законы Вашей или других стран. Имейте в виду, что даже если книга более не находится под защитой авторских прав в США, то это ещё совсем не значит, что её можно распространять в других странах. К сожалению, законодательство в сфере интеллектуальной собственности очень разнообразно, и не существует универсального способа определить, как разрешено использовать книгу в конкретной стране. Не рассчитывайте на то, что если книга появилась в поиске по книгам Google, то её можно использовать где и как угодно. Наказание за нарушение авторских прав может оказаться очень серьёзным.

**О программе**
Наша миссия – организовать информацию во всём мире и сделать её доступной и полезной для всех. Поиск по книгам Google помогает пользователям найти книги со всего света, а авторам и издателям – новых читателей. Чтобы произвести поиск по этой книге в полнотекстовом режиме, откройте страницу `http://books.google.com`.

THE SLAVIC COLLE




Harvard College Libr

BOUGHT WITH THE GIFT O

Archibald Cary Coolidge

(Class of 1887)

ASSISTANT PROFESSOR OF HI

Received 1 April, 1

Digitized by Google

3 2044 03

WIDENER LIBRARY
1 College, Cambridge, MA 02138: (617) 495-2413

item is recalled, the borrower will be notified of
ed for an earlier return. (Non-receipt of overdue
does not exempt the borrower from overdue fines.)

WIDENER
SEP 11 2006
BOOKBUS
WIDENER

Digitized by Google

Slav 810.16

# THE SLAVIC COLLECTION




Harvard College Library

BOUGHT WITH THE GIFT OF

Archibald Cary Coolidge, Ph.D.

(Class of 1887)

ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY

Received 1 April, 1901.

Digitized by Google

tiam, supplicia nobis et cala-
nocentibusque de medio sub-
et fame verberare nos incipit,
ualis quantusque sit apud eum
et virtutum: tum nimirum
te data, sensuque acri pec-
flicti, et prostrati in sola ejus
salutis collocantes, humili
et lacrimis meritam animad-
conamur. Atque hanc qui-
nem credimus esse sacrifi-
simum. Sed si quis verum
ciborum situm esse putat,
daemoniorum propugnare
s in hoc tantum austeram
assuescat paucis esse con-
gni facit, fecerunt idem Phi-
gnorantes. Multos reperias
piscium pallidos, inedia ma-
laboribus attenuatos, vili
s culcitris ac conciliis stri-
Magnus ille Basilius, et
us. Siquidem ut hic nar-
niis, laboribus, vigiliis, re-
itate parum moderata, va-
ccersiverat: ut Basilio vita
optabilis: Gregorius coge-
s deponere, quod obeun-
orporis vires deessent. Nec
ulat, inter monachos fuisse
e cellularum, assidua re-
, ac parum moderatis je-
t valetudinem, ut Hippo-
us opus haberent, quam
erum haec exercitatio cor-
austeritas parum habet
verae pietatis argumenta,
hibeatur: plurimum vero
aeparet. Multi valde per-
eneris per imprudentiam
At iidem
famam prox
unt. Miserrime
erum amictum pos
per temulentiam,
te candida animi, qu
tradidit
aque cum jej
quasi cibi genus p
hominem: aut cum
bit, non ad pium usum,
ffectum, certe exignam ad-
eri
Jejunii exactam



HARVARD COLLEGE LIBRARY - WIDENER LIBRARY

Digitized by Google

Slav 810.16

THE SLAVIC COLLECTION




Harvard College Library

BOUGHT WITH THE GIFT OF

Archibald Cary Coolidge, Ph.D.

(Class of 1887)

ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY

Received 1 April, 1901.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# HISTORIAE RUTHENICAE

# SCRIPTORES

# EXTERI

## SAECULI XVI.

Digitized by Google

BEROLINI.
FORMIS FERD. REICHARDTIANIS.

Digitized by Google

Arch. I.

# HISTORIAE RUTHENICAE

# SCRIPTORES

# EXTERI

## SAECULI XVI.

COLLEGIT ET AD VETERUM EDITIONUM FIDEM

EDIDIT

ADALBERTUS DE STARCZEWSKI.

VOLUMEN PRIMUM.

BEROLINI ET PETROPOLI

MDCCCXLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

[redacted]

# SCRIPTORE[redacted]

[redacted]ICENTISSIMO,

[redacted]

[redacted]NIDI

[redacted]V

IO INTIMO ACTUALI, CONSILII
IS ITEMQUE ARBITRORUM SCHO-
ENSURAE, SOCIO CONSILII DE
NOBILIBUS SCHOLISQUE ORDINIS
RACOVIENSIS, ACADEMIAE IMPE-
TUM IMPERIALIUM MOSCOVIENSIS,
M, QUAE IN ROSSIA FLORENT,
QUOD ROMAE EST INSTITUTI, ET
ERARIARUM, GOTTINGENSIS, HAV-
ALBAE, ST. VLADIMIRI SECUNDAE
ORONA IMPERIALI DECORATAE,
S OFFICIORUM PER 25

COLLIGIT ET AD VETERUM EDITIONUM FIDEM

EDIDIT

ADALBERTUS DE STARCZEWSKI

[redacted]

[redacted]

[redacted]

[redacted]ro tanquam summum ornamentum
[redacted]em in opere, historiae Ruthenicae
[redacted]us merita de literarum artiumque
[redacted]rno nitore in patriae nostrae annalibus
[redacted]m monumenta sacra esse volui Tibi,
[redacted]udium ad cognitionem rerum a majoribus
[redacted]m amplificandamque, sat certe notum est.
[redacted]um fuerim, qui tanquam coram Te Tuis-
[redacted] exhortatio vi quadam mirifica adolescentis
adduxit, tanquam ad uberrimum fontem, ex
[redacted]uare sperare ausim, fore ut Tibi grata sit

[redacted]

Digitized by Google



Slav 810.16

A R 1 19

Prof A. C. Coolidge

83

Digitized by Google

VIRO EXCELLENTISSIMO, MAGNIFICENTISSIMO, PERILLUSTRI

# SERGIO SIMONIDI

# AB UVAROV

IMPERII ROSSORUM INSTITUTIONIS PUBLICAE ADMINISTRO, CONSILIARIO INTIMO ACTUALI, CONSILII PUBLICI SOCIO, SENATORI, PRAESIDI ACADEMIAE SCIENTIARUM IMPERIALIS ITEMQUE ARBITRORUM SCHOLARUM INSTITUENDARUM AC SUPREMAE LIBRORUM VULGANDORUM CENSURAE, SOCIO CONSILII DE SCHOLIS MILITARIBUS, CONSILII SODALICII PRO EDUCANDIS VIRGINIBUS NOBILIBUS SCHOLISQUE ORDINIS ST. CATHARINAE; CURATORI HONORARIO UNIVERSITATIS LITERARUM CRACOVIENSIS, ACADEMIAE IMPERIALIS SCIENTIARUM, ROSSICAE, ET ARTIUM LIBERALIUM; UNIVERSITATUM IMPERIALIUM MOSCOVIENSIS, DORPATENSIS, CASANENSIS MULTARUMQUE SOCIETATUM LITERARIARUM, QUAE IN ROSSIA FLORENT, SODALI HONORARIO; DOCTI GALLICI REGNI INSTITUTI, ARCHAEOLOGICI QUOD ROMAE EST INSTITUTI, ET ACADEMIAE HISTORICAE MADRITENSIS, EXTERARUM SOCIETATUM LITERARIARUM, GOTTINGENSIS, HAVNIENSIS ALIARUMQUE SOCIO; ORDINUM ST. ALEXANDRI NEVSKI, AQUILAE ALBAE, ST. VLADIMIRI SECUNDAE CLASSIS, ST. ANNAE PRIMAE CLASSIS SIMUL ADAMANTIBUS ET CORONA IMPERIALI DECORATAE, ST. JOANNIS HIEROSULAMITANI, ET SIGNI DISTINCTIONIS OFFICIORUM PER 25 ANNOS PRAESTITORUM EQUITI.

EXCELLENTIAE Tuae clarissimum nomen huic libro tanquam summum ornamentum praescribere ausus sum, et quod jam nunc quidem in opere, historiae Ruthenicae dicato, ejus viri nomen deesse non debet, cujus merita de literarum artiumque cultura apud nos gloria immortali atque aeterno nitore in patriae nostrae annalibus splendebunt, et quod haec rerum nostrarum monumenta sacra esse volui Tibi, Vir Excellentissime, cujus quantum sit studium ad cognitionem rerum a majoribus nostris gestarum promovendam, augendam amplificandamque, sat certe notum est. Contigit vero mihi, ut in numero eorum fuerim, qui tanquam coram Te Tuisque auspiciis instituebantur, Tuaque exhortatio vi quadam mirifica adolescentis animum ad illud studiorum genus adduxit, tanquam ad uberrimum fontem, ex quo vera patriae caritas emanet. Quare sperare ausim, fore ut Tibi grata sit

Digitized by Google

hujus instituti mei ratio. Quae cum Tibi, Vir Excellentissime, placuerit et in bonam partem accepta fuerit, id mihi summum erit praemium et gaudium, laetoque animo ad reliqua volumina edenda accedam.

Vale, Vir Perillustris! Utinam Deus Optimus Maximus Te quam diutissime incolumem conservet, ut omnia ea, quae animus Tuus excelsus ac sublimis ad patriae salutem, literarum artiumque florem molitur, et efficias et persolvas. Tuis vero beneficiis ne sim plane indignus, neve exspectationem prorsus fallam, ex omnibus meis viribus, quas quam sint exiguae haud ignoro, enitar ac studebo.

**Excellentiae Tuae ac Magnificentiae**

SUMMA CUM VENERATIONE ET OBEDIENTIA

Servus summopere deditus

ADALBERTUS DE STARCZEWSKI.

Digitized by Google

# L. S.

De hujus libri ratione ac consilio praefaturo mihi maxime exponam necesse esse videtur, quid sit, quod ad hunc librum edendum animum meum impulerit, et quid eo efficere voluerim. Inter eas *literas doctrinasque*, quae in patria nostra Ruthenica optimo fructu coluntur et aluntur, hi*storiae patriae* studium haud mediocrem certe obtinet locum. Neque enim solum viri doctissimi et eruditissimi huic quam plurimam operam navant, verum etiam IMPERATORIS AUGUSTISSIMI nostri egregia et vere regia munificentia fruitur gaudetque. Neque id mirum. Jam enim virium suarum facultatumque conscientiam nacta est Rossia, eique inter ceteras Europae civitates tanta est auctoritas gravitasque, ut se ipsa intueatur, resque suas praeteritas cum praesentibus comparet, ut inde perspiciat quomodo sint regendae et moderandae res futurae. Quemadmodum enim singuli homines, dum in pueritia versantur, nondum de se fatisque suis cogitant, *sicubi* vero virilem attigerunt aetatem, omnium rerum, quae sibi hucusque evenerunt, memoriam servare student; sic civitatis cujusque tum demum interest, ut historiae suae monumenta et documenta asserventur, cum ad altitudinem quandam elatus est. Id quod omnium fere gentium historiis confirmatur. Quare id profecto summae laudi tribuendum est historicis nostris, quod, critica ratione adhibita, in omnia, quaecunque exstant, historiae Rutaenicae monumenta inquirunt, dispersa colligunt, abscondita in lucem proferunt, vetusta renovant.

At vero, ut perfecta omnibusque numeris absoluta nobis fiat historiae patriae cognitio, non sat esse duxi, adhiberi eos fontes solos, qui sunt nostratium, verum etiam exteros de rebus nostris auctores esse audiendos consulendosque. Etenim nos nostras res aliter dijudicare solemus atque alii, tum propter consuetudinem, quae efficit, ut quaedam oculos nostros fugiant, quae alii jam primo intuitu percipiunt, tum quia ipsi, studio capti, de rebus nostris non semper aequi judices sedemus. Accedit, quod de illa praesertim agitur aetate, qua majores quidem nostri in literis artibusque rudiores, eruditione non satis imbuti erant, dum reliquae Europae gentes

Digitized by Google

plurimae ingenii cultura jam excellebant. Quare quae apud exoticos de rebus nostris auctores illius temporis tradita legimus, ea tam fide quam attentione nostra sunt dignissima. Sic unusquisque nostrum, de historia infantiae vel pueritiae suae notitiam quaerens, eam non ex se ipso haurire potest, sed ex altero quodam accipere debet, cui, et aetate provectiori et experientia judicioque superiori, observare nos infantes vel pueros licuerit.

Ex iis vero scriptoribus exoticis, qui saeculo XVI de rebus Ruthenicis scripserunt, hosce Tibi, Lector benevole, in hoc primo volumine exhibui. Quorum et auctoritate et dignitate principem nomino SIGISMUNDUM AB HERBERSTEIN, qui bis in Rossiam legatus missus a duobus Austriae principibus, primum a Maximiliano, tum a Ferdinando, ibi per plures annos commorabatur, idque non tanquam barbarus, qui nec Rossorum sermonem moresque intelligebat neque ab iis intelligebatur, sed, ipso de se merito praedicante, ut linguae Slavonicae peritissimus. Ubique eum rerum observatorem sagacissimum, veri amantissimum invenies. Ipse nominat tanquam praecursores suos in rebus Ruthenicis tradendis NICOLAUM CUSANUM, PAULUM JOVIUM (quem simul summis tollit laudibus) JOANNEM FABRUM, ANTONIUM BIED. Praeterea nonnullos nominat, qui non ex professo quidem, sed dum proximas regiones describunt, etiam res Rossicas attigerunt, ut OLAUM GOTHUM Sueciae descriptorem, MATTHEUM MECHOVITAM, ALBERTUM CAMPENSEM, MUNSTERUM. Jussus est a Ferdinando, Austriae archiduce, iter ad Moscovitas facere una cum LEONARDO Comite DE NUGOROLIS die prima mensis Februarii a. 1526. Rerum Moscovitarum commentarii hujus auctoris gravissimi primum in lucem prodierunt Viennae 1549. Editionem locupletatam, itinerariis duobus in Moscoviam adjunctis multisque aliis ab ipso auctore auctis, edidit JOANNES OPORINUS Basileae a. 1556. Alia editio ibidem impressa a. 1571. Denique exstat in collectione inscripta: Rerum Moscoviticarum auctores varii. Francof. ap. Wechel 1600. f.

Sequitur PAULI JOVII NOVOCOMENSIS De legatione Basilii magni principis Moscoviae ad Clementem VII. Pontificem Maximum liber. Cujus Editio princ. prodiit Basileae in Officina Oporiniana a. 1571, annexa editioni operis Herbersteiniani modo citatae. Auctor ille quidem non est testis oculatus, sed auritus; ipse enim confitetur, quae de Moscovitarum moribus ex Demetrio ejus gentis legato, qui ad Clementem VII. Pontificem nuper venit, quotidianis prope sermonibus didicisset, ea se latinarum literarum memoriae commendasse. Iterum exstat in collectione Wecheliana s. c. Tum exhibetur JOANNIS FABRI Moscovitarum religio; prodiit

Digitized by Google

Tubingae 1525. Extat etiam in Coll. Weech. s. c. JOANNES FABER theologus illa quidem aetate celeberrimus Viennensis, Ferdinandi archiducis jussu Moscovitas eos, qui anno 1524 in Hispaniam ad Carolum V legati missi, per Germaniam reverterunt, de ritibus, moribus, religione percontatus est, interprete usus, qui praeter sermonem suum patrium Rossicum etiam germanicam linguam paullumque latinam intelligebat.— CLAUDII GUISANI XII quaestiones et Graecorum ad eas responsiones, ex interpretatione JOANNIS LEVENCLAVII itemque JOANNIS LEVENCLAVII de Moscorum bellis adversus finitimos gestis, ab annis jam LXX, quibus antea per Europam paullatim innotuerunt, commentarius, primum prodierunt Basil. 1571 in Herbersteinii operis edit. s. c. CLAUDIUS GUISANUS Cardinalis Venetianus Graecis in hac urbe versantibus, quaestiones de fide proposuit, quas una cum eorum responsis latina interpretatione donavit JOANNES LEVENCLAVIUS. Quae commentatio inscripta est Anglorum navigatio ad Moscovitas, ea primum edita est ex bibliotheca Marquardi, Electoris palatini consiliarii, a CLAUDIO MARNIO et JOANNE AUBRIO, Anno 1600 in collectione Wecheliana s. c.

ALEXANDER GUAGNINUS VERONENSIS magna profecto est auctoritate, quippe qui non ex aliis accepta, sed ab ipso visa tradidit; namque, ut de se ipse dicit, munere praefecti peditum in arce Vitebska finitima Moscoviae perfunctus est. Hujus scriptoris liber habet inscriptionem: Omnium regionum Moscoviae monarchiae subjectarum morum et religionis descriptio et gesta tyranni Joannis Basilidis ex Sarmatia, ed. BERNH. ALBINUS, Spirae 1581. — MATTHIAE A MICHOVIA de Moscovia tractatus, ex corpore historiae Polonicae Joann. Pistorii edid. H. Petri 1588. Sequitur deinde TILEMANNI BREDENBACHII Belli Livonici quod magnus Moscoviae dux contra Livones gessit, nova et memorabilis historia, lamentabilem universae Torpatensis provinciae vastationem et excidium complectens; primum ed. Duaci 1564. Extat etiam in collectione Wecheliana supra laudata. Ac denique JACOBI ULFELDII legatio Moscovitica sive hodoeporicon Ruthenicum, prodiit Francof. A. 1627. 4.

Omnes has editiones accuratissime comparavi, praesertim cum bibliothecas Pragae, Viennae, Francofurti ad Moenum, Romae florentes, adirem.

Haec fere sunt, quae cum lectore benevolo communicanda putavi. Hac collectione omnibus patriae nostrae ejusque historiae amantibus gratum aliquid me praestiturum, spero; nihil enim est, quod patriae caritatem magis vel excitet vel confirmet, quam rerum ejus cognitio accuratissima et assiduum ejus historiae studium. Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

# I.

# SIGISMUNDI HERBERSTEINI

## RERUM MOSCOVITICARUM

# COMMENTARII.



Digitized by Google

Digitized by Google

I.

# SIGISMUNDI HERBERSTEINI

## RERUM MOSCOVITICARUM

# COMMENTARII.

---

## RERUM MOSCOVITICARUM COMMENTARII.

RUSSIA unde nomen habeat, variae extant opiniones. Sunt enim qui eam a quodam Russo, fratre seu nepote Lech, principe Polonorum, perinde ac si ipse Ruthenorum princeps fuisset, nomen accepisse volunt. Alii autem a quodam *vetustissimo* oppido, Russo dicto, non longe a Novogardia *magna*. Quidam vero a fusco ejus gentis *colore*. Plerique nomine mutato, a Roxolania Russiam cognominatam esse putant. Verum eorum qui hasce asserunt opiniones, tanquam vero haud consonas, Mosci refutant, asserentes Rosseiam antiquitus appellatam, quasi gentem dispersam, seu disseminatam: id quod nomen ipsum indicat. Rosseia etenim, Ruthenorum lingua, disseminatio, seu dispersio interpretatur, quod verum esse, varii populi incolis etiamnum permixti, et diversae provinciae Russiae passim intermixtae ac interjacentes, aperte testantur. Notum est autem historias sacras legentibus, disseminationis vocabulo etiam Prophetas uti, cum de dispersione populorum loquuntur. Nec tamen desunt, qui Russorum nomen ex Graeca, atque adeo ex Chaldaica origine, non multum dissimili ratione trahant, a fluxu nimirum, qui Graecis est ῥύς, vel a quadam quasi guttulata dispersione, quae Arameis dicitur Resissaia, sive Ressaia: quo modo Galli et Umbri a fluctibus, imbribus et inundationibus, hoc est, a Gall et Gallim, item ab Umber, Hebraeis sunt appellati, quasi dicas fluctuantes seu procellosos populos, vel scaturiginum gentem. Sed undecunque tandem Russia nomen acceperit, certe populi omnes qui lingua Slavonica utuntur, ritum ac fidem Christi Graecorum more sequuntur, gentiliter Russi, Latine Rutheni appellati, ad tantam multitudinem excreverunt, ut omnes intermedias gentes aut expulerint, aut in suum vivendi morem pertraxerint: adeo ut omnes nunc uno et communi vocabulo Rutheni dicantur.

Slavonica porro lingua, quae hodierno die corrupto nonnihil vocabulo Sclavonica appellatur, latissime patet: ut qua Dalmatae, Bossnenses, Chroati, Istrii, longoque secundum mare Adriaticum tractu Forumiulii usque, Carni, quos Veneti Charsos appellant, item Carniolani, Carinthii, ad Dravum fluvium usque: Stirii vero infra Gretzium, secundum Mueram Danubium tenus, indeque Mysii, Servii, Bulgari, aliique Constantinopolim usque habitantes: Bohemi praeterea, Lusacii, Silesii, Moravi, Vagique fluvii in regno Hungariae accolae: Poloni item, et Rutheni latissime imperantes, et Circasi Quinquemontani ad Pontum, denique per Germaniam ultra Albim in septentrionem Vandalorum reliquiae sparsim habitantes utuntur. Hi

Digitized by Google

etsi omnes se Slavos esse fatentur, Germani tamen a solis Vandalis denominatione sumpta, omnes Slavonica lingua utentes, Wenden, Winden, et Windisch, promiscue appellant.

Caeterum Russia montes Sarmaticos haud longe a Cracovia attingit: et secundum fluvium Tyram, quem incolae Nistrum vocant, ad Pontum Euxinum atque Borysthenem usque fluvium protendebatur: sed ante aliquot annos Albam, quae alias Moncastro appellatur, quaeque ad ostia Tyrae sita, sub ditione Walachi Moldaviensis erat, Thurca occupavit. Praeterea rex Thauriciae Borysthenem transgressus, lateque omnia vastans, duo ibi castra exaedificavit: quorum alterum Oczakow nomine, non longe ab ostiis Borysthenis situm, nunc Thurca pariter occupat: ubi solitudines hodie sunt inter utriusque fluvii ostia. Porro ascendendo juxta Borysthenem, devenitur ad oppidum Circas, occidentem versus situm: atque inde ad vetustissimam civitatem Kiowiam, quondam Russiae metropolim: ubi trajecto Borysthene, est provincia Sewera, adhuc habitata: ex qua recta in orientem procedenti occurrunt Tanais fontes. Longe deinde secundum Tanaim, ad confluxum scilicet Occae et Rha fluviorum, itinere emenso, transeundo denique Rha longissimo tractu in mare usque Septentrionale, post inde redeundo, circa populos regi Suetiae subditos, et ipsam Finlandiam, sinumque Livonicum, atque per Livoniam, Samogithiam, Masoviam denique et Poloniam usque revertendo, Sarmaticis tandem montibus terminatur, duabus duntaxat provinciis, Lithuania scilicet et Samogithia, interjectis: quae duae provinciae licet Rhutenis intermixtae sint, ac proprio idiomate rituque Romano utantur, earum tamen incolae ex bona parte sunt Rhuteni.

Principum qui nunc Russiae imperant, primus est, Magnus dux Moscoviae, qui majorem ejus partem obtinet: secundus, magnus dux Lithuaniae, tertius est rex Poloniae, qui nunc et Poloniae et Lithuaniae praeest.

De origine autem gentis, nihil habent praeter annales infra scriptos: gentem scilicet hanc Slavonicam esse ex natione Japhet, atque olim consedisse ad Danubium, ubi nunc Hungaria est et Bulgaria, et tum Norci appellatam: tandem dispalatam, et per terras dispersam, nomina a locis accepisse, utpote Moravi a fluvio: alii Czechi, hoc est Bohemi: item Chorvati, Bieli, Serbli, id est Servii, Chorontani dicti, qui ad Danubium consederant, a Walachis expulsi, venientes ad Istulam, nomen Lechorum a quodam Lecho Polonorum principe, a quo Poloni etiamnum Lechi vocantur, acceperunt. Alii Lithuani, Masovienses, Pomerani, alii sedentes per Borysthenem, ubi nunc Kiowia est, Poleni dicebantur: alii Drewliani, in nemoribus habitantes: alii inter Dwinam et Peti, dicti Dregowici: alii Polcuczani, ad fluvium Poltae, qui influit Dwinam: alii circa lacum Ilmen, qui Novogardiam occupaverunt, sibique principem Gostomissel nomine constituerunt: alii per Desnam et Sulam fluvios, Seweri, seu Sewerski appellati: alii vero super fontes Volhe et Borysthenis, Kriwiczi nominati: horum arx et caput Smolensco est. Haec annales ipsorum testantur.

Qui initio Rhutenis imperaverint, incertum est; characteribus enim carebant, quibus res gestae memoriae mandari potuissent. Posteaquam vero Michael rex Constantinopolitanus, literas Slavonicas in Bulgariam anno mundi 6406. misisset, tum primum, non ea duntaxat quae tum gerebantur, verum etiam quae a majoribus acceperant, et per longam memoriam retinuerant, scribi, inque annales eorum referri coepta sunt: ex quibus constat, Coseros populum, a nonnullis Rhutenis tributi nomine aspreolorum pelliculas de singulis aedibus exegisse, item Varegos ipsis imperavisse. De Coseris, unde, aut quinam fuerint, nihil praeter nomen ex annalibus: de Varegis itidem, certi quicquam ab illis cognoscere non potui. Caeterum cum ipsi mare Baltheum, et illud quod Prussiam, Livoniam, indeque post ditionis suae partem a Suetia dividit, mare Varegum appellarent: putabam equidem, aut Suetenses, aut Danos, aut Prutenos, ob vicinitatem, principes illorum fuisse. Jam vero, cum Wagria, famosissima quondam Vandalorum civitas et provincia, Lubecae et ducatui Holsatiae finitima fuisse, mareque hoc quod Baltheum dicitur, ab ea nomen, quorundam sententia, accepisse videatur: illudque ipsum, et sinus ille qui Germaniam a Dania, item Prussiam, Livoniam, maritimam denique Moscovitici imperii partem a Suetia separet, et adhuc apud Rhutenos nomen suum retineat, atque Waretzkoie morie, hoc est, Varegum mare appelletur: ad haec, quod Vandali ea tempestate potentes erant, Rhutenorum denique lingua, moribus atque religione utebantur: videntur itaque mihi Rhuteni ex Wagriis, seu Varegis potius, principes suos evocasse, quam externis, et a religione

Digitized by Google

sua, moribus, idiomateque diversis, imperium detulisse. Cum itaque Rhuteni aliquando inter se de principatu contenderent, ac mutuis odiorum facibus inflammati, exortis denique gravissimis seditionibus decertarent; tum Gostomissel, vir et prudens, et magnae in Novogardia authoritatis, in medium consuluit, ut ad Varegos mitterent, atque tres fratres, qui illic magni habebantur, ad suscipiendum imperium hortarentur: mox audito consilio, legatis missis, principes germani fratres accersuntur: venientesque eo, imperium ipsis ultro delatum, inter se dividunt. Rurik principatum Novogardiae obtinet, sedemque suam ponit in Ladoga, 36 miliaribus Germanicis infra Novogardiam magnam. Sinaus consedit in Albo lacu, Truvor vero in principatu Plescoviensi, in oppido Sworczech. Hosce fratres originem a Romanis traxisse, gloriantur Rhuteni: a quibus etiam praesens Moscoviae princeps, se genus duxisse suum asserit. Horum autem fratrum ingressus in Russiam, juxta annales, fuit anno mundi 6370. Duobus sine haeredibus defunctis, principatus omnes Rurick superstes obtinuit, castra inter amicos et famulos divisit; moriens filium juvenem Igor nomine, una cum regno commendat cuidam Oleg propinquo suo: qui id, devictis multis provinciis, auxit: arma in Graeciam usque transferens, Bisantium etiam obsedit; et cum triginta tribus annis regnasset, atque in caput seu cranium sui equi jam olim mortui, pede forte impegisset, vernis venenosi morsu lacsus occubuit. Mortuo Oleg, Igor ducta ex Plescovia uxore Olga, imperare coepit: qui cum exercitu suo longius progrediens, Heracleam et Nicomediam usque pervenisset, tandem bello superatus aufugit; post a Malditto Drewlianorum principe, in quodam loco Coreste nomine, ubi etiam sepultus est, occiditur. Filius autem Swatoslaus, quem infantem reliquit, cum per aetatem imperare non posset, interim mater Olga regno praefuit: ad quam cum Drewliani vigioti internuncios misissent, cum mandatis, ut eorum principi nuberet: Olga nuncios Drewlianorum vivos obrui jussit: suosque interim legatos ad eos misit, nimirum si se principem et dominam expeterent, ut plures atque praestantiores procos mitterent; mox alios selectos quinquaginta viros ad se missos, in balneo combussit: aliosque legatos iterum misit, qui adventum suum annunciarent, juberentque apparere aquam mulsam, aliaque ex more ad parentandum marito defuncto necessaria. Porro ad Drewlianos cum venisset, maritum deplanxit, Drewlianos inebriaxit, quinque millia illorum occidit; mox Kiowiam reversa, exercitum conscripsit: contra Drewlianos progressa, victoriam reportavit: fugientes in castrum persecuta, obsidione ad integrum annum pressit; post interpositis conditionibus, tributum illis de qualibet domo, tres videlicet columbas, totidemque passeres imperat: acceptasque in tributum aves, continuo alligatis sub alas igneis quibusdam instrumentis, dimittit; avolantes columbae, ad aedes consuetas redeunt, revolantque, castrum incendunt; inflammato jam castro diffugientes, aut occiduntur, aut capti venduntur. Occupatis itaque omnibus Drewlianorum castris, ulta mariti mortem, Kiowiam revertitur. Dein anno mundi 6463 in Graeciam profecta, baptismum sub rege Joanne Constantinopolitano suscepit: commutatoque nomine Olgae, Helena vocata est: ac magnis post baptismum a rege muneribus acceptis, domum revertitur. Haec prima inter Rhutenos Christiana fuit, ut annales eorum testantur, qui eam Soli aequiparant. Sicuti enim sol ipsum mundum illuminat, ita et ipsa Russiam fide Christi illustrasse dicitur. Swatoslaum autem filium ad baptismum nequaquam perducere potuit; qui cum adolevisset, strenuus ac promptus statim omnes bellicos labores, periculaque consueta, non detrectavit: in bello nulla impedimenta, ne vasa quidem coquinaria, exercitui suo permisit, carnibus tostis duntaxat utebatur, humi requiescens, sella capiti subjecta. Vicit Bulgaros, ad Danubium usque progressus: inque civitate Pereaslaw sedem suam posuit, ad matrem atque consiliarios suos dicens: Haec enim sedes mea, in medio regnorum meorum: ex Graecia ad me adferuntur Pannodocki, aurum, argentum, vinum, variique fructus: ex Hungaria, argentum et equi: ex Russia, Schora, cera, mel, servi. Cui mater: Jamjam moritura sum, tu me ubicunque volueris sepelito; itaque post triduo moritur, atque a nepote ex filio Wolodimero jam baptisato in numerum sanctorum refertur, diesque undecimus Julii sacer illi dicitur.

Swatoslaus, qui post obitum matris regnabat, divisit provincias filiis: Icropolcho Kiowiam, Olegae Drewlianos, Wolodimero Novogardiam magnam. Nam Novogardenses impulsu cujusdam mulieris Dobrinae, Wolodimerum principem impetrarunt erat enim Novogardiae civis quidam Calufcza parvus dictus, qui habuit duas filias, Dobrinam et Maluscham. Ma-

Digitized by Google

luscha erat in gynaecio Olhae, quam impraegnaverat Swatoslaus, et ex ea Wolodimerum susceperat. Swatoslaus cum filiis prospexisset, pergit in Bulgariam, Pereaslaw civitatem obsidet, capitque: Basilio et Constantino regibus bellum denunciat. at hi legatis missis pacem poscebant, et quantum exercitum haberet, cognoscere ab eo propterea cupiebant, quod tributum daturos se juxta numerum exercitus, sed falso, pollicebantur, mox cognito militum numero, exercitum scripserunt. Post cum uterque exercitus convenisset, Rhuteni Graecorum multitudine terrentur: quos cum pavidos videret Swatoslaus, inquit: Quia locum non video, Rhuteni, qui nos tuto capere posset: terram autem Russiae tradere inimicis, nunquam in animum induxi: fortiter contra illos pugnando, aut mortem oppetere, aut gloriam reportare, certum est. Etenim si strenue pugnando occubuero, nominis immortalitatem: si vero fugiam, perpetuam inde ignominiam sum relaturus. et cum hostium multitudine circumventus effugere non liceat, stabo ergo firmiter, caputque meum in prima acie, pro patria, omnibus periculis objiciam. Cui milites: Ubi caput tuum, ibi et nostrum. Mox confirmato milite, in adversum hostem raptus, magno impetu facto, victor evadit. Terram dein Graecorum vastantem, reliqui Graeciae principes muneribus oppugnant. aurum autem et panadockmi (ut est in Annalibus) munera cum sprevisset, recusassetque, vestimenta autem et arma a Graecis jam denuo sibi missa accepisset: tanta ejus virtute, Graeciae populi permoti, reges suos convenientes: Et nos, inquiunt, sub ejusmodi rege esse cupimus, qui non aurum, sed arma magis amat. Appropinquante Constantinopolim Swatoslao, Graeci magno se redimentes tributo, eum a finibus Graeciae avertunt. quem tandem anno mundi 6480, Cures princeps Pieczenigorum, ex insidiis interfecit, et ex cranio ejus poculum faciens, auro circundato, literis in hanc sententiam signavit: Quaerendo aliena, propria amisit. Mortuo Swatoslao, quidam ex ejus primoribus Swadolt nomine, Kiowiam ad Ieropolchum profectus, maximo cum sollicitans opere atque studio, quo Olegam fratrem regno expelleret, quod filium suum Lutam necasset. Ieropolchus eius persuasione adductus, bellum fratri infert: exercitumque ejus, Drewlianos scilicet, profligat. Olega autem fugiens in quoddam castrum, a suis exclusus, impetuque facto, ex quodam ponte detrusus ac dejectus, multis super cum cadentibus, misere adobruitur. Ieropolchus castro occupato fratrem quaerens, corpus eius inter cadavera repertum, et ad suum conspectum allatum aspiciens: Swadolte; inbuit, ecce hoc tu concupivisti; post sepelitur. Interfectum sepultumque Olegam, cum Wolodimerus accepisset, relicta Novogardia, ultra mare ad Waregos profugit, Ieropelchus autem Novogardiae suum locum tenentem imponens, totius Russiae monarcha efficitur. Wolodimerus Waregorom auxilio comparato, reversus, locum tenentem fratris Novogardia expulit, fratrique bellum prior denunciat; sciebat enim, ipsum contra se arma sumpturum. Interea temporis mittit ad Rochwolochdam principem Plescoviae (nam et ipse ex Waregis illuc commigraverat) et filiam suam Rochmidam uxorem petit: filia autem non Wolodimero, quod eum ex illegitimo thoro natum sciebat, sed Ieropolcho fratri, quem brevi se pariter expetiturum putabat, nubere voluit. Wolodimerus, quod repulsam passus esset, Rochwolochdae bellum infert: cumque una cum duobus filiis occidit. Rochmidam vero filiam sibi jungit, atque post Kiowiam contra fratrem progreditur. Ieropolchus cum fratre inire praelium cum non auderet, occlusit se Kiowiae. Wolodimerus dum Kiow oppugnat, occultum mittit nuncium ad Blud quendam Icropolchi intimum consiliarium: quem patris appellatione dignatus, rationem interficiendi fratrem ex eo petit; intellecta petitione Wolodimeri, pollicetur Blud semet dominum suum interfecturum, consulens Wolodimero, castrum ut oppugnet: Ieropolchum autem monet, in castro ne maneat, exponens multos ex suis ad Wolodimerum defecisse. Ieropolchus consiliario suo fidem habens, fugit Roden, ad ostia Iursae, se que ibi adversus fratris vim tutum fore putat. Wolodimerus devicta Kiowia, Roden exercitum transferens, longa et gravi obsidione Ieropolchum premit. Post longa inedia exhausti, cum obsidionem tolerare diutius non possent, consulit Blud Ieropolcho, ut pacem cum fratre, se longe potentiore, faciat: Wolodimero autem interim nihilominus nunciat, se sibi fratrem suum mox traditurum, adducturumque Ieropolchus secutus consilium ipsius Blud, fratris se arbitrio atque potestati permittit, conditionem hanc ultro offerens, nempe, quicquid ex gratia sua sibi rerum concessurus esset, in eo sese gratum futurum. Wolodimero conditia oblata, haudquaquam displicet. Mox Blud monet dominum, ut

Digitized by Google

ad Wolodimerum iret: quod tamen Werasco pariter Ieropolchi consiliarius prorsus dissuadet, sed hujus consilium negligens, ad fratrem pergit, ingrediens per portam, a duobus Waregis, Wolodimero interim ex quadam turri despiciente, occiditur; quo facto: fratris uxorem natione Graecam stupravit: quam Ieropolchus pariter, priusquam in uxorem duxisset, monialem impracgnaverat. Hic Wolodimerus multa idola Kiowiae instituit; primum idolum, Perum dictum, capite argenteo, caetera lignea erant; alia, Uslad, Corsa, Daswa, Striba, Simaergla, Macosch, vocabantur: quibus immolabat, quae alias Cumeri appellabantur. Uxores habuit plurimas; ex Rochmida autem suscepit Isoslaum, Ieroslaum, Serwoldum, et duas filias. Ex Graeca, Swetopolchum. Ex Bohema, Saslaum: item ex alia Bohema, Swatoslaum, Stanislaum. Ex Bulgara, Boris et Chleb. Habebat praeterea in alto castro trecentas concubinas: in Bielgrad, similiter trecentas: in Berestowo, Selwi ducentas. Wolodimerus cum sine impedimento totius Russiae esset monarcha factus, venerant ad eum ex diversis locis Oratores, hortantes, ut se eorum sectae adjungeret. Varias autem cum videret sectas, misit et ipse Oratores suos, qui perquirerent conditiones et ritus singularum sectarum, tandem cum aliis omnibus fidem Christianam Graeco ritu praetulisset, elegissetque missis oratoribus Constantinopolim *ad Basilium et Constantinum* reges, Annam *sororem, uxorem sibi* si darent, se fidem Christi, cum omnibus subditis suis suscepturum: et restituturum illis Corsun, et alia omnia, quae in Graecia possideret, pollicetur, re impetrata, constituitur tempus, eligitur locus Corsun: quo cum venissent reges, baptisatus est Wolodimerus, commutatoque nomine Wolodimeri, Basilio illi nomen imponitur. Nuptiis celebratis, Corsun una cum aliis, sicuti promiserat, restituit. Haec acta sunt anno mundi 6469 a quo tempore Russia in fide Christi permansit. Anno moritur 23. anno post nuptias: Wolodimerus vero anno post obitum uxoris quarto decessit. Is civitatem intra Wolham et Occam fluvios sitam concidit, quam a suo nomine Wolodimeriam nominavit, eamque Russiae metropolim constituit. Inter sanctos tanquam Apostolus, solenni die videlicet 15. Julii, quotannis veneratur. Mortuo Wolodimero, dissidentes inter se filii ejus, varie de regno praesumentes, decertabant: adeo ut qui potentior esset, alios se *inferiores* imbecillioresve opprimeret, regnoque pelleret. Swatopolchus, qui principatum Kiowiensem vi occupaverat, constituerat, sicarios, qui fratres suos Boris et Chleb conficerent. Interfecti, commutatis nominibus, hic David, illo vero Romanus vocati, in sanctorum numerum connumerati sunt: quibus etiam 24. dies Julii sacer est constitutus. Fratribus porro sic dissidentibus, nihil dignum memoria interim ab eis gestum est: nisi proditiones, insidias, simultates, intestinaque bella audire velles. Wolodimerus Sewoldi filius, cognomento Monomach, universam Russiam rursus in monarchiam redigit, relinquens post se insignia quaedam, quibus hodierno die in inaugurandis principibus utuntur. Moritur Wolodimerus anno mundi 6633; nec post eum filium ejus, neque nepotes quicquam posteritate dignum, usque ad tempora Georgii et Basilii, gesserunt: quos Bati rex Tartarorum bello vicit, interemitque: Wolodimeriam, Moscoviam, atque bonam Russiae partem exussit, et depraedatus est. Ab eo tempore, anno scilicet mundi 6745, usque ad praesentem Basilium, omnes fere Russiae principes Tartarorum non solum tributarii erant, verum etiam Tartarorum arbitrio Ruthenis ambientibus singuli principatus deferebantur. Lites denique inter illos de successione principatuum, aut haereditatum gratia exortas, licet Tartari discernentes, cognoscentesque decidebant, nihilominus tamen bella saepe inter Ruthenos et Tartaros oriebantur: inter fratres autem varii tumultus, expulsiones et permutationes regnorum et ducatuum erant. Nam dux Andreas Alexandri, impetrarat magnum ducatum: quem cum occupasset Demetrius, frater Andreas impetrato Tartarorum exercitu, illum expulit, multaque nepharia per Russiam perpetravit. Item dux Demetrius Michaelis, interfecit apud Tartaros ducem Georgium Danielis. Asbeck Tartarorum rex, arrepto Demetrio, capitali cum poena affecit. Contentio erat de magno ducatu Twerensi, quem dux Simeon Ioannis, cum a Tartarorum rege Czanabeck peteret, annuum ab eo tributum poscebat: quod ne penderet, primores largitione corrupti, pro eo intercedentes effecerant. Deinde anno 6886, magnus dux Demetrius vicit bello magnum Tartarorum regem, nomine Mamaij. Item tertio anno post, eundem jam denuo usque adeo fudit, ut plus quam tredecim millibus passuum terra cadaveribus obruta esset. Anno post eundem conflictum secundo, superveniens Tachtamisch rex Tartarorum, Demetrium profligavit, Moscoviam obsedit et occupavit, inter-

Digitized by Google

empti ad sepeliendum octoginta uno rublo redimebantur: summa computata 3000 rublorum fuit. Magnus dux Basilius, qui praesidebat anno 6907, Bulgariam, quae ad Wolhiam sita est, occupavit, Tartarosque ejecit. Is Basilius Demetrii reliquit unicum filium Basilium: quem cum non diligeret, quod Anastasiam uxorem, ex qua illum suscepcrat, adulterii suspectam haberet, magnum ducatum Moscoviae non filio moriens, sed Georgio fratri suo reliquit. Cum autem plerique Bojaronum filio ejus, tanquam legitimo haeredi atque successori, adhaererent: animadvertens hoc Georgius, ad Tartaros properat: supplicat regi, ut Basilium accersat, atque utri jure ducatus debeatur, decernat. Rex impulsu cujusdam consiliarii sui, qui partes Georgii fovebat, praesente Basilio, cum sententiam pro Georgio diceret: provolutus ad genua regis Basilius, orat, fas ut sit sibi loquendi. Mox annuente rege, inquit: Quanquam tu sententiam super literis mortuis tulisti, spero meas tamen, quas mihi sigillo aureo communitas dedisti, quod velles me magno ducatu investire, adhuc vivas, longe majoris efficaciae atque authoritatis esse, rogatque regem, ut verborum suorum esset memor, promissisque stare dignetur. Ad haec rex, justius esse respondit, vivarum literarum promissa servare, quam mortuarum rationem habere. Tandem Basilium dimittit, ducatuque investituit. Moleste id ferens Georgius, exercitu congregato, Basilium expulit: quod Basilius susque deque tulit: seque in principatum Uglicz, sibi a patre relictum, recepit. Georgius magno ducatu, quoad vixit, quiete potitus est, quem testamento nepoti suo Basilio legavit: quod Andreas et Demetrius, filii Georgii, seu privati haereditate, graviter tulerunt, atque ideo Moscoviam obsederunt. Basilius, qui monasterium sancti Sergii ingressus erat, cum haec audiret, illico exploratores, constituit: praesidiisque dispositis cavit, ne ex improviso opprimeretur. Quod cum animadverterent duo illi fratres, inito consilio, certos currus armato milite complent, ac veluti mercibus onustos eo mittunt, qui hinc inde ducti, demum sub noctem juxta vigilias constitere. Qua occasione adiutus miles, in tempesta nocte subito se curribus expediens, excubitores nihil periculi suspicantes invadit, capitque, Capitu et Basilius in monasterio. atque excaecatus ad Uglicz una cum conjuge mittitur. Post Demetrius, ubi infestam sibi communitatem nobilium, eamque ad Basilium caecum deficere videt, mox Novogardiam profugit, relinquens filium Ioannem: ex quo postea natus est Basilius Semeczicz, qui etiam me tum in Moscovia existente, in vinculis detinebatur, de quo infra plura. Demetrius autem dictus fuit cognomento Semecka, unde omnes ab eo descendentes Semeczicki cognominantur. Tandem Basilius caecus, Basilii filius, quiete magno ducatu potitus est, Post Wolodimerum Monomach, usque ad hunc Basilium. Russia carebat monarchis. Filius autem hujus Basilii, Ioannes nomine, felicissimus fuit; nam simul ubi Mariam, sororem magni ducis Michaelis Twerensis, uxorem duxisset, sororium expulit, et occupavit magnum ducatum Twerensem, deinde etiam Novogardiam magnam: cui postea ommes alii principes, magnitudine rerum a se gestarum commoti, seu timore perculsi, serviebant. Rebus deinde feliciter procedentibus, titulum magni ducis Wolodimeriae, Moscoviae et Novogardiae sibi usurpare, monarcham denique se totius Russiae appellare coepit. Hic Ioannes suscepit ex Maria filium Ioannem nomine, cui in consortem junxerat filiam Stephani illius magni Woivodae Moldaviae: Stephanus Mahumetem Thurcarum, Matthiam Hungariae, et Ioannem Albertum Poloniae, reges prostraverat, Mortua priore conjuge Maria, Ioannes Basilii alteram uxorem duxit, Sophiam, filiam Thomae, late quondam in Peloponneso regnantis: filii inquam Emanuelis, regis Constantinopolitani, ex Palaeologorum genere: ex qua suscepit quinque filios, Gabrielem, Demetrium. Georgium, Simeonem, et Andream: eisque vivens adhuc patrimonium divisit. Ioanni primogenito monarchatum reservavit, Gabrieli Novogardiam magnam consignavit, caeteris alia juxta arbitrium suum attribuit. Primogenitus Ioannes moritur, relicto filio Demetrio: quem avus in patris mortui locum, juxta consuetudinem monarchatu investiverat. Ajunt Sophiam hanc fuisse astutissimam, cujus impulsu dux multa fecit. Inter caetera induxisse maritum perhibetur, ut Demitrium nepotem monarchatu moveret, in que ejus locum praeficeret Gabrielem. Persuasus namque dux ab uxore, Demetrium in vincula conjicit, detinetque, tandem, moriens, eidem ad se adduci jusso: Care, inquit, nepos, peccavi in Deum et te, quod carceribus mancipatum te afflixi, teque justa haereditate spoliavi, injuriam igitur a me tibi illatam, obsecro mihi remitte: liber abi, jureque tuo utere. Demetrius hac oratione permotus, noxam avo facile condonat. Egressus autem,

Digitized by Google

Gabrielis patrui jussu comprehenditur, inque carceres conjicitur. Alii fame illum ac frigore, pars fumo suffocatum putant. Gabriel, vivente Demetrio, gubernatorem se gessit: eo vero mortuo, principatum tenuit, non inauguratus, Gabrielis duntaxat in Basilii nomine commutato. Erat Ioanni magno duci ex Sophia, filia Helena, quam collocavit Alexandro magno duci Lithuaniae, qui postea rex Poloniae declaratus est. Sperabant Lithuani jam gravissimas utriusque principis discordias eo matrimonio sopitas fore: at longe graviores inde exorte sunt. In sponsalibus namque conclusum erat, ut templum Ruthenico ritu in castro Vilnensi, destinato loco exaedificaretur, eique certae matronae ac virgines ejusdem ritus jungerentur; quae cum aliquanto tempore fieri negligerentur, sumit socer causam belli contra Alexandrum: et triplici exercitu instructo, contra eum progreditur, primum versus provinciam Severam in meridiem, secundum vero in Occidentem contra Toropec et Biela instituit, tertium in medio versus Drogobusch et Smolensko collocat; ab iis exercitum in subsidiis retinet, quo ei maxime, contra quem Lithuanos pugnaturos animadverteret, succurrere posset. Postquam autem ad fluvium quendam Vedrasch uterque exercitus venisset, Lithuani duce Constantino Ostroskij maxima procerum et nobilium frequentia septo, ex quibusdam captivis numerum hostium ac ducum quoque cum cognovissent, magnam spem profligandi hostem concipiunt. Porro cum fluvius conflictum impediret, ab utrisque transitus seu vadum quaeritur. Primi autem Mosci aliquot, superata ripa, Lithuanos ad pugnam lacessunt: atque illi haud timidi resistunt, eosque insequuntur, fugant, ultraque fluviolum pellunt; mox utrinque acies committuntur, praeliumque atrox oritur. Interea dum utrinque eodem ardore animorum acriter certarent, exercitus in insidiis collocatus, quem paucissimi Rutheni adfuturum sciebant, ex latere in medios hostes inducitur. Lithuani metu perculsi, dilabuntur: imperator exercitus una cum plerisque nobilibus capitur, reliqui perterriti, castra hosti concedunt: se et arces, Drogobusch, Toropec, et Biela pariter dedunt. Exercitus vero, qui meridiem versus processerat, cui praeerat dux Machmethemin Tartarus rex Casani, forte Brensko civitatis praefectum, quem vernacula lingua Voivodam vocant, comprehendit, Brenskoque civitate potitur. Duo post germani fratres, Basilii patrueles, alter de Staradub, alter vero Semeczicz dicti, bonam partem provinciae Severae possidentes. alioqui Lithuaniae ducibus obedientes, imperio Mosci se tradunt. Sic unico conflictu, et eodem anno adeptus erat Moscus, quem Vitoldus magnus dux Lithuaniae multis annis, maximisque laboribus obtinuerat. Porro cum hisce captivis Lithuanis, Moscus crudelius egit, gravissimis cathenis vinctos detinuit: egitque cum Constantino duce, ut relicto domino naturali, sibi serviret; qui cum aliam spem elabendi non haberet, conditionem accepit, obstrictusque gravissimo juramento, liberatus est. Huic porro quamvis praedia possessionesque pro status sui conditione attributae essent, iis tamen placari ac detineri adeo non poterat, ut ad primam occasionem, per invias sylvas redierit. Alexander rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, qui perpetuo magis pace quam bello gaudebat, relictis omnibus provinciis et castris a Mosco occupatis, liberatione suorum contentus, pacem cum socero fecit. Is Joannes Basilii adeo fortunatus erat, ut praelio Novogardenses, ad fluvium Scholona superarit; victos adegit, certis conditionibus propositis, se ut dominum et principem agnoscerent: magnam eis pecuniam imperavit: unde etiam constituens prius ibi locum tenentem suum, abiit; quo, exactis tandem septem annis, reversus, civitatem ingreditur auxilio archiepiscopi Theophili: incolas ad miserrimam servitutem redegit: arreptis argento et auro, ablatis denique omnibus civium bonis, inde ultra trecenta plaustra bene onusta abvexit. Ipse semel duntaxat bello interfuit, cum principatus Novogardiae et Tverensis occupabantur; alias praelio nunquam adesse dolebat, et tamen victoriam semper reportabat: adeo, ut magnus ille Stephanus Moldaviae palatinus, crebro in conviviis ejus mentionem faciens, diceret: Illum domi sedendo et dormitando imperium suum augere, se vero pugnando quotidie vix limites defendere posse. Ille etiam reges Casani ex voluntate sua constituit, aliquando captivos reduxit, a quibus tamen postremo senex maxima strage profligatus est. Ille idem primus castrum Moscoviae, suamque sedem, ut hodie cernitur, muro communivit. Mulieribus porro usque adeo infensus erat, ut ejus conspectu, si quae forte obviam sibi venissent, tantum non exanimarentur. Pauperibus a potentioribus oppressis, injuriaque affectis, aditus ad eum non patebat; in prandio plerumque adeo se potu ingurgitabat, ut somno opprimeretur; invitatis interim



Digitized by Google

omnibus timore perculsis, silentibusque: experrectus, oculos tergere, ac tum primum jocari, et hilarem se convivis exhibere solebat. Caeterum etsi potentissimus erat, Tartaris tamen obedire cogebatur. Advenientibus namque Tartarorum Oratoribus, extra civitatem obviam procedebat, eosque sedentes stans audiebat; quam rex uxor ejus Graeca tam graviter tulit, ut quotidie diceret, sese Tartarorum servo nupsisse: atque ideo hanc servilem consuetudinem, ut aliquando abjiceret, marito persuasit, ut aegritudinem Tartaris advenientibus simularet. Erat in castro Moscoviae domus, in qua habitabant Tartari, ut omnia quae Moscoviae agerentur, intelligerent; quod cum ferre uxor pariter non posset, certos Oratores instituit, munera ampla Reginae Tartarorum mittit, supplicando, ut eam sibi domum concederet, donaretque: visione etenim divina commonitam, templum se eo loci aedificaturam: ita tamen, ut aliam domum Tartaris se assignaturam polliceretur. Consentit hoc regina: diruitur domus, templumque eo loco extruitur; sic castro ejecti Tartari, domum aliam nec viventibus adhuc, nec mortuis jam ducibus consequi poterant.

Moritur autem Joannes ille magnus, anno mundi 7014, cui filius Gabriel, postea Basilius dictus, magnus dux successit, habens in captivitate Demetrium nepotem ex fratre, qui avo adhuc vivente juxta gentis consuetudinem legitimus monarcha creatus erat: et ob id vivo adhuc, atque etiam mortuo post nepote, solenniter Basilius creari monarcha noluit. Patrem multis rebus imitatus est: ea quae sibi reliquerat pater, integra custodivit: ad haec multas provincias non tam bello, in quo erat infelicior, quam industria, imperio suo adjecit; quemadmodum pater Novogardiam magnam in servitutem suam redegerat, ita et ipse Plescoviam, sociam urbem: item insignem principatum Smolensko, qui plus quam centum annis sub ditione Lithuanorum fuerat, adeptus est; mortuo etenim Alexandro rege Poloniae, etsi belli causam contra Sigismundum regem Poloniae et magnum ducem Lithuaniae nullam haberet, tamen quia regem ad pacem magis quam bellum inclinatum, Lithuanos vero bellum pariter abhorrentes videret, occasionem belli invenit. Sororem videlicet suam, Alexandri relictam, dicebat ab eis minime pro dignitate tractari: Regem praeterea Sigismundum insimulabat, Tartaros contra se concitavisse. Quare bellum incidit, Smolensko obsidet, admotis tormentis: nequicquam tamen oppugnat. Interea Michael Lynsky, ex principum Ruthenorum nobili stemmate et familia ortus, qui quondam summam rerum apud Alexandrum tenebat, ad magnum ducem Moscoviae profugit, quem admodum infra patebit: mox Basilium ad arma hortatur, eique promittit, se Smolensko, si jam denuo obsideretur, expugnaturum: ea tamen lege, ut sibi hunc principatum Moscus concedat. Post cum ad conditiones a Michaele propositas assensus esset Basilius, atque Smolensko gravi jam denuo premeret obsidione, Lynsky pactionibus, seu largitione verius urbe potitus, militiaeque praefectos omnes secum in Moscoviam duxit: uno duntaxat excepto, qui ad dominum suum, nullo proditionis crimine sibi conscius, redierat; reliqui vero centuriones corrupti pecunia et muneribus, redire in Lithuaniam non audebant: et ut culpae suae patrocinium praetenderent, injecerunt metum militibus, dicentes: Si Lithuaniam versus iter arripiemus, passim aut spoliabimur, aut occidemur; quo malo perculsi milites, omnes in Moscoviam profecti sunt, stipendioque Principis aluntur.

Hac victoria elatus Basilius, exercitum suum continuo in Lithuaniam progredi jubet: ipse vero in Smolensko manet. Dein cum aliquot propinquiora castra et oppida deditione capta essent, tum primum Sigismundus rex Poloniae obsessis in Smolensko, coacto exercitu auxilium, sed tardius, misit; mox occupato Smolensko, ubi Lithuaniam versus Mosci exercitum ire animadvertit, ipse Borisow juxta fluvium Beresina situm, advolat, atque inde exercitum suum Constantino Ostroskij duce dimittit; qui cum attigisset Borysthenem, circa Orsam oppidum, quod a Smolensko 24 miliaribus Germanicis distat, aderat tum jam exercitus Mosci circiter octoginta milia: Lithuanicus autem non excedebat triginta quinque milia hominum, adjunctis tamen aliquot bellicis tormentis. Constantinus mense Septemb. die 8. anni 1514 strato pontem, peditem ultra Borysthenem, juxta Orsam oppidum, transfert: equitatus autem angustum vadum sub ipso castro Orsae superat. Mox ubi dimidia pars exercitus Borysthenem transisset, nunciatur Joanni Andreae Czeladin, cui summa rerum a Mosco erat commissa, ut hanc exercitus partem invaderet, contereretque. At ille respondit: Si partem hanc exercitus oppresserimus, supererit altera pars, cui forte aliae jungi copiae possent,

Digitized by Google

atque ita nobis majus periculum immineret; expectemus tantisper, dum totus exercitus transferatur: tantae enim sunt nostrae vires, ut sine dubio, nec magno labore, hunc exercitum aut opprimere, aut circumventum Moscoviam usque, veluti jumenta agere possimus. Tandem, quod unicum restat, totam occupemus Lithuaniam. Interim appropinquabat exercitus Lithuanicus, Polonis et externo milite mixtus: et cum quatuor millibus passuum ab Orsa processisset, uterque subsistit. Moscorum duae alae longius ab exercitu recesserant, ut hostem a tergo circumvenirent: acies autem instructa in medio stabat, subductis quibusdam in fronte, qui hostem ad pugnam lacesserent. Ex adverso Lithuanus diversas copias, ordine longo collocabat; singuli etenim principatus, suae gentis copias, et ducem miserant; atque ita singulis suus in acie dabatur locus. Tandem cohortibus in fronte constitutis, Mosci classicum canentes, primi in Lithuanos impetum faciunt, illi haud timidi resistunt, eosque repellunt; quibus mox alii in auxilium missi, vicissim Lithuanos in fugam convertunt; sic aliquoties utraque pars novis subsidiis aucta, alteram repellebat. Postremo maxima vi certatur. Lithuani studio cedentes ad locum, ubi tormenta bellica collocaverant, ea in Moscos insequentes convertunt: extremamque aciem eorum in subsidiis arctius collocatam feriunt, turbant, dirimuntque. Hoc novo belli genere Mosci, qui primos duntaxat in acie cum hoste confligentes, in periculo esse putabant, terrentur: turbatique, primam aciem jamjam fusam putantes, fugam capessunt; quos Lithuani conversi, omnibus copiis effusis insequuntur, fugant, caeduntque. Hanc caedem sola nox ac sylvae diremerunt. Est inter Orsam et Dobrovnam (quae quatuor mil. Ger. distant) fluvius Cropivna dictus: in cujus dubiis et altis ripis fugientes, tot Mosci submersi sunt, ut cursus fluminis impediretur. Capti sunt in eo conflictu omnes militiae praefecti ac consiliarii: quorum praestantiores, Constantinus sequenti die lautissime accepit, dein ad Regem misit: qui per castra Lithuanica sunt distributi. Joannes Czeladin cum aliis duobus praecipuis ingravescentis jam aetatis ducibus, habebatur in ferreis compedibus Vilnae; hos ego, cum a Caesare Maximiliano legatus in Moscoviam missus essem, permittente Rege Sigismundo, accessi, eosque consolabar: aureos praeterea aliquot, obsecrantibus mutuo dederam. Princeps porro accepta suorum clade, Smolensko continuo relinquens, in Moscoviam fugit: et ne castrum Drogobusch Lithuani occuparent, incendi jubet. Lithuanicus exercitus recta Smolensko civitatem contendit, sed capere eam non potuit: quod praesidiis impositis, Moscus eam bene firmatam reliquerat: et quod hyems impendens obsidionem impediebat: tum quod plurimi post conflictum praeda onusti, satis se effecisse rati, domum repetebant: denique quod neque Lithuani, neque Mosci expugnare arces, aut vi capere norunt. Ex ea autem victoria, praeter recuperata citra Smolensko tria castra, Rex nihil reportaverat. Anno post hunc conflictum quarto, misit in Lithuaniam exercitus Moscus, atque intra meatus Dvinae fluvii et Polocko castrum consedit: ac inde bonam exercitus partem, quae Lithuaniam abacta praeda caede et incendiis depopularetur, dimisit. Albertus Gastold Polockij Voyvoda una noctium egressus, flumine superato, acervum foeni, quod ad longam obsidionem congesserant Mosci, incendit, hostem invadit: quorum alii caeso ferro, alii fugiendo submersi, alii capti, pauci evaserunt; caeteri, qui palantes Lithuaniam vastabant, pars in locis diversis devicti, alii in silvis errantes a colonis trucidati sunt.

Casan regnum Moscus quoque eo tempore, tam navali quam equestri exercitu erat agressus: sed re infecta, amissis quampluribus militibus rediit. Porro princeps ille Basilius, etsi in bello esset infelicissimus, nihilominus tamen a suis semper, tanquam res feliciter gereret, laudatur: et cum nonnunquam vix dimidia militum pars domum redierit, tamen ne unum quidem praelio esse amissum dictitant. Imperio, quod in suos exercet, omnes facile universi orbis monarchas superat, et id quod pater incoeperat, ipse perfecit: nimirum omnes principes, et alios quo suis omnibus castris ac munitionibus exuit. Certe fratribus suis germanis nec arces permittit, nec etiam confidit; omnes juxta, dura servitute premit: adeo, ut quemcunque apud se in aula esse, aut in bellum ire, aut legationem aliquam obire jusserit, obire quodvis suis sumptibus cogatur: exceptis adolescentulis filiis Bojaronum, hoc est, tenuioris fortunae nobilium, quos paupertate oppressos, quotannis assumere, eosque in aequali stipendio proposito alere solet. Porro quibus in annum sex aureos numerat, iis tertio quoque anno stipendium exolvitur: quibus autem in singulos annos dantur 12 aurei, ii coguntur ad quodvis munus obeundum

Digitized by Google

suis et sumptibus et equis aliquot, esse parati ac expediti; praestantioribus, qui legationem aut alia graviora officia obeunt, aut praefecturae, aut villae, aut praedia, habita cujusque et dignitatis et laboris ratione, attribuuntur: de quibus tamen singulis certos annuos census Principi pendunt; mulcta duntaxat, quam a pauperibus aliquid forte delinquentibus extorquent, et quaedam alia illis cedunt. Hujusmodi autem possessiones utendas plerunque ad sesquiannum permittit, si quem tamen singulari gratia, seu benevolentia complectitur, addit menses aliquot: sed elapso eo tempore, cessat omnis gratia, totoque sexennio gratis tibi erit deinceps serviendum. Erat quidam Basilius Tretjak Dolmatow, carus Principi, et inter intimos Secretarios habitus: quem cum legatum ad Caesarem Maximilianum decerneret, seque ut praepararet, juberet: ac cum is viatico se ac sumptibus carere diceret, mox in Bieloosero captus, inque perpetuos carceres conjectus, tandem miserrime periit; cujus tam mobilia quam immobilia bona Princeps sibi vendicavit, et quamvis ter mille florenorum in prompta pecunia repereat, fratribus tamen ac haeredibus suis ne teruncium quidem dederat. Hoc ita esse, praeter communem famam, Ioannes scriba, qui a Principe, ut mihi res in quotidianos vitae usus necessarios suppeditaret, constitutus erat, fatebatur: et qui illum simul, ubi captus erat, in sua custodia habebat: itidem duo Basilii fratres, Theodorus et Zacharias, qui nobis redeuntibus ex Mosajsco in Smolensko procuratores erant dati, sic actam rem affirmabant. Quicquid Oratores ad externos Principes missi, preciosi reportant, id Princeps in suum fiscum reponit, inquiens, aliam ipsis gratiam se facturum: quae talis est, ut supra dixi. Oratores enim, Knes Ivan, Poseczen, Iaroslavski, et Semen, id est Simeon, Trophimow secretarius, a Caesare Carolo Quinto, ad quem missi erant, donati gravibus torquibus aureis, cathenis, Hispanica et ea quidem aurea moneta: item a Caesaris fratre Ferdinando archiduce Austriae, Domino meo, argenteis poculis, aureis et argenteis pannis, Germanica aurea moneta, cum redeuntes nobiscum in Moscoviam venissent, Princeps continuo et cathenas et pocula, atque majorem partem Hispanicorum aureorum illis ademit. Ejus rei veritatem cum ab Oratoribus inquirerem, alter timens ne Principem suum traduceret, constanter negabat: alter vero dicebat, Principem jussisse munera Regia ad se deferri, ut ea videat. Post cum saepius ejus rei meminissem, alter, aut ut mentiendi occasionem, si pernegaret: aut periculum si forte veritatem fateretur, effugeret: me posthac frequentare desierat. Aulici denique factum non negabant, sed respondebant: Quid tum, si alia gratia illis Princeps rependit. Autoritate sua tam in spirituales quam seculares utitur, libere ac ex voluntate sua de omnium et vita et bonis constituit: consiliariorum quos habet, nullus et tantae autoritatis, qui dissentire, aut sibi in re aliqua resistere audeat. Fatentur publice, voluntatem Principis, Dei esse voluntatem: et quicquid Princeps egerit, ex voluntate Dei agere, ob id etiam clavigerum et cubicularium Dei appellant, executorem denique voluntatis divinae credunt. Unde Princeps ipse, si quando preces interponuntur pro captivo aliquo, aut re alia gravi, respondere solet: Cum Deus jusserit, liberabitur. Ita similiter, si quispiam de re aliqua in certa et dubia quaerit, respondere communiter solent: Deus scit, et magnus Princeps. Incertum est, an tanta immanitas gentis tyrannum principem exigat: an tyrannide Principis, gens ipsa tam immanis, tamque dura crudelisque reddatur.

A tempore Rurick usque ad hunc praesentem Principem, non alio titulo usi sunt principes illi, quam Magnorum Ducum aut Volodimeriae, aut Mascoviae, aut Novogardiae, etc. praeter Ioannem Basilii, qui se dominum totius Russiae, et magnum Ducem Volodimeriae, etc. appellabat. Hic vero Basilius Joannis sibi vendicat et titulum et nemen regium, in hunc modum: Magnus Dominus Basilius, Dei gratia Rex et Dominus totius Russiae, et magnus Dux Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Plescoviae, Smolenskiae, Tveriae, Jugariae, Permiae, Viackiae, Bulgariae, etc. Dominus et magnus Dux Novogardiae terrae inferioris, et Czernigoviae, Rezaniae, Volotkiae, Rschoviae, Beloiae, Rostoviae, Iaroslaviae, Bielozeriae, Udoriae, Obdoriae, Condiniae, etc. Porro cum omnes hunc Imperatorem nunc appellent, videtur necessarium, ut et titulum et causam hujus erroris exponam. Czar Ruthenica lingua regem significat; cum autem communi Slavonica lingua, apud Polonos, Bohemos, et alios omnes sumpta quadam consonantia, ab ultima, et ea gravi quidem syllaba Czar, Imperator seu Caesar intelligatur: unde omnes qui Ruthenicum idioma seu literas non callent, item Bohemi, Poloni, atque etiam Slavi regno Hungarico subditi, alle

Digitized by Google

nomine regem appellant, nempe Kral, alii Kyrall, quidam Koroll: Czar autem solum Caesarem, seu Imperatorem dici existimant: unde factum, ut Rutheni interpretes audientes Principem suum ab externis nationibus sic appellari, coeperunt et ipsi deinceps Imperatorem nominare, nomen que Czar dignius esse quam Regis (licet idem significent) existimant. Caeterum si evolvas omnes eorum historias, atque sacram scripturam, ubique Regis nomine Czar, Imperatoris vero Kessar reperies. Eodem errore Imperator Turcarum Czar appellatur, qui tamen non alio eminentiore quam Regis, hoc est, Czar titulo ab antiquo est usus. Hinc Constantinopolim Czarigrad, quasi dicas Regiam urbem, Turcae Europaei, qui lingua Slavonica utuntur, appellant. Sunt qui principem Moscoviae Album Regem nuncupant. Ego quidem causam diligenter quaerebam, cur Regis *Albi* nomine appellaretur, cum nemo principum Moscoviae eo titulo antea esset usus: imo consiliariis ipsis saepe data occasione, et aperte dixi, nos non Regem, sed Magnum ducem agnoscere. Plerique tamen hanc Regii nominis rationem esse putabant, quod sub imperio suo reges haberet: Albi vero rationem nullam habebant, Credo autem, ut Persam nunc propter rubea tegumenta capitis Kisilpassa, id est, rubeum caput vocant: ita illos propter alba tegumenta, albos appellari. Regis porro titulo *utitur ad* Romanum Imperatorem et Pontificem, regem *Suetiae* et *Daniae*, Magistrum Prussiae, Livoniae: et, ut accepi, ad Turcarum principem; ipse vero a nemine horum, nisi forte a *Livonien.* Rex appellatur. Titulis autem antiquitus, tribus circulis triangulo inclusis, uti solebant, quorum primus in supremo circulo hisce verbis continebatur: Deus noster trinitas, quae fuit ante omnia secula, pater, filius, et spiritus sanctus non tamen tres dii, sed unus Deus in substantia. In secundo, titulus Imperatoris Turcarum erat, particula adiecta: Fratri nostro dilecto. In tertio, titulus Magni ducis Moscoviae, quo se regem, et haeredem ac dominum totius Russiae orientalis et meridionalis fatebatur, in quo communi formulae subjunctum vidimus: Misimus ad te nostrum fidelem consiliarium. Ad regem autem Poloniae huiusmodi titulo utitur: Magnus Dominus Basilius, Dei gratia Dominus totius Russiae, et Magnus dux Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Smolenskiae, Tveriae, Iugariae, Permiae, Belgariae, etc. omisso Regis titulo; neuter enim horum alterius literas novo titulo auctas, accipere dignatur. Quod quidem nobis Moscoviae existentibus acciderat, cum regis Sigismundi literas ad se missas, atque titulo ducis Masoviae auctas, Moscus gravatim acceperat.

Seribunt quidam, Moscum a Pontifice Romano et a Caesare Maximiliano nomen expetivisse, et titulum Regium. Mihi verisimile non videtur: praesertim cum nulli homini infensior sit; quam summo Pont. et quem nonnisi Doctoris titulo dignatur. Caesarem autem Romanum non majorem se existimat: ut ex literis suis apparet, in quibus nomen suum Imperatoris titulo praeponit. Nomen item Ducis apud eos dicitur Knes: nec alium majorem titulum, ut dixi, unquam habuerunt, adjuncta illa dictione, Magnus; nam omnes alii qui unicum principatum habebant, dicebantur Knes: qui vero plures principatus, atque alios Knes subjectos sub imperio habebant, Weliki Knesi, id est Magni Duces appellabantur; neque alium gradum seu dignitatem habent post Bojaros, qui more nostro locum nobilium (ut supra dixi) seu equitum tenent. In Croacia vero primores similiter Knesi vocantur: apud nos vero, sicuti et in Hungaria, non nisi Comitum nomen obtinent.

Non dubitarunt mihi viri quidam principes dicere, imo seu exprobrare, quod modernus Moscoviae princeps proferre soleat literas sanctae memoriae Imperatoris Maximiliani, quibus nomen Regium tributum sit patri ejus Gabrieli, qui postea mutato nomine Basilius vocari maluit: quodque affirmet, me eas literas ad illum portulisse; eamque ob causam factum est, ut in novissimis cum rege Poloniae tractatibus, aut Rex appellari, aut omnes pactiones irritas esse voluerit. Etsi vero his sermonibus, tanquam nec veris, nec verisimilibus minime deberem commoverit tamen eos non tam mea, quam optimi et clementissimi principis mei causa cogor refutare, cum videam etiam piissimos eius manes temere in invidiam vocari. Non est obscurum, fuisse quandoque simultatem aliquam inter Maximilianum Imper. et Sigismundum Poloniae regem, ea nimirum tempestate, qua Sigismundus ducebat Stephani comitis Scepusiensis filiam. Nam id eo fieri quidam interpretabantur, ut frater sponsae Ioannes, nuptiis Annae filiae Vladislai regis Hungariae, auctoritate et opera Sigismundi fratris potiretur: et per hoc impediretur, irritumque fieret jus successionis, quod Maximiliano, ejusve nepotibus

Digitized by Google

in regnum Hungariae debebatur. Qua de causa sane Maximilianus sua referre existimabat, Moscum perpetuum Lithuanorum et Polonorum hostem, sibi habere conjunctum. At posteaquam conventu ad Posonium habito, de Annae nuptiis inter Maximilianum et Vladislaum, praesente et favente Sigismundo, convenit, extinctis subito et sublatis omnibus suspicionibus et simultatibus, tam arcte complexus est Sigismundum Maximilianus, ut non dubitaret quandoque dicere, (quod alibi quoque retulimus) se cum Sigismundo et ad superos et ad inferos esse iturum. Et si igitur fuit tempus, cum Maximilianus sibi Moscum foederatum esse vellet: tamen ei regium nomen nunquam tribuit: quod literis et instrumentis utrinque datis et acceptis, facile comprobari potest, si cui forte testimonium meum, etsi verum et fidele, minus ponderis habere videatur. Cur vero hunc titulum ab Imperatore Maximiliano peteret Moscus, qui antequam quicquam inter eos negocii esset, non modo se ei parem, sed etiam superiorem videri voluit, nomen suum et titulum semper Imperatorio praeponens, sive loqueretur, sive scriberet: quod nunc quoque, ut dictum est, seu mordicus retinetur. At Regium nomen, ne ad Poloniae quidem regem scribens, post meum ex Moscovia reditum usurpavit. Hoc quidem in confesso est, quod ad Imperatorem, aut summum Pontificem scribens, se Regem et Dominum totius Rassiae vocat. Quin ne Imperatorio quidem nomine abstinet, si quas forte literas ex Ruthena lingua in Latinam versas adjungit: nimirum ipsis interpretibus vocem Czar, quae Regem significat, Imperatorem vertentibus. Atque huno iu modum idem se et regem et Imperatorem facit. Sed quod ab Imperatoribus. Maximiliano, ejusve nepotibus, creatus sit Rex, in Poloniae regum injuriam, id nemo credideriit. Quorsum enim attineret, eum Regiam dignitatem, ut fama est, a summo Pontifice petere, si eam antea ab Imperatoribus accepisset. Atque haec quidem dicta sint pro Maximiliano Augusto, domino meo: qui Sigismundo regi, quoad vixit, certus et sincerus amicus fuit.

De me vero ipso quid dicam? Qua fronte quaeso fuissem ausus, toties et in Poloniam et in Lithuaniam currere ac recurrere, in regum Poloniae Sigismundi patris et filii conspectum venire, publicis Polonorum conventibus interesse, viros Principes intueri, si commodassem operam hac in re meam Principi meo, cujus nomine ac verbis, fraterne, amice, benigne ac benevole, et Regi et Ordinibus omnibus frequentissime detuli, quicquid a coniunctissimo, optimo, et clementissimo Imperatore deferri posset? Si nullum est secretum, quod non reveletur: certe si quid indignum officio meo admisissem, id dudum in lucem erupisset. Sed consolor me recti conscientia, qua nulla est consolatio firmior. Et acquiesco suaviter in Regum Poloniae gratia, ac caeterorum Poloniae ordinum benevolentia, quam mihi nunquam defuisse recordor.

Fuerunt forte tempora, quibus talia minore quam nunc invidia spargi potuissent. Sed haec seri hoc tempore, quid est aliud, quam quaerere modos, ad dissociandas coniunctissimorum Principum voluntates, quae omnibus studiis atque officiis copulandae et consolidandae essent? Videbantur acta transacta esse omnia, quae nemo non putabat ad reliquias Hungariae servandas, et ad missa recuperanda, maximum momentum esse habitura. Verum quibus ea res et ante magno bono fuit, et amplius futura erat, hi sive Turcico, sive alio quopiam malo spiritu afflati, pactorumque et conventorum obliti, res novas et perniciosas moliuntur: non reputantes secum, in quantum discrimen et seipsos, et vicinas provincias, ac in primis Hungariam, de universo nomine Christiano quam optimo meritam, sint adducturi.

## MODUS INAUGURANDI PRINCIPES.

Morem, quo Principes Moscoviae inaugurantur, sequens formula, quam non ita facile consecutus sum, tibi depinget: et qua usus est Magnus Dux Ioannes Basilii, cum suum nepotem Demetrium, ut antea memini, Magnum duce et monarcham Russiae investiverat.

In medio templi divae Virginis, erigitur tabulatum, super quo tria sedilia, Avo scilicet, Nepoti, et Motropolitano collocantur. Constituitur item suggestum, quod ipsi Nolai vocant: super quo Ducalis pileus, et Barma, hoc est ornamentum Ducale, ponuntur. Post, ad constitutum tempus Metropolitanus, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, totusque conventus Ecclesiasticorum, solennibus ornamentis induti adsunt. Magno itaque Duce cum Nepote templum ingrediente, canunt Diaconi: Multos annos uni Duci magno Ioanni, secun-

Digitized by Google

dum consuetudinem. Sub haec Metropolitanus cum toto clero canere incipit orationem divae Virginis, et sancti Petri confessoris, quem ipsi more suo Miraculosum appellant: qua finita, Metropolitanus, Magnus Dux, et Nepos, tabulatum ascendunt, in que sedilia collocata sedent, Nepote interim ab initio tabulati subsistente. Tandem Magnus Dux in haec verba praefatur: Pater Metropolitane, ex divina voluntate, a nostris majoribus Magnis Ducibus antiqua et hactenus observata consuetudine, patres Magni Duces, filiis suis primogenitis consignabant Magnum Ducatum: et sicut eorum exemplo: genitor meus Magnus Dux, me coram se benedixit Magno Ducatu: ita ego quoque primogenitum meum Ioannem, coram omnibus Magno Ducatu benedixi. Sed quia divina voluntate accidit, ut filius ille meus mortem obierit, superstes autem sit unigenitus Demetrius, quem mihi Deus loco filii mei dedit: hunc itaque ego pariter coram omnibus benedico, nunc et post me, Magno Ducatu Volodimeriae, Novogardiae, et caetera, super quibus et patrem ejus benedixeram

Sub haec Metropolitanus jubet Nepotem locum sibi assignatum accedere, et benedicit illi cruce, Diaconumque jubet orationes diaconorum recitare. Ipse interim sedendo iuxta illum, capite inclinato quoque, orat: Domine Deus noster, Rex regum, Dominus dominantium, qui per Samuelem prophetam elegisti David servum tuum, et inunxisti illum in Regem, super populum tuum Israel: tu nunc exaudi preces nostras, tuorum indignorum, et respice a Sanctuario tuo ad fidelem servum tuum Demetrium, quem elegisti, exaltare regem tuis gentibus sanctis, quem redemisti preciosissimo unigeniti filii tui sanguine: et inunge cum oleo laeticiae, protege eum virtute excelsi, pone super caput coronam de lapidibus preciosis, da illi longitudinem dierum, et in dextram sceptrum Regale: pone illum in sedem justam, circunda illum omnibus armis justiciae, fortifica illum in brachio, et subjice illi omnes linguas Barbaricas: et sit totum cor eius in timore tuo, qui te humiliter audiat: averte illum a fide mala et demonstra illi salvum conservatorem mandatorum sanctae tuae universalis Ecclesiae, ut judicet populum in justicia, et justiciam praestet pauperibus, conservetque filios pauperum, et consequatur dein regnum coeleste.

Postea clara voce loquitur: Sicuti est tua potentia, et tuum est regnum: ita et laus et virtus sit Deo patri, et filio, et spiritui Sancto, nunc et in secula seculorum. Finita hac oratione, imperat duobus Abbatibus. Metropolitanus, ut sibi barma porrigant, quae una cum pileo, quodam tegumento serico (quod Schirnikoju appellant) tecta erat. Mox hanc tradit Magno duci, crucemque nepotem signat. Magnus autem dux eam super nepotem ponit. Dein Metropolitanus iuquit: Pax omnibus. Cui diaconus: Domine oremus; tum Metropolitanus orans: Tibi unico regi aeterno, cui terrenum quoque regnum creditum: inclinate vos nobiscum, inquit, et orate omnia regnantem: Conserva illum sub protectione tua, contine illum in regno, ut semper bona et decentia agat: fac clarescat justicia in diebus suis, amplificationeque sui dominii, et ut in tranquillitate ejus quiete, sine discordia vivamus, in omni bonitate et puritate; et haec submissius Alta autem voce: Tu es Rex mundi, et servator animarum nostrarum: laus tibi patri, et filio, spirituique sancto, nunc et in secula seculorum, amen. Tandem pileum Ducalem a duobus Abbatibus mandato sibi allatum, Magno duci porrigit: ad haec, crucc nepotem in nomine patris, et filii, et spiritus sancti signat: pileum porro Magno duce capiti nepotis imponente, Metropolitanus primum, dein archiepiscopus et episcopi accedentes, manu ei benedicebant. His ordine peractis, Metropolitanus, et Magnus dux, nepotem sibi assidere iubet, paulisperque commorati surgunt. Interea diaconus Letaniam (ut vocant) incipit, Miserere nostri Domine: nominans Ioannem magnum ducem; rursus alter chorus commemorat, magnum ducem Demetrium nepotem, et alios secundum consuetudinem. Finita Letania orat Metropolitanus: O sanctissima domina virgo Dei genitrix; et post orationem Metropolitanus et magni duces considerent. Sacerdos seu diaconus locum demonstrat, in quo legebatur Evangelium, altaque voce dicit: Multos annos Magno duci Ioanni, bono fideli Christi dilecto, Deo electo, et Deo honorando, Magno duci Ioanni Basilii Volodimeriae, Novogardiae et totius Russiae monarchae, per multos annos. Sub haec sacerdotes ante altare canunt: Magno duci multos annos; itidem in dextro ac sinistro choro diaconi canunt, Multos annos; tandem rursus diaconus alta voce, Multos annos magno duci Demetrio, bono fideli Christi dilecto, Deo electo et honorando: magno duci Demetrio Ioannis Volodimeriae, Novogardiae, et totius Russiae multos annos. Sacerdotes item apud altare,

Digitized by Google

et in utroque choro intonant, Multos annos Demetrio. Quibus peractis, Metropolitanus, Archiepiscopus, Episcopi, et tota congregatio ordine, magnos duces accedunt, eosque honorifice consalutant; accedunt et filii magni ducis, inclinando et salutando magnum ducem.

## INSTITUTIONES

### MAGNI DUCIS JAM INAUGURATI.

Simon Metropolitanus inquit: Domine et fili magne dux Demetri divina voluntate, avus tuus magnus dux fecit tibi gratiam, benedixit te ducatu magno: et tu Domine et fili, habe timorem Dei in corde tuo: ama justiciam, et justum judicium: obedias avo tuo magno duci, et curam de omnibus recte fidelibus ex toto corde habeto, et nos te Dominum filium suum benedicimus, et Deum oramus pro tua salute. Dein Metropolitanus et magni duces surgunt, Metropolitanusque orans benedicit cruce magno duci, ejusque filiis, tandem Liturgia, hoc est sacro peracto, magnus dux avus se in suam habitationem confert. Demetrius vero in ducali pileo et barma, ex aeda divae Virginis, magna Bojanorum caterva, filiisque comitantibus, ad templum Michaelis archangeli pergit, ubi in vestibulo supra pontem a Georgio magni ducis Ioannis filio, ter dengis aureis aspergitur (per dengam genus monetae intellige) templumque ingresso, Sacerdotes letaniam orantes, secundum consuetudinem, cruce ei benedicebant, et juxta sepulcra ac monumenta eum signum crucis signabant. Dein templum egrediens, in porta a Georgio rursus dengis aureis aspergitur. Post recta in templum annunciationis Mariae progreditur, ubi Sacerdotes pariter ei benedicebant, et a Georgio dengis ut antea aspergebatur. Peractis tandem iis, ad avum et matrem se contulit Dametrius. Acta sunt haec anno mundi 7006 a nato autem Christo 1497, die quarta mensis Februarii.

Interfuerunt autem huic mandato magni ducis, et benedictioni Simonis metropolitani:

Tychon archiepiscopus Rostoviensis; et Iaroslaviensis: Nyphont Susdaliensis et Toruski: Vasian episcopus Tverensis, Prothasius, Refanensis et Muromski Afranius Columbnensis, Ieufimi, Sarki et Podonski episcopi.

Multi item Abbates et Priores, inter quos potiores Serapian, prior monasterii ad sancta Trinitatem, divi Sergij et Makarij, Prior monasterii sancti Cyrilli: magnus denique conventus religiosorum et Ecclesiasticorum aderat. Inter prandendum, muneris quasi loco oblatum erat cingulum latum auro, argento, gemmis preciosis confectum, quo cingebatur; mox Selgi quoque Pereaslavski, hoc est, pisciculi ex lacu Pereaslaviensi, halecibus non dissimiles, quorum et nomen habent. Ideo autem id genus piscium putant afferri, quod Pereaslaw nunquam separabatur a Moscovia, vel Monarchia.

Barmai est veluti torques latae formae, ex serico villoso, extrinsecus tamen auro et omnis generis gemmis concinne confectus: quae Volodimerus praefecto cuidam Caphae Ianuensi profligato ademit.

Pileus ipsorum lingua Schapka dictus, quo Volodimerus Monomach usus est, et quem gemmis ornatum, aureis item lamenis, quasi quibusdam spirulis subinde sese vibrantibus, mire concinnatum reliquit; hactenus dixi de principe, qui majorem partem Russiae tenet.

Caeteris Russiae partes nunc unus Sigismundus Polaniae rex, magnusque Dux Lithuaniae tenet. Caeterum cum regum Poloniae, qui originem suam ex Lithuanis traxerunt, mentio fit, de genealogia eorum quaedam subjungenda videntur.

Praefuit magno Ducatui Lithuaniae princeps quidam Vitenen, quem cum famulus ejus Gedemin, ut Polonorum annales referunt, occidisset, mox et ducatu et uxore potitus est: ex eaquo inter plures alios, praecipuos duos suscepit filios, Olgird et Kestud. Ex Kestud natus est Vitoldus, quem alias Vitovdum appellant: et Anna, Ianusii ducis Mazoviae conjunx.

Vitoldus reliquit unicam filiam Anastasiam, quae Basilio duci Moscoviae in matrimonium collocata: Sophiaque nominata est: ex qua natus est Basilius, pater magni illius Ioannis, avus Basilii Ruthenorum principis, ad quem Orator missus fui.

Kestud porro ab Olgird fratre in carcerem conjectus, misere periit. Vitoldus quoque, vir, quo majorem Lithuania non habuit, et ex baptismo Alexander dictus, 1430 moritur.

Olgird Gedemini filius, ex uxore Maria, principe Tverensi Christiana, inter alios filios Iagelonem suscepit. Is regnandi cupiditate non solum regnum Poloniae, sed ipsam Hedvigam quoque, quae tum diademate insignita regno

Digitized by Google

praefuit, Vilhelmoque duci Austriae desponsata fuit, atque adeo parentibus primatibusque utriusque regni consentientibus, ante nubiles annos Regio more cum eo concubuisset, affectabat: missisque mox in Poloniam Oratoribus suis, regnum et Hedvigim uxorem expetit. Ut autem Polonos in suam sententiam pertraheret, votique compos fieret, inter alia fidem se Christi una cum fratribus suis, ducatibus item Lithuaniae et Samogithiae suscepturum polliceatur: aliisque id genus promissionibus, Polonos in suam sententiam permovit, ut Hedvigis horum authoritate adducta, atque etiam invita, rescisso priore matrimonii foedere, illi nuberet; quo facto, Iagelo ipse continuo Vladislai nomine accepto baptisatur, in Regem coronatur, nuptiisque peractis Hedvige uxore anno Domini 1386 potitur; qua tamen non longe post primo in partu mortua, Annam comitem Celeiae duxit uxorem: ex qua suscepit unicam filiam Hedvigim, desponsatam Friderico juniori Brandenburgensi. Duxerat et anum quandam: qua pariter mortua, Ruthenam Andreae Ioannis ducis Kioviensis filiam Soncam, quae post assumpto ritu Romano, Sophia appellata est, duxit: ex eaque suscepit Vladislaum et Casimirum filios.

Vladislaus patri in regno successit, inque Hungariae regem, submoto legitimo haerede, Alberti regis defuncti filio Ladislao posthumo, coronatus, ad Varnamque lacum post a Turcis *oppressus est.*

*Casimirus*, qui tum magnum Lithuaniae ducatum tenebat, et qui Ladislao posthumo similiter regnum Bohemiae, forte fratris exemplo ductus, adimere voluit, fratri in regno Poloniae successit; dein ejus Ladislai, Hungariae et Bohemiae regis sororem Elisabetham in uxorem duxit: ex qua suscepit filios, Vladislaum Hungariae et Bohemiae regem, Ioannem Albertum, Alexandrum, Sigismundum, Poloniae reges: Fridericum Cardinalem, et Casimirum, qui in Sanctorum numerum relatus est.

Vladislao erat Ludovicus filius, et Anna filia. Ludovicus in regno successit: Maria Philippi regis Castellae, archiducis Austriae, filia in uxorem ducta, a Turcis in Mohacz anno 1526 oppressus est.

Anna FERDINANDO, Romanorum, Hungariae et Bohemiae regi, archiduci Austriae nupsit: quatuor filiis, et undecim filiabus ex ea susceptis, Pragae tandem in puerperio, anno Domini 1547 moritur.

Ioannes Albertus sine conjuge obiit.

Alexander Helenam, Ioannis magni ducis Moscoviae filiam. duxit uxorem: sine liberis tamen decessit.

Sigismundus ex priore uxore Barbara, Stephani comitis Zepusiensis filia, suscepit Hedwigin, Ioachimi Brandenburgensis Electoris conjugem. Ex posteriore Bona, filia Ioannis Sfortiae ducis Mediolani et Barii, suscepit Sigismundum secundum Poloniae regem, magnum Lithuaniae ducem: qui Elisabetham FERDINANDI Romanorum, Hungariae et Bohemiae regis, etc. filiam, anno 1543; sexta die Maji uxorem duxit; quae tamen immatura morte, et sine prole, anno 1545. die Iunii decimaquinta decessit.

Duxit deinde Barbaram, ex domo Radavilorum: quae ante Gastoldo Lithuano nupta fuerat, invitis parentibus: et subditis hoc matrimonium tam indigne ferentibus, ut rebellio eorum jam coepta, in perniciosam seditionem abiisset, si FERDINANDUS rex injurias filiae illatas ulcisci, quam earum memoriam deponere maluisset: Hac vero mortua, idem Sigismundus ad redintegrandam cum Ferdinando conjunctionem et affinitatem conversus, conjugio sibi copulavit Catharinam, germanam sororem Elisabethae, quam Franciscus dux Mantuae viduam reliquerat Nuptiae celebratae sunt Cracoviae, 31 Iulii, anno 1553. Utranque sororem ego, tanquam Magister seu Praefectus Curiae, ad sponsum deduxi.

Semovites Mazoviae dux, ex Alexandra Iagelonis sorore suscepit multos filios, filiasque. Filii sine liberis decesserunt. Ex filiabus Czimburgis nupsit Arnesto Austriae archiduci, ex eoque genuit Fridericum Romanorum Imperatorem, patrem Maximiliani Imperatoris. Maximilianus genuit Philippum, Hispaniarum regem: Philippus CAROLUM V. et FERDINANDUM, Romanorum Imperatores.

Ovka Boleslao, Thesinensi duci, in matrimonium collocata est.

Amulia, Boguslao Stolpensium duci, qui nunc Pomeraniae dux appellatur, nupsit.

Anna vero, Michaeli duci Lithuaniae: Catharina innupta obiit.

Porro Olgird atque Iagelonis fratres, nepotesque, item filiarum ejusdem liberos, Kestudis denique Casimiri, aliorumque Regum posteros, si quis ordine recensere vellet, in immensum tam numerosa proles excresceret: quae tamen ut subito aucta est, ita nunc in



Digitized by Google

uno regis Poloniae jam mortui filio, Sigismundo secundo Poloniae rege, masculinus sexus residet.

Quoniam autem in mentionem posteritatis Gedemini, et regum ex ea stirpe incidimus, haud abs re visum est, si quae regnantibus Vladislao Hungariae et Bohemiae, ac ejus fratre Sigismundo Poloniae regibus (Casimiri filiis) evenerunt, subjiceremus.

Posteaquam Vladislaus regno Hungariae, concedente, et jus successionis sibi reservante Maximiliano Romanorum Imp. potitus esset, et unicam tantum filiam jam consenescens haberet: Maximilianus, quo jus successionis aliqua arctiore conjunctione confirmaretur, cum Vladislao de matrimonio inter alterum nepotum suorum ex filio suo Philippo Hispaniarum rege, et Anna Vladislai filia contrahendo, tractare coepit. Nam Annae nuptias perdite ambiebat Joannes Zapolitanus, filius Stephani Scepusiensis comitis: cujus summa fuerat apud Mathiam regem, atque adeo apud ipsum Vladislaum auctoritas. Vehementer adnitente matre vidua, quae primarios quosque viros in Comitatibus et provinciis Hungariae, muneribus atque stipendiis annuis (quae sua lingua largalass vocant) inescatos, et ad quaevis obsequia obnoxios tenebat: nihil dubitans, quin horum studiis et suffragationibus, et matrimonium istud filio conficeret, et per hoc eidem regnum pararet; quibus mulieris machinationibus ingens deinde monumentum addidere nuptiae, quae inter ejus filiam, Ioannis sororem, et Sigismundum Poloniae regem factae sunt. His rebus animadversis, Maximilianus hoc magis sibi, quod de matrimonio inter nepotem suum et Annam instituerat, urgendum esse ratus, cum exploratum haberet, Vladislaum idem cupere, sed factione et studiis eorum qui Joanni Zapolitano devincti erant, impediri: aleam sibi jaciendam, et Hungariam armis tentandam esse putavit; quo in bello ego primum militiae tyrocinium feci. Sed cum hoc in armorum strepitu Ludovicum Vladislao nasci contigisset, interpositis primum induciis, ad solidiorem pacem deventum est: quae deinde huc exiit, ut Vladislaus cum filio jam coronato, et filia, ac hujus frater Sigismundus Poloniae rex Viennam ad Maximilianum venirent: ubi factis cum Anna sponsalibus, et extinctis omnibus simultatibus, et suspicionibus, quibus ob ambitionem Ioannis Zapolitani indulgebatur, principes isti perpetuo foedere sunt conjuncti. Sic autem Sigismundus rex tum Maximiliano Imp. satisfecit, seque approbavit, ut idem aliquando me audiente diceret: Se cum hoc rege, quacunque intendat, et ad superos, et ad inferos esse iturum. De Ludovico vulgo dictum est, quod immaturo partu editus, immatura aetate uxori junctus et barbatus fuerit: ac regno quoque immaturus, immaturam mortem obierit. His vero addi potest, quod mors ejus regno Hungariae, et omnibus vicinis, non minus immatura quam acerba fuerit. Etsi vero salutaribus consiliis destituebatur Ludovicus, tamen optima cum in patriam et subditos suos mente et affectione fuisse, et quibus ea servarentur rationibus quaesisse, constat. Nam ubi cognovisset, Solimanum post Belgradum captum, novam et formidabilem expeditionem adversus se moliri, miserat adolescens Curiae suae magistrum Polonum cognomento Trepca, ad patruum suum regem Sigismundum: summis precibus oratum atque obtestatum, ut ne ad regni sui confinia accedere, ac secum capiendorum consiliorum causa convenire gravaretur. Sed cum hoc praecise recusatum esset a Sigismundo, Trepca cum lacrymis dixisse fertur: Nepotem tuum rex nunquam deinde videbis, nec ullam ab eo legationem audies. Idque sic evenit. Nam rege Sigismundo ab Hungariae finibus religionis praetextu longius ad Gedanum in Prussiam abeunte, nepos ejus una cum eodem Trepca, illa funestissima clade, quam a loco Mohaciensem vocant, est absorptus. Sed nunc ad Moscos redeo.

Basilio Joannis de uxore ducenda deliberanti, consultantique, visum tandem fuit, ut potius subditi alicujus filiam, quam externam duceret: tum ut maximis parceret sumptibus, simul ne uxorem peregrinis moribus diversaque religione imbutam haberet. Huius autem consilii Georgius cognomento Parvus, principis et thesaurarius et consiliarius summus, auctor fuit. Putabat enim, principem, filiam suam uxorem ducturum. Sed tandem publico de consilio, Bojaronum filiae numero mille et quingentae, cum in unum locum conductae essent, ut ex illis quam vellet, eligeret: delectu princeps habito, Salomeam, Ioannis Sapur Bojaronis filiam, contra Georgii opinionem in uxorem elegerat. Ex ea porro cum ad unum et viginti annos liberos non suscepisset, sterilitate uxoris offensus, eam eo anno quo nos Moscoviam veneramus, nimirum 1526. in monasterium quoddam in Susdali principatu intrusit; huic Metropolitanus in monasterio lacrymanti, ejulantique, capillis primum abscissis, cum cucullam

Digitized by Google

porrexisset, eam sibi injici haec adeo non patiebatur, ut apprehensam, in terramque proiectam cucullam pedibus calcaverit; qua rei indignitate, Ioannes Schygona, unus ex primariis consiliariis, commotus, eam non solum acriter objurgavit, sed flagello cecidit, superaddens: Tunc voluntati Domini resistere audes? illiusque jussa capessere moraris? Hunc Salomea cum interrogaret, qua se auctoritate caederet? Mandato Domini, cum respondisset: animo illa tum fracto coram omnibus, quod cucullam invita atque coacta induat, protestatur, tantaeque injuriae sibi illatae Deum ultorem invocat. Salomea itaque in monasterium conjecta, cum princeps Helenam filiam Knes Basilii Linski Caeci, jamque vita defuncti, fratris inquam ducis Michaelis Linski, qui tum captivus detinebatur, uxorem duxisset: continuo fama exoritur, Salomeam gravidam, propeque partum esse; rumorem confirmabant duae matronae primorum consiliariorum, Georgii parvi thesaurarii, et Iacobi Mazur cubicularii, uxores: ajebantque sese ex ore ipsius Salomeae audivisse, ut quae gravidam se, et prope partum esse fateretur. Qua re audita, graviter commotus princeps, utramque a se repulit: alteram, Georgii uxorem, etiam verberibus affecit, quod tempestivius de hac re ad se non retulisset. Mox ut rem compertam haberet, Theodoricum Rack consiliarium, et Potat secretarium quendam, ad monasterium in quo detinebatur, mittit: illisque, ut veritatem rei diligenter inquireret, demandat. Quidnam nobis tum Moscoviae existentibus, sancte affirmabant, Salomeam filium Georgium nomine peperisse: nomini tamen infantem ostendere voluisse Quin cognoscendae veritatis gratia, quibusdam ad se missis, dicitur respondisse, indignos illos esse, quorum oculi infantem viderent: dum in suam Majestatem veniret, matris injuriam ulturum; quidam vero eam peperisse, constanter negabant. Ambigua itaque ea de re est fama.

Basilii porro Linski ex Lithuania profugi filiam, cur uxorem duxerit princeps, duas causas, praeterquam quod se ex ea liberos susceperum sperabat, fuisse accepi: tum quod socrus genus suum duxisset ex familia Petrovicz, quae magni quondam nominis in Hungaria erat, Graecorumque fidem sequebatur: tum quod Michaelem Linski, singulari dexteritate ac rara quadam fortitudine virum, patruum liberi habituri essent. Habebat etenim princeps duos germanos fratres superstites, Georgium et Andream: atque ideo si forte liberos ex aliqua alia uxore susciperet, eos fratribus viventibus, parum tutos fore in regni administratione putabat. Michaele autem in gratiam recepto, libertateque donato, filios ex Helena susceptos, auctoritate patrui in majore quiete futuros non dubitabat, de cujus liberatione nobis praesentibus tractabatur: quem etiam vinculis solutum, liberisque custodiis honeste mandatum, vidimus tandem libertate donatum, interque caeteros Knesos testamento a principe nominatum, tutorem denique nepotum suorum Ioannis et Georgii institutum fuisse. Sed postea principe mortuo, cum viduam regium thorum continuo eum quodam Bajarone cognomento Ovczina contaminantem, inque mariti fratres vinculis constrictos saevientem, crudeliusque imperantem videret, eam, ut honestius et sanctius viveret, aliquoties sola pietate ac honestate adductus admonuerat: sed hujus illa admonitionem adeo moleste impatienterque tulit, ut mox qua ratione e medio tolleretur, consilium quaereret; causaque reperta, Michaelem ajunt continuo proditionis crimine fuisse insimulatum, atque in carceres rursus conjectum, misere tandem periisse: viduam quoque non ita diu post veneno sublatam, Ovczina vero adulterum in partes dissectum fuisse. Matre itaque e medio sublata, major natu filius, Joannes, 1528. anno natus, in regno successit.

## RELIGIO.

Russia ut coepit, ita in hunc usque diem in fide Christi ritu Graeco perseverat. Habuit Metropolitanum, quondam residentem in Kiovia, dein in Volodimeria, nunc vero in Moscovia. Post, cum Metropolitae septimo quoque anno Russiam Lithuanorum imperio subjecta invisserent, exactisque nummis inde redirent, hoc Vitoldus, ne videlicet provinciae suae argento exhaurirentur, ferre noluit. Convocatis itaque episcopis, proprium Metropolitanum constituit, qui nunc Vilnae, metropoli Lithuaniae, suam sedem habet: quae etsi Romanum ritum sequatur, plura tamen templa Ruthenici, quam Romani ritus, in ea cernuntur. Caeterum metropolitae Rutheni auctoritatem suam a patriarcha Constantinopolitano habent.

Rutheni in Analibus suis aperte gloriantur, ante Volodimerum et Olgam, terram Russiae

Digitized by Google

esse baptizatam et benedictam ab Andrea Christi apostolo, quem ex Graecia ad ostia Borysthenis venisse ipsi affirmant: et adverso flumine ad montes, ubi nunc Kiovia est, navigasse, atque ibi omnem terram benedixisse et baptizasse: crucem suam illic collocasse, praedixisseque magnam ibi Dei gratiam, multasque Ecclesias Christianorum futuras. Post inde usquo ad fontes Borysthenis pervenisse in Volok lacum magnum, et per fluvium Lovat descendisse in Ilmer lacum: unde per fluvium Volchow, qui ex eodem lacu fluit, Novogardiam: inde fluvio eodem in Ladoga lacum, et Neva fluit; atque in mare usque quod ipsi Varetzkoie appellant, nos Germanicum, inter Finlandiam et Livoniam, Romam navigando pervenisse. Postremo in Peloponneso propter Christum, ab Ago Antipatro crucifixum fuisse. Haec Annales ipsorum.

Eligebantur quondam Metropolitae, item Archiepiscopi, convocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et Prioribus monasteriorum; inquirebatur vir sanctioris vitae per monasteria et heremos, eligebaturque. Hunc vero principem ajunt ad se certos convocare solere, atque ex eorum numero unum suo judicio deligere. Erat eo tempore, cum Caesaris Maximlliani Oratorem Moscoviae agerem, Bartholomaeus Metropolita, vir sanctae vitae: cumque princeps violasset juramentum, per se et ipsum Metropolitam duci Semesicz praestitum, et alia quaedam designasset, quae videbantur contra auctoritatem illius esse, accessit principem, et inquit: Dum omnem auctoritatem tibi usurpas, ideo officio meo praeesse non possum. Porrectoque sibi baculo suo, quem in modum crucis ferebat, officium resignat. Princeps baculum cum officio sine mora suscipit, atque pauperem catenis vinctum, continuo Bieloosero mittit. Ajunt hunc ibi aliquandiu in vinculis fuisse: liberatum tamen post, privatumque, in monasterio reliquum vitae exegisse. Huic metropolita Daniel quidam 30 fere annos natus, homo corpore robusto atque obaeso, facie rubenti, successit: qui ne ventri magis quam jejuniis, vigiliis ac orationibus deditus videretur, quoties actum publicum esset celebraturus, sulphuris fumo tum faciem, ut impallesceret, inficere, atque ita pallore imbutus, in publicum prodire solebat.

Sunt et alii duo Archiepiscopi in dominio Mosci, in Novogardia, scilicet Magrici et Rostoff, item Episcopi Tverensis, Resanensis, Smolensis, Permiae, Susdali, Columnae, Czernigoviae, Sari. Hi omnes Metropolitae Moscovitico subjecti sunt, habent autem suos proventus certos ex praediis, et aliis extraordinariis, ut vocant, accidentalibus: castra autem, civitates, aut ullam administrationem secularem (ut vocant) non habent: carnibus perpetuo abstinent. Abbates duos tantum in Moscovia esse reperi: Priores vero monasteriorum plurimos, qui omnes arbitrio ipsius Principis, cui nemo resistere audet, eliguntur.

Priores quomodo eligantur, ex cujusdam Varlami, Prioris Hutteniensis monasterii, anno 7034 instituti, literis, ex quibus capita rerum duntaxat excerpsi, apparet. Principio fratres alicujus monasterii, Magno duci supplicant, ut idoneum Priorem eligat, qui eos divinis praeceptis instituat. Electus autem, priusquam confirmetur a Principe, cogitur se juramento atque inscriptione obstringere, quod velit in eo monasterio juxta sanctorum patrum constitutionem pie et sancte vivere: omnes Officiales juxta majorum consuetudinem, consentientibus etiam senioribus fratribus, assumere: singulis officiis fideles praeficere, atque commodum monasterii diligenter procurare: de negotiis et rerum causis, cum tribus aut quatuor senioribus deliberare, factaque deliberatione, negotium ad totum Collegium fratrum referre, atque eorum communi sententia de rebus decernere, constituereque: non lautius privatim vivere, sed in eadem mensa perpetuo esse, et communi cibo cum fratribus uti: omnes census et reditus annuos diligenter colligere, ac in thesaurum monasterii fideliter reponere. Haec sub magna poena, quam sibi Infligere Princeps potest, item privatione officii, servaturum se promittit. Obstringunt se juramento quoque ipsi seniores fratres, praedicta omnia sese servaturos, ac Priori instituto fideliter et sedulo obtemperaturos.

Sacerdotes seculares ut plurimum consecrantur hi, qui diu apud ecclesias tanquam diaconi servierunt. In diaconum autem nemo consecratur, nisi conjugatus, unde plerunque et nuptias celebrare, et in gradum Diaconatus simul ordinari solent. Si vero sponsa alicujus diaconi male audit, tum in diaconum, nisi integrae famae uxorem duxerit, non consecratur. Mortua conjuge, sacerdos a sacris obeundis prorsus suspenditur: si caste tamen vivit, officiis ac aliis rebus divinis, cum caeteris ecclesiae ministris, choro tanquam minister interesse potest. Erat quidem antea consuetudo, ut vidui

Digitized by Google

caste viventes, sine reprehensione sacra peragerent. Sed nunc mos invaluit, ut nullus viduorum ad sacra facienda permittatur, nisi monasterium aliquod ingrediatur, juxtaque regulam vivat.

Quicunque sacerdos viduus, ad secundas nuptias, quod cuique liberum est, transierit, is nihil habet cum clero commune: item nullus sacerdotum aut sacra obire, aut baptizare, aut alia quovis fungi munere audet, nisi diacono praesente.

Sacerdotes in ecclesiis primum tenent locum. Et quicunque illorum contra religionem aut officium sacerdotale quavis ratione fecerit, judicio spirituali subjicitur. Si vero furti aut ebrietatis accusatur, aut in aliud id genus vicii inciderit, a seculari magistratu, ut vocant, punitur. Vidimus Moscoviae ebrios sacerdotes publice verberari: qui aliud nihil querebantur, quam sese a servis, et non a Bojarone caesos esse.

Paucis retroactis annis, quidam Principis locum tenens, sacerdotem in furto deprehensum, laqueo suffocari fecit, quam rem Metropolita graviter ferens, ad principem defert. Accersitus locum tenens, principi respondit: Juxta antiquum patriae morem, furem, non sacerdotem se suspendisse, atque ita ille impune dimissus fuit.

Si sacerdos queritur, coram laico judice, se a quopiam laico esse caesum, (offensiones etenim omnes, ac injuriarum, genera, ad seculare *judicium spectant*) tum judex, si forte cognoverit hunc ab illo lacessitum, aut quavis injuria prius affectum fuisse, sacerdotem punit.

Sacerdotes plerunque ex contributione curialium sustinentur, assignanturque illis domunculae cum agris et pratis, unde victum suis aut famulorum manibus, instar vicinorum quaeritant. Pertenues habent oblationes: aliquando ecclesiae pecunia datur ad usuram, de centum decem, eamque sacerdoti porrigunt, ne suis illum alere sumptibus cogantur. Sunt etiam quidam, qui liberalitate principum vivunt. Certe non multae parochiae reperiuntur, praediis ac possessionibus dotatae: exceptis episcopatibus, et quibusdam monasteriis. Nulla parochia, seu sacerdotium confertur cuipiam, nisi sacerdoti. In singulis autem templis unicum tantum altare, et in dies singulos unicum quoque sacrum faciendum putant. Rarissime templum reperitur sine sacerdote, qui ter in hebdomada tantum sacra peragere obstringitur.

Vestitum prope laicorum habent, extra piretum parvum, et rotundum, quo rasuram tegunt, pileum amplum contra calorem et imbres superimponentes: aut pileo oblongo ex castorum pilis, colore griseo, utuntur. Omnes, baculos quibus innituntur, deferunt, Possoch dictos.

Monasteriis praesunt, ut diximus, Abbates et Priores: quorum hos Igumenos, illos vero Archimandritas vocant. Habent severissimas leges ac regulas: quae tamen sensim labefactae, jacent. Nullo solatii genere uti audent. Cithara, aut aliud musices instrumentum, si apud aliquem repertum fuerit, gravissime punitur. Carne perpetuo abstinent. Omnes, non solum principis mandato, sed et singulis Bojaronibus a principe missis parent. Interfui, quum provisor meus a Priore quodam rem certam peteret: quam cum continuo non dedisset, verbera minabatur: quo audito, evestigio rem petitam attulit. Sunt plures, qui ex monasteriis in heremum se conferunt, ibique tuguriola faciunt, quae aut soli, aut cum sociis incolunt: victum ex terra et arboribus quaerunt, nimirum radices, et alios arborum fructus. Hi autem Stolpniki appellantur. Stolp etenim columna dicitur, Domunculas autem angustas, et in altum erectas, columnis sustinent.

Metropolita, Episcopi, et Archiepiscopi, quamvis carnibus perpetuo abstinent: tamen cum invitant hospites laicos, aut sacerdotes, eo tempore quo carnibus vescuntur, habent hanc praerogativam, ut carnes illis in suo convivio apponant, quod Abbatibus et Prioribus prohibitum est.

Mitras Archiepiscopi, Episcopi, et Abbates nigras et rotundas ferunt: solus autem Episcopus Novogardiensis albam bicornem, more nostro fert.

Vestes quotidianae Episcoporum sunt, sicut aliorum monachorum: nisi quod aliquando sericeas ferunt, et praesertim pallium nigrum, quod habet a pectore in utramque partem tres fimbrias albas, inflexas instar rivuli fluentis: in significationem, quod ex corde et ore illorum fluunt rivuli doctrinae fidei, et bonorum exemplorum. Hi ferunt baculum, quo innituntur, quem gentiliter Possoch appellant, in modum crucis. Episcopus Novogardiensis album fert pallium. Caeterum Episcopi duntaxat circa res divinas, ac ipsam religionem pie procurandam ac promovendam sunt occupati: rem autem familiarem, et alia publica negotia, officialibus administranda committunt.

Habent in Catalogo certos Romanos Pon-

Digitized by Google

tifices, quos inter sanctos venerantur: alios vero, qui post illud schisma fuerunt, execrantur, tanquam eos qui ab Apostolorum sanctorumque patrum, et septem Conciliorum ordinationibus defecerint, et tanquam haereticos et schismaticos appellant: eosdemque majori odio prosequuntur, quam ipsos Mahumetanos. Dicunt enim, septimo generali Concilio conclusum esse, ut ea quae in praecedentibus constituta ac determinata erant, in posterum quoque firma, rata et perpetua essent: nec unquam posthac cuiquam licere aliud Concilium aut indicere, aut accedere, sub poena anathematis, et hoc severissime servant. Erat quidam Metropolitanus Russiae, qui ad instantiam Eugenii Papae Synodum accesserat, ubi et Ecclesiae erant unitae: reversus in patriam capitur, omnibus bonis spoliatur, atque in carceres conjicitur: ex quibus tandem evasit.

Inter nos et illos fidei diversitatem esse, licet ex literarum exemplo cognoscere, quas Joannes Metropolita Russiae ad Archiepiscopum, ut ipsi dicunt, Romanum, dederat, ut sequitur:

Dilexi decorem tuum domine ac pater beatiss. Apostolica sede ac vocatione digniss. qui ex remotis respicis ad humilitatem et paupertatem nostram, et alis dilectionis foves nos, et salutas nos sicuti tuos ex caritate, et interrogas specialiter de nostra fide vera et orthodoxa: de qua etiam audiens, ut nobis beatitudinis tuae Episcopus retulit, admiratus es. Et quia tantus es, et talis sacerdos, propterea ego pauper saluto te, honorando caput tuum, et deosculando manus tuas et brachia. Sis lactus, et a suprema Dei manu protectus: et det Dominus omnipotens tibi, tuis spiritualibus et nobis, ordinem bonum. Nescio unde exortae sunt haereses, de vera salutis et redemptionis via: et mirari satis non possum, quis diabolorum tam malus ac invidus, tam veritati inimicus, ac mutuae benevolentiae adversarius fuerit, qui fraternam nostram caritatem a tota Christiana congregatione alienavit, dicens, nos non esse Christianos. Nos profecto, Christianos vos ex Dei benedictione ab initio cognovimus, licet in omnibus fidem Christianam non servetis, et in multis diversi sitis: id quod ex septem magnis Synodis ostendam, in quibus fides orthodoxa et Christiana instituta est, ac prorsus confirmata, in quibus etiam tanquam septem columnis sapientia Dei domum sibi aedificavit. In his praeterea septem Synodis, omnes Papae digni sunt habiti cathedra S. Petri, quia nobiscum sentiebant. In primo autem Synodo erat Sylvester Papa, in secunda Damasus, in tertia Coelestinus, in quarta beatissimus Papa Leo, in quinta Vigilius, in sexta Oaphanius, vir honorandus, et in Sacris scripturis doctus: in septima S. Papa Adrianus, qui misit primus Petrum Episcopum et Abbatem monasterii sanctae Sabae: unde postea exortae sunt dissensiones inter nos et vos, quae pullularunt praecipue in antiqua Rana. Sunt profecto mala multa, quae a vobis contra leges divinas ac statuta committuntur: de quibus pauca ad caritatem tuam scribemus. Primum de jejunio sabbathi, contra legem observato: secundo de jejunio magno, in quo septimanam abscinditis, et carnes comeditis, ac propter carnium voracitatem homines ad vos allicitis. Item, qui sacerdotes secundum legem ducunt uxores, illos vos rejicitis. Item qui a presbyteris in baptismate inuncti sunt, illos vos jam denuo inungitis, dicentes, illa simplicibus sacerdotibus facere non licere, sed solis episcopis. Item de azymis malis, quae manifeste Judaicum servitium seu cultum indicant. Et quod est caput omnium malorum, ut quae confirmata sunt per S. Synodos, ea vos coepistis permutare et pervertere, dicentes de spiritu sancto, quod non tantum a patre, sed et a filio procedat: et multa alia majora, de quibus tua beatitudo ad Patriarcham Constantinopolitanum, fratrem suum Spiritualem, referre, et omnem diligentiam adhibere deberet, ut aliquando tollerentur isti errores, et ut unanimes essemus in concordia Spirituali; sicut dicit sanctus Paulus, informans nos: Oro vos fratres propter nomen Domini Jesu Christi, ut idem sentiatis, et dicatis, et non sit inter vos discordia, et sitis in eodem intellectu fortificati, et in eadem cogitatione. De istis sex excessibus, quantum potuimus, ad vos scripsimus: deinceps et de aliis scribemus caritati tuae. Si enim ita res se habet, sicuti audivimus, agnosces ipse nobiscum, transgredi per vos Canones sanctorum Apostolorum, et instituta magnarum septem Synodorum, in quibus erant omnes vestri primi Patriarchae, et concorditer dicebant, quod verbum vestrum esset vanum, Et quod manifeste erretis, nunc palam redarguam. In primis de jejunio sabbathi, videtis quae de isto S. Apostoli docuerunt, quorum doctrinam habetis, et maxime beatus Papa Clemens, primus post sanctum Petrum apostolum, ita scribit ex statutis

Digitized by Google

Apostolorum, ut est in Canone LXIV. de sabbatho dicens: Si Ecclesiasticus inventus fuerit, qui die Dominico vel sabbatho jejunaret, praeter sabbathum magnum, degradetur: si autem secularis homo fuerit, excommunicetur, et ab Ecclesia sejungatur. Secundum erat de jejunio, quod vos corrumpitis. Est Jacobitarum et Armeniorum haeresis, qui lacte et ovis in sancto jejunio magno utuntur; quis enim verus Christianus audet ita facere et cogitare? Legite Canones sextae magnae Synodi, in qua Oaphanius Papa vester, ea prohibet. Nos profecto, cum resciveramus, in Armenia, et aliis quibusdam locis, ovis et caseo in magno jejunio vesci, nostris illico mandavimus, ut ab ejusmodi cibo atque omni imolo daemoniorum abstinerent: a quibus si quin non abstineret, ab Ecclesia separaretur: si sacerdos, a sacris suspenderetur. Tertius praeterea maximus est error et peccatum, de conjugio sacerdotum, quod ab illis qui uxores habent, sumere corpus Domini renuitis: cum sancta Synodus, quae fuit in Gangra, scribat, in quarto Canone: Qui spernit sacerdotem, secundum legem uxorem habentem, et dicit, quod non liceat ex manibus ejus accipere Sacramentum, sit anathema. Item Synodus dicit: Omnis diaconus, vel sacerdos dimittens propriam uxorem, privetur sacerdotio. Quartum peccatam erat inunctio, seu confirmatio. Non ne ubique dicitur in Synodis: Confiteor unum baptisma, in remissionem peccatorum? Si ergo est unum baptisma, erit et unum chrisma, et virtus eadem tam Episcopi quam sacerdotis. Quintus est error de azymis: qui quidem error est principium et radix totius haeresis, sicuti demonstrabo, et quanquam necesse esset huc multas adducere scripturas, tamen id alias faciam, et in praesentiarum hoc tantum dicam: Quia azymi a Iudaeis fiunt in memoriam liberationis eorum, et fugae ex Aegypto: nos autem semel Christiani sumus, nunquam in labore Aegyptiorum fuimus, et hujusmodi Iudaeorum de sabbatho, azymis, et circuncisione observationes, nobis obmittendas esse mandatum est. Et si aliquis sequatur unum ex illis, sicuti dicit sanctus Paulus tenetur totam legem implere, eodem Apostolo dicente: Fratres, ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis: quia Dominus in qua nocte tradebatur, accepit panem, benedixit, sanctificavit, fregit, et dedit sanctis discipulis, dicens, Accipite et manducate, etc. Considera quid dico; non dixit, Dominus accipiens azyma, sed panem. Quod illo tempore nec azymi erant, nec pascha fiebat, nec Dominus tunc comedebat Pascha Judaeorum, ut daret azyma Apostolis, probabile est per hoc, quod Iudaeorum Pascha stando fit et comeditur: quod in Christi coena non fiebat, ut Scriptura dicit, Recumbentibus eis cum duodecim; item, et discipulus recubuit super pectus ipsius in coena. Nam quod ipse dixit, Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum: Iudaeorum pascha non intelligit, quod ante semper comedebat cum ipsis. Neque cum dicit, Hoc facite in meam commemorationem, necessitati faciendi, tanquam Judaeorum Pascha esset, imponit: neque azyma illis, sed panem dat, cum dicit, Ecce panis quem ego do vobis, similiter ad Iudam: Cui ego dabo panem intingens in sal, ipse est traditurus me. Si autem dicitis istam rationem, quod nos celebramus in azymis, quia nulla est terrestreitas vel commixtio in divinis: cur divinitatis obliti estis, et sequimini ritum Judaeorum, ambulantes in haeresi ipsius Iuliani, Mahumeti, et Apollinaris Laodicensis, et Pauli Syrii Samosatensis, et Eutychii, et Diasterii, aliorumque qui erant in sexta Synodo depravatissimi haeretici, diabolicoque spiritu repleti? Sextus denipue error est, de Spiritu sancto. Quomodo enim dicitis, Credo Deum patrem et filium, et spiritum sanctum, qui a patre et filio procedi. Mirabile est profecto, et horrendum dictu: quod audetis fidem pervertere: cum ab initio per universum orbem, in omnibus Christianorum ecclesiis constanter canatur: Credo in spiritum sanctum, et Dominum vivificantem, et a patre procedentem, qui cum patre et filio simul adoratur et glorificatur. Quare igitur vos non dicitis, sicuti alii Christiani omnes: sed additiones ponitis, et novam adducitis doctrinam, cum tamen Apostolus dicat: Si quis annunciaverit vobis, praeter ea quae vobis diximus, anathema sit. Utinam vos non incurratis istam maledictionem. Difficile est enim, et horrendum, Dei scripturam, compositam per sanctos, permutare et pervertere. Nescitis quam maximus sit error. Nam duas virtutes, duas voluntates, et dua principia de sancto sptritu adducitis,, adimentes et parui facientes ejus honorem, et haeresi Machidoniae conformes estis: quod absit. Oro, et me inclino ad sanctos pedes tuos, ut ab hujusmodi erroribus qui inter vos sunt, cesses et maxime ab azymis abstineas. Volui etiam aliquid scribere de suffocatis et immundis animalibus, et de monachis edentibus carnes: sed de his postea

Digitized by Google

(si Deus voluerit) scribam. Parce autem, propter maximam caritatem, quod de his rebus ad te scripsi. An autem sunt facienda illa quae fiunt, interroga scripturas, et invenies. Rogo te Domine, ut scribas ad Dominum nostrum patriarcham Constantinopolitanum, et ad sanctos Metropolitas, qui verbum vitae in se habent, et sicut luminaria in mundo lucent. Fieri enim potest, ut Deus per illos super hujusmodi erroribus inquirat, emendet et constituat. Deinde si tibi videbitur- mihi minimo inter alios omnes, rescribas. Saluto te ego Metropolito Russiae et alios omnes tibi subjectos clericos et laicos. Salutant etiam te mecum S. Episcopi, Monachi et Reges, magni homines. Caritas spiritus sancti sit tecum, et cum omnibus tuis: Amen.

# CANONES

CUJUSDAM JOANNIS METROPOLITAE, QUI DICITUR PROPHETA, QUOS RAPTIM UT POTUI ADSEQUI, ADJUNGERE VOLUI.

Pueri in necessitate absque sacerdote baptisentur, Animalia, volucres, ab avibus vel feris lacerae, non commedantur: qui vero commederint, aut in azymis celebraverint, vel in septuagesima carne usi fuerint, vel animantium sanguinem voraverint, corrigantur.

Aves animalia suffocata, non comedantur.

Ruthenicum Romanis in necessitate comedant, celebrent autem minime.

Rutheni omnes Romanos non recte baptisatos, qui in aquam toti non sunt immersi, ad veram fidem convertant: quibus conversis, non statim Eucharistia, sicuti nec Tartaris, aliisve a fide sua diversis, porrigatur.

Imagines antiquae, et tabulae, super quibus consecrationes fiunt, non comburantur: sed in hortis, aut alio honorifico loco, ne injuria afficiantur, aut dedecore, sepeliantur.

Si in loco sacro domum exaedificaveris, locus ubi erat altare, vacuus relinquatur.

Maritus monasterium ingressus, si ejus uxor alteri nupserit, in sacerdotem consecretur.

Principis filia, ei qui communione in azymis, et cibis utitur immundis, non in matrimonium locetur.

Sacerdotes, hyberno tempore ex animalium, quibus vescuntur, pellibus, femoralia ferant.

Non confessi, et aliena bona haud reddentes, ad communionem non admittantur.

Sacerdotes et monachi, nuptiis chorearum tempore non intersint.

Sacerdos si sciens, personam jam tertio expetentem matrimonium conjunxerit, officio privetur.

Mater filios baptizari volens, jejunare non valentes, pro illis jejunet.

Si maritus relicta priore uxore, alteram duxerit, vel uxor alteri nupserit, ad communionem, nisi ad matrimonium redierit, non admittatur.

Nullus alienae fidei vendatur.

Sciens cum Romanis comedens, orationi bus mundis mundetur.

Uxor sacerdotis ab infidelibus capta, redimatur: et in matrimonium, quia vim passa est, reassumatur.

Mercatores et peregrini ad Romanorum partes proficiscentes, communione non priventur: sed ad eandem, injunctis quibusdam pro poenitentis orationibus reconciliati, admittantur.

In monasterio convivia, advocando mulieres, non habeantur.

Matrimonium non nisi publice, in Ecclesiis contrahatur.

# QUAESTIONES

CYRILLI CUJUSDAM, AD EPISCOPUM NIPHONTEM NOVOGARDIENSEM.

Quid si homo post communionem, ex nimia cibi aut potus repletione evomuerit. Respon. Quadraginta diebus jejunando poeniteat. Si non ob repletionem, verum ex nausea, 20 diebus: si vero alia levi ex causa, minus. Sacerdos tale quiddam committens, 40 diebus a divinis et abstineat, et jejunet: sin alia levi ex causa, per septimanam jejunet: quin medone et carne ac lacte abstineat. Si autem tertia aut quarta post communionem die evomerit, agat poenitentiam. Sin aliquis Sacramentum evomerit, centum et viginti diebus poeniteat: si vero in infirmitate evomerit, tribus diebus: vomitum vero igni comburat, et centum Psalmos dicat: si autem canis vomitum devoraret, centum diebus jejunet.

Si vasa terrea, vel lignea immundi fuerint, quid faciendum? R. Orationibus mundis mundentur.

Quid pro anima defuncti faciendum? R. Det grifnam unam proquinque Missis, cum fumigationibus, panibus, et tritico cocto, quod

Digitized by Google

dicitur Kuthia. Sacerdos vero habeat vinum proprium.

Quid si monacho infirmo, Seraphica veste induto, per octo dies nihil dederim ad edendum? R. Bend factum, quia erat in Angelico ordine.

Quid si Latinus Rhutenico ritu initiari voluerit? R. Inter Ecclesiam nostram 7 diebus: novum illi imponatur nomen, singulis diebus quatuor orationes eo praesente dicantur devote: abluat se deinde in balneo, septem diebus carnibus et lactariis abstineat, octava die lotus ingrediatur ecclesiam. Super quo quatuor illae orationes dicentur, mundis vestibus induatur, corona seu sertum super caput illi imponatur, chrismate inungatur, cereus illi in manus detur: dum Missa peragitur, communicetur, proque novo Christiano habeatur.

An aves, pisces, vel alia terrestria animalia, festis diebus interficere liceat? R. Die Dominico, quia dies festus est, homo in ecclesiam eat: humanis vero necessitatibus exigentibus, occidantur.

An sacramentum in hebdomada Palmarum consecratum per totum annum servare liceat? R. Servetur in vase mundo: sacerdos vero id infirmo porrigens, parum vini addat.

An aquam vino addere liceat, communicando infirmum? R. Sufficit vinum tantum.

An infirmis daemoniacis, et mente captis, liceat dare Sacramentum? R. Ora illorum tantum Sacramento tangantur.

An sacerdoti habenti uxorem in puerperio, quemadmodum super laicorum fit uxoribus, orationes dicere liceat? R. Non; nam ea in Graecia non servatur consuetudo, nisi alius non inveniatur sacerdos.

Quid in die Exaltationis S. Crucis edendum? R. Monachi piscibus non vescantur: laici vero eadem die deosculantes S. Crucem, carnes edere possunt, nisi forte in diem Veneris aut Mercurii inciderit.

An sacerdoti noctu cum uxore concumbenti, mane ecclesiam ingredi licet? R. Lavet prius eam partem quae sub umbilico est, ecclesiam ingrediatur, Evangelium legat: ad altare vero accedere, vel celebrare prohibeatur. Volens autem sacerdos diebus Solis et Martis celebrare, poterit die Lunae cum uxorem concumbere, et sic deinceps.

An uxorem non habenti, Eucharistia porrigenda? R. Dummodo per integram quadragesimam cum nupta alterius, aut bruto non coierit.

An infantuli post baptismum communicandi? R. In templo, dum sacra peraguntur, aut vespertinae preces cantantur, communicentur.

Quo cibo genere in jejunio majore utendum? R. Dominicis et sabbatis piebus, piscibus: aliis vero Ikhri, hoc est, piscium intestinis.

In majori hebdomada, monachi mel edant, et bibant kwas: id est, aquam acetosam.

In consecratione Kuthie, cerei quot sunt incendendi? R, Pro animabus duo, tres vero pro salute viventis.

Kuthia quomodo conficienda? R. Sint tres partes tritici cocti: quarta vero de pisis, fabis, et cicere, pariter coctis; condiantur melle, et saccharo; adhibeantur etiam, si habentur, alii fructus. Kuthia autem hac, peractis exequiis, in ecclesia utantur.

Quando Bulgari, Polowczi, et Czudi baptisandi? R. Si quadraginta diebus ante jejunent, et orationes mundae super illos dicantur: si vero Slavus fuerit, octo tantum diebus jejunet. Baptisans autem puerum, manicas bene succingat, ne dum immergit puerum, de lavacro baptismatis in veste aliquid remaneat. Puerpera quoque a partu quadraginta diebus, templum non ingrediatur.

An mulier post menstrua, communicanda? R. Non communicetur, nisi prius sit lota.

An liceat ingredi habitaculum puerperae? R. In locum ubi mulier peperit, nemo ante triduum ingrediatur. Quemadmodum enim alia immundi vasa, diligenter lavanda: ita habitationem illam orationibus esse prius mundandam.

An post occasum solis sepeliendum? R. Occaso jam sole, nemo sepeliatur: est enim haec mortuorum corona, videre solem antequam sepeliantur. Plurimum autem meretur, qui ossa mortuorum at imagines antiquas condit.

An liceat marito, circa festum Paschae sumere Eucharistiam? R. Si cum uxore per quadragesimam non concubuerit. Item, qui dentibus die Paschae ovum attigerit, aut ex cujus gingiva sanguis manaverit, eadem die a communione abstineat.

An liceat marito, proxima post communionem nocte cum uxore concumbere? R. Licet; diebus tamen Veneris, Sabbati, et Dominico, si depravati ingenii conceperit puerum uxor, parentes poeniteant. Si autem nobiles et magni nominis fuerint parentes, dent certas griffnas sacerdoti, ut pro eis oret.

Si forte lacerata papyrus, quae aliquid sa-



Digitized by Google

crarum literarum continebat, in terram projecta fuerit, an eodem loco deambulare liceat? R. Non.

An liceat lacte alicujus vaccae, eodem die quo vitulum edidit, uti? R. Non, quia est sanguine mixtum: post biduum autem licebit.

Quando potest aliquis a sacris suspendi? R. Sacerdos tempore jejunii feminae alicujus amore flagrans, inque os ejus linguam insertans, semen denique genitale libidine inflammatus spargens, a divinis per integrum annum abstineat: si vero ante sacerdotium tale quid commiserit, in sacerdotem non consecretur.

Laicus vero ejusmodi peccata ac flagitia designans, eo anno non communicetur.

An sit initiandus sacris is, ex quo aliqua uno duntaxat concubitu concepit? R. Raro concipiunt ex primo coitu, decies autem si congressus fuerit, non consecretur.

Praeterea qui virgini stuprum obtulit, aut uxorem suam vitiatam primo concubitu animadverterit, in sacerdotem pariter non consecretur.

Divortium celebrans, quomodo poenitebit? R. Perpetuo ab Eucharistia, nisi jamjam animam agens, abstineat.

Licebitne cuipiam in vita, pro animae suae salute exequias mortuorum obire? R. Licet.

An conjunx conjugem, in perficienda poenitentia juvare potest? R. Non potest, tanquam frater fratrem.

An sacerdos ea die qua mortuum sepelivit, et deosculatus est, obire sacra debeat? R. Non debet.

An puerpera deploratae valetudinis, communicari debet? R. Dummodo ex eo loco, ubi enixa est, asportata, ac lota fuerit.

An liceat rem habere cum uxore eo loci, ubi sunt imagines sanctorum? R. Accedens ad uxorem: non ne deponis crucem de collo? similiter nec in habitatione coram imaginibus, nisi bene reclusae et opertae fuerint, coire licebit.

An liceat illico a prandio, vel coena, antequam dormias, in templo orare? R. Utrum melius, dormire, an orare?

Potest ne sacerdos sine sacerdotali habitu accedere aegrotum, eisque porrigere Sacramentum? R. Potest.

Quomodo ducendae uxores? R. Volens uxorem ducere, quadraginta, aut minus octo diebus, se ab aliis mulieribus contineat,

An mulieri quae facit abortum, poenitendum? R. Mulier non casu aliquo, sed temulenta, faciens abortum, poeniteat. Item, quae viro suo aquam, qua ipsa se lavit, ad bibendum, ut se amet, dederit: sex hebdomadis jejunet

An carne et lacte ejus vaccae, qua cum homo miscuit corpus, utendum? R. Omnes, praeter excessorem, uti possunt.

An mulier consilio vetularum, quo concipiat, utatur? R. Mulieres, antiquarum vetularum consilio, herbis, ut concipiant, utentes, et non potius sacerdotes, qui eas orationibus suis juvent, accedentes, sex hebdomadis poeniteant, atque sacerdoti tres griffnas numerent. Gravidam autem temulentus si laeserit, ita ut abortum faciat, medio anno poeniteat. Obstetrices quoque octo diebus ab aede sacra abstineant, dum orationibus mundentur.

## BAPTISMUS.

Baptisantur hoc modo. Nato infante, mox accersitus sacerdos, ante januam habitationis in qua est puerpera, certas stando recitat orationes, pueroque nomen imponit. Dein XL communiter die, si forte puer aegrotet, defertur in templum: et baptisatur, ac ter in aquam totus immergitur: alio qui baptisatum non crederent. Mox inungitur chrismate, quod consecratum est in hebdomada magna, inungitur denique myrrha, ut ipsi dicunt. Aqua vero baptismatis singulis infantibus consecratur, et continuo post baptismum extra templum portam effunditur. Semper in templo baptisantur infantes, nisi longinquitas loci nimia, aut frigus puero obesset: neque unquam aqua tepida, nisi pueris infirmis, utuntur. Susceptores ex voluntate parentum assumuntur: et quoties praeeunte certis verbis sacerdote, diabolo renunciant, toties in terram expuunt. Sacerdos etiam infanti capillos abscindit, eosque cerae etiam intricat, et in templo loco certo reponit. Non adhibent sal, neque salivam cum pulvere.

## SEQUITUR BULLA ALEXANDRI

### PAPAE, EX QUA BAPTISMUS RHUTENORUM ABUNDE CONSTAT.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Altitudo divini consilii, quod humana ratio nequit comprehendere, ex suae immensae bonitatis essentia, aliud

Digitized by Google

semper ad salutem humani generis pullulans, tempore congruo, secreto mysterio, quod ipse Deus novit, opportuno, producit et manifestat: ut cognoscant homines, ex suis meritis, tanquam ab ipsis, nihil proficere posse, sed eorum salutem et omne donum gratiae ab ipso summo Deo et patre luminum provenire. Sane non sine grandi et spirituali mentis nostrae laeticia accepimus, quod nonnulli Rutheni in ducatu Lithuaniae, et alii ritu Graeco viventes, fidem tamen Christianam alias profitentes, qui Wilnensem ac Kioviensem, Lutzcoriensem, et Mednicensem civitates et dioeceses, ac alia loca ejusdem ducatus inhabitant, sancto spiritu cooperante illustrati, nonnullos errores, quos hactenus, ritu et more Graecorum viventes, observarunt, penitus ab eorum mentibus et cordibus abdicare, et unitatem fidei Catholicae et Latinae Romae Ecclesiae amplecti, et secundum ritum ejusdem Latinae et Romanae Ecclesiae vivere desiderant, et proponunt. Sed quia more Graecorum, scilicet in tertia persona baptisati fuerunt, et nonnulli asserunt eos de novo baptisari debere, praedicti qui ritu Graeco hactenus vixerunt, et adhuc vivunt, tanque antea rite baptisati, renuunt et recusant de novo baptisma suscipere. Nos igitur, qui ex commisso nobis desuper, licet insufficientibus meritis, officio pastorali, cupimus singulas oves nobis commissas ad verum ovile Christi perducere, ut fiat ex illis unus pastor, et unum ovile, et ne sancta *Catholica* ecclesia diversa et deformia membra a capite discrepantia, sed conformia habeat, attendentes quod per felicis recordationis Eugenium Papam quartum praedecessorem nostrum, in concilio per eum Florentiae celebrato, et in quo Graeci atque Armeni, una cum Romana ecclesia sentientes interfuerunt, definitum fuit, formam hujus sacramenti Baptismatis existere; Ego te baptiso in nomine patris et filii et spiritus sancti, amen: ac etiam per illa verba, Baptisetur talis servus Jesu Christi, in nomine patris et filii et spiritus sancti: vel, Baptisatur manibus meis talis, in nomine patris et filii et spiritus sancti: verum perfici baptisma; quoniam ejus principalis causa, ex qua baptisma virtutem habet, sit sancta trinitatis: instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exponitur actus qui per ipsum exercetur ministerium, ejus sanctae trinitatis invocatione efficitur sacramentum: et propterea hujusmodi sacramenti, sic in tertia persona collati, reiterationem necessariam non existere: habita etiam super hoc cum fratribus nostris deliberatione matura, auctoritate Apostolica, nobis et aliis Romanis Pontificibus ab ipso Jesu Domino nostro per beatum Petrum (cui et successoribus ejus Apostolatus, ministerii dispensationem commisit) tradita, tenore praesentium decernimus atque declaramus, omnes et singulos sic in tertia persona baptisatos, volentes a ritu Graeco ad ritum et morem Latinae et sanctae Romanae ecclesiae venire, simpliciter et sine alia contradictione, aut etiam obligatione, vel coactione, quod iterum rebaptisentur: etiam cum intentione, quod alias ritus per orientales ecclesias servari soliti, haereticam pravitatem non concernen. observari possint: facta prius tamen per eos omnium errorum, rituum Graecorum, a Latina et Romana ecclesia, et illius ritu ac sanctis institutionibus deviantium, abjuratione, admittendos fore; exhortantur etiam per viscera misericordiae Dei nostri, omnes et singulos qui praedicto modo baptisati sunt, et ritu Graeco vivunt, ut abnegata omnium errorum, quae secundum morem et ritum Graecorum hactenus observarunt, quique ab immaculata et sancta Catholica, Latina et Romana ecclesia, et illius sanctorum patrum institutionibus approbatis devient, velint eidem Catholicae ecclesiae, illiusque salubribus documentis, pro animarum suarum salute et veri Dei cognitione adhaerere: et ne eorum sanctum propositum a quovis retardari possit, modo venerabili fratri nostro Episcopo Vilnensi, in virtute sanctae obedientiae committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos sic baptisatos, et ad unitatem praefatae Latinae ecclesiae venire, et errores praedictos abjurare volentes, ad praefatae Latinae ecclesiae unitatem, errorum hujusmodi abjurationem per se vel per alium, seu etiam alios seculares Praelatos, ecclesiasticos seu praedicatores, aut minorum ordinum regularis observantiae professores, doctos et probos, ac alios idoneos, quibus id duxerit committendum, recipiat et admittat: ac tam sibi quam illi, aut illis, cui vel quibus, quoties expedierit, id duxerit committendum, singulos praefatos, sic invenientes ab excessibus, propter observationem hujusmodi errorum, ac haeretica pravitate inde proveniente, nec non excommunicationis sententia, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, quos quomodolibet propter ea incurrent, dicta Apostolica auctoritate absolvendi, ac eis pro modo culpae poenitentiam salutarem injungendi, aliaque in praemissis ne-

Digitized by Google

cessaria faciendi, plenam et liberam licentiam et facultatem concedimus, per praesentes. Verum quia forsan difficile foret, praesentes nostras literas ad singula loca, ubi opus fuerit, referre: volumus, et eadem auctoritate Apostolica decernimus, quod earundem literarum transsumptum, manu alicujus notarii publici subscripto, et sigillo praefati Wilnensi seu alterius alicujus episcopi, vel praelati ecclesiastici munito, eadem fides prorsus adhibeatur in judicio et extra, et alias ubilibet, ubi fuerit exhibitum vel ostensum, sicut ipsis literis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostrae constitutionis, declarationis, exhortationis, commissionis, mandati, concessionis, voluntatis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis aunt hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Petrum: Anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo primo, decimo Kal. Septem. Pontificatus nostri anno nono.

## CONFESSIO.

Confessionem quamvis ex constitutione habent, vulgus tamen eam Principum opus esse, et praecipue ad nobiles dominos et praestantiores viros pertinere existimat. Confitentur circa Paschatis festum, magna cordis contritione ac veneratione. Stat confessor, una cum confitente, in medio templo, vultu converso ad imaginem quandam, ad hoc constitutam. Finita dein confessione, poenitentiaque juxta delicti qualitatem injuncta, ante ipsam imaginem subinde sese inclinant, signoque crucis frontem pectusque signant: magno denique gemitu clamant, Jesu Christe fili Dei, miserere nostri. Nam haec communis illorum est oratio. Quibusdam pro poenitentia jejunia, nonnullis certae quaedam precationes (Dominicam etenim orationem perpauci sciunt) injunguntur: quosdam, qui gravius aliquid commiserint, aqua abluunt. Ex profluente etenim aquam in Epiphania Domini hauriunt, eamque consecratam per totum annum in templo, pro mundandis et abluendis gravioribus peccatis servant. Item peccatum die Sabbatho commissum, levius judicant, minusque poenitentiae pro eo injungunt. Sunt complures et levissimae causae, propter quas in templum non admittuntur: solnnt tamen exclusi plerunque portis et fenestris templi astare, atque inde non minus videre et audire sacra, quam si in templo fuissent.

Is qui concubuerit cum uxore sua, et post constitutum tempus se non abluerit, ea die ingredi templum non audent.

## COMMUNIO.

Communicant sub utraque specie, miscentes panem vino, seu corpus sanguine. Sumit sacerdos cocleart excalice portiunculam, porrigitque communicanti. Quotiescunque aliquis in anno voluerit, modo confessus fuerit, sumere corpus Domini potest: alioqut tempus constitutum ad festum Paschatis habent. Pueris septem annorum porrigunt sacramentum: dicuntque, tum hominem peccare. Si puer infirmus fuerit, aut forte animam agere coeperit, ut de pane sumere non possit, infunditur ei gutta ex calice. Sacramentum ad communicandum, non nisi dum sacrum fit, consecratur: pro infirmis autem consecratur die Jovis, in majori hebdomada, et conservatur per totum annum. Caeterum cum fuerit necesse, accipit inde portiunculam, quam vino imponit, et bene humectatam porrigit aegroto, dein parum aquae tepidae addit.

Nullus monachorum, nec sacerdotum, horas Banonicas, ut vocant, orat, nisi habeat imaginem praesentem: quam etiam nemo, nisi magna veneratione attingit; qui eam autem in publicum profert, manu eam in altum tollit: quam omnes praetereuntes, aperto capite, cruce se signantes, inclinando, plurimum venerantur. Libros Evangelii non nisi in locis honestis, tanquam rem sacram reponunt: neque manibus tangunt, nisi prius cruce se munierint, et capite aperto inclinatoque honorem exhibuerint: post, summa cum veneratione in manus sumunt. Panem quoque, antequam verbis consuetis more nostro consecratus fuerit, circumlatum per ecclesiam, conceptis verbis venerantur et adorant.

## FESTI DIES.

Festos dies viri praestantiores, peractis sacris epulis, ebrietate et vestitu eleganti ve-

Digitized by Google

neramtur: vulgus, domestici ac servi, plerumque laborant, dicentes, feriari et a labore abstinere dominorum esse. Cives et mechanici, divinis intersunt: quibus peractis, redeunt ad laborem, sanctius putantes labori incumbere, quam bibendo, ludendo, et id genus rebus, substantiam et tempus inaniter perdere. Nam vulgo et plebi cervisiae et medonis potus prohibitus est: quibusdam tamen solennioribus diebus, utputa Natalis Domini, feriis Pascae, Pentecostes, et aliis quibusdam potare illis permissum est: quibus sane non propter divinum cultum, sed potum potius, a labore abstinent.

Trinitatis festum celebrant die Lunae, in feriis Pentecostes. In octava vero *Pentecostes*, festum omnium Sanctorum. Diem autem Corporis Christi, more nostro non venerantur.

*Iurando ac blasphemando, raro nomen Dei usurpant; cum autem jurant, per osculum crucis dicta vel promissa firmant.* Blasphemiae eorum, Hungarorum more, communes sunt, Canis matrem tuam subagitet, etc.

Quoties se signo crucis signant, id manu dextra sic faciunt, ut frontem primum, deinde pectus, mox dextram, ac demum sinistram pectoris partem punctim in formam crucis tangant. Quod si quis aliter ducat manum, cum non pro domestico fidei suae, sed pro alieno habent: sicut me hujus ceremoniae ignarum, ac aliter ducentem manum, hoc nomine notatum et objurgatum esse meminl.

## PURGATORIUM.

Purgatorium nullum credunt: sed dicunt, unicuique vita defuncto, secundum meritum suum esse locum: piis quidem lucidum, cum angelis placidis: impiis autem obscurum, et caeca caligine obductum, cum angelis terribilibus destinatum esse, in quo extremum expectant judicium; ex loco et angelis placidis cognoscunt animae gratiam Dei, semper petunt extremum judicium: aliae contra. Neque animam a corpore separatam, poenis obnoxiam esse putant; nam cum anima in corpore se contaminaverit, cum corpore esse expiandam. Quod autem pro defunctis funebre sacrum faciunt, credunt, eo posse tolerabiliorem animabus exorari ac impetrari locum, in quo facilius expectare futurum judicium queant. Aqua benedicta nemo se aspergit, nisi a Sacerdote aspergatur. Coemiteria pro sepeliendis corporibus non consecrant; ajunt enim, corporibus inunctis et consecratis terram ipsam, non corpora terra, consecrari.

## DIVORUM CULTUS.

Nicolaum Barensem inter sanctos in primis venerantur, deque eius plurimis miraculis quotidie praedicant: quorum unicum, quod non ante multos annos contigit, adjungere placuit. Michael quidam Kysalctzki, vir magnus et strenuus, in quodam conflictu Tartarico, quendam magni nominis Tartarum fugientem est persecutus: quem cum citato equi cursu assequi non posset, Nicolae (inquit) perduc me ad hunc canem. Tartarus haec audiens, territus exclamat: Nicolae, si hic tuo auxilio me assequetur, nullum miraculum facies: si vero me alienum a tua fide, ab iliius persecutione incolumem servaveris, tum magnum erit nomen tuum; ajunt Michaelis equum restitisse, Tartarumque elapsum. Tartarum quoque deinceps Nicolao ob incolumitatem suam, in singulos vitae suae annos, certas mensuras mellis obtulisse: totidemque mensuras Michaeli pariter in memoriam liberationis suae, adjuncta etiam honoraria veste ex pellibus Madauricis, misisse.

## JEJUNIUM.

Jejunant in Quadragesimam septem perpetuas septimanas. Prima lactariis utuntur, quam Syrna, quasi caseacea, appellant: sequentibus vero septimanis omnes (extra peregrinantes) etiam piscibus abstinent. Sunt qui diebus Dominicis et Sabbato cibum sumunt, reliquis diebus ab omni cibo abstineant. Sunt item, qui diebus Solis, Martis, Jovis et Saturni, cibum sumunt, reliquis tribus quoque abstineant. Reperiuntur etiam plurimi, qui diebus Lunae, Mercurii et Veneris, panis frusto cum aqua sumpto contenti sunt. Reliqua per annum jejunia non ita stricte observant: jejunant autem post octavam Pentecostes, quae illis est dies omnium Sanctorum, usque ad ferias Petri et Pauli: et dicitur jejunium Petri. Deinde habent jejunium Divae Virginis, a primo Augusti usque ad Assumptionem Mariae. Item jejunium Philippi, sex septimanis in adventu Domini, et dicitur Philippi: quod initium ejus Jejunii contingit festum Philippi, secundum eo.

Digitized by Google

rum Calendarium. Si denique festum Petri et Pauli, item Assumptionis, inciderit in diem Mercurii, aut Veneris, tum nec ea die carnibus vescuntur. Nullius sancti vigiliam jejunio venerantur, praeter decollationem S. Joannis, quam 29. Augusti quotannis observant. Si denique in majori jejunio quadragesimae aliquis solennis dies, ut Annunciationis Mariae, inciderit, eo piscibus utuntur. Monachis autem multo graviora et molestiora jejunia imposita sunt, quos Kwas, hoc est potu acetoso, et aqua cum fermento mixta, contentos esse oportet. Sacerdotibus quoque aqua mulsa et cervisia eo tempore sunt prohibita: licet nunc omnes leges ac statuta diffluant, vitienturque. Porro extra tempus jejunii, die Sabbato vescuntur carnibus, Mercurii vero abstinent.

Doctores quos sequuntur, sunt: Basilius magnus, Gregorius, et Joannes Chrysostomus: quem dicunt Slatausta, id est aureum os. Concionatoribus carent. Satis esse putant, interfuisse Sacris, ac Evangelii, Epistolarum, aliorumque doctorum verba, quae vernacula lingua recitat Sacrificus, audivisse: ad hoc, quod varias opiniones ac haereses, qui ex concionibus plerumque oriuntur, sese effugere credunt, festos dies proximae septimanae die Dominico annunciant, publicamque confessionem recitant. Principem porro ipsum quicquid credere aut opinari vident, id rectum, omnibusque sequendum esse statuunt.

Accepimus Moscoviae patriarcham Constantinopolitanum ad petitionem ipsius Mosci, misisse quaedam monachum Maximilianum nomine, ut omnes libros, Canones, et singula statuta ad fidem pertinentia, in ordinem recto judicio redigeret. Quod cum fecisset, multisque et gravissimis erroribus animadversis, coram Principe pronunciasset, eum plane esse schismaticum, qui Romanum aut Graecum non sequatur ritum: haec inquam ubi dixisset, non multo post (etsi cum summa prosequeretur Princeps benevolentia) dicitur evanuisse, ac multorum opinione submersum esse. Agebatur tertius annus, dum nos Moscoviae essemus, quando Marcus Graecus mercator quidam ex Capha, hoc idem dixisse ferebatur: captumque pariter (licet pro eo tum Turcarum orator improbis quodammodo precibus intercederet) sublatum e medio fuisse. Georgius Craecus cognomento Parvus, Thesaurarius, Cancellarius, supremusque consiliarius Principis, cum eandem causam quoque foveret, defenderetque, ab omnibus continuo officiis remotus, gratiaque Principis deciderat. Sed enim eius opera carere Princeps cum haudquaquam posset, rursus in gratiam receptus, sed diverso erat officio praefectus; fuit enim vir singulari doctrina, et multarum rerum experientia praeditus, qui cum matre Principis in Moscoviam venerat: quem tantopere Princeps venerabatur, ut aegrotum semel cum ad se vocasset, primi nominis aliquot suis consiliariis demandaverat, ut illum in vehiculo sedentem, in suam habitationem usque ferrent. Sed cum in aulam esset advectus, ac tot tamque altis gradibus portari se recusaret, depositusque vehiculo, paulatim ad Principem ascenderet, hunc Princeps cum forte videret, stomachari graviter coepit, inque lectica collocatum ad se deferri jussit; tandem communicatis cum eo consiliis, negotioque confecto, in lectica virum per gradus deferendum iubet, semperque deinceps sursum ac deorsum portandum mandavit.

Religiosorum praecipua cura existit, ut quoslibet homines ad fidem suam perducant. Monachi heremitae bonam jam olim idololatrarum partem, diu multumque apud illos verbum Dei seminantes, ad fidem Christi pertraxerunt. Proficiscuntur etiamnum ad varias regiones Septentrionem versus et orientem sitas, quo non nisi maximis laboribus, famae ac vitae periculo perveniunt, neque inde aliquid commodi sperant, nec petunt: quin hoc unicum spectant, ut rem gratam Deo facere, et animas multorum devio errore abductas (morte aliquando doctrinam Christi confirmantes) in viam rectam revocare, ac eos Christo lucrificare queant.

Est etiam in Moscovia praecipuum monasterium S. Trinitatis, quod 12 miliaribus Ger. Occidentem versus a Moscovia civitate distat. ubi S. Sergius sepultus, multa miracula edere dicitur, admirabilique gentium ac populorum concursu pietateque celebratur. Eo Princeps ipse saepe, vulgus vero quotannis certis diebus conflui monasteriique liberalitate alitur. Perhibetur olla cuprea ibi esse, in qua certi cibi, et ut plurimum olus coquitur. Fit autem, ut sive pauci, sive multi eo venerint, semper tamen cibi tantum remaneat, quo eius monasterii familia saturetur: adeo ut nihil unquam desit, neque superfluat.

Gloriantur Mosci, se solos vere Christianos esse: nos vero damnant, tanquam desertores primitivae Ecclesiae, et veterum sanctarum constitutionum. Quod si quis nostrae religionis homo ultro ad Moscos transit, aut etiam

Digitized by Google

invito domino ad eos profugit, quasi discendae et complectendae religionis eorum causa, cum negant dimitti, aut etiam repetenti domino reddi oportere: quod mihi etiam singulari quodam casu est compertum, quae huc inserendum putavi. Civis quidam Cracoviensis primarius, mihi in Moscoviam eunti commendarat, et pene invito tradiderat, quendam ex honesta Bethmanorum familia natum, nomine Erasmum, adolescentem non indoctum: potationi tamen usque adeo deditum, ut nonnunquam usque ad insaniam inebriaretur: meque frequenti sua ingurgitatione quandoque cogeret, ut ei compedes injiciendos curarem. Itaque erroris sui conscientia victus, associatis sibi Moscis tribus, et auriga meo Polono, nocte quadam e Moscovia urbe aufugit: et Occa fluvio tranato, versus Asoph iter intendit. Quo comperto, Princeps continuo suos veredarios, quos illi Gonecz vocant, quoquo versum dimisit, ut ex fuga retraherentur. Hi cum in excubitores, qui adversus continuas Tartarorum incursiones illis in locis dispositi sunt, incidissent, et exposito eis hoc casu effecissent, ut ipsi quoque ad perquirendos fugitivos obequitarent: in hominem obvium incidunt, qui se beneficio noctis descruisse diceret quinque equites, qui eum rectum iter ad Asoph sibi commonstrare coegissent. Itaque excubitores vestigiis illorum insistentes, cum noctu ignem, quem incenderant, essent conspicati, equis illorum in pascuis circa locum pernoctandi errantibus, in modum serpentum taciti adrepunt, eosque longius propellunt. Cum igitur experrectus auriga meus, equos longius digressos reducere vellet, ex herbis in eum prosiliunt: eique mortem, si vel minimam edat vocem, minantur, atque ita vinctum tenent. Cumque rursum equos longius propellerent, eosque unus et alter et tertius reducere vellet, pari modo omnes ordine ex insidiis capiuntur, uno Erasmo excepto: qui se, cum in eum irruerent, stricta framea defendit, et Stanislaum (hoc erat aurigae nomen) inclamavit, At cum is se captum et vinctum esse respondisset, abjecta framea, Erasmus: Nec ego, inquit, vobis captis, liber esse, aut vivere volo; atque ita sese dedidit, cum ab Asoph bidui itinere abessent. Captivis reductis, cum petiissem a Principe, ut mihi mei restituerentur: respondit Non licere cuiquam reddere hominem, qui ad Moscos percipiendae verae religionis causa (quam, ut dictum est, se solos tenere praedicant) accessit, Aurigam tamen mihi mox restituit. Sed cum Erasmum reddere recusaret, dixi dispensatori nobis adjuncto, quem illi Pristavum vocat, male de Principe sensuros, et locuturos homines, si Oratoribus famulos suos adimat. Ne vero vel Princeps, vel ego culpari possemus, rogavi ut eum in conspectum coosiliariorum suorum nobis praesentibus venire permitteret, ut illius voluntas ab ipsomet intelligeretur. Hoc ubi assentiente Principe factum esset, percontabar Erasmum, an apud principem religionis ergo manere vellet? Cum annuisset, ego ei: Si, inquam, lectum tibi bene straveris, bene decumbes. Post Lithuanus quidam, qui se familiae Comitis Nugarolis adjunxerat, cum eum a proposito dehortatus esset, hoc ab eo responsum tulit, quod meam severitatem timeret. Ibi cum Lithuanus ei dixisset, Num redire vellet, si cum Comes in familiam suam reciperet? assensit. Relata itaque ad Comitem re, cum idem ex me quaesisset, an consentirem? respondi, id ei per me liberum fore. Cupiebam enim et ipse effingere, ne propinqui eius aliter hanc rem, atque acciderat, interpretarentur.

Porro ad Moscos raro confugere solent, nisi quibus alibi vivendi locus et securitas non est. Qualis fuit nostris temporibus Severinus Nordved, regis Daniae Christierni praefectus maris, homo quidem militaris, sed quodvis negotium in nomine daemonis auspicari solitus: de quo multa audivi, quae prudens praetereo. Is cum Regem ob suam immanitatem Holmiae, quae caput regni Suetiae est, vernaculaque ipsorum lingua Stockholm appellatur, incolis suis exosum esse, suaque sponte Daniae regno cessisse videret, munitum quendam locum in Gotlandia insula (quae duodecim miliaribus Germanicis patet) occupavit, ex qua mare Baltheum diu infestabat, nemini parcens, aeque amicos ac hostes spoliabat. Tandem, ubi contra se tanquam communem quandam pestem omnes timeret, nullumque locum in quo ab insidiis tutus esse posset, videret: assumpto certo praedonum numero ad principem Moscoviae confugit, venitque certis navibus in fluvium Narva, ad arcem Mosci Ivanovgorod. Inde terrestri itinere Moscoviam, eo anno quo ego illic fui, deductus erat. Caesaris autem Caroli Quinti intercessione dimissus, in obsidione Florentiae Italiae civitatis, in ejus servitio globo ferreo trajectus occubuit.

Digitized by Google

# DE DECIMIS.

Volodimerus mysteriis vivifici lavacri, anno 6496 initiatus, decimas una cum Leone Metropolita, de omnibus rebus dandas instituit, propter pauperes, pupillos, infirmos, senes, advenas, captivos atque pauperes sepeliendos: juvandos etiam eos, qui numerosam haberent sobolem, quibusve bona igni absumpta essent, ac sublevandam denique miserorum omnium inopiam, Monasteriorum pauperumque Ecclesias, et in primis propter defunctorum et vivorum refrigerium. Idem Volodimerus potestati et jurisdictioni Spiritualium subjecit omnes Abbates, Presbyteros, Diaconus, et totum statum clericorum: monachos, moniales, et eas quae proscura ad Sacra conficiunt, quas Proscurnicas vocant: item uxores filiosque sacerdotum, medicos, viduas, obstetrices, et eos qui miraculum ab aliquo Sanctorum acceperint, quive manumissi essent pro alicujus animae salute: ministros denique singulos monasteriorum et hospitalium, et qui monachorum vestes conficiunt. Quicquid itaque inter praedictas personas simultatis seu discordiae exoritur, Episcopus ipse tanquam competens judex, decernere et constituere potest. Si vero inter laicos et hos aliquid controversiarum oritur, judicio communi decernitur.

Proscurnicae sunt mulieres jam effectae, quae amplius menses non patiuntur: et quae panem ad sacrificandum, qui proscura dicitur, coquunt.

Episcopi etiam divortia, tam inter Knesos quam Bojarones, atque omnes seculares qui concubinas fovent, constituere debent. Item ad Episcopalem jurisdictionem pertinet, si quando uxor marito non obsequatur, si quispiam in adulterio seu fornicatione deprehensus fuerit, si uxorem consanguineam duxerit, si conjunx conjugi quippiam mali machinetur. Item divinationes, incantationes, venena, contentiones propter haeresim vel fornicationem susceptas: aut si filius parentes, sororesve acerbius increpaverit, laeseritve. Praeterea Sodomitas, sacrilegos, mortuorum spoliatores, et qui ad incantandum de imaginibus Sanctorum, aut statua Crucis quicquam avulserint: qui canem, avem, aut aliud aliquod animal immundum in aedem sacram duxerint, aut comederint, punire. Ad haec, singulas rerum mensuras ordinare, statuereque debent. Nemo autem miretur, si praedicta Canonibus istis atque traditionibus diversa reperiantur. Sunt enim non tam vetustate ipsa, alia quidem in locis aliis mutata, quam pecuniae studio pleraque depravata, vitiataque.

Princeps si quando Metropolitam convivio accipit, solet ei primum in accubitu locum, absentibus fratribus suis, deferre. In funebri sacro, cum Metropolitam atque Episcopos invitaverit, eis ipse ab initio prandii cibum potumque porrigit: dein fratrem suum, vel principem aliquem virum, qui vices suas ad prandii usque finem suppleat, constituit.

Caeremonias illorum, quibus solenni tempore in templis utuntur, ut viderem, equidem impetraveram. Atque ita utroque legationis meae tempore, in festo Assumptionis Mariae, 15. videlicet die Augusti, cum majus templum in arce frondibus arborum stratum, ingressus fuissem, vidi Principem ad dextram portae, qua ingressus erat, ad parietem aperto capite stantem, Posochque baculo (ut vocant) innitentem, ante sequendum Colpack dextra tenentem: Consiliarios vero ad columnas templi, quo loci et nos deducti eramus, stantes. In medio templi, super tabulato, Metropolita solenniter vestitus, mitramque rotundam superne imaginibus Sanctorum, inferne vero hermellinis pellibus ornatam gestans, stabat, Posochque baculo (quemadmodum Princeps) innitebatur, atque mox cantantibus aliis, ipse cum ministris suis orabat; dein chorum versus procedens, in laevam contra nostrum morem conversus, per minorem portam egreditur, praecedentibus Cantoribus, Sacerdotibus atque Diaconis: ex quibus unus in patena, super capite, panem jam ad sacrificandum praeparatum, portabat: alter vero, coopertum calicem: caeteri promiscue, sancti Petri, Pauli, Nicolai, Archangeli, imagines magna populi circumstantis acclamatione ac veneratione ferebant. Quidam porro ex circumstantibus acclamabant, Domine miserere; alii fronte terram, more patrio, tangebant, flebantque. Varia denique veneratione ac cultu circumlata signa vulgus prosequebatur. Post finito circuitu, per mediam chori portam ingressis, Sacrum, seu summum (ut vocant) officium coeptum est fieri. Caeterum totum Sacrum, seu Missa, gentili ac vernacula lingua apud illos peragi solet. Epistola praeterea, Evangelium pro tempore, quo magis a populo percipiantur, extra chorum, populo astanti clara

Digitized by Google

voce recitantur. In priore mea legatione, eodem festo die, ultra centum homines in fossa arcis laborantes vidi: quod feriari non nisi Principes ac Bojari, ut infra dicemus, solent.

## RATIO CONTRAHENDI MATRIMONIUM.

Inhonestum ac turpe est adolescenti, ambire puellam, ut sibi in matrimonium locetur. Patris est, juvenem alloqui, ut ducat filiam suam. In haec autem verba plerunque proloqui solent: Cum mihi sit filia, vellem equidem te mihi generum. Ad quae juvenis: Si me, inquit, *expetis* generum, et tibi ita videtur, conveniam parentes meos, et de hac re ad eos referam. Dein si parentes et proximi assensi fuerint: conveniunt, et de his quae pater filiae dotis nomine dare velit, tractant. Mox dote constituta, nuptiis dies praescribitur Interea temporis sponsus ad aedibus sponsae usque adeo arcetur, ut si forte petierit, eam saltem ut videret, tum parentes respondere solent: Cognosce ex aliis qualis sit, qui eam norunt; certe nisi sponsalia prius maximis poenis firmata fuerint, ita ut sponsus non possit, etiam si vellet, sine gravi poena, eam repudiare, alias non datur illi accessus. Dotis nomine dantur plerunque *equi*, vestes, framea, pecora, servi, et *similia*. Invitati ad nuptias, pecuniam raro offerunt: munera tamen, seu donaria sponsae mittunt, quae singula sponsus diligenter notata reponit. Finitis nuptiis, deprompta rursus ordine conspicit: atque ex iis, si quae placent, sibique usui futura videntur, ea mittit ad forum, jubetque singula ab his qui rebus precia imponunt, aestimari: reliqua omnia et singula, singulis remittit, cum gratiarum actione. Ea quae servavit, in anni spacio juxta aestimationem, pecunia, aut alia aliqua re aequalis valoris compensat. Porro si aliquis donum suum pluris fecerit, tum sponsus ad juratos aestimatores continuo recurrit, illumque horum aestimationi standum esse cogit. Item si sponsus post elapsum annum non satisfecerit, aut munus acceptum non restituerit, tum in duplo satisfacere tenetur. Denique si alicujus donum juratis aestimandum dare neglexerit, ex voluntate atque arbitrio ejus qui dedit reponere cogitur. Atque hunc morem vulgus ipsum in omni liberalitate, seu donationis genere observare solet.

Matrimonium ita contrahunt, ut quartum gradum consanguinitatis aut affinitatis non contingant. Haereticum putant, germanos fratres, germanas ducere sorores. Item, nemo sui affinis sororem ducere in uxorem audet. Observant etiam severissime, ne hi matrimonio implicentur, inter quos spiritualis cognatio baptismatio intercessit. Si quis alteram uxorem ducit, sitque bigamus, concedunt id quidem, sed vix legitimum matrimonium esse putant. Tertiam uxorem ducere, sine gravi causa non permittunt. Quartam autem nec concedunt cuipiam, nec etiam Christianum esse judicant. Divortium admittunt, et dant libellum repudii: id tamen maxime celant, quod contra religionem ac statuta esse sciunt. Principem ipsum Salomeam uxorem, propter sterilitatem repudiatam, in monasterium intrusisse, atque Helenam filiam Knes Basilii Linski duxisse, paulo antediximus. Ante aliquot annos etiam quidam dux Basilius Bielski ex Lithuania in Moscoviam profugerat: ejus uxorem juvenem, et quam paulo ante duxerat, cum amici diutius apud se detinerent (putabant enim illum amore ac desiderio adolescentulae rursus rediturum), Bielski causam uxoris absentis in consilium Metropolitae refert, communicatoque consilio Metropolita inquit: Quando non tua, sed uxoris potius, atque adeo cognatorum culpa fit, ut cum ea esse tibi non liceat, equidem legis gratiam tibi faciam, teque ab ea absolvam. Qua re audita, mox aliam ex principum Resaniensium progenie natam duxit, ex qua etiam filios suscepit, quos nunc in magna apud Principem auctoritate vidimus.

Adulterium non appellant, nisi quis alterius uxorem habuerit. Tepidus est utplurimum conjugatorum amor, praesertim nobilium et principum virorum: eo quod puellas nunquam antc visas ducunt: ac servitiis Principis occupati, deserere eas coguntur, aliena interim turpique libidine sese contaminantes.

Mulierum conditio miserrima est. Nullam enim honestam credunt, nisi domi conclusa vivat, adeoque custodiatur, ut nusquam prodeat. Parum inquam pudicam existimant, si ab alienis externisve conspiciatur. Domi autem conclusae, nent duntaxat, et fila trahunt: nihil prorsus juris aut negotii in aedibus habent. Omnes labores domestici servorum opera fiunt. Quicquid mulierum manibus suffocatur, sive ga-



Digitized by Google

lina, sive aliud aliquod animalium, id abhorrent tanquam impurum. Qui vero pauperiores sunt, eorum uxores domesticos labores obeunt, et coquunt. Caeterum cum viris absentibus forte, et servis, gallinas jugulare volunt, stant pro foribus, tenentes gallinam, aut aliud animal, et cultrum: praetereuntesque viros, ut ipsi interficiant, plurimum rogant.

Rarissime in templa, rarius etiam ad amicorum colloquia, nisi senes admodum sint, omnique suspicione careant; admittuntur. Certis tamen et festivis diebus animi gratia concedunt uxoribus ac filiabus, ut in pratis amoenissimis conveniant, ubi super quadam rota instar Fortunae insidentes, alternatim sursum ac deorsum moventur: aut alioqui funem appendunt, quo suspensae ac insidentes, hinc inde impulsae feruntur, moventurque: aut denique quibusdam et certis cantilenis, manibus plaudentes se oblectant, choreas prorsus nullas ducunt. Est Moscoviae quidam Alemanus faber ferrarius, cognomento Jordanus, qui duxerat uxorem Ruthenam; ea cum apud maritum aliquamdiu esset, hunc ex occasione quadam amice sic alloquitur: Cur me, conjunx carissime, non amas? Respondet maritus: Ego vero te vehementer amo. Nondum, inquit, signa habeo amoris. Quaerebat igitur maritus, qualia signa vellet? Nunquam, ait, me verberasti. Mihi sane verbera, inquit maritus, non videbantur signa amoris: sed tamen nec hac parte deero. Atque ita non multo post, crudelissime eam verberavit: fassusque mihi est, longe majore amore se a sua uxore posthac observatum fuisse; quam rem saepius exercuit: nobisque tum Moscoviae existentibus, cervicem illi tandem et crura praecidit.

Omnes se Principis chlopos, id est servos fatentur. Item praestantiores, ex majore parte emptos aut captos servos habent: quos autem liberos in servitio nutriunt, iis non est liberum quolibet tempore discedere. Si aliquis citra voluntatem domini abit, nemo cum assumit. Si dominus bonum ac commodum famulum non bene tractat, fit quodammodo infamis apud alios, neque posthac alios famulos assequi potest.

Gens illa magis servitute, quam libertate gaudet; nam morituri ut plurimum certos servos manumittunt: qui se tamen continuo aliis dominis, pecunia accepta, in servitutem vendicant. Si pater filium, ut mos est, vendit, et is quocunque tandem modo liber factus, aut manumissus fuerit, pater hunc rursus atque iterum jure patriae potestatis vendere potest. Post quartam autem venditionem, nil juris amplius in filium habet. Ultimo supplicio solus Princeps servos, et alios afficere potest.

Princeps altero, aut tertio quoque anno, per provincias delectu habito, filios Bojaronum conscribit: ut numerum illorum, et quot quisque equos ac servitores habeat, cognoscat. Dein singulis stipendia proponit, ut supra dictum est. Qui vero per facultates rei familiaris possunt, stipendio militant. Raro illis datur quies: nam aut bellum infert Lithuanis, aut Livoniensibus, aut Suetensibus, aut Tartaris Casanensibus; aut si nullum bellum gerit, praesidia tamen in singulos annos in locis circa Tanaim et Occam, ad reprimendas Tartarorum Praecopensium eruptiones ac depraedationes, viginti milia hominum imponere solet. Solet etiam quotannis ex suis provinciis ordine quosdam vocare, qui Moscoviae sibi omnia ac quaelibet praestant officia. Belli autem tempore, non annuis ex ordine et alternis officiis inservire, sed omnes et singuli, tam stipendiarii quam gratiam Principis expectantes, in bellum ire coguntur.

Habent equos parvos, castratos, soleis carentes, levissima frena: tum ephippia in eum usum acommodata, ut se in omnes partes nullo negotio vertere, arcumque intendere queant. Pedibus usque adeo attractis insidentes equo, ut nullum hastae aut teli paulo vehementiorem ictum sustinere queant, Calcaribus paucissimi, flagello plerique utuntur, quod semper minimo digito dextrae inhaeret, ut id quoties opus sit, apprehendant et utantur: rursus si ad arma deventum fuerit, projectum e manu pendeat.

Communia arma sunt, arcus, telum, securis, et baculus, instar coestus, qui Ruthenice Kesteni, Polonice Bassalick dicitur. Framea nobiliores et ditiores utuntur. Pugiones oblongos in modum cultellorum dependentes, in vaginis adeo reconditos habent, ut vix supremam capuli partem attingere, aut necessitate cogente apprehendere possis. Loro pariter freni longo, et in extremitate perforato utuntur, quod digito sinistro annectunt, ut arcum apprehendere, eoque retento uti possint. Porro quanquam simul et eodem tempore manibus teneant frenum, arcum, frameam, telum et flagellum istis tamen scite et sine ullo impedimento norunt uti.

Nonnulli ex praestantioribus, lorica, thorace affabre seu ex quibusdam squamis concinnato, et armillis: paucissimi autem cri-

Digitized by Google

sta, instar pyramidis in summitate exornata, utuntur.

Sunt qui habent vestem bombycis lana suffertam, ad sustinendos quoscunque ictus. Lanceis quoque utuntur.

Peditatu vero et tormentis in conflictu nunquam usi sunt. Etenim quicquid agunt, sive adoriuntur, sive insequuntur, sive fugiunt hostem, id repente et celeriter faciunt: atque ita illos nec peditatus, nec tormenta subsequi possunt.

Modernus tamen princeps Basilius, cum rex Praecopiensis, nepotem suum in Casanense regnum induxisset, et in reditu juxta Moscoviam tredecim millibus passuum castrametatus esset, anno insequenti circa Occam fluvium castra posuerat; atque peditatu tum primum et tormentis usus est, fortasse ut potentiam suam ostentaret: aut maculam susceptam priori anno, ex turpissima fuga, in qua dicebatur aliquot diebus sub acervo foeni delituisse, deleret: aut denique regem, quem ditionem suam rursus invasurum putabat, a finibus suis arceret. Certe nobis praesentibus habuit ex Lithuanis, variaque hominum colluvie, mille et quingentos fere pedites.

Hostem primo impetu audacissime aggrediuntur, nec diu perseverat: ac si innuere vellent, Fugite, aut nos fugiemus.

Civitates raro vi, aut impressione acriore expugnare, sed longe magis obsidione, homines fame aut proditione ad deditionem adigere solent. Quanquam Basilius Smolensko civitatem admotis tormentis, quae partim ex Moscovia secum adduxerat, partim ibi in obsidione fuderat, oppugnabat, quassabatque: nihil tamen effecerat. Obsederat et Casan magna militum vi, admotis pariter tormentis, quae secundo fluvio eo portaverat: sed tum quoque usque adeo nihil effecerat, ut dum arx incensa funditus conflagaret, atque ex integro rursus aedificaretur: ne nudum quidem collem interim miles ascendere occupareve ausus fuerit.

Habet Princeps nunc fusores tormentarios Alemanos et Italos, qui praeter pixides, tormenta bellica, item ferreos globulos, cujusmodi et nostri Principes utuntur, fundunt: quibus tamen in conflictu, quod omnia in celeritate posita habent, neque sciunt neque possunt uti.

Omitto etiam, quod tormentorum discrimen, seu, ut verius dicam, usum, ignorare videntur. Nesciunt inquam, quando vel majoribus, quibus acies impetusque hostium disrumpitur, uti debeant. Id quod cum alias saepe, tum maxime eo tempore accidit, quum Tartari Moscoviam jamjam oppugnaturi ferabantur; tum enim Locumtenens tanquam in re subita, majus tormentum sub portam castri, ridente bombardario Germanico, collocandum jusserat: cum id tamen vix tridui spacio eo deduci potuisset, ad haec semel duntaxat exoneratum testudinem et portam dissipasset.

Magna est hominum, ut in aliis negotiis, ita in bello gerendo, diversitas ac varietas. Moscus enim quamprimum fugam arripit, nullam salutem cogitat, praeter eam quam fuga habere potest: assecutus, seu apprehensus ab hoste, nec se defendit, nec veniam precatur.

Tartarus vero dejectus ex equo, spoliatus omnibus armis gravissime etiam vulneratus, manibus, pedibus, dentibus, quoad et quacunque potest ratione, ad extremum usque spiritum se defendere solet.

Turcus, dum videt se omni auxilio ac spe elabendi destitutum, supplex veniam petit, armis abjectis, ac junctas ad ligandum manus victori porrigit, speratque captivitate vitam se impetraturum.

Castris collocandis amplissimum locum eligunt, ubi praestantiores tentoria erigunt: alii vero ex arbustis veluti arcum in terram figunt, penulisque tegunt, quo ephippia, arcus, et id genus alia recondant, seque ab imbre defendant. Equos ad pascua pellunt, quorum causa tam late disjuncta tentoria habent: quae nec curru, nec fossa, nec alio quovis impedimento muniunt: nisi forte locus natura sit, aut silvis, aut fluminibus, paludisve munitus.

Posset forte cuipiam mirum videri, quod se et suos tam exiguo stipendio, et tam diu, ut supra dixi, sustineant: ideo illorum parsimoniam et frugalitatem paucis aperiam. Qui habet sex, aut aliquando plures equos, ex iis uno tanquam bajulo, sive clitellario, qui vitae necessaria portet, utitur. In primis habet milium contritum in sacculo, langitudine duorum aut trium palmitum: deinde suillae carnis salsae libras octo, aut decem, habet et sal in sacculo: et si dives est, mixtum pipere. Praeterea unusquisque secum fert securim, fomitem, lebetes, aut ollam cupream, ut si aliquo forte deveniat, ubi nihil fructuum, allii, caepae, aut carnis ferinae reperiat, tum ignem accendit, ollamque aqua replet, in quam coclear plenum milii, sale addito, injicit, coquitque: eo cibo dominus et servi contenti vivunt. Porro si dominus pi-

Digitized by Google

mium famelicus fuerit, totum absumit: itaque servi aliquando ad totum biduum aut triduum egregie jejunant. Ad haec, si dominus vult lautius epulari, tum addit parvam portjunculam carnis suillae. Hoc non loquor de praestantioribus, sed mediocris conditionis hominibus. Duces exercitus, et alii militiae praefecti, invitant aliquando pauperiores illos: qui sumpto bono prandio, interdum post ad biduum, aut triduum cibo abstinent.

Item cum habent fructus, aut allium, aut caepas, tum facile aliis omnibus carere possunt. Ingressuri praelium, plus spei ponunt in multitudine, et quantis copiis hostem adoriantur, quam robore militum, ac instructo quam probe exercitu: feliciusque eminus, quam cominus pugnant, atque ideo hostem circumvenire, et a tergo adoriri, praecipue student.

Tubicines multos habent, hi dum patrio more, omnes una tubas inflant, intonantque: mirum tum ac inusitatum quendam concentum audires. Habent et aliud quoddam genus Musices, quod gentili lingua Szurna appellant. Eo si quando utuntur, tum una hora, plus minus, sine ulla respiratione, seu aeris attractione quodammodo canunt. Buccas autem primum aere implere solent: dein naribus spiritum identidem attrahere edocti, tuba vocem absque intermissione edere dicuntur.

Omnes vestitu, seu corporis cultu simili utuntur, tunicas oblongas sine plicis, manicis strictioribus. Hungarorum fere more, gestant: in quibus Christiani nodulos, quibus pectus constringitur in dextro: Tartari vero haud dissimili vestitu utentes, sinistro latere habent. Ocreas fere rubeas, easque breviores, ut quae genua non attigant, soleasque ferreis claviculis munitas gestant. Indusia omnes fere variis coloribus circa collum exornata habent: eaque monilibus seu globulis argenteis, aut cupreis deauratis, additisque ornamenti causa unionibus constringunt.

Ventrum nequaquam, sed femora cingunt: atque adeo pubetenus, quo magis promineat venter, cingulum demittunt. Quin et nunc Itali et Hispani, imo et Germani ita assueverunt.

Adolescentes et pueri pariter festivis diebus, sed in civitate loco amplo et celebri, unde videri et exaudiri a pluribus queant, convenire solent, quibusdam autem sibilis seu signo dato, convocantur; convocati illico concurrent, manusque conserunt, certamen pugnis ineunt, mox pedibus promiscue ac magno impetu faciem, guttur, pectus, ventrem, genitalia quatiunt: aut quacunque ratione possunt, alios alii inter se de victoria concertantes, prosternunt, adeo ut saepe inde exanimati asportentur. Porro quicunque plures vincit, diutius in arena durat, fortissimeque verbera tolerat, is prae caeteris laudatur, victorque celebris habetur. Hoc certaminis genus institutum est, ut assuescant adolescentes verbera ferre, ictusque quoscunque tolerare.

Justitiam strenue exercent in praedones: quibus comprehensis, calcanea primum frangere, dein in biduum aut triduum usque, dum intumescant, quiescere: post, fracta jam a intumefacta, rursus motare jubent. Non alio genere torquendi et flagitiosos, ad confitenda latrocinia, sociosque scelerum indicandos, utuntur. Caeterum si in quaestionem vocatus, supplicio dignus fuerit repertus, suspenditur. Alio genere poenae sontes raro puniuntur, nisi quid immanius commiserint.

Furta raro capitali poena, imo homicidia raro, nisi praedae gratia facta fuerint, puniuntur. Qui vero furem in furto deprehendit, et accidit, impune id facere potest: ea tamen conditione, si occisum in aulam Principis detulerit, et rem ut acta est exposuerit.

Cum brutis congredientes, ne illi quidem ultimo afficiuntur supplicio.

Pauci ex praefectis habent auctoritatem, ultimum supplicium irrogandi. Ex subditis nemo aliquem torquere audet. Plerique malefactorum Moscoviam, seu ad alias principales civitates ducuntur. Hyemali autem tempore ut plurimum in sontes animadvertunt: aestivo enim, bellicis negotiis impediuntur.

# ORDINATIONES

## A JOANNE BASILII MAGNO DUCE, ANNO MUNDI 7006 FACTA,

Quum reus fuerit in unum rublum condemnatus, solvat Judici altinos duos, Notario octo dengas. Si vero partes redeunt in gratiam, priusquam in locum duelli venerint, non minus Judici et Notario solvant, ac si judicium factum fuisset. Si venerint in locum duelli, quem Ocolnik et Nedelsnik duntaxat decernere possunt, ibique forte in gratiam redierint, solvant Judici, ut supra, Ocolniko 50 dengas, Nedelsniko similiter 50 dengas, et duos altinos: Scribae quatuor altinos, et unam dengam. Si vero vene-

Digitized by Google

rint ad duellum, et alter victus fuerit, tum judici reus quantum ab eo postulatur, solvat, Ocolniko det poltinam et arma victi, Scribae 50 dengas, Nedelsniko poltinam et quatuor altinos. Si vero duellum committitur propter aliquod incendium, necem amici, rapinam vel furtum, tunc accusator si vicerit, ab reo accipiat quod petiit, Ocolniko detur poltina et arma victi, Scribae 50 dengae, Nedelsniko poltina, Vestono (est autem Veston, qui ambas partes praescriptis conditionibus ad duellum committit) quatuor altinos: et quicquid victus reliqui habuerit, vendatur, judicibusque detur: corpore autem, juxta delicti qualitatem puniatur.

Interfectores dominorum suorum, proditores castri, sacrilegi, plagiarii, item qui res in alterius domum clanculum inferunt, easdemque furto sibi ablatas dicunt, quos Podmetschek vocant, praeterea qui incendio homines affligunt, quique manifesti malefactores fuerint, ultimo supplicio afficiuntur,

Qui primum furti convictus fuerit, nisi forte sacrilegii aut plagii accusetur, morte non est afficiendus, sed publica poena emendaneus: hoc est, baculis caedendus, et poena pecuniaria a judice muletandus.

Si iterum in furto deprehensus fuerit, et non habuerit unde accusatori aut judici satisfaciat, morte plectatur.

Si alioqui fur convictus, non habeat, unde *accusatori* satisfacere posset, caesus baculis, tradatur *accusatori*.

Si quis furti accusetur, et honestus aliquis vir jurejurando affirmet, illum antea quoque furti convictum, aut furtu causa cuipiam reconciliatum fuisse, neglecto et omisso judicio, morte afficiatur: de bonis ejus fiat, ut supra.

Si aliquis vilis conditionis, aut suspectae vitae, furti insimuletur, vocetur in quaestionem. Si vero furti convinci non potest, datis fideiussoribus, dimittatur ad ulteriorem inquisitionem.

Pro scripto decreto, seu lata sententia, aestimatione unius rubli solvantur Judici novem dengae: Secretario, qui sigillum habet, altinum unum: Notario, dengae tres.

Praefecti, qui non habent auctoritatem, causa cognita, decernere ac sententiam ferre, hi alteram partium in aliquot rublis condemnent, dein decretum ad Judices ordinarios mittant, quod si justum ac aequitati consonum illis videtur, tum de singulis rublis, singuli altini Judici, Secretario vero 4 dengae solvantur.

Quicunque alterum furti, spolii, seu homicidii accusare vult, Moscoviam proficiscitur, petitque ut talis in jus vocetur. Datur illi Nedelsnick, qui reo diem dicit, eundemque Moscoviam perducit. Reus porro in judicio constitutus, plerunque crimen sibi objectum negat. Si actor testes producit, tum ambae partes interrogantur, an dictis stare velint. Ad id communiter respondent: Audiantes testes secundum justitiam et consuetudinem. Si contra reum attestantur, tum reus statim se opponit, et contra testimonia et personas exipit, dicens: Peto mihi decerni juramentum, meque justitiae divinae permitto, petoque campum et duellum. Atque illis ita, juxta patriae consuetudinem, duellum decernitur.

Uterque quemvis alium, suo loco ad duellum constituere, armis item uterque instruere sé quibus libet potest, pixide et arcu exceptis. Communiter autem loricas oblongas, aliquando duplices, thoracem, armillas, galeam, lanceam, securim, et ferrum quoddam in manu, instar pugionis, in utraque tamen extremitate acutum, habent: quo altera manu ita expedite utuntur, ut in quolibet congressu non impediat, neque manu cadat; eo autem in pedestri certamine plerunque utuntur.

Certamen primum ineunt lancea. dein aliis utuntur armis: cum multis annis Mosci cum externis aut Germanis, aut Polonis, aut Lithuanis certantes, plerunque succubuissent. Novissime autem cum Lithuanus quidam 26 annos natus, cum quodam Mosco, qui plusquam 20 duellis victor evaserat, congressus, occisus esset: Princeps indignatus, illum ut videret, continuo accersiri jubet; quo viso, in terram expuit, et statuit, ne in posterum ulli externo duellum contra suos decerneretur. Mosci plurimis ac diversis armis se onerant verius, quam armant: externi autem consilio magis quam armis tecti, congrediuntur. Cavent in primis, ne manus conserant: quod Moscos plurimum brachiis lacertisque valere sciunt, sola industria ac agilitate illos tandem lassos vincere solent. Utraque partium habet multos amicos atque fautores, certaminis sui spectatores: sed prorsus inermes, exceptis sudibus, quibus interdum utuntur. Etenim si alteri horum videtur injuria aliqua fieri, tum ad propulsandam ejus injuriam fautores ipsius accurrunt, mox etiam alterius: atque ita utrinque certamen spectantibus exoritur jucundum; agitur enim res capillis, pugnis, fustibus, sudibusque praecustis.

Unius nobilis testimonium plus valet, quam

Digitized by Google

multorum vilis conditionis hominum. Procuratores rarissime admittuntur, quisque causam suam exponit. Princeps, quanquam severissimus sit, nihilominus tamen omnis justitia, et palam fere, venalis est. Audivi quendam consiliarium, qui judiciis praeerat, fuisse deprehensum, quod ab utraque partium in quadam causa munera accepisset: et pro altero, qui plus dederat, judicasset; quod factum, ad Principem delatus, non negabat: illum, pro quo judicasset, hominem dicebat divitem, honesto loco, atque ideo magis huic quam illi inopi et abjecto credendum. Tandem, quamvis Princeps sententiam revocasset, ridens tamen, illum impune dimisit. Fortasse tantae avaritiae ac improbitatis causa est ipsa egestas, qua suos cum sciat Princeps oppressos, ad illorum facinora atque improbitatem, quasi impunitate proposita, connivet. Pauperibus non patet aditus ad Principem, sed ad ipsos consiliarios tantum, et quidem difficillimus.

Ocolnick personam Praetoris, seu Judicis a Principe constituti sustinet: alias supremus consiliarius, qui semper apud Principem versatur, eo nomine vocatur. Nedelsnick, est commune quoddam eorum officium, qui homines in jus vocant, malefactores capiunt, carceribusque coercent: atque hi Nobilium numero continentur.

Coloni sex dies in septimana domina suo laborant, septimus vero dies privato labori conceditur, Habent aliquos privatos, et a dominis suis attributos agros, et prata ex quibus vivunt: reliqua omnia sunt dominorum. Sunt praeterea miserrimae conditionis, quod illorum bona, nobilium ac militum praedae exposita sunt: a quibus etiam per ignominiam Christiani aut nigri homunciones vocantur,

Nobilis, quantumvis pauper fuerit, turpe sibi tamen ac ignominiosum esse putat, si manu laboraret. Hoc autem turpe non esse ducit, cortices, seu putamina fructuum, et praesertim melonum, alii, ac coeparum, a nobis et famulis nostris abjecta, de terra levare ac devorare. Caeterum sicuti cibo parce, sic potu, ubicunque se occasio offert, immoderate utuntur. Omnes fere tardi ad iram, item superbi in paupertate: cuius gravem comitem habent, servitutem. Vestes oblongas, pileos albos apicatos ex lana coacta, qua penulas barbaricas confectas videmus, solidosque ex officina gestant. Vestibula aedium satis quidem ampla, et alta: feres vero habitationum humiles habent, ita ut ingressurus quispiam demittere se et inclinare cogatur.

Manuario qui vivunt labore, et operam suam vendunt, mercedem unius diei referunt dengam cum dimidia: artifex duas; neque hi strenue laborant, nisi bene verberati. Audivi servitores aliquando conquestos, quod a dominis non essent probe verberati. Credunt se suis dominis displicere: signumque esse indignationis, si non verberentur.

## DE INGRESSU IN ALTERIUS DOMUM.

In singulis aedibus et habitationibus habent imagines sanctorum, pictas, aut fusas, loco honorificentiore, et cum alius alium accedit, ingressus habitaculum, continuo caput aperit, ac ubi imago sit, circumspicit: qua visa, ter se crucis signo munit, caputque inclinans inquit: Domine miserere. Dein salutat hospitem, his verbis: Deus det sanitatem. Mox porrectis manibus, deosculanrur se mutuo, capitaque inclinant; dein continuo alter alterum intuetur, uter nimirum se magis inclinaret, demitteretque: atque ita ter quaterque alternatim caput inclinantes, honoremque mutuo exhibentes, quodammodo concertant. Post sedent, negotioque suo confecto, hospes recta in medium habitaculi procedit, facie ad imaginem conversa: rursusque ter signo se crucis munit, prioraque verba inclinato capite repetit. Postremo data acceptaque prioribus verbis salute, abit. Si est alicujus auctoritatis vir, illum tum hospes loquitur ad gradus usque: sin praestantior, longius comitatur, habita et observata cujusque dignitate. Mirabiles observant ceremonias; nulli etenim tenujoris fortunae homini licet intra portam domus alicujus praestantioris equitare. Difficilis quoque pauperioribus ac ignotis aditus est, etiam ad vulgares nobiles: qui vel hoc nomine rarius in publicum prodeunt, quo majorem auctoritatem suique observantiam retineant. Nullus etiam nobilis, qui paulo ditior est, ad quartam vel quintam domum pedes progreditur, nisi subsequatur equus. Hyemis tamen tempore, cum equis, soleis carentibus, propter glaciem, absque periculo uti non possunt: aut quando aulam Principis, aut Divorum templa forte ingrediuntur, tum equos domi relinquere solent.

Domini intra privatos parietes semper sedent, raro aut nunquam inambulando quicquam

Digitized by Google

tractant. Mirabantur plurimum, dum nos deambulantes in diversoriis nostris, atque inter ambulandum negotia frequenter tractare viderent.

Veredarios Princeps, ad omnes ditionis suae partes, diversis in locis cum justo equorum numero habet: ut cum cursor Regius aliquo missus fuerit, equum sine mora in promptu habeat. Est autem cursori liberum, ut quemcunque voluerit, eligat equum. Mihi ex Novogardia magna celeriter Moscoviam proficiscenti, Magister postarum, qui illorum lingua Jamschnik appellatur, aliquando triginta, nonnunquam quadraginta, quinquaginta ve adduci mane primo curabat equos, cum ultra duodecim opus non haberem. Unusquisque igitur nostrum, equum qui sibi commodus videbatur, sumebat: defessis dein illis, cum ad aliud in itinere diversorium, quod lama appellant, pervenimus, continuo ephippio et freno retentis, permutavimus. Licet cuilibet celerrimo uti equorum cursu: et si forte aliquis concidat, aut durare non possit, tum ex proxima quaque domo alium rapere, aut alio qui abs quovis obviam forte occurrente, Principis duntaxat cursore excepto, sumere impune quidem licet. Equum porro in itinere viribus exhaustum, relictumque Jamschnik requirere, item alterum ei cui ereptus erat restituere, preciumque ratione itineris habita, persolvere solet. Plerunque de 10 vel 20 verst, numerantur sex dengae. Ejusmodi porro veredariorum equis, servitor meus ex Novogardia Moscoviam, intervallo 600 verst, hoc est 120 Ger. miliar. 72 horis pervenit; quod quidem eo magis mirandum est, cum equuli tam parvi sint, et longe negligentius quam apud nos curentur, tantos tamen labores perferant.

## DE MONETA.

Monetam argenteam quadruplicem habent: Moscoviticam, Novogardensem, Tverensem, et Plescoviensem. Moscoviticus nummus non rotunda, sed oblonga et ovali quodammodo forma, Denga dictus, diversus habet imagines; antiqua, in una rosae: posterior, hominis equo insidentis imaginem; in altera autem parte utraque scripturam habat. Illorum porro centum, unum Hungaricalem aureum: Altinum sex dengae, Grifnam viginti, Poltinam centum, Rublum ducentae faciunt. Novi nunc utrinque characteribus signati cuduntur, et quadringenti valent Rublum.

Tverensis utrinque scripturam habet, et valore Moscovitico aequiparant.

Novogardensis in una parte Principis in solio sedentis, hominisque ex adverso sese inclinantis imaginem: in altera scripturam habet, atque Moscoviticum valore in duplo superat. Grifna porro Novogardensis 14, Rublus autem ducentas vinginti duas dengas valet.

Plescoviensis, caput bovis coronatum, in altera vero scripturam habet. Habent praeterea cupream monetam, quae Polani vocatur; horum sexaginta dengam Moscoviticam valent.

Aureos non habent, nec cudunt ipsi, sed Hungaricalibus fere, interdum etiam Renanis utuntur: preciumque eorum saepe mutant, praesertim cum externus auro aliquid mercaturus sit, tum continuo precium ejus minuunt; si vero aliquo profecturus, auro indigeat, ejus tum rursus precium augent.

Rigenzibusque rublis utuntur propter vicinitatem, quorum unus valet duos Moscoviticos. Moneta Moscovitica est ex puro et bono argento: ea quamvis nunc quoque adulteratur. Non audivi tamen, ob hoc facinus in quempiam animadversum esse. Omnes fere aurifabri Moscoviae nummos cudunt: et quicunque affert massas argenteas puras, nummosque cupit, tum nummos et argentum appendunt, atque aequa lance librant, Exiguum est, et constitutum precium, quod ultra aequale pondus solvendum est aurifabris, parvo alio qui laborem suum vendentibus. Scripserunt quidam, provinciam hanc rarissime abundare argento: Principem praeterea, ne id exportaretur, prohibere. Provincia sane argentam nullum habet, nisi quod (ut dictum est) importatur: nec Princeps usqueadeo efferre prohibet, sed cavet verius, atque ideo permutationem rerum facere, et alia, ut pelles, quibus abundant, aut quid aliud ejusmodi, pro aliis rebus dare, recipereque suos jubet, quo argentum et aurum in provincia retineat. Vix centum annis utuntur moneta argentea, praesertim apud illos cusa. Initio cum argentum in provinciam inferebatur, fundebantur portiunculae oblongae argenteae, sine imagine et scriptura, aestimatione unius rubli: quarum nulla nunc apparet. Cudebatur etiam moneta in Galicz principatu; ea autem cum aequabili valore careret, evanuit. Porro ante monetam, proboscide et auriculis aspreolorum, aliorumque animalium, quorum pelles ad nos

Digitized by Google

afferuntur, utebantur: iisque vitae necessaria, seu pecunia, emebant.

Numerandi ratione ea utuntur, ut res quascunque per Sorok, aut Devenosto, hoc est, aut quadragesimo aut nonagesimo numero, quemadmodum nos centesimo, numerent, dividantque. Numerantes itaque subinde repetunt, multiplicantque, bis Sorok, ter Sorok, quatuor Sorok, id est, quadraginta, aut bis, ter, quater Deve nosto, hoc est nonaginta. Mille, gentili lingua Tissacza: item decem millia, una dictione, Tma: viginti millia, Dvetma: triginta millia, Tritma exprimunt.

Quisquis merces qualescunque Moscoviam attulerit, eas continuo apud portitores, seu telonii praefectos, profiteri ac indicare cogitur: quas hi stata hora conspiciunt, aestimantque; aestimatas vero, demo nec vendere nec emere audet, nisi prius fuerint Principi indicatae. Porro Princeps si quicquam emere voluerit, tum mercatori interim res suas nec indicare, nec cuiquam licitari eas integrum est, quo fit, ut mercatores interdum diutius detineantur.

Neque etiam cuivis mercarori, praeter Lithuanos, Polonos, aut illorum imperio subjectos, Moscoviam venire liberum est. Nam Suetensibus, Livoniensibus, et Germanis ex maritimis civitatibus, Novogardiae duntaxat: Turcis vero et Tartaris Chloppigrod oppido, quo nundinarum tempore diversi homines ex remotissimis locis confluunt, mercaturam exercere ac mercari concessum est. Quando vero Legati ac Oratores Moscoviam proficiscuntur, tum omnes undecunque mercatores in illorum fidem ac protectionem suscepti, Moscoviam et libere et sine portoriis ire possunt, ac etiam consueverunt.

Major pars mercium sunt massae argenteae, panni, sericum. panni sericei et aurei, uniones gemmae, aurum filatum, interdum viles etiam quasdam res suo tempore portant, ex quibus non parum lucri referunt. Saepe etiam accidit, ut rei alicujus desiderio omnes teneantur: quam qui primus attulerit, plus justo lucratur. Dein cum plures mercatores earundem rerum magnam copiam advexerint, tanta nonnunquam utilitas consequitur, ut is qui res suas quamplurima vendiderat, easdem rursus vilescente precio emat, magnoque suo commodo in patriam reducat. Merces vero quae inde in Germaniam portantur, sunt pelles, et cera: in Lithuaniam et Turciam, corium, pelles, et albi longi dentes animalium, quae ipsi Mors appellant, quaeque in mare septentrionali degunt, ex quibus manubria pugionum Turci affabre conficere solent, nostrates piscium dentes esse putant, et nominant. In Tartariam vero sellae, frena, vestes, ecorium: arma autem et ferrum non nisi furtim, aut ex singulari Praefectorum permissione exportantur, ad alia loca intra Orientem et Septentrionem. Panneas tamen et lineas vestes, cultellos, secures, acus, specula, marsupia, aut quid aliud ejusmodi ducunt. Mercantur fallacissime ac dolosissime: nec paucis verbis, ut quidam scripserunt. Quin dum precium afferunt, ac rem minoris dimidio precio in fraudem venditoris licentur: mercatores nonnunquam non uno tantum aut altero mense suspensos ac incertos detinent, verum ad extremam desperationem quosdam perducere solent. Caeterum qui mores illorum tenet, dolosaque verba, quibus precium rei imminuunt, tempusque extrahunt, non curat, aut dissimulat: is res suas sine aliquo dispendio vendit.

Civis quidam Cracoviensis, ducentos centenarios cupri advexerat, quos Princeps emere voluit, et mercatorem tamdiu detinuit, ut is tandem fastidio affectus, rursus versus patriam cuprum reduceret. Porro cum aliquot miliaribus ab urbe abesset, subordinati quidam illum sequuntur, ejusque bona, ac si portorium non soluisset, inhibent, interdicuntque. Mercator reversus Moscoviam, apud consiliarios Principis de injuria sibi illata conqueritur; illi audita causa, mox se ultro constituunt medios: ac negotium sese transacturos, si gratiam petat, pollicentur. Mercator calidus, qui sciebat Principi ignominiosum fore, si ejusmodi merces ex ditione sua reducerentur, ac si non reperiretur quispiam qui tantas merces mercari et exolvere posset, non ullam gratiam petit, sed justitiam sibi administrari postulat. Tandem cum viderent adeo obstinatum, ut qui abduci a proposito non posset, neque illorum dolo aut fraudi cedere vellet, cuprum Principis nomine emunt: ac persoluto justo precio, hominem dimittunt.

Externis singulas res carius vendant: ita ut quae uno ducato alioqui emunt, ea quinque, octo, decem, interdum viginti ducatis indicent. Quanquam ipsi vicissim, aliquandum rem taram ab externis decem, aut quindecim florenis mercentur, quae vix unum aut alterum valet florenum.

Porro contrahendis rebus, si quid forte dixeris, aut imprudentius promiseris, eorum diligenter meminerunt, praestandaque urgent: ipsi

Digitized by Google

vero, si quid vicissim promiserint, minime praestant. Item, quamprimum jurare incipiunt, aut obtestari, scias illico dolum subesse; animo enim fallendi ac decipiendi jurant. Rogaveram quendam consiliarium Principis, ut me in emendis certis pellibus, ne deciperer, juvaret: qui ut facile operam mihi suam erat pollicitus, ita rursum diutius me suspensum tenuit. Voluit proprias mihi obtrudere pelles; ad haec alii ad illum concurrebant mercatores, praemia pollicentes, si eorum merces bono mihi venderet precio. Ea est enim mercatorum consuetudo, ut in emptione ac venditione medios se constituant, atque utrique partium acceptis separatim muneribus, operam suam fidelem polliceantur.

Est ampla et murata domus non longe ab arce, Curia dominorum mercatorum dicta, in qua habitant mercatores, mercesque suas reponunt: ubi sane piper, crocus, sericii panni, et id genus aliae merces, longe minoris quam in Germania, venduntur. Nam dum Mosci pelles alioqui vili precio comparatas, plurimi aestimant: externi vicissim, forte illorum exemplo, merces suas parvo quoque emptas opponunt, cariusque indicant; quo fit, ut utrique aequali permutatione rerum facta, res praesertim pro pellibus acceptas, mediocri precio, et sine lucro vendere possint.

Pellium magna est diversitas. Zebellinorum enim nigredo, longitudo et densitas pilorum, maturitatem arguunt. Item si congruo tempore, quod in pellibus aliis pariter observatur, capiantur, precium augent. Citra Ustjug et Dvinam provinciam rarissime, circa Peczoram vero saepius et praestantiores reperiuntur.

Madauricae pelles ex diversis partibus, ex Severa bonae, ex Helvetiis meliores, ex Suetia vero optimae afferuntur. Illic tamen major est copia. Audivi, aliquando Moscoviae repertas Zebellinorum pelles fuisse, quarum aliae 30, aliae vero 20 aureis venditae sunt. At ejusmodi ego nullas potui videre.

Hermelinorum pelliculae ex pluribus pariter locis inversae afferuntur; quibus tamen plerisque emptoribus imponitur. Habent signa quaedam circa caput et caudam, ex quibus agnoscuntur, an congruo tempore sint captae. Nam simul ubi hoc animal captum fuerit, excoriatur, pellisque invertitur, ne attritis pilis deterior fiat. Si quod non suo tempore captum fuerit, pellisque ideo bono ac nativo colore careat, tum ex capite (ut dictum est) et cauda, certos pilos tanquam signa, ne incongruo tempore captum agnoscatur, evellunt, extrahuntque, atque ita emptores decipiunt; singulae autem tribus fere, quatuorve dengis venduntur: paulo ampliores carent ea albedine, quae alioqui pura in minoribus apparet.

Vulpinae, et praesertim nigrae, ex quibus plerumque tegmina capitis facere solent, plurimi fiunt, decem enim nonnunquam 15 aureis venduntur. Aspreolorum pelliculae ex diversis quoque partibus afferuntur, ampliores tamen ex Sibir provincia: nobiliores vero aliis quibuslibet, ex Schvuaij, non longe a Cazan. Porro ex Permia, Viatka, Ustjug et Vologda, fasciculis semper 10 numero colligatae afferuntur: quarum in singulis fasciculis duae sunt optimae, quas Liczschna appellant: tres aliquanto deteriores, quas Crasna vocant: quatuor, quas Procrasna: una, et ea quidem ultima, Moloischna dicta, omnium est vilissima. Harum singulae una, aut duabus dengis emuntur. Ex his meliores et selectas, in Germaniam et alias provincias, mercatores magno suo commodo portant.

Lyncium pelles, parvi: luporum vero, ab eo tempore quo in Germania ac Moscovia in precio esse coeperunt, plurimi fiunt. Luporum praeterea terga longe in minore, quam apud nos, sunt precio.

Castorum pelles apud illos habentur in magno precio: omnesque juxta ex his, quod nigro, eoque nativo sint colore, fimbrias vestium habent.

Pellibus domesticorum catorum, mulieres utuntur. Est quoddam animal, quod gentili lingua Pessetz vocant: hujus pelle, quod plurimum caloris adferre corpori solet, in itinere, seu profectionibus utuntur.

Vectigal, seu portorium omnium mercium, quae vel importantur, vel exportantur, in fiscum refertur. De qualibet re, aestimatione unius rubli, penduntur septem dengae: extra ceram, de qua non solum juxta aestimationem, sed pondus quoque, vectigal exigitur. De quolibet autem pondere, quod gentiliter Pud appellant, quatuor dengae penduntur.

De mercatorum itineribus, quibus in importandis ac exportandis mercibus, ac per diversas Moscoviae regiones utuntur, infra in Chorographia Moscoviae, copiose explicabo.

Usura communis est: quam licet magnum peccatum esse dicant, ab ea tamen nemo fere abstinet. Est autem quodammodo intolerabilis, nimirum de quinque semper unum: hoc est, de centum viginti. Ecclesiae mitius, ut dictum est, videntur agere, quae decem procentum (ut vocant) accipiunt.



Digitized by Google

# CHOROGRAPHIA.

PRINCIPATUS ET DOMINII MAGNI DUCIS MOSCOVIAE.

Urbs Moscovia itaque, Russiae caput et metropolis, ipsaque provincia, et qui hanc praeterlabitur fluvius, unum idemque nomen habent, vernaculaque gentis lingua Moscva appellantur. Quod nam autem caeteris nomen praebuerit, incertum. Verisimile tamen est, ea a fluvio nomen accepisse. Nam etsi urbs ipsa olim caput gentis non fuerit, Moscorum tamen nomen veteribus non ignotum fuisse constat. Porro Moscva fluvius in Tverensi provincia, 70 fere supra Mosaisko verst (est autem verst, Italicum fere miliare) haud procul a loco qui Oleschno dicitur, fontes suos habet: indeque emenso 90 verst spacio ad Moscoviam civitatem decurrit: receptisque in se aliquot fluviis, Orientem versus, Occam fluvium illabitur. Caeterum sex supra Mosaisko miliaribus, primum navigabilis esse incipit: quo loco materia ad fabricandas domos, aliosque usus ratibus imposita, Moscoviam defertur. Infra autem civitatem merces aliaque quae ab externis hominibus importantur, navibus advehuntur. Tarda autem in fluvio, atque difficilis, propter gyros, seu macandros, quibus multis incurvatur, navigatio est: praesertim inter Moscoviam et Columnam civitatem, tribus ab ejus ostiis passuus millibus in littore sitam: ubi 270 verst spacio, flexionibus multis longisque navigantium cursum impedit atque remoratur. Fluvius non admodum piscosus, ut qui praeter viles et vulgares, nullos pisces habeat. Moscovia quoque provincia, nec lata nimis, nec fertilis est: cujus foecunditati, ager ubique arenosus, qui mediocri siccitatis aut humiditatis excessu segetes enecat, plurimum obest. Accedit ad haec, admoderata asperaque nimis aeris intemperies, qua hyemis rigore solis calorem superante, sata quandoque ad maturitatem non perveniunt. Etenim tam intensa ibi nonnunqnam sunt frigora, ut quemadmodum aestatis tempore apud nos aestu nimio, sic ibi frigore immenso terra in hiatum discedat: aqua etiam tum in aerem effusa, sputum que ex ore projectum, antea quam terram contingat, congelantur. Nos ipsi, sum anno 1526 eo pervenissemus ramos fructiferarum arborum, rigore hyemis anni praecedentis prorsus periisse vidimus: quae eo anno adeo dura fuit, ut complures veredarii (quos ipsi Gonecz vocant) in vehiculis gelu concreti, reperti sint. Fuere qui tum pecora Moscoviam, funibus alligata, ex proximis pagis ducerent: vique frigoris oppressi, una cum pecoribus perierunt. Praeterea multi circulatores, qui cum ursis, ad choreas edoctis, in illis regionibus vagari solent, tum mortui in viis reperti sunt. Quin et ursi ipsi, fame eos stimulante, relictis sylvis, passim per vicinas villas discurrebant, in que domos irruebant: quorum conspectum atque vim cum rustica turba fugeret, frigore foris misere peribat. Atque tanto frigori, aestus quoque nimius quandoque respondet, ut anno Domini 1525, quo immoderato solis ardore, omnia fere fata exusta fuerunt, tantaque annonae caritas eam siccitatem consecuta est, ut quod tribus antea dengis emebatur, id 20 aut 30 post emeretur plurimi pagi et sylvae, frumentaque nimio aestu incensa conspiciebantur. Quorum fumus ita regionem oppleverat, ut prodeuntium hominum oculi graviter fumo laederentur: et absque fumo caligo quaedam oboriebatur, quae multos obcae caverat.

Totam porro regionem non ita diu admodum sylvosam fuisse, ex magnarum arborum truncis, qui etiamnum extant, apparet: quae quamvis agricolarum studio ac opera satis culta sit, iis tamen quae in agris proveniunt exceptis, reliqua omnia ex circumjacentibus provinciis eo afferuntur, nam frumento quidem, oleribusquo communibus abundat: cerasa dulciora, nucesque (avellanis tamen exceptis) in tota regione non reperiuntur. Aliarum arborum fructus habent quidem, verum insuaves. Melones autem singulari cura ac industria seminant; terram fimo permixtam in areolas quasdam altiores componunt, inque eas semen condunt: hac arte calori ac frigori immoderato aeque succurritur. Nam si forte aestus nimius fuerit, rimulas tanquam spiracula quaedam, ne semen calore nimio suffocetur, per fimum terrae mixtum faciunt: in frigore vero nimio, laetaminis calor seminibus reconditis praestat auxilium.

Melle Moscovia provincia, ferisque (leporibus tamen exceptis) caret. Animalia nostris longe minora sunt, neque tamen cornibus (ut quidam scripsit) carent. Vidi enim ibi boves, vaccas, capras, arietes, cornuta omnia. Jam vero civitas Moscovia, inter alias civitates Septentrionales, Orientem versus multum porrigitur: quod nobis in profectione nostra, observatu haud difficile fuit. Nam cum Vienna egressi, recti Cracoviam, atque inde centum fere Ger. miliarium itinere, in Septentrionem

Digitized by Google

progressi fuissemus, itinere tandem in Orientem reflexo, Moscoviam, si non in Asia, tamen in extremis Europae, qua maxime Asiam contingit, finibus sitam pervenimus. De qua re infra in Tanais descriptione plura dicam. Urbs ipsa lignea est, satisque ampla: quae procul etiam amplior, quam re ipsa sit apparet; nam horti, arcaeque in qualibet domo spaciosae, magnam civitati accessionem faciunt: quam fabrorum, aliorumque opificum igni utentium, in hac civitatis longo ordine protensae aedes, inter quas sunt prata et agri, etiam magis adaugent. Porro non procul a civitate domunculae quaedam apparent, et trans fluvium villae, ubi non multis retroactis annis, Basilius Princeps satellitibus suis novam Nali civitatem (quod eorum lingua Infunde sonat) exaedificavit, propterea quod cum aliis Ruthenis medonem et cervisiam bibere, exceptis paucis diebus in anno, prohibitum sit, iis solis bibendi potestas a Principe sit permissa: atque eam ob rem, ne caeteri illorum convictu corrumperentur, ab reliquorum consuetudine sunt sejuncti. Haud procul ab urbe sunt aliquot Monasteria, quae vel sola procul spectantibus una quaedam civitas esse videntur. Porro vasta civitatis magnitudo facit, ut nullo certo termino contineatur, nec muro, fossa, propugnaculisve commode sit munita. Plateae tamen quibusdam in locis, trabibus per transversum ductis, obstruuntur: adhibitisque custodibus ad primam noctis tacem ita obfirmantur, ut nemini noctu aditus post statam horam illac pateat: post quam qui deprehensi forte fuerint a custodibus, aut verberantur, spolianturque, aut in carcerem conjiciuntur, nisi forte noti honestique viri fuerint. Hi enim a custodibus ad sua deduci solent. Atque tales custodiae quae liber in civitatem patet aditus, locari solent. Nam reliquam urbis partem Moscva alluit, in quem sub ipsa urbe, Jausa fluvius illabitur, qui ob altas ripas raro vadari potest. In hoc molendina complura in publicum civitatis usum constructa sunt; hisque fluviis civitas nonnihil munita esse videtur: quae praeter paucas lapideas aedes, templa et monasteria, prorsus lignea est. Aedium in ea urbe numerum vix credibilem referunt. Ajebat enim sexto ante adventum nostrum in Moscoviam anno, Principis jussu aedes conscriptas fuisse, eorumque numerum 41500 superasse. Civitas haec tam lata ac spaciosa, admodum lutosa est; quamobrem in vicis ac plateis, aliisque celebrioribus locis, pontes passim extructi sunt. Est in ea castrum, ex latoribus coctis constructum, quod ab una parte Moscva, ab altera Neglina flumine alluitur. Neglina autem ex paludibus quibusdam manat, qui ante civitatem circa superiorem castri partem ita obstruitur, ut in stagni formam exeat: indeque decurrens, fossas castri replet, in quibus sunt molendina: tandemque sub ipso castro, ut dixi, Moscvae fluvio jungitur. Castrum autem tanta magnitudine est, ut praeter amplissimas ac magnifice extructas ex lapide Principi aedes, Metropolitanus episcopus, item Principis fratres, Proceres, aliique quam plurimi, spaciosas in eo aedes ligneas habeant. Ecclesiae ad haec in eo multae, ut amplitudine sua civitatis propemodum formam referre videantur. Hoc castrum roboribus tantum initio circumdabatur: atque ad magni Ducis Joannis, Danielis, filii, tempora usque, parvum ac ignobile erat. Is enim Petri Metropolitae suasu, primus sedem Imperii eo transtulit. Nam Petrus amore Alexii cujusdam, qui ibi sepultus claruisse miraculis dicitur, eo loci sedem sibi prius elegerat: eoque mortuo, atque ibidem sepulto, cum ad ejus tumulum miracula pariter fierint, locus ipse religionis ac sanctitatis quadam opinione adeo celebris factus est, ut posteri Principes omnes, Joannis successores, ibi imperii sui sedem habendam esse duxerint, Nam mortuo Joanne, ejusdem nominis filius, sedem ibi retinuit: ac post eum Demetrius, post Demetrium Basilius, is qui ducta Vitoldi filia, Basilium Caecum post se reliquit. Ex quo Joannes, ejus Principis pater, apud quem Oratorem ego (qui primus castrum muro cingere coepit) natus est: cui operi tricesimo ferme anno post, supremam manum ejus posteri imposuere. Ejus castri propugnacula basilicae, cum Principis palatio, ex latere ab hominibus Italis, quos propositis magnis praemiis Princeps ex Italia evocaverat, Italico more exta sunt. Multae autem, ut dixi, in hoc sunt ecclesiae, ligneae ferme omnes: duabus tamen insignioribus, quae ex lateribus extructae sunt, exceptis: quarum altera divae Virgini, altera divo Michaeli est sacra. In templo divae Virginis sepulta sunt duorum Archiepiscoporum corpora, qui, ut Principes eo suam Imperii sedem transferrent, ibique Metropolim constituerent, autores fuere: eamque maxime ob rem in divorum numerum sunt relati. In altero templo principes vita defuncti humantur. Construebantur, nobis praesentibus, plura etiam templa ex lapide. Regiones coelum adeo salubre est, ut ibi ultra Tanais fontes, praesertim in Septen-

Digitized by Google

trionem, ac etiam magna ex parte Orientem versus, memoria hominum, nulla unquam pestis saevierit. Habent tamen interdum intestinorum et capitis morbum quendam, pesti haud dissimilem, quem ipsi Calorem appellant, eo qui corripiuntur, paucis diebus pereunt. Is morbus in Moscovia nobis existentibus, grassabatur, unumque ex familiaribus nostris absumpsit, atque cum in tam salubri regione degant, si quando in Novogardia, Smolensko, et Plescovia pestis saevit, quos libet illinc ad se venientes, regione sua metu contagii excludunt.

Gens Moscoviae caeteris omnibus astutior et fallacior esse perhibetur, fluxa in primis in contractibus fide: cujus rei ipsi haud ignari, si quando cum externis commercia habent, quo majorem fidem obtineant, non Moscovitas se, sed advenas esse simulant.

Longissimus in Moscovia dies in solsticio aestivali 17 horarum, cum tribus quartalibus, esse dicitur. Certam poli elevationem tum ex nemine potui cognoscere: quamvis quidam 58 graduum se accepisse, incerto tamen autore, diceret. Ipse tandem facto per Astrolabium periculo, utcumque solem nono die Junii in meridie observavi 58 graduum. Ex qua observatione, conputatione hominum harum rerum peritorum, deprehensum est, altitudinem poli 50 graduum esse: longissimum autem diem, 17 horarum, et unius quartalis.

Moscovia loco principali descripta, ad reliquas Magni Ducis Moscoviae subjectas provincias progrediar, ordine primum Orientem versus servato; dein per Meridiem et Occidentem atque Septentrionem circumeuntes, recta in Orientem aequinoctialem deveniemus.

Volodimeria civitas magna primum occurrit, quae castrum ligneum sibi conjunctum habet. Haec a tempore Volodimeri, qui postea Basilius dictus est, usque ad Joannem Daniclis filium, Russiae metropolis fuit. Est autem inter Volgam et Occam, magna duo flumina, triginta sex a Moscovia in Orientem miliaribus Ger. sita, loco adeo fertili, ut ex uno tritici modio saepe 20, nonnunque 30 modii proveniant. Eam Clesma fluvius alluit, caetera sylvae magnae vastaeque cingunt, Clesma porro quatuor a Moscovia miliaribus Ger. oritur, multisque ibi molendinis celebris accommodus est: qui iufra Volodimeriam, usque ad Murom oppidum, in Occae littore situm, spacio duodecim miliaribus navigatur, Occaeque fluvio jungitur. A Volodimeria viginti quator miliarium recta in Orientem, in vastis sylvis principatus olim fuit: cujus populi Muromani vocabantur, animalium, pellibus, melle et piscibus abundantes.

Novogardia inferior civitas, ampla et lingnea, cum castro, quod Basilius praesens monarcha ad Volgae et Occae fluviorum confluxum ex lapide in scopulo exaedificavit. Ajunt quadraginta miliaribus Ger. eam a Murom abesse, in Orientem, quod si ita est, centum miliaribus Novogardia a Moscovia distabit. Regio fertilitate, rerumque copia Volodimeriam aequat. Atque hic Christianae religionis hac quidem parte terminus est, nam licet princeps Moscoviae ultra Novogardiam hanc, castrum, cui Sura nomen est, habeat: tamen interjectae gentes, quae Czeremissae appellantur, non Christianam, sed Mahumeti sectam sequuntur. Porro ibi et aliae gentes sunt, Mordva nomine, Czeremissis permixtae, quae cis Volgam, ad Suram, bonam regionis partem occupant. Czeremissae enim ultra Volgam in Septentrione degunt: ad quorum differentiam, qui circa Novogardiam habitant, Czeremissae superiores, seu montani, non a montibus quidem, qui ibi nulli sunt, sed a collibus potius, quos accolunt, nuncupantur.

Sura fluvius Mosci et Casanensis regis dominium dividit, qui ex Meridie veniens, viginti octo miliaribus infra Novogardiam, cursu in Orientem flexo, Volgam influit, in quorum confluxu, ad alterum littus, jis Basilius princeps castrum erexit, idque a suo nomine Basilovgorod nominavit: quod postea multorum malorum seminarium extitit. Haud procul inde est Moscha fluvius, qui et ipse ex Meridie profluens, Occam supra Murom illabitur, non longe ab oppido Cassimowgorod, quod Moscus Tartaris habitandum concessit. Horum mulieres arte quadam ungues, decoris causa, nigro colore inficiunt: ac aperto capite, passisque crinibus perpetuo incedunt. A Moscha fluvio Orientem et Meridiem versus, ingentes occurrunt sylvae, quas Mordva populi, qui proprio idiomate utuntur, ac Principi Moscoviae subjecti sunt, inhabitant. Eos quidam idololatras, alii Mahometanos esse volunt. Hi in pagis passim habitant, agros colunt, victum ex ferina carne et melle habent, pellibus abundant preciosis: duri in primis homines, nam et Tartaros latrocinantes saepe fortiter a se propulsarunt, fere omnes, arcubus oblongis conspicui, segittandique peritia praestantes.

Rezan provincia inter Occam et Tanaim fluvium sita, civitatem ligneam non longe a ripa Occae habet. Erat in ea castrum, quod Jaros-

Digitized by Google

law vocabatur: cujus nunc, praeter vestigia, nihil extat. Haud procul ab ea civitate, Occa fluvius insulam facit, quae Strub dicitur, magnus olim ducatus, cujus Princeps nemini subjectus erat. Columna ex Moscovia inter Orientem et Meridiem, seu (ut alii volunt) in Orientem hyemalem civitas occurrit. Dein Rezan, quae a Moscovia triginta sex miliaribus Ger. distat. Haec provincia caeteris omnibus Moscoviae provinciis fertilior est: in qua, ut ajunt, singula grana frumenti binas quandoque, plures ve spicas proferunt: quarum culmi tam dense accrescunt, ut nec equi facile transire, nec coturnices inde evolare possint. Mellis, piscium, avium, ferarumque ibi magna copia, arborumque fructus longe Moscoviae fructibus nobiliores: gens audacissima, bellicosissimaque.

Ex Moscovia ad hoc usque castrum, ultraque spacio 24 fere milliarium Ger. fluit Tanais, loco qui Donco dicitur: ubi mercatores in Asoph, Capham, et Constantinopolim euntes, naves suas onerant: quod plerunque fit in autumno, pluviosa anni parte, nam Tanais ibi aliis anni temporibus non ita aquis abundat, ut oneratas naves bene ferre queat. Dominabatur Rezan quandoque Basilius magnus dux, qui sororem Joannis Basilii magni ducis Moscoviae duxerat, ex ea que Joannem et Theodorum susceperat. Mortuo Basilio, Joannes filius succedit: qui ex uxore Knes Theodori Babicz filia, Basilium, Theodorum et Joannem filios genuit, ex quibus mortuo patre, maximi natu duo filii, dum quisque sibi imperium vendicare nititur, in campis Razanensibus congressi, armis decertarunt: in qua pugna alter occubuit, nec multo post, qui victor fuerat, in eisdem campis moritur, in cujus rei memoriam, signum crucis, ex robore ibi erectum est. Minimus natu, qui ex tribus fratribus adhuc supereat, cognita fratrum suorum morte, adjunctis sibi Tartaris, principatu, pro quo fratres decertaverunt, quemque mater adhuc possidebat, vi potior: quibus peractis, cum Duce Moscoviae agit, ut quemadmodum majores sui nemini obstricti, cum principatum libere tenuissent, posse dicentque, ita se quoque imperare siueret. Dum haec pacisceretur, ad magnum Principem delatus est, quod regis Tauricae, quo cum Principi bellum erat, filiam uxorem expeteret, quam ob rem cum a Principe vocatus fuisset, metu adventum tardat, protrahitque tandem a Simeone Crubin, uno ex consiliariis suis persuasus, in Moscoviam proficiscitur, ubi Principis jussu captus, liberis custodiis mandatur. Subinde Princeps matre illius ejecta, et in monasterium intrusa, castrum cum principatu occupat: et ne aliqua quandoque secessio Rezanesium fieret, bonam eorum partem per diversas distribuit colonias, qua re totius principatus vires labefactatae corruerunt. Porro cum anno Domini 1521 Tartari prope Moscoviam castra posuissent, Joannes per tumultum e custodia elapsus, in Lithuaniam profugit: ubi etiam tum exulabat.

Tulla oppidum quadraginta fere miliaribus Ger. a Rezan distat, a Moscovia vero in Meridiem triginta sex: estque ultimum oppidum ad campestria deserta, in quo Basilius Joannem castrum ex lapide construxit, quod fluvius ejusdem nominis praeterlabitur, Uppa vero alius fluvius, ab ortu castrum alluit: Tullaeque fluvio junctus, Occam supra Vorotinski viginti fere miliaribus Ger. influit, a cujus ostiis haud ita procul, Odojew castrum situm est. Porro oppidum Tulla, etiam Basilii tempore proprium principem habebat.

Tanais fluvius famosissimus, qui Europam ab Asia disterminat, octo ferme a Tulla in Meridiem miliaribus nonnihil in Orientem deflectendo, oritur, non ex Ripheis montibus, ut quidam prodidere: sed ex Ivanovoosero, hoc est, Joannis lacu ingenti, qui in longitudine et latitudine circiter 1500 verst patet: inque sylva, quam quidam Okonitzkilies, alii Jepiphanovlies appellant, ortum habet. Ex hoc lacu Schat et Tanais. magna duo flumina, emergunt, Schat in Occidentem, Uppa fluvio in se recepto, Occam inter Occidentem et Septentrionem influit. Tanais autem primo cursu recta in Orientem fluit, atque inter Cazan et Astrachan regna sex vel septem miliaribus Ger. a Volga fluvio labitur: dein reflexo in Meridiem curu paludes facit, quas Maeotidis vocant. Ad ejus porro fontes proxima civitas est Tulla, supra ostia vero tribus fere in littore miliaribus Asoph civitas, quae prius Tanas vocabatur, supra hanc quatuor dierum itinere Aebas oppidum est, ad eundem fluvium situm, quem Rutheni Don appellant. Hunc ab optimorum piscium copia singulari, item amoenitate, quod utraque fluminis ripa diversis herbis, radicibusque suavissimis, ad haec arboribus fructiferis plurimis, variisque in modum horti, quasi industria quadam exculta atque consita sit, satis laudare non possunt. Et quod tanta ferarum, quae parvo negotio sagittis conficiuntur, ibi sit copia: ut per ea loca iter facientes, ad vitam sustentandam nulla alia

Digitized by Google

re, igni tantum salequc excepto, indigeant. In his partibus non miliaria, sed dierum itinera observantur. Ego quantum conjectura assequi potui, a fontibus Tanais ad ejus ostia usque, terrestri itinere recta eundo, sunt octaginta fere milliaria Ger. A Donco, quo loco Tanaim primum navigabilem esse dixi, vix viginti diebus navigando, pervenitur Asoph, civitatem Turcis tributariam: quae quinque, ut ajunt, diaetis ab Isthmo Tauricae, quem alias Praecop vocant, distat. In ea multarum ex diversis orbis partibus gentium insigne est emporium: quo ut omnibus, cujuscunque nationis sint, liber patet accessus, libera etiam vendendi emendique cuilibet datur copia: ita civitate egressis omnibus quidlibet impune facere licet. De aris autem Alexandri et Caesaris, quas plerique scriptores in his locis fuisse commemorant, vel earum ruinis, nihil certi ex indigenis, aliisque qui ea loca saepissime peragrarunt, cognoscere potui. Milites quoque, quos Princeps ad Tartarorum excursiones explorandas, et coercendas, quotannis ibi in praesidiis habere solet, super hac re a me interrogati, nihil se unquam tale vel vidisse, vel audivisse responderunt. Circa ostia tamen minoris Tanais. quatuor ab Asoph diaetis, juxta locum Velikijperevoz ad S. montes, statuas imaginesque quasdam marmoreas et lapideas vidisse se, non negabant. Minor porro Tanais in Severski principatu oritur, unde Donetz Severski vocatur, tribusque diaetis supra Asoph in Tanaim illabitur, Caeterum qui ex Moscovia in Asoph terrestri itinere proficiscuntur, hi Tanai, circa Donco, vetus et diritum oppidum, trajecto a meridie nonnihil in orientem reflectuntur: quo loci, si recta ab Tanais ostiis linea ad ejus fontes ducatur, Moscoviam in Asia, non in Europa sitam reperies.

Msceneck palustris locus est, in quo olim castrum erat, cujus etiamnum vestigia extant. Circa hunc locum adhuc quidam in turguriolis habitant, qui necessitate imminente, in paludes illas, seu castrum refugiunt. Ex Moscovia in Msceneck, meridiem versus eundo, sexaginta fere miliaria Ger. sunt: ex Tulla fere triginta A Msceneck decem et octo fere miliaribus ad partem sinistram, Occa fluvius oritur: qui primum in Orientem, dein in Septentrionem, postremo in Orientem aestivalem (ut ipsi vocant) cursum suum dirigit; atque ita Occa, Msceneck forma circuli propemodum dimidiati claudit: multaque subinde oppida, Vorotin scilicet, Coluga, Cirpach, Corsira, Columna, Rezan, Casimowgorod, et Murom alluit: tandemque Volgam infra Novogardiam inferiorem ingreditur, sylvisque utrinque clauditur, quae melle aspreolis, hermelis et martibus plurimum abundant. Campi omnes quos alluit, fertilissimi sunt: nobilissimus inprimis piscium copia fluvius, cujus pisces caeteris Moscoviae fluminibus praeferuntur, maxime qui circa Murom capiuntur. Habet praeterea pisces quosdam peculiares, quos ipsi sua lingua vocant Beluga, mirae magnitudinis, sine spinis, capite et ore amplo, Sterlet, Sevruga, Osseter: postrema tria Sturionum genera: et Bielaribitza, hoc est, album pisciculum nobilissimi saporis; horum maximam partem ex Volga eo devenire putant. Ex Occae porro fontibus duos alios fluvios oriri ajunt, Sem et Schosna: quorum Sem, Severa principatum perfluit: oppidumque Putivlo praeterlapsus, in Desna fluvium, qui Czernigow oppidum interlabitur, atque infra Kioviam in Borysthenem fertur, influit: Schosna autem recta in Tanaim defertur.

Corsira in ripa Occae fluminis oppidum est, sex miliaribus supra Columnam. Habebat aliquando sui juris dominum: qui cum ad Principem Basilium, tanquam qui in necem ejus conspirasset, delatus fuisset, eamque ob rem sub venationis praetextu a Principe vocatus fuisset, ille que armatus (nam a quodam, ne inermis iret, admonitus fuerat) cum ad Principem in venatione venisset, neque tum admissus esset, sed cum Michaele Georgii Principis Secretario ad vicinum oppidum Czirpach ire, ibique se operiri jussus esset: ubi a Principis Secretario ad bibendum invitatus, idque (ut solet) pro Principis sui incolumitate, cum in eas insidias quas nullo modo evitare posset, se prolapsum esse sentiret: accersito sacerdote, haustoque poculo moritur; atque ita nephario hoc facinore, Basilius Czirpach oppido, octo miliaribus a Corsira ad Occam fluvium sito, ubi etiam loco plano minerae ferri effodiuntur, potitus est.

Coluga oppidum ad Occam fluvium triginta sex miliaribus a Moscovia abest, quatuordecim a Czirpach. Fiunt ibi affabre caelata pocula lignea, aliaeque e ligno res ad cultum domesticum pertinentes: quae inde in Moscoviam, Lithuaniam, aliasque circumjacentes regiones passim deferuntur. Solet ibi Princeps quotannis praesidia sua contra incursiones Tartarorum habere.

Vorotin principatus eiusdem nominis, cum

Digitized by Google

civitate et castro, tribus supra Colugam miliaribus, non procul a littore Occae sito, nomen habet. Hunc principatum Joannes Knes Worotinski cognomento possidebat, vir bellicosus, ac multarum rerum experientia excellens, quo duce Basilius princeps praeclaras saepe ex hostibus victorias reportaverat. Sed anno 1521, quo tempore rex Tauricae Occa trajecto, magno exercitu Moscoviam, ut supra dictum est, invaserat, ad eumque coercendum et reprimendum Demetrius Knes Bielski, homo juvenis, cum exercitu a Principe missus fuisset, isque Joannis Worotinski, aliorumque sanis consiliis neglectis, viso hoste turpi se fugae mandasset: Principeque post Tartarorum discessum, de fugae autoribus diligenter inquirente, Andrea Principis fratre (qui revera eius fugae autor fuerat) aliisque absolutis, Joannes Worotinski non solum in summam venit Principis indignationem, sed captus etiam, atque principatu suo exutus est. Postremo dimissus quidem fuit ex custodia, ea tamen conditione, ne Moscovia unquam egrederetur. Hunc nos quoque inter primarios viros Moscoviae, in aula Principis vidimus.

Severa magnus principatus est, cujus castrum Novogrodek, haud ita diu Severensium principum, priusquam hi ab Basilio principatu exuerentur, sedes erat; eo ex Moscovia dextrorsum in Meridiem, per Colugam, Worotin, Serensko et Branski, centum quinquaginta miliaribus Ger, pervenitur: cujus latitudo ad Borysthenem usque protenditur. Vastos desertosque passim campos habet: circa Branski autem sylvam ingentem. Castra oppidaque in eo sunt complura; inter quae Starodub, Putivlo, Czernigow, celebriora sunt. Ager quatenus colitur, fertilis est. Sylvae hermellis, aspreolis et martibus, melleque plurimum abundant. Gens propter assidua cum Tartaris praelia, valde bellicosa. Caeterum Basilius Joannis, ut alios plerosque, ita hunc quoque principatum sibi subjecit, hoc modo. Erant duo Basilii ex fratribus nepotes: horum alter cognomento Semeczicz, castrum Novogrodek: alter vero Staradub civitatem tenebat. Putivlo autem Demetrius quidam Princeps possidebat. Porro Basilium Semeczicz, cum strenuus in armis, eamque ob rem Tartaris terrori esset, tanta regnandi libido invaserat, ut principatum solus expeteret; neque quievit, donec Basilium Staradubski afflictissimum redderet: eoque depulso, provinciam suam occuparet; quo ejecto, Demetrium alia via aggressus est: quem apud Principem detulit, tanquam qui animum deficiendi a Principe haberet. Qua re Princeps commotus, Basilio mandat, uti Demetrium, quacunque arte captum, ad se Moscoviam mitteret. Hujus itaque fraude Demetrius in venatione circumventus fuit. Praemiserat enim Basilius equites quosdam ad castri sui portas, qui eum fuga evadere conantem exciperent, a quibus tum captus, in Moscoviam deductus, atque in vincula conjectus fuit. Hanc injuriam filius, quem unicum habebat, Demetrius, adeo moleste tulit, ut ad Tartaros confestim confugeret. Utque patri illatam injuriam celerius graviusque ulcisceretur, Christiana fide abnegata, in Mahumeti ritum circumditur. Interim dum apud Tartaros ageret, accidit, ut puellam quandam venustissimam deperiret: qua cum alias potiri non posset, invitis eam parentibus clam abduxit. Eam rem servi, qui cum eo circumcisi fuerant, puellae propinquis clam indicarunt: a quibus quadam nocte subito oppressus, cum puella sagittis conficitur. Basilius Princeps audita filii ipsius Demetrii fuga ad Tartaros, senem arctioribus vinculis constringi jubet; qui non multo post morte filii apud Tartaros cognita, carcere moeroreque confectus, eodem anno qui a nato Christo 1519 erat, obiit. Atque haec omnia Basilio Semeczicz autore facta sunt: cujus impulsu antea quoque Princeps et Corsirae dominum, et germanum suum fratrem, captos in carcere occidit. Caeterum quemadmodum saepe fieri solet, ut qui aliis insidias struunt, in easdem tandem ipsi incidant: ita et huic Semeczicz contigit. Nam ipse quoque apud Principem defectionis crimine insimulatus est. Eam ob rem cum Moscoviam vocatus fuisset, illeque nisi publicae fidei literae Principis et Metropolitae juramento confirmatae, sibi prius mitterentur, eo se venturum pernegaret: missis acceptisque ex sententia literis, 19 Aprilis, 1523 anni Moscoviam cum venisset, honorifice muneribus etiam oblatis a Principe exceptus fuit: sed paucos post dies captus, in carcerem conjicitur, ubi et tunc detinebatur. Causam captivitatis suae hanc fuisse ajunt, quod literas ad regem Poloniae, quibus se ad eum deficere velle scripserat, praefecto Kioviensi misisset: qui resignatis literis, cum iniquum ejus erga principem suum animum cognovisset, continuo eas Principi Moscoviae misit. Alii vero rationem magis verisimilem afferunt. Solus enim Semeczicz in toto Mosci Imperio superat, qui castra et principatus possidebat: quibus, ut facilius hunc ejiceret,

Digitized by Google

tutiusque imperaret, perfidiae crimen, quo ille e medio tolleretur, in illum excogitatum est. Ad quod alludens morio quidam, quo tempore Semeczicz Moscoviam ingrediebatur, scopas et palam circumferebat; qui cum interrogaretur, quid sibi hoc apparatu vellet? Imperium principis nondum prorsus purgatum esse, respondit: nunc vero commodum tempus verrendi adesse, quo feces omnes ejiciendae forent. Hanc provinciam Joannes Basilii, Alexandri magni Ducis Lithuaniae exercitu ad Vedrosch fluvium profligato, primus imperio suo adjecit. Porro Severenses principes genus suum a Demetrio magno Duce Moscoviae ducunt. Erant Demetrio filii tres, Basilius, Andreas, et Georgius. Ex his Basilius natu maximus, juxta patrias leges, patri in regno successit. Ex aliis duobus, Andrea videlicet et Georgio, Severenses principes generis sui originem traxerunt.

Czernigow triginta miliaribus a Kiovia, totidem vero a Putivlo abest. Putivlo vero distat a Moscovia centum quadraginta miliarib. Ger. a Kiovia sexaginta, a Branski triginta octo. Haec ultra sylvam magnam, quae viginti quatuor miliaribus in latitudinem protenditur, sita est,

Novogrodek decem octo miliaribus distat a Putivlo, a Staradub quatuordecim: Staradub a Potivulo triginta duobus miliaribus.

Euntibus ex Putivlo in Tauricam, per solitudinem fluvii Sna, Samara et Ariel occurrunt: ex quibus posteriores duo latiores, profundioresque suut: in quibus trajiciendis dum viatores diutius nonnunquam detinentur a Tartaris saepe circumveniuntur, capiunturque; post hos Konskavoda et Moloscha fluvii occurrunt, quos novo quodam trajectionis genere superant: resectas arbusculas in fasces colligant, quibus se suaque imponunt, atque ita remigantes secundo fluvio in alterum littus deferuntur. Alii hujusmodi fasces equorum caudis alligant, qui flagris impulsi, natantes in ulterius littus, homines secum trahunt, transferuntque.

Ugra fluvius profundus et lutosus, non longe a Drogobusch in sylva quadam oritur, interque Colugam et Vorotin in Occam exonoratur. Is fluvius olim Lithuaniam a Moscovia dividebat.

Demetrovitz oppidum et castrum inter Meridiem et Occidentem, decem et octo miliaribus abest a Viesma, a Vorotin circiter viginti.

Smolensko civitas Episcopalis, ad Borysthenem fluvium sita, castrum in ulteriore fluminis littore Orientum versus habet, roboribus constructum, quod plurimas domos in civitatis formam complectitur. Hoc qua in collem porrigitur (nam parte alia Borysthene alluitur) fossis, ad haec stipitibus acutis, quibus hostium incursus arcetur, munitum: Basilius Joannis saepius gravissimo oppugnavit, nunquam tamen illud vi capere potuit. At postremo militum, praefectique cujusdam Bohemi, de quo supra in historia Michaelis Linski dictum, proditione eo potitus est. Civitas in valle sita, colles circumquaque fertiles habet, sylvisque vastissimis cingit, ex quibus pellium diversa rummagnus proventus. Templum in castro divae Virgini sacrum, alia vero aedificia lignea: in civitatis suburbio Monasteriorum e lapidibus constructorum ruinae complures videntur. Ex Moscovia Porro ad Smolenskum, inter Meridiem et Occidentem euntibus, decem et octo miliarium itinere, Mosaisko primum occurrit: inde viginti sex, Viesma: post decem et octo, Drogobusch: atque inde totidem, in Smolensko pervenimus, totumque hoc iter octaginta miliaribus Ger. constat: quamvis Lithuani et Moscovitae centum computent. Ego tamen ter loca illa peragravi, nec plura observavi. Hunc principarum Basilio imperante, Vitoldus magnus Dux Lithuaniae Moscis anno 1413 ademerat. Eundem Basilius Joannis anno 1514, die 30 Julii, Sigismundo regi Poloniae eripuit.

Drogobusch et Viesma, castra et oppida lignea sunt, ad Borysthenem sita, quae olim sub domino Principum Lithuaniae erant. Est sub oppido Viesma ejusdem nominis fluvius, qui haud procul inde, duobus videlicet verst, in Borysthenem fertur: solentque oneratae mercibus naves inde Borysthenem devehi, atque post vicissim adverso Borysthene Viesmam usque portari.

Mosaisko quoque castrum et oppidum ligneum, circa quod magna diversicolorum copia leporum est: soletque Princeps quotannis venationes suas ibi habere, atque nonnunquam diversorum Principum Oratores audire: sicuti nobis in Moscovia existentibus. Lithuanos Oratores audivit: nosque eo pariter ex Moscovia accersitos, ubi mandatis Principum nostrorum confectis dimissi fuimus. Porro imperium principum Moscoviae, tempore Vitoldi, quinque aut sex miliaribus ultra Mosaisko protendebatur.

Biela principatus, cum castro et civitate ejusdem nominis, ad fluvium Opscha, in vastis sylvis sexaginta miliaribus Ger. magis in Occideniem a Moscovia distat: a Smolensko

Digitized by Google

triginta sex, a Toropetz triginta. Hujus olim Principes ex Gedimino oriundi erant: sed Casimiro rege Poloniae imperante, Jagellonis filii hunc principatum obtinebant; quo tempore, Basilius princeps Bielae, qui alias Bielski appellatur, ad Joannem patrem Basilii defecit, se suaque illi subdidit: uxoreque sua in eo motu in Lithuania relicta, aliam, ut supra dictum est, in Moscovia duxit: ex qua tres suscepit filios, quos nos apud Principem vidimus, e quorum numero Demetrius propter patris sui auctoritatem in magno precio honoreque habebatur. Porro hi tres fratres, quamvis ex Bielski paterna haereditate vivebant, ejusque annuis redditib. alebantur, eo tamen ire non audebant; nam Moscoviae princeps, Bielski principatum illis ademit, titulumque sibi usurpabat.

Rsova Demetrii civitas, cum castro, recta in Occidentem viginti tribus miliaribus abest a Moscovia: castrum, a quo Princeps titulum sibi usurpat, ad fluvium Volga situm est, habetque latissimam ditionem. Est et alia Rsova centum quadraginta miliaribus a Moscovia, a Velikiluki viginti, totidem a Plescovia, quae deserta appellatur. Ultra Rsovam Demetrii, per certa miliaria progrediendo in Occidentem, est sylva Volkonski dicta, ex qua quatuor fluvii oriuntur. In ea sylva est palus, quae Fronow vocatur: ex qua fluvius non ita magnus duobus fere miliaribus in lacum quendam Volgo influit: unde rursus aquarum multitudine adauctus emergit, Volgaque sumpto a lacu nomine vocatur: qui multis paludibus emensis, multis etiam fluminibus in se receptis, viginti quinque, vel (ut alii volunt) septuaginta ostiis in mare Caspium, a Ruthenis Chvalinsko morie appellatum, et non in Pontum, ut quidam scripsit, exoneratur. Porro Volga a Tartaris Edel, a Ptolemaeo Rha vocatur: tantaque inter hunc et Tanaim in campestribus est vicinitas, ut septem duntaxat miliaribus distare affirment. Quas autem civitates et oppida praeterlabatur, suo loco referemus. In eadem sylva decem fere a palude Fronowo miliaribus est Dniepersko pagus: circa quem oritur Borysthenes, qui ab incolis Dnieper vocatur, quem nunc Borysthenem dicimus. Haud procul ab eo loco est monasterium sanctae Trinitatis, ubi oritur alius fluvius priore major, Niepretz per diminutionem dictus. Ambo autem hi fluvii inter fontes Borysthenis et paludem Fronowo confluunt, quo loco Moscovitarum et Chloppiensium merces navibus impositae, in Lithuaniam deferuntur: solentque mercatores ibi in monasterium seu diversorium divertere. Porro quod Rha et Borysthenes non ex iisdem fontibus, juxta quorundam opinionem, oriantur, cum ex aliis, tum ex complurium mercatorum certa relatione, qui in illis partibus rem fecerunt, compertum habeo. Borysthenis autem cursus hic est, ut primum Viesmam Meridiem versus alluat: mox reflexo in Orientem cursu, oppida Drogobusch, Smolensko, Orscham, et Mogilew praeterlabatur: indeque rursus in meridiem tendens, Kioviam, Circassos et Oczakow contingit; ubi deinceps in pontum exoneratur, videtur eo loco mare formam lacus habere: et Oczakow quasi in angulo est ad ostia Borysthenis. Nos enim ex Orscha in Smolensko venimus, ubi impedimenta nostra navibus usque Viesmam deduximus: et tantum inundabat, ut Monachus Comitem a Nugaroli, et me scapha piscatoria per sylvas longe devexerit: equi vero natando pluries superarunt itinera.

Dvina lacus a fontibus Borysthenis decem fere miliaribus, et totidem a palude Fronowo distat. Ex eo fluvius ejusdem nominis versus Occidentem, qui a Vilna viginti miliaribus abest, ac dein in Septentrionem decurrit, et prope Rigam metropolim Livoniae mare Germanicum (quod Rutheni Varezkoie morie vocant) illabitur: alluit Vitepsko, Polocko, Dunenburg: et non perfluit Plescoviam, ut quidam scripsit. Livonienses hunc fluvium ex bona parte navigabilem, Düna appellant.

Lovat quartus fluvius, caeteris tribus minime comparandus, oritur inter lacum Dvina, et paludem Fronowo, aut ex ipsa palude; non potui equidem ejus fontes, etsi haud procul a Borysthenis fontibus distant, prorsus explorare. Est autem ille fluvius, ut eorum Annales habent, in quem S. Andreas apostolus ex Borysthene per siccum naviculam traduxit, et qui emensis quadraginte fere miliaribus, Velikiluki alluit, inque Ilmen lacum influit.

Volok civitas et castrum in Occidentem aequinoctialem viginti quatuor miliaribus distat a Moscovia, a Mosaisko duodecim fere, a Tver viginti. Hujus loci titulum Princeps sibi usurpat, soletque quotannis ibi animum, falconibus lepores insectando, relaxare.

Velikiluki castrum et civitas in Occidentem a Moscovia centum quadraginta miliaribus a Novogardia magna sexaginta fere, a Polocko autem triginta sex miliaribus distat; hac etiam itur ex Moscovia in Lithuaniam.



Digitized by Google

Toropetz est castrum, cum civitate, inter Velikiluki et Smolensko, ad confinia Lithuaniae: distat a Luki decem et octo fere miliaribus.

Tver, sive Otver, amplissima olim ditio, una ex magnis Russiae principatibus ad Volgam fluvium sita, triginta sex miliaribus Occidentem aestivalem versus, distat a Moscovia: habetque civitatem magnam, quam Volga interfluit; in altera autem ripa, qua Tver Moscoviam spectat, castrum habet, ex cujus opposito Tvertza fluvius Volgam influit: quo equidem in Otver navigio perveni, et altero die Rha flu. navigavi. Porro civitas haec Episcopalis sedes erat, viventu Joanne Basilii patre, quo tempore Tverensem Principatum magnus Dux Boris moderabatur. Cujus postea filiam Mariam princeps Moscoviae Joannes Basilii uxorem duxerat: ex eaque Joannem primogenitum, ut supra dictum, susceperat. Boris autem mortuo, Michael filius successit: qui postea a sororio suo magno Duce Moscoviae principatu depulsus, exul in Lithuania moritur.

Torschok oppidum decem mil. a Tver: ejus dimidia pars sub Novogardiae, altera Tverensi domino erat: duoque ibi Locumtenentes imperabant. Oriuntur ibi quoque, ut supra dixi, duo fluvii, Tvertza et Sna: hic Novogardiam in Occidentem, ille in Orientem decurrit.

Novogardia magna, amplissimus tottus Russiae principatus est, patrio sermone Novgorod, quasi Nova civitas, seu Novum castrum dicitur. Quicquid enim muro cinctum, roboribus munitum, aut alio qui septum est, Gorod appellant. Est autem ampla civitas, quam Volchow fluvius navigabilis interfluit, qui ex Ilmen lacu vix duobus verst supra civitatem emergens in lacum Neoa, quem nunc Ladoga, ab oppido quod ei adjacet, appellant, illabitur. Novogardia porro in Occidentem aestivalem, a Moscovia centum viginti miliaribus abest; quanquam sunt qui centum duntaxat computant: a Plescovia triginta sex, a Velikiluki quadraginta, ab Iwanowgorod totidem. Caeterum civitas haec olim dum floreret, suique juris esset, latissimam ditionem in quinque partes distributam habebat: quorum quaelibet pars non solum de publicis ac privatis rebus cognoscendis, ad ordinarium ac competentem suae parris magistratum referebat, verum iu sua duntaxat civitatis regione contrahere res quascunque, ac commode cum aliis civibus suis conficere poterat: nec licebat cuiquam, ad aliquem alium ejusdem civitatis magistratum, quacunque in re provocare. Eoque tempore totius Russiae maximum ibi erat emporium; ingens enim mercatorum turba undique ex Lithuania, Polonia, Suetia, Dania, ipsaque Germania eo confluebat, civesque ex tam frequenti multarum gentium concursu, opes suas copiasque augebant. Quin et nostra tempestate licet Germanis suos ibi habere quaestores, seu rationarios. Imperium ejus magna ex parte in Orientem et Septentrionem extenditur. Livoniam, Finlandiam, atque Nordvegiam fere contingebat. Ejus loci mercatores, cum uno eodemque vehiculo Augusta Vindelicorum profectus eo pervenissem, me impense rogarunt, ut vehiculum quo tam longum iter emensus fuissem, in aede ipsorum sacra perpetuae memoriae ergo relinquerem. Habuit etiam Novogardia principatus ad Orientem, Dvinam et Vologdam: ad Meridiem vero dimidiam partem Torschok oppidi, non longe a Tveria. Et quamvis hae provinciae, quod fluviis et paludibus oppleantur, steriles sint, commodeque habitari non possint: nihilominus ex ferarum pellibus, melle, cera, et piscium copia magnum quaestum faciunt. Principes porro, qui ipsorum Reipub. praeessent, suo arbitrio ac voluntate constituebant, imperiumque augebant, vicinas gentes quavis sibi ratione devinciendo, ac stipendio tanquam autoramento quodam proposito in sui defensionem obstringentes. Ex ejusmodi gentium, quarum opera Novogardenses in conservanda Republica sua utebantur, societate factum est, ut Mosci suos se ibi Praesides habere gloriarentur, Lithuanique vicissim eos sibi tributarios affererent. Hunc principatum dum Archiepiscopus ipse consilio ac auctoritate sua administraret, Joannes Basilii Moscoviae Dux invaserat, septem perpetuos annos gravi eos bello premens. Tandem mense Novembri, anno Domini 1477. ad fluvium Scholona conflictu Novogardenses superans, certis quibusdam conditionibus ad dedi tionem eos compulit, praefectumque suo nomine urbi imposuit. Cum autem absolutum in hosce imperium nondum se habere putaret, neque sine armis id se assequi posse cerneret, sub religionis praetextu, ac si a Ruthenico ritu deficere volentes, in fide contineret, Novogardiam venit, eamque hac simulatione occupavit, inque servitutem redegit: Archiepiscopum, cives, mercateres, externos, omnibus bonis spoliavit: trecentosque currus inde auro, argento, gemmisque onustos, ut quidam scripsere, Moscoviam abduxit. Equidem Mosco-

Digitized by Google

viae diligenter de hac re percontabar, accepique longe plures currus praeda onustos inde abductos fuisse. Neque mirum. Nam capta civitate Archiepiscopum, ditiores et potentiores omnes, secum Moscoviam abduxerat, inque horum possessiones, subditos suos quasi novas colonias remiserat. Ex illorum itaque possessionibus, praeter communes redditus, maximum quotannis vectigal in Fiscum percipit. De Archiepiscopatus quoque proventibus, cuidam Episcopo tum a se constituto, parvam duntaxat reddituum portionem concesserat: quo mortuo, sedes Episcopales diu vacabat. Tandem ad maximam civium ac subditorum petitionem, ne perpetuo Episcopo carerent, rursus quendam, nobis tum praesentibus, instituerat.

Novogardenses olim idolum quoddam, nomine Perun, eo loci quo nunc est monasterium, quod ab eodem idolo Perunski appellatur, collocatum, in primis colebant, venerabanturque. Dein baptismate assumpto, id loco motum, cum in flumen Volchow dejecissent, adverso dicitur fluvio natasse: et circa pontem auditam fuisse vocem, Haec vobis Novogardenses in mei memoriam; simulque cum dicto, fustem quendam mox in pontem projectum fuisse. Solet etiamnum contingere, ut certis annis diebus haec vox Perun audiatur: qua audita, subito ejus loci cives concurrunt, seque fustibus mutuo caedunt; tantusque inde tumultus quoque oboritur, ut vix magno Praefecti labore sedari possit. Accidit praeterea, ut Annales eorum referunt, dum Novogardenses Corsun Graeciae civitatem ad septem perpetuos annos gravi obsidione permerent, interim uxores eorum morae pertaesae, tum etiam de salute ac adventu maritorum dubitantes, servis nuberent. Expugnata tandem civitate, quum victores mariti ex bello reversi, aereas portas superatae urbis, ac magnam quandam campanam, quam ipsi in cathedrali eorum Ecclesia vidimus, secum attulissent: servique dominos, quorum uxores duxerant, vi repellere conarentur: domini indignitate rei commoti, depositis, cujusdam consilio, armis, lora et fustes tanquam in mancipia arriperent: quibus servi territi, inque fugam conversi, loco quodam qui etiamnum Chloppigrod, hoc est Servorum castrum dicitur, se recuperent, defenderentque. Verum victi, meritis a dominis suppliciis aflecti fuere. Habet Novogardia in solstitio aestivali longissimum diem 18 horarum, et ultra. Regio multo frigidior est, ipsa Moscovia. Gentem quoque humanissimam ac honestam habebat: sed quae nunc procul dubio peste Moscovitica, quam eo commeantes Mosci secum invexerunt, corruptissima est.

Ilmen lacus, qui in antiquis Ruthenorum scriptis Ilmer vocatur, et quem alii Limidis lacum appellant, est supra Novogardiam duobus verst: in longitudinem 12, in latitudinem vero 8 milliaribus Germanicis patet: duosque, praeter alios, celebriores fluvios excipit, Lovat et Scholona. Is ex quodam lacu emergit; unum vero emittit Volchow, qui Novogardiam interlabitur: emensisque triginta sex miliaribus, Ladoga lacum ingreditur. Is in latitudinem sexaginta, longitudinem centum fere miliaribus, insulis tamen quibusdam interjectis, patet: effunditque magnum fluvium Neoa, qui occidentem versus in Germanicum mare sex fere mil. decurrit. ad cujus ostia, sub dominio Mosci, in medio flumine situm est castrum Oreschek, quod Germani Nutemburg appellant.

Russ, olim antiqua Russia dicta, antiquum oppidulum est, sub ditione Novogardiae, a qua duodecim, ab Ilmen vero lacu tredecim miliaribus distat. Habet salsum fluvium, quem ampla fossa in modum lacus cives coercent, indeque aquam per canales pro se quisque in aedes suas derivant, salque coquunt.

Iwanowgorod castrum Joannes Basilii, a quo etiam nomen accepit, ad ripam Nervae fluvii, lapide exaedificavit. Est ibi quoque ex adverso in altera ripa Livoniensium castrum, quod ab eodem fluvio Nerva appellatur. Haec duo castra Narva fluvius interlabitur, dominiumque Novogardensium ab Livoniensi dividit. Porro Narva fluvius navigabilis, ex eo lacu quem Rutheni Czudsko, seu Czudin, Latini Bicis, seu Pelas, Germani vero Pejifues appelant, emergit: duobusque in se receptis fluviis, Plescovia et Velikareca, qui venit ex Meridie, Opoczka oppidum Plescovia a dexteris relicta, praeterfluit. Facilis autem ex Plescovia in mare Baltheum esset navigatio, nisi scopuli quidam, non longe ab Iwanowgorod et Nerva, impedimento essent.

Plescovia civitas ad lacum sita est, ex quo ejusdem nominis fluvius emergit, ac per mediam civitatem decurrit sex mil. in lacum, quem Rutheni Czudsko vocant, exoneratur. Sola autem Plescovia, in toto Mosci dominio, muro cingitur: estque in quatuor partes divisa, quarum singulae suis moenibus continentur.

Digitized by Google

Quae res quibusdam occasionem erroris praebuit, ut eam quadruplici muro cincta esse dicerent. Hujus civitatis ditio. seu principatus, gentiliter Pskow, seu Obskow vocatur. Olim amplissima, suique juris erat· sed eam tandem Joannes Basilii anno Domini 1409 quorundam sacerdotum proditione occupavit, atque in servitutem redegit; item campanam, ad cujus pulsum Senatus ad rempublicam constituendam cogebatur, abstulit: ipsisque per colonias alio deductis, introductisque in eorum locum Moscis, libertatem eorum prorsus imminuit. Unde factum, ut pro cultioribus, atque adeo humanioribus Plescoviensium moribus, corruptiores in omnibus fere rebus Moscoviensium mores sint introducti. Tanta enim in contractibus Plescoviensium erat integritas, candor et simplicitas, ut omni verbositate in fraudem emptoris omissa, uno tantum verbo res ipsas indicarent, Plescovienses autem, ut etiam hoc obiter adjiciam, in hunc usque diem caesarie non Ruthenorum, sed Polonorum more, bifurcata utuntur. Distat autem Plescovia in Occidentem triginta sex miliaribus a Novogardia ab Iwanowgorod quadraginta, totidem a Velikiluki, Per hanc quoque civitatem ex Moscovia et Novogardia itur Rigam, Livoniae metropolim, quae sexaginta miliaribus a Plescovia distat.

Votzka regio inter Occidentem et Septentrionem sita, viginti sex, aut ad summum triginta miliaribus abest a Novogardia, inque sinistra castrum Iwanowgorod relinquit. In hac regione hoc prodigii loco refertur: animalia cujuscumque generis in eam inducta fuerint, colorem suum in albedinem mutare. Locus hic postulare videtur, ut rationem locorum et fluviorum circa mare, usque ad fines Suetiae perstringam. Nerva fluvius, quemadmodum supra dixi, Livoniam a Mosci ditione dividit: a quo si ab Iwanowgorod secundum littis maris, Septentrionem versus progrediare, Plussa fluvius occurrit, ad cujus ostia Iamma castrum situm est. Duodecim miliarfbus ab Iwanowgorod, a Iamma totidem, spacio quatuor miliarium, occurrit castrum et fluvius ejusdem nominis Coporja: inde ad fiuvium Neoa, et castrum Oreschek, sex miliaria numerantur: ab Oreschek vero ad fluvium Corela, unde civitas nomen accepit, sunt septem miliaria. Atque inde tandem itinere duodecim miliarium pervenitur ad fluvium Polna, qui dominium Mosci a Finlandia, quam Rutheni Chainska Zemla vocant, quae sub ditione Regum Suetiae est, dividit.

Est et alia Corela praeter jam nominatam, provincia, quae suum territorium atque idioma habet, sexaginta fere et amplius milia ribus a Novogardia in Septentrionem sita. Ea quamvis a finitimis quibusdam gentibus tributum exigit, nihilominus et ipsa regi Suetiae item, et Mosco, ratione dominii Novogardensis, tributaria est.

Solovki insula in Septentrionem, inter Dvinam et Corelam provinciam, a continenti octo miliaribus in mari sita est: quae quantum a Moscovia distet, propter crebras paludes, sylvas, et vastas solitudines, certa intervalli ratio non habetur· Quamvis sint qui eam 300 miliaribus a Moscovia a Bieloosero autem 200 abesse dicant. Sal in ea insula copiosus decoquitur. Estque ibi monasterium, in quod mulierem aut virginem ingredi, grande piaculum est. Est etiam ibi piscatio copiosa piscium, quos indigenae Selgi vocant, quos nos haleces esse putamus. Ajunt hic Solem aestivali Solstitio perpetuo, duabus tantum horis exceptis, splendere.

Dimitriew civitas cum castro, a Moscovia, ab Occidente in Septentrionem parum deflectendo, duodecim miliaribus distat. Hanc Georgius magni Ducis frater, tunc possidebat. Eam Jachroma fluvius, qui Sest fluvium influit, praeterlabitur. Porro Sest Dubnam, qui in Volgam exoneratur, excipit. Unde tanta fluviorum commoditate, magnae ibi mercatorum opes, qui merces ex Caspio mari per Volgam, labore non ita magno, in diversas partes, atque adeo Moscoviam usque inducunt.

Bieloosero civitas cum castro, ad lacum ejusdem nominis sita est. Sonat autem Ruthenis Bieloicosere, albus lacus. Porro civitas non est in ipso lacu sita, ut quidam retulerunt: paludibus tamen ita undequaque cingitur, ut inexpugnabilis esse videant. Qua re ducti Principes Moscoviae, thesauros ibi suos recondere solent. Abest autem Bieloosero in Septentrionem centum miliarib. a Moscovia, totidemque a Novogardia magna. Duae vero viae sunt, per quas ex Moscovia itur Bieloosero; altera propinquior per Uglicz, hyemali tempore, aestate per Jaroslaw altera. Utraque autem via, propter crebras paludes, et sylvas fluviis obsitas, haud commode, nisi stratis pontibus, concretis glacie, conficitur; quo fit, ut ibi locorum difficultate miliaria sint breviora. Accedit

Digitized by Google

ad hanc itineris difficultatem, ut propter crebras paludes, sylvas, ac undique concurrentes fluvios, loca inculta sint, nullisque civitatibus frequentata. Lacus ipse duodecim miliaribus in longitudinem, totidemque in latitudinem patet: in quem trecenti, ut fertur, et sexaginta fluvii exonerantur. Unus aut Schoksna tantum ex eo emergit, qui quindecim miliaribus supra Jaroslaw, et quatuor infra Mologam oppida, Volgam influit. Pisces qui ex Volga in hunc fluvium ac lacum perveniunt, meliores fiunt: imo tanto nobiliores, quanto diutius in eo fuerint, redduntur. In quibus agnoscendis ea est piscatorum peritia, ut pisces in Volgam reversos, captosque, quanto tempore in eo fuerint, agnoscant. Hujus loci indegenae proprium habent idioma: quamvis nunc ferme omnes Ruthenice loquantur. Longissimum hi diem in Solstitio aestivali dicuntur habere, decem et novem horarum. Retulit nobis quidam haud parvi nominis vir, se primo vere, cum arbores jam frondescerent, celeri cursu ex Moscovia Bielooserum contendisse: superatoque Volga fluvio, reliquum itineris, quod omnia ibi nivibus glacieque oppleta essent, vehiculis confecisse, Et quamquam longior ibi hyems sit, fruges tamen eo, quo in Moscovia, tempore et maturescunt, et colliguntur. A lacu Bieloosero, intra teli jactum, est alius lacus sulphur proferens: quod fluvius quidam ex eo manans, seu spumas supernatantes, affatim secum defert. Inscitia tamen populi, ejus ibi nullus usus est.

Uglicz civitas cum castro, ad littus Volgae sita est: distatque a Moscovia viginti quatuor a Jaroslaw triginta, a Tver quadraginta miliaribus. Caeterum haec praedicta castra sunt in meridionali Volgae ripa, civitas vero ex utraque parte.

Chloppigrod locus, in quem Novogardensium servos confugisse supra dixi, duobus miliaribus distat ab Uglicz. Haud procul inde castrum nunc demolitum conspicitur, ad fluvium Mologa, qui ex Novogardiae magnae ditione octoginta miliaribus fluens, Volgam ingreditur: in cujus ostiis est ejusdem nominis civitas et castrum, a quo duobus miliaribus in ejusdem fluminis ripa Chloppigrod ecclesia tantum sita est. Eo loci nundinae in toto Mosci dominio, quarum etiam alias memini, sunt frequentissimae; eo etenim praeter Suetenses, Livonienses, atque Moscovitas, Tartari, aliaeque quam plurimae gentes, ex Orientalibus Septentrionalibusque partibus confluunt, quae rerum tantum permutatione utuntur. Rarus enim, ac ferme nullus apud has gentes est auri, argentive usus. Vestes factas, acus, cultellos, cocleria, secures, aliaque ejusmodi, ut plurimum pellibus permutant.

Pereaslaw civitas et castrum, a Septentrione aliquantum vergens in Orientem, viginti quatuor miliaribus abest a Moscovia: sita autem est ad lacum, in quo, ut in insula Solovki, Selgi pisciculi, quorum supra memini, capiuntur. Ager satis fertilis est, et copiosus, in quo perceptis frugibus, Princeps venatione tempus fallere solet. Est in eodem agro lacus, ex quo sal decoquitur. Per hanc civitatem proficiscuntur, quibus Novogardiam inferiorem, Castroma, Jaroslaw, et Uglicz eundum est. In his partibus vera itinerum ratio propter crebras paludes et sylvas haberi non potest. Est etiam ibi Nerel fluvius, ex lacu quodam profluens, qui supra Uglicz Volgam influit.

Rostow civitas et castrum, Archiepiscopalis sedes, cum Bieloosero et Murom, inter praecipuos et antiquiores Russiae principatus, post Novogardiam magnam habetur. Eo ex Moscovia, recta per Pereaslaw itur, a qua decem miliaribus distat. Sita est ad lacum, ex quo Cotoroa fluvius, qui Jaroslaw praeterlabitur, emergit, Volgamque influit. Soli natura fertilis est, piscibus in primis ac sale abundans. Regio haec olim secundogenitis magnorum Ducum Russiae propria erat: quorum posteri novissime per Joannem Basilii patrem ea depulsi, exutique sunt.

Jaroslaw civitas et castrum ad ripam Volgae, distat a Rostow duodecim mil. recta itinere ex Moscovia sumpto, Regio satis fertilis est, ea praesertim parte, qua vergit ad Volgam: quae etiam, quemadmodum Rostow, secundogenitorum Principum erat: quas monarcha ipse vi oppressit. Et quanquam provinciae Duces, quos Knesos appellant, adhuc supersint: titulum tamen Princeps, Knesis, velut subditis regione concessa, sibi usurpat. Tres autem Knesi secundo genitorum posteri, quos Rutheni Jaroslavski appellant, eam regionem possident. Primus est Basilius, is qui nos ex hospitio ad Principem duxit, et reduxit. Alter est Simeon Federowicz, a Kurba patrimonio suo Kurbski dictus, homo senex, sobrietate singulari, ac ipsa vitae rigiditate, qua ab ineunte aetate usus est, valde exhaustus multis enim annis esu carnis abstinuit: piscibus quo-

Digitized by Google

que Solis, Martis et Saturni tantum diebus vescebatur: Lunae vero, Mercurii et Veneris, ab eisdem jejunii tempore abstinebat; hunc magnus Dux aliquando per Permiam, in Juharium, ad longinquas gentes debellandas, cum exercitu supremum Imperatorem mittebat; qui bonam ejus itineris partem, propter nivis magnitudinem, pedes confecit: quibus dissolutis, reliquum itineris navigiis peregit, et montem Peczoram transgressus. Ultimus est Joannes cognomento Possetzen, qui Principis sui nomine Oratorem apud Carolum Caesarem in Hispaniis agebat, et nobiscum reversus est: qui adeo pauper erat, ut vestes, et Kolpak (quod capitis tegumentum est) aliunde (quod certo scimus) pro conficiendo itinere commodato sumeret. Quare multum errasse videtur, qui scripsit, hunc Principi suo in quacunque necessitate triginta milia equitum ex ditione, seu patrimonio suo mittere posse.

Vologda provincia, civitas et castrum in qua Episcopi Permiae sedem quidem suam, sed sine imperio habent, ab ejusdem nominis fluvio nomen accepere, sita est inter Orientem et Septentrionem, ad quam ex Moscovia per Jaroslaw itur. Abest autem a Jaroslaw quinquaginta miliaribus Ger. a Bieloosero fere quadraginta. Regio tota palustris et sylvestris est, unde fit, ut exactam itineris rationem propter crebras paludes et fluviorum anfractus, hoc quoque in loco viatores observare non possint. Quo enim magis progrediare hoc plures et inviae paludes, fluvii ac sylvae occurrunt. Porro Vologda fluvius in septentrionem, civitatem praeterlabitur: cui Suchona fluvius ex lacu cui Konski nomen est, emergens, octo miliaribus infra civitatem jungitur, nomenque Suchonae retinet, atque inter Septentrionem et Orientem labitur. Vologda provincia olim sub ditione Novogardiae magnae erat: quae cum castrum natura loci firmum habeat, ajunt Principem partem thesauri sui illic reponere solere. Eo anno quo nos Moscoviae eramus, tanta illic erat annonae caritas, ut unus quo ipsi utuntur frumenti modius, 14 dengis venderetur: qui alioqui in Moscovia 4, 5, aut sex dengis emi solet.

Vaga fluvius piscosus, inter Bieloosero et Vologdam, in paludibus densissimisque sylvis oritur, ac Dvinam fluvium influit. Fluvii accolae, quod danis usu fere careant, venatione vivunt, Capiuntur autem ibi vulpes nigrae, et coloris cinericei. Porro compendiario itinere inde ad provinciam et fluvium Dvina pervenitur,

Ustjug provincia, a civitate et castro, quae ad fluvium Suchona sita sunt, nomen accepit a Vologda abest centum miliaribus, a Bieloosero centum quadraginta. Haec prius ad ostia fluvii Jug, qui ex Meridie in Septentrionem fluit, sita erat. Postea propter loci commoditatem, ad dimidium fere miliare supra ostia posita est, vetusque nomen adhuc retinet. Nam Ruthenis Ustie ostium est: unde Ustjug, quasi ostium Jug dicitur. Haec provincia olim subjecta erat Novogardiae magnae, in qua rarus et propemodum nullus panis usus: piscibus et feris pro cibo utuntur. Sal ex Dvina habent. Idioma quoque proprium, quamvis Ruthenico magis utuntur. Zibellinorum ibi pelles nec multae, nec admodum excellentes: aliarum tamen ferarum pellibus abundant, vulpinis praesertim nigris.

Dvina provincia et fluvius ab Jug et Suchona fluviorum confluxu Dvinae nomen accepit, nam Dvina Ruthenis duo, vel bini sonat. Is fluvius emensis centum miliaribus Oceanum Septentrionalem, qua Suetiam et Nordvegiam alluit, atque a Terra incognita Engraneland dividit, ingreditur. Haec provincia in ipso septentrione sita, olim Novogardensium ditionis erat. Numerantur autem a Moscovia ad Dvinae ostia trecenta milliaria: quamvis ut antea dixi, in regionibus quae trans Volgam sunt, propter crebras paludes, fluvios, ac vastas sylvas, itineris ratio observari non potest: conjectura tamen ducimur, ut vix ducenta miliaria esse putemus; quandoquidem ex Moscovia in Vologdam, ex Vologda in Ustjug, in Orientem aliquantulum: ex Ustjug postremo per Dvinam fluvium recta in Septentrionem pervenitur. Haec provincia, praeter Cholmogor castrum, et Dvinam civitatem, quae inter fontes et ostia in medio propemodum sita est, castrumque Pinega in ipsis Dvinae ostiis situm, oppidis et castris caret. Pagos tamen conplures habere dicitur, qui propter terrae sterilitatem longe lateque distant. Victum hi ex piscibus, feris, ferarumque pellibus quaerunt, quibus omnis generis abundant. In maritimis hujus regionis locis, ursos albos, et eos pro majori parte in mari degentes reperiri ajunt: quorum pelles in Moscoviam saepius deferuntur. Ego binas mecum, prima mea in Moscoviam legatione, reportavi. Regio haec sale abundat.

Digitized by Google

# ITINERARIUM AD PECZORAM,

IUGARIAM, ET OBIUSQUE FLUVIUM.

Principis Moscoviae ditio longe in Orientem, et aliquanto in Septentrionem, ad loca quae sequuntur, protenditur: super qua re scriptum quoddam, quo ejus itineris ratio continabatur, lingua Ruthenica mihi oblatum fuit, quod et transtuli, et hic certa ratione subjunxi. Quanquam qui ex Moscovia eo proficiscuntur, ab Ustjug et Dvina, per Permiam, usitato magis et conpendiario itinere utuntur. A Moscovia ad Vologdam quingenta verst numerantur, a Vologda ad Ustjug dextrorsum secundo fluvio, et Suchona, cui jungitur, descendendo, sunt quingenta verst, quibus sub Streltze oppido duobus verst, sub Ustjug conjungitur fluvio Jug, qui *fluit* ex Meridie: a cujus ostiis usque ad *fontes*, ultra quingenta verst computantur. Caeterum Suchona et Jug postquam confluxerint, amissis prioribus nominibus, Dvinae nomen assumunt. Per Dvinam deinceps quingenta verst ad Cholmogor pervenitur: a quo infra itinere sex dierum, Dvina sex ostiis Oceanum ingreditur. Atque hujus itineris maxima pars navigatione constat, nam itinere terrestri a Vologda usque adCholmogor, trajectoVaga, sunt mille verst. Haud procul a Cholmogor, Pinega fluvium ducenta verst, pervenitur, ubi itinere dimidii verst. naves in fluvium Kulvio transferuntur. Kulvio vero *fluvius* ex ejusdem nominis lacu in Septentrione oritur, a cujus fontibus iter sex dierum est, usque ad ostia, ubi Oceanum ingreditur. Navigatione secundum dexterum littus maris, sequentes possessiones praeterleguntur: Stanovische, Calunczscho, et Apnu. Circumnavigataque Chorogoski Nos promontorio, et Stanovische, Cameneck et Tolstik, tandem in fluvium Mesen, quo sex dierum itinere ad ejusdem nominis pagum in ostiis fluvii Piesza situm pervenitur, per quem rursus a sinistra Orientem aestivalem versus ascendendo, trium hebdomadarum itinere Piescoja fluvius occurrit. Unde translatis per quinque verst, in duos lacus navibus, geminae patent viae: quarum altera, parte sinistra in fluvium Rubicho, per quem in fluvium Czircho pervenitur, ducit. Alii via altera et breviore, ex lacu naves recta in Czircho deferunt: a quo nisi tempestate detineantur, trium hebdomadarum spacio in fluvium, ostiaque Czilme, magnum Peczora fluvium, qui eo loci duarum verst latitudine extenditur, influentem deveniunt: quo delapsi, sex dierum itineret ad oppidum et castrum Pustoosero, circa quod Peczora sex ostiis Oceanum ingreditur, pervenitur. Hujus loci accolae, simplici ingenio homines, anno Domini 1418 primum baptismum susceperunt. A Czilmae ostiis, usque ad ostia fluvii Ussa, per Peczoram eundo est iter unius mensis. Ussa autem fontes suos habet in monte Pojas zemnoj, qui ab ortu aestivali ad laevam est, fluitque ex ingenti ejusdem montis saxo, quod Camen Bolschoj vocant. Ab Ussae fontibus, usque ad ejus ostia, ultra mille verst numerantur. Porro Peczora a Meridionali hac hyemali parte fluit, a quo ex Ussae ostiis ascendendo, usque ad ostia Sczuchogora fluvii, est iter trium hebdomadarum. Qui hoc itinerarium conscripserant, dicebant, inter Sczuchogore et Poczscheriema fluviorum ostia se quievisse: atque ad vicinum castrum Strupili, quod ad littora Ruthenica in montibus ad dextram situm est, comeatum, quem ex Russia secum portaverant, deposuisse. Ultra Peczora et Sczuchogora fluvios ad montem Camenijpojas, item mare, insulas vicinas, castrumque Pustoosero, variae et innumerae gentes sunt, quae uno ac communi nomine Samojed (quasi diceres se ipsos commedentes) nuncupantur. Apud hos magnus proventus avium, diversorumque animalium, ut sunt zibellini, martes, castores, hermelli, aspreoli, et in Oceano Mors animal, de quo supra, praeterea vess. Item albi ursi, lupi lepores, equivoduani, cete, piscisque nomine Semsi, aliique quamplurimi. Hae vero gentes in Moscoviam non veniunt: sunt enim ferae, quae aliorum hominum coetum, vitaeque societatem refugiunt. Ab Sczuchogorae ostiis adverso flumine usque ad Pojassa, Artavische, Cameni, majoremque Pojassa, iter trium hebdomadarum. Porro ad montem Camen trium dierum ascensus est, a quo descendendo ad fluvium Artavischa, inde ad Sibut fluvium, a quo castrum Lepin, a Lepin ad Sossam fluvium pervenitur. Hujus fluvii accolae Vogoliczi nuncupantur. Sossa autem a dexteris relicto ad fluvium Obi, qui oritur ex Kitajsko lacu, pervenitur: quem vix uno die et celeri cursu trajecerunt, adeo vasta hujus fluvii latitudo est, ut ad octoginta fere verst extendatur. Hunc quoque Voguliczi et Ugriczi gentes accolunt. Ab Obea castello secundum Obi fluvium ascendendo, usque ad Irtische fluvium, in quem Sossa ingreditur, ostia, est trium mensium iter. In his locis duo castra sunt, Jerom et Tumen,

Digitized by Google

quibus praesunt domini Knesi Juhorski, magno Duci Mosco (ut ajunt) vectigales. Multa ibi animalia pellesque quamplurimae.

Ab Irtische fluvii ostiis ad castrum Grustina, duorum mensium iter: a quo ad lacum Kitaj, per Obi fluvium, quem fontes suos in hoc lacu habere dixi, est plus quam trium mensium iter. Ab hoc lacu plurimi homines nigri, communis sermonis expertes, veniunt: merces varias. in primis autem uniones, lapides preciosos, secum adferentes, quas populi Grustinci et Serponovci mercantur; hi a castro Serponow Lucomorjae ultra Obi fluvium in montibus sitae nomen habent. Lucomorjae autem hominibus mirabile quiddam ac incredibile, et fabulae persimile ajunt accidere, quos in singulos annos, nempe 27 die Novembris, quae apud Ruthenos S. Georgio sacra est, mori ajunt: ac vere insequenti, maxime ad 24 Aprilis, ranarum instar, denuo reviviscere. Cum his quoque Grustinci et Serponovci populi nova, et alias inconsueta habent commercia. Cum enim statum tempus moriendi, seu dormiendi ipsis imminet, merces certo loco deponunt, quas Grustinci et Serponvci, relictis suis interim aequa commutatione mercibus, auferunt: eas illi redivivi, si iniquiore aestimatione abductas esse viderint, rursus repetunt: unde lites plurimae ac bella inter eos oriuntur. Ab Obi fluvio, parte sinistra descendendo, sunt Calami populi, qui ab Obiova et Pogosa eo commigrarunt. Infra Obi ad Auream anum, ubi Obi Oceanum ingreditur, fluvii sunt, Sossa, Beresva, et Danadim, qui omnes ex monte Camen, Bolschega, Pojassa, scopulisque conjunctis oriuntur. Ab his fluminibus quaecunque ad Auream anum usque gentes habitant, vectigales dicuntur Principi Moscoviae.

Zlata baba, id est Aurea anus, idolum est, ad Obi ostia, in provincia Obdora, in ulteriori ripa situm. Secundum Obi littora, vicinisque circum fluminibus multa passim castra sita sunt, quorum domini omnes Principi Moscoviae (ut ferunt) subjiciuntur. Narrant, seu, ut verius dicam, fabulantur, hoc idolum Auream anum statuam esse, in formam cujusdam anus, quae filium in gremio teneat: atque ibi jam denuo alterum cerni infantem, quem ejus nepotem esse ajunt. Praeterea instrumenta quaedam ibi posuisse, quae perpetuum sonum in modum tubarum edant. Quod si ita est, equidem ventorum vehementi et perpetuo in ea instrummenta flatu fieri puto.

Cossin fluvius ex montibus Lucomorjae delabitur, in hujus ostiis Cossin castrum est, quod olim Knesventza, nunc vero illius filii possident. Eo a Cossin magni fluvii fontibus, est iter duorum mensium. Porro ex ejusdem fluvii fontibus alter fluvius Cassima oritur, emansaque Lucomorja in magnum fluvium Tachnin influit: ultra quem prodigiosae formae homines habitare dicuntur, quorum alii ferarum more, toto corpore pilis horrent: alii caninis captibus, alii prorsus sine collo pectus pro capite habent, longasque sine pedibus manus. Est et in Tachnin fluvio piscis quidam, capite, olulis, naso, ore, manibus, pedibus, aliisque humana prorsus forma, nulla tamen voce: qui, ut alii pisces, suave ex se praebet obsonium.

Hactenus, quaecunque retuli, ex oblato Itinerario Ruthenico, a me ad verbum traducta sunt: in quibus et si fabulosa quaedam, vixque credibilia esse videantur, veluti de homibus mutis, morientibus et reviviscentibus, Aurea anu, monstrosis hominum formis, pisceque humana effigie: de quibus etsi ipse quoque diligenter investigaverim, nihil tamen certi a quopiam, qui ea oculis suis vidisset (quamvis omnium fama rem ita se habere praedicarent) cognoscere potui: tamen ut aliis ampliorem harum rerum praeberem investigandi occasionem, nolui quicquam obmittere; unde et locorum vocabulis iisdem, quibus a Ruthenis nuncupantur, usus sum.

Nos, Ruthenis nasus dicitur: quo nomine promontoria ad nasi similitudinem in mare prominentia, vulgo appellant.

Montes circa Peczoram fluvium Zemnoj pojas, id est Cingulus mundi vel terrae vocantur. Pojas enim Ruthenis cingulum significat. Lacus Kitaj: a quo magnus Chan de Chathaia, quem Mosci Czar Kitajski appellant, nomen habet. Chan autem Tartaris regem sonat.

Lucomorjae loca maritima sylvestria sunt, quae ab incolis sine ullis aedibus habitantur. Quamvis autem Itinerarii auctor plurimas Lucomorjae gentes principi Moscoviae subjectas esse referebat: tamen cum in propinquo Regnum Tumen sit, cujus princeps Tartarus est, et vernacula eorum lingua Tumenski Czar, id est Rex in Tumen appellatur, magnaque damna haud ita pridem principi Moscoviae intulit: verisimile est, propter viciniam has gentes ipsi potius subjectas esse.

Ad Peczoram fluvium, cuius in Itinerario mentio fit, civitas et castrum Papin, seu Papinowgorod situm est: hujus accolae Papini, qui

Digitized by Google

diversum a Ruthenico idioma habent, nuncupantur. Ultra hunc fluvium altissimi montes ad ripas usque protenduntur, quorum vertices ob continuos ventorum flatus omni prorsus materia gramineque fere carent; hi etsi variis in locis varia habeant nomina, communiter tamen *Cingulum* mundi vocantur. In his montibus nidificant Gerofalcones, de quibus infra, cum de Principis venatione verba facturus sum. Crescunt etiam illic arbores cedri: circa quas nigerrimi Zebelli reperiuntur. Atque in Principis Moscoviae ditione hi montes soli visuntur, qui veteribus Riphaei forte, vel Hyperborei montes visi sunt: et quod perpetuis nivibus ac glacie rigeant, transirique facile non possint, Engroneland provinciam incognitam faciunt. Basilius Joannis filius Moscoviae dux, aliquando ad exploranda ultra hos montes loca, gentesque debellandas, duos Praefectos ex suis per Permiam et Peczoram miserat, Simeonem Pheodoroviez Kurbski a patrimonio suo ita nuncupatum, ex Jaroslavski genere oriundum: et Knes Petrum Uschatoj; quorum Kurbski me in Moscovia existente, adhuc in vivis erat: mihique de hac re percontanti, decem et septem in ascendendo monte dies se consumpsisse dicebat: neque tamen montis verticem, qui patrio nomine Stolp, hoc est columna nuncupatur, superare potuisse. Extenditur mons ille in Oceanum, usque ad ostia Dvinae et Peczora fluviorum. Et haec de Itinerario satis.

## AD PRINCIPATUS MOSCOVIAE REDEO.

Susdali principatus, cum ejusdem nominis castro et civitate, in qua sedes Episcopalis est, inter Rostow et Volodimeriam sita est. Quo tempore Mosci imperii sedes Volodimeria erat, inter praecipuos hic principatus numerabatur, ac reliquarum adjacentium urbium metropolis erat. Crescente post imperio ejus, sede Moscovium translata, Principum secundogenitis est attributus: quorum tandem posteri, ex quibus Basilius Schujski cum nepote ex fratre (qui dum nos Moscoviae essemus, adhuc vivebant) per Joannem Basilii eo sunt exuti. Insigne in ea urbe Vestalium monasterium est, in quo Solomea a Basilio repudiata, erat inclusa. Inter omnes Principis Moscoviae principatus ac provincias, ubertate soli, rerumque omnium copia, Rezan primas sibi vindicat: secundum hanc sunt, Jaroslaw, Rostow, Pereaslaw, Susdali, Volodimeria: quae fertilitate terrae, proxime accedunt.

Castromowgorod civitas cum castro, in Volgae littore ad orientem aestivalem viginti fere miliaribus abest ab Jaroslaw, Novogardia inferiori circiter quadraginta. Fluvius, a quo civitas nomen habet, ibi Volgam influit.

Galicz alius principatus cum civitate et castro, ex Moscovia in Orientem per Castromowgorod euntibus occurrit.

Viatka provincia ultra Kamam fluvium, in Orientem aestivalem centum quinquaginta fere miliaribus abest a Moscovia: ad quam itinere breviore quidem, sed difficiliore, per Castromowgorod et Galicz pervenitur; nam praeter paludes ac nemora, quae inter Galicz et Viatkam sunt, iterque impediunt, Czeremissae populi passim ibi vagantes latrocinantur. Quare fit, ut itinere per Vologdam et Ustjug longiore, sed faciliore tutioreque eo proficiscantur. Distat aut Viatka ab Ustjug centum viginti miliaribus, a Cazan sexaginta. Regioni ejusdem nominis fluvius nomen dedit, in cujus littore sunt Chlinova, Orlo, et Slovoda. Et Orlo quidem quatuor miliaribus est infra Chlinovam. Dein sex miliaribus Occidentem versus descendendo, Slovoda. Cotelniez autem octo a Chlinova miliaribus, ad Reciczan fluvium, qui ex Oriente fluens inter Chlinova et Orlo, in Viatkam exoneratur. Regio palustris et sterilis est, servorum fugitivorum velut asylum quoddam: melle, feris, piscibus, aspre olisque abundans. Haec olim Tartaricae ditionis erat, adeo ut adhuc hodie ultra citraque Viatkam, maxime in ostiis quibus Kamam fluvium ingreditur, Tartari imperent. Itinera illic computantur per Czunkhas. Czunkhas autem continet quinque verst. Kama fluvius exoneratur in Volgam duodecim miliaribus infra Cazan; huic fluvio adjacet Sibir provincia.

Permia magna et ampla provincia, a Moscovia ducentis quinquaginta (seu, ut quidam volunt, trecentis) miliaribus recta inter Orientem et Septentrionem distat. Civitatem ejusdem nominis ad Vischora fluvium habet, qui decem miliaribus infra Kamam influit. Eo propter crebras paludes et fluvios, terrestri itinere vix, nisi hyeme, pervenitur: aestate vero per Vologdam, Ustjug, Viczegdaque fluvium, qui duodecim ab Ustjug miliaribus Dvinam influit, navigiis iter hoc facillius conficitur. Caeterum



Digitized by Google

qui ex Permia in Ustjug proficiscuntur, iis adverso Vischora navigandum est: emensisque aliquot fluviis, navibusque terra quandoque in alios fluvios translatis, ad Ustjug tandem trecentis ab Permia miliaribus deveniunt. Rarissimus in ea provincia panis usus: loco tributi equos et pelles quotannis Principi pendunt. Idioma proprium habent: characteres item proprios, quos Stephanus episcopus, qui eos in fide Christi vacillantes confirmarat (nam antea in fide adhuc infantes, episcopum quendam idem attentantem excoriaverant) primus adinvenit. Hic Stephanus postea Demetrio Joannis filio imperante, apud Ruthenos in numerum deorum relatus est. Supersunt adhuc ex iis in sylvis passim plures idololatrae, quos monachi et heremitae eo proficiscentes, non cessant ab errore vanoque cultu revocare. Hyeme in Artach fere, quemadmodum in plurimis Russiae locis, iter faciunt; sunt autem Artach, ligneae quaedam et oblongae soleae, sex ferme palmarum longitudine, quibus in pedes inductis feruntur, magnaque celeritate itinera conficiunt. Canibus, quos in hunc usum magnos habent, pro jumentis utuntur, quibus sarcinas, quemadmodum infra de cervis dicetur, vehiculis circumvehunt. Ajunt eam provinciam Orientem versus, Tartarorum provinciae quae Tumen dicitur, esse conterminam.

Jugariae provinciae situs ex supradictis patet. Rutheni per aspirationem Juhra proferunt, et populos Juhrici vocant. Haec est Juharia, ex qua olim Hungari progressi. Pannoniam occuparunt, Attilaque duce multas Europae provincias debellarunt. Quo nomine Moscovitae multum gloriantur, quod eorum subditi magnam Europae partem olim sint depopulati. Referebat Georgius parvus dictus, natione Graecus, in priori mea legatione inter tractatus volens jus Principis sui deducere ad magnum Ducatum Lithuaniae, regnum Poloniae, etc. Juharos subditos magni Ducis Moscoviae extitisse, et ad paludes Maeotidis consedisse: deinde Pannoniam ad Danubium, et inde nomen Hungariae accepisse: demum Moraviam, ex fluvio sic nominatam: et Poloniam a Polle, quod est planicies, occupasse: de fratris Attilae nomine Budam nominasse. Relata saltem volui referre. Ajunt Juharos in hunc diem eodem cum Hungaris idiomate uti; quod an verum sit, nescio. Nam etsi diligenter inquisierim, neminem tamen ejus regionis hominem habere potui, quo cum famulus meus linguae Hungaricae peritus colloqui potuisset. Hi quoque pelles pro tributo Principi pendunt. Quamvis uniones gemmaeque illinc in Moscoviam afferantur, non tamen in eorum Oceano colliguntur, sed aliunde, praecipue vero a littoribus Occani, ostiis Dvinae vicinis, afferuntur.

Sibir provincia Permiam et Viatkam contingit, quae an castra et civitates aliquas habeat, compertum non habeo. In hac oritur Jaik fluvius, qui in mare Caspium exoneratur. Regionem propter viciniam Tartarorum desertam, aut si qua parte colitur, a Tartaro Schichmamaj occupatam esse ajunt. Hujus indigenae proprio idiomate utuntur; quaestum faciunt maxime ex aspreolorum pellibus, quae aliarum provinciarum aspreolos magnitudine et pulchritudine excellunt: quarum tamen copiam in Moscovia tum nullam habere potuimus.

Czeremissae populi sub Novogardia inferiore in sylvis habitant; propriam hi linguam habent, Mahumetique dogma sequuntur. Regi Cazanensi nunc parent, quamvis maxima eorum pars duci Moscoviae olim tributaria esset: unde subditis Moscoviae adhuc annumerantur. Adduxerat inde Moscoviam Princeps illorum multos, defectionis crimine suspectos: quos ibi vidimus. Hi autem cum ad fines Lithuaniam versus missi fuissent, tandem in varias partes dilapsi sunt. Haec gens a Viatka et Vologda, ad fluvium Kamam usque, longe lateque sine ullis aedibus habitant. Omnes tam viri quam foeminae cursu sunt velocissimi, sagittarii porro peritissimi omnes, arcu nunquam e manibus deposito: quo adeo oblectatur, ut etiam filiis cibum non praebeant, nisi praefixum scopum sagitta feriant.

Duobus miliaribus a Novogardia inferiore plurimae erant domus ad civitatis oppidique similitudinem, ubi sal decoquebatur Hae paucos ante annos a Tartaris exustae, Principis jussu restitutae sunt.

Mordva populi ad Volgam sunt, infra Novogardiam inferiorem in littore Meridionali, Czeremissis, nisi quod frequentiores domos habent, per omnia similes. Atque hic nostrae digressionis, Moscique imperii terminus esto.

Nunc de vicinis ac conterminis populis certa quaedam subjungam, eodem quo ex Moscovia egressus sum ordine in Orientem servato. Hac autem parte Tartari Cazanenses primi occurrunt: de quibus, antequam ad peculiaria ipsorum perveniam, in genere quaedam referenda sunt.

Digitized by Google

# DE TARTARIS.

De Tartaris, eorumque origine, praeter ea quae in Annalibus Polonorum, et duobus de Sarmatiis libellis continentur, multi passim *multa* scripsere: quae hoc loco repetere, *magis* taediosum quam utile esset. Quae autem ipse in Ruthenorum annalibus, multorumque hominum relatione cognovi, paucis adscribenda censui. Ajunt Moabitenos populos, qui postea Tartari dicti sunt, homines lingua, moribus, habituque a reliquorum hominum ritu consuetudineque dissidentes, ad fluvium Calka pervenisse: qui unde venissent, quae religionis dogmate uterentur, omnibus ignotum fuisse. Quanquam a quibusdam Taurimeni, ab aliis Piczenegi, *aliis alio* nomine appellarentur. Methodius *Patanczki* episcopus, ex Jeutriskio desertis *inter* Septentrionem et Orientem eos processisse dicit: causamque migrationis talem refert. Gedeonem quendam, primi nominis virum, terrorem ipsis de fine mundi, quem imminere *dicebat*, quandoque injecisse: cujus oratione inducti, ne amplissimae orbis opes cum mundo simul interirent, innumera cum multitudine ad spoliandas provincias exivisse: et quicquid ab Oriente ad Euphratem, sinumque Persicum continetur, crudeliter diripuisse, atque ita provinciis passim vastatis, Polovtzos gentes, quae adjunctis sibi Ruthenorum auxiliaribus copiis, *solae occurrere* ausae erant, ad fluvium Calka profligasse: anno mundi 6533. Quo loco autorem libelli de duabus Sarmatiis, de Polovtzis populis, quas venatores interpretatur, errasse clarum est. Polovtzi enim campestres dicuntur; nam Polle, campus est: Lovetz et Lovtzi, venatores; adjuncta autem tzi, vel ksi syllaba, non mutat significationem: neque enim ab ultimis, sed primis syllabis significatio deducenda est. Et quod ejusmodi Ruthenorum dictionibus syllaba generalis ski adjici solet, ea *res* homini imposuit: atque ita Polovtzi, campestres, et non venatores interpretari oportet. Polovtzos Rutheni Gotthos fuisse perhibent: quorum tamen sententiae non accedo. Qui Tartaros describere velit, multas nationes describat necesse est. Nam ex sola secta hoc nomen habent: et diversae nationes sunt, longe ab invicem distantes. Atqui ad institutum redeo. Bathij Tartarorum rex magna manu a meridie in Septentrionem egressus, Bulgariam, quae ad Volgam infra Cazan est, occupavit, Anno dein sequenti, qui erat 6745, secutus victoriam, in Moscoviam usque pervenit, urbem Regiam aliquandiu obsessam per deditionem tandem accepit: sed fide quam dederat, non servata, omnibus caesis, ultra progressus, vicinas provincias, Volodimeriam, Pereaslaw, Rostow, Susdali, compluraque castra et oppida, caesis, aut in servitutem abductis inhabitatoribus, exussit: Georgium magnum Ducem instructe exercitu sibi occurrentem profligavit, et occidit: Basilium item Constantini, captivum secum abduxit, intermitque; quae omnia, ut supra dictum est, anno mundi 6745. gesta sunt. Ab eo tempore omnes fere Russiae principes, a Tartaris inaugurabantur, illisque parebant, usque ad Vitoldum magnum Lithuaniae Ducem qui provincias suas, et quae in Russia occupaverat, a Tartarorum armis fortiter defendit, vicinisque omnibus terrori fuit. Magni autem duces Volodimeriae et Moscoviae, usque ad modernum Basilium Ducem, semper in praestita semel Tartarorum Principum fide et obedientia permanserunt. Hunc Bathij, annales referunt, ab Vlaslaw Hungarorum rege, qui post baptismum Vladislaus dictus, inque divorum numerum relatus est, occisum fuisse in Hungaria; nam cum regis sororem, quam in regni depopulatione forte nactus fuerat, secum abduxisset, rexque et sororis pietate, et indignitate rei commotus hunc insecutus fuisset: impetuque in Bathij, facto, cum soror arreptis armis, adultero contra fratrem auxilio esset: iratus rex, sororem una cum Bathij adultero interfecit. Haec gesta sunt anno mundi 6745.

Asbek ipsi Bathij in imperio successit, moriturque anno mundi 6834. cui filius Czanabek suffectus est: qui fratribus suis, ut solus sine metu regnaret, occisis, moritur anno 6865. Hunc Berdebek secutus, quo fratribus duodecim pariter occisis, obiit 6867. Post quem Alculpa a Naruss quodam regulo, cum liberis statim ab initio imperio occisus, non ultra mensem imperavit. Ad hunc regnum jam possidentem, omnes Principes Russiae convenerunt imperandique in sua quisque provincia potestate impetrata, abierunt, Occiditur anno 6868. Cui Chidir in regno succedens, a filio Temerchoscha occisus est: qui regno per scelus parto, vix septem diebus potitur. Etenim a Temnik Mamaj ejectus, cum ultra Volgam fugisset, ab insequentibus militibus occisus est, anno 6869. Post hos Tachtamisch imperium adeptus, anno mundi 6890, cum exercitu 26 Augusti egressus,

Digitized by Google

Moscoviam ferro ignique vastavit. Is a Temirkutlu profligatus, ad Vitoldum magnum Lithuaniae ducem profugit. Temirkutlu porro regno Sarai anno mundi 6906 praefuit, moritur 6909. Cui Schatibek filius in imperio successit; post quem Temirassak, cum exercitum maximum in Rezan, ad depopulandam Moscoviam duxisset, tantum terrorem principibus Moscoviae injecit, ut desperata victoria abjectis armis, ad divorum tantum auxilium confugerent. In Volodimeriam statim pro imagine quadam divae Mariae Virginis, quae multis miraculis editis ibi celebris erat, mittunt: quae cum in Moscoviam duceretur, Princeps omni cum multitudine honorifice illi ob viam procedit, eaque primum ut hostem averteret humilime implorata, maxima veneratione ac reverentia in civitatem deducit; quo cultu se impetrasse dicunt, quod Tartari ultra Rezan non fuerint progressi. In cujus rei perpetuam memoriam eo loci, ubi imago expectabatur, susceptaque fuit, templum exaedificatum est: diesque is quem Rutheni Stretenie, id est obviationis diem vocant, 26. Augusti quotannis solenniter celebratur. Acta sunt haec anno 6903.

Narrant Rutheni, hunc Temirassak obscuro genere natum, ex latrociniis ad tantum dignitatis gradum pervenisse, furemque in adolescentia egregium fuisse, indeque nomen acquisivisse. Et quod aliquando ovem furatus, deprehensusque a domino ovis, jactu lapidis vehementiore crus illi fractum fuisset: idque cum ferro quodam colligasset, a ferro et claudicatione nomen sibi inditum fuisse. Temir enim ferrum, Assak claudum significat. Is Constantinopolitanis a Turcis graviter obsessis, filium suum cum auxiliaribus copiis misit: qui profligatis Turcis, soluta obsidione, ad patrem victor reversus est, Anno 6909.

Tartari in hordas dividuntur, in quibus Savolhensis horda et celebritate et multitudine primas tenuit; nam reliquae hordae omnes ex ea originem traxisse dicuntur; horda autem illis conventum, seu multitudinem significat. Quamvis autem quaelibet horda peculiare nomen habeat, scilicet Savolhensium, Praecopensium, Nahaisensium, et aliae multae, quae omnes Mahometani sunt: Turcas tamen se vocari aegre ferunt, probrique loco ducunt, sed Besermani appellari gaudent: eoque nomine et Turci se appellari volunt. Ut autem varias longe lateque provincias Tartari incolunt, ita etiam moribus, ipsoque vitae genere non in omnibus conveniunt, homines statura mediocri, lata facie, obesa oculis intortis et concavis, sola barba horridi, caeterea rasi; insignores tantum viri crines contortos, eosque nigerrimos secundum aures habent, corpore valido, animo audaci: in Venerem, eamque praeposteram, putres; equis, aliisque animalibus quoquo modo interemptis suaviter vescuntur; demptis porcis, a quibus lege abstinent, inediae somnique adeo patientes, ut toto nonnunque quatriduo ea perferant, laboribus necessariis nihilominus intenti. Rursus aliquid forte ad vorandum nacti, supra modum se ingurgitant, eaque crapula priorem inediam quodammodo resarciunt, nihil reliqui facientes: atque ita cibo laboribusque obruti triduo, quatriduove perpetuo dormiunt; quos sic altum dormientes, Lithuani et Rutheni, in quorum regionem derepente irrunt, praedasque inde abigunt, insecuti, omni amoto metu passim sine exubiis, ordine, cibo, somnoque sepultos, opprimunt, incautos. Equitantibus porro si fames sitisque molesta fuerit, quibus insident equis, venas solent incidere, haustoque eorum sanguine famem pellunt, atque iumentis hoc prodesse putant. Et quoniam incertis omnes fere vagantur sedibus, stellarum, inprimis vero poli arctici, quem ipsi sua lingua Selesnikol, hoc est ferreum clavum vocant, aspectu cursum suum dirigere solent. Lacte equino in primis delectantur, quod eo homines et fortes et pingues fieri credunt. Herbis quam plurimis, praesertim iis quae circa Tanaim crescunt, vescuntur, sale paucissimi utuntur. Horum reges si quando suis commeatum distribuant, quadraginta hominibus vaccam unam aut equum dare solent: quibus mactatis, intestina praestantiores tantum sumunt, ac inter se dividunt; quae ad ignem eatenus calefacta, ut adhaerentia stercora decuti possint, abstergique, vorant. Non solum autem digitos pinguedine unctos, sed etiam cultrum lignumve; quo stercus detersum fuerat, suaviter ligunt, suguntque. Capita equorum, ut apud nos aprorum, in deliciis habentur, praestantioribusque tantum apponuntur. Equis cervice depressa, pusillisque, sed fortibus abundant, qui aeque inediam laboremque bene ferre possunt: ramisque et corticibus arborum, herbarumque radicibus, ungulis e terra exculsis, evulsisque aluntur. His ita ad laborem assuefactis, Tartari commodissime utuntur: ajuntque Mosci, perniciores hos sub Tartaris, quam sub aliis esse. Hoc genus equorum Pachmat vocant. Sellas, stapedesque ligneas habent,

Digitized by Google

nisi si quas alias a vicinis Christianis rapuerint, aut emerint. Et ne equorum dorsa atterantur, gramine, seu arborum foliis eas suffulciunt. Flumina transnatant: qui si forte fugientes insequentium hostium vim extimuerint, sellis, vestibus, aliisque impedimentis omnibus abjectis, armis tantum retentis, effusissime fugiunt. Porro arma illorum sunt, arcus et sagitta: framea apud eos rara. Pugnam cum hostibus eminus audacissime ineunt: in qua tamen non diu perseverant, sed simulata fuga, hostibus insequentibus, occasione data primum in eos a tergo tela torquent: dein conversis derepente equis, in dissipatos hostium ordines denuo impetum faciunt. Cum in patentibus campis pugnandum est, hoc est, hostemque intra teli jactum habent, non structa acie praelium ineunt, sed sinuoso agmine in gyrum, quo certior et liberior hostem jaculandi via pateat, circumferuntur. Estque euntium et redeuntium mirus quidam ordo; in quam quidem rem ductores, quos sequuntur, harum rerum peritos habent: qui si vel hostium telis icti succubuerint, aut forte metu perculsi, in ducendo ordine aberraverint, tanta totius exercitus fit confusione ut nec amplius in ordinem reduci, nec tela in hostem torquere possint. Hoc genus certaminis ipsa a rei similitudine choream appellant. In angustiis autem si forte decertandum est, nullus hujus strategematis est usus; atque ideo fugae se mandant: quoniam nec clypeo, nec lancea, nec galea muniti sunt, ut hostem in stataria pugna sustinere possint. In equitando hunc morem servant, ut contractis in sellam sedeant pedibus, quo facilius in utrumque latus se possint convertere: et si quid forte delapsum, de terraque tollendum fuerit, stapedibus innixi, nullo negotio tollunt, in quo adeo exercitati sunt, ut etiam currentibus celeriter equis ed efficiant. Hastis impetiti, in alterum latus ad declinandum ictum adversarii subito se demittunt, altera duntaxat manu pedeque equo adhaerentes. Dum vicinorum provincias infestant, quisque duos aut tres, pro opibus, equos secum ducit, ut uno scilicet defatigato, altero ternove uti possit: lassos interim manu ducunt. Frena levissima habent, flagellis pro calcaribus utuntur. Castratos tantum equos habent, quod tales arbitrantur plus laboris inediaeque ferre posse. Vestimentis iisdem tam viri quam foeminae utuntur, nec in cultu a viris quicquam differunt, nisi quod caput velo lineo tegunt, caligisque itidem lineis nautarum maritimorum instar utuntur. Eorum reginae dum procedunt in publicum, facies solent obtegere. Reliqua turba, quae in campis passim degit, vestes ex ovium pellibus confectas habent: quas non mutant, nisi longo usu prorsus attritae, laceraeque fuerint. Uno in loco non diu commorantur: rati gravem esse infelicitatem, diu in eodem loco haerere. Unde irati quandoque liberis, grave malum imprecantes, solent dicere: Ut eodem in loco perpetuo tanquam Christianus haereas, propriumque foetorem haurias; quare depastis uno in loco pascuis, cum armentis, uxoribus et liberis, quos in palustris secum circumferunt, alio migrant; quamvis hi qui in oppidis et urbibus degunt, aliam vivendi rationem sequantur. Si bello aliquo graviore implicantur, uxores, liberos, senesque in loca collocant tutiora; Justicia apud illos nulla; nam ut quisque re aliqua indiguerit, eam ab altero impune rapere potest. Si quis apud judicem de vi, illataque injuria conqueritur, reus non negat, sed ea re se carere non potuisse dicit; tum judex hujusmodi proferre solet: Sententiam si tu vicissem re aliqua indigueris, rape ab aliis. Sunt qui dicunt, eos non furari; an vero furentur, aliorum esto judicium: certe homines rapacissimi sunt, nempe pauperrimi ut qui alienis semper inhiant, aliorum pecora abigunt, homines spoliant, abducuntque, quos Turcis aliisque quibuscunque aut vendunt, aut redimendos concedunt, puellis tantum servatis. Civitates et castra raro oppugnant: villas, pagosque comburunt: adeoque de illatis damnis sibi placent, ut quo plures provincias desolaverint, hoc se regna sua ampliora reddidisse putent. Et cum quietis impatientissimi sint, mutuo se tamen non interimunt, nisi reges inter se dissideant. Si in dissensione aliqua quispiam occidatur, auctoresque sceleris capti fuerint, equis, armis, vestibus tantum ablatis, dimittuntur. Homicida porro, accepto vili equo et arcu, his verbis a judice dimittitur: I, et rem tuam cura. Auri argentique apud illos usus, extra mercatores, fere nullus: rerum tantum permutatione utuntur. Quod si quid pecuniae ex rebus venditis vicini corraserint, ea Moscoviae vestes alia que vitae necessaria emunt. Fines inter se (de campestribus Tartaris loquor) nullos habent. Erat aliquando a Moscis pinguis Tartarus quidam captus, cui cum Moscus dixisset, Unde tibi, canis, tantam pinguedo, cum non habeas quod edas? Cur non habeam, inquit Tartarus, quod edam, cum

Digitized by Google

tam vastam ab Ortu usque ad Occasum terram possideam: ex qua non ne affatim nutriri possum? tibi potius, qui tam parvam orbis portionem tenes, et quotidie pro illa contendis, deesse puto quod edas.

Cazan regnum, civitas et castrum ejusdem nominis, ad Volgam, in ulteriore fluminis ripa, septuaginta fere miliaribus Ger. infra Novogardiam inferiorem sita sunt: secundum Volgam, in Orientem et Meridiem desertis campis terminatur: ad Orientem autem aestivalem Tartaros, quos Schibanski et Kosacki vocant, conterminos habent. Hujus provinciae rex exercitum triginta milium habere potest, pedites praesertim, in quibus Czeremissae et Czubaschi sagittarii peritissimi sunt. Czubaschi autem, navigandi arie excellunt. Cazan urbs a Viatka principali castro sexaginta miliaribus Ger. abest. Porro Cazan Tartaris ollam cupream bullientem sonat. Cultiores hi Tartari reliquis sunt, ut pote qui et agros colant, in domibus degant, mercaturasque varias exerceant: quos Basilius Moscoviae princeps eo adegit, ut se sibi subjicerent, atque ejus arbitrio reges acciperent: quod illis partim ob opportunitatem fluviorum, qui ex Moscovia in Volgam influunt, partim ob mutua commercia, quibus illi carere non poterant, factu haud difficile fuit. Cazanensibus quondam rex erat Chelealek: qui cum relicta uxore Nursultan sine liberis decessisset. Abrahemin quidam ducta vidua regno potitur. Ex hac Abrahemin duos suscepit filios, Mahmedemin et Abdelatiw. Ex priore autem uxore, quae Batmassa soltan vocabatur, Alegam filium habuit. Is patre defuncto, ut primogenitus in regnum successit: cumque mandatis Mosci non ubique optemperaret, a Mosci consiliariis, quos ibi ut regis animum observarent, habebat, aliquando in convivio inebriatus, atque in vehiculum, ac si domum veheretur, positus, ea nocte ductus est Moscoviam versus, quem aliquandiu detentum, Princeps tandem in Vologdam misit, ubi reliquum aetatis peregit. Ejus autem matrem cum Abdelatiw et Mahmedemin fratribus, Bieloosero relegavit. Codaiculu unus ex Alegae fratribus baptisatus, nomen Petri accepit: cui post Basilius, modernus princeps sororem suam matrimonio junxit. Meniktair autem alter ex Alegae fratribus. in sua, quoad vixit, secta permansit: pluresque genuit liberos, qui post decessum patris cum matre omnes baptisati et mortui sunt: uno Theodoro, qui nobis in Moscovia existentibus adhuc supercat, excepto. Alega porro ita in Moscoviam abducto, Abdelatiw sufficitur: qui cum pari ratione, ut Alega, regno amotus fuisset, Mahmedemin ex Bieloosero emissum, Princeps in ejus locum substituit. Is regno usque ad annum Domini 1518 praefuit. Nursultan, quam Chelealek et Abrahemin regum uxorem esse dixi, post Alegae mortem Mendligero regi Praecopiensi nupsit. Haec deinde cum ex Mendligero prolem non haberet, priorumque filiorum desiderio teneretur, ad Abdelatiw venit in Moscoviam. Inde progressa, ad Machmedemin alterum filium in Cazan regnantem profecta est, anno Domini 1504. Cazanenses a Principe Moscoviae defecerunt. Eam defectionem cum multa bella secuta sint, varieque a Principibus, qui se in societatem hujus belli junxerant, diu utrinque pugnatum, neque in hunc usque diem finis bello impositus sit, altius hujus belli rationem repetere visum est. Cum Cazanensium defectio Basilio Moscoviae Principi innotuisset, rei indignitate et ulciscendi libidine motus, ingentem exercitum adjunctis tormentis bellicis in eos misit, Cazanenses, quibus pro vita et libertate cum Moscis pugnandum erat, audito terribili Principis in se apparatu, cum hostibus in pugna stataria se haud pares fore viderent, astu eos circumveniendos censuere. Quare collocatis palam contra hostem castris, optima copiarum suarum parte locis opportunis in insidias abdita, ipsi veluti terrore perculsi, relictis derepente castris, fugae se mandarunt. Mosci, qui non ita procul aberant, cognita Tartarorum fuga, solutis ordinibus, citato cursu in hostium castra irruunt; in quibus diripiendis dum occupati, rerumque suarum securi essent, Tartari cum Czeremissis sagittariis, ex insidiis progressi, tantam in eos stragem ediderunt, ut Mosci relictis tormentis, machinisque bellicis, aufugere cogerentur. In ea fuga machinarum magistri duo relictis tormentis, cum aliis evasere, quos princeps in Moscoviam reversus benevolo accepit. Horum alterum Bartholomaeum, natione Italum, qui assumpta post Ruthenorum fide, magna etiam tunc apud Principem erat auctoritate et gratia, liberaliter donavit. Redierat ex ea clade tertius bombardarius, cum tormento sibi commisso: seque magnam et solidam apud Principem gratiam inturum, servato diligenter et reducto tormento, sperabat, quem princeps jurgiis adortus: Tu, inquit, cum me et te tanto exposueris periculo, aut fugere volebas, aut te cum tormento hostibus dedere, quorsum ista praepostero in ser-

Digitized by Google

vando tormento diligentia? cujus ego jacturam nihili facio, dummodo homines mihi supersint, qui ea fundere iisque uti sciant. Caeterum Mahmedimin rege, sub quo Cazanenses defecerant, mortuo, Scheale ducta ejus uxore vidua, Principis Moscoviae et fratris uxoris auxilio, Cazan regnum obtinuit: cui quatuor tantum annis magno subditorum et odio et invidia praefuit. Augebant haec turpis et mollis corporis constitutio, erat enim homo ventre prominenti, rara barba, facie pene muliebri: quae enim bello haudquaquam idoneum esse ostenderent. Accedebat ad haec, quod contempta ac neglecta subditorum suorum benevolentia, Principi Moscoviae plus aequo faveret, ac externis plus quam suis fideret. Quibus rebus Cazanenses ducti, Sapgirej, Mendligeri filio, uni ex Tauricae regibus, regnum deferunt; quo adveniente, Scheale regno cedere jussus, cum se viribus inferiorem, infestosque suorum in se animos cerneret, fortunae cedere optimum ratus, cum uxoribus, concubinis, omnique supellectili in Moscoviam, unde venerat, rediit; haec acta sunt anno Domini 1521. Scheale ita e regno profugiente, Mahmetgirej rex Tauricae, Sapgirei fratrem magno exercitu in Cazan introducit: firmatisque Cazanensium erga fratrem animis, Tauricam rediens, trajecto Tanai, Moscoviam versus contendit. Eo tempore Basilius rerum suarum securior, nihilque tale metuens, audito Tortarorum adventu, coacto pro tempore exercitu, cui Demetrium Bielski *ducem praefecit*, ad Occam fluvium, ut Tartarorum transitum impediret, praemittit. Mahmetgirej viribus superior, Occa celeriter trajecto, ad piscinas quasdam tredecim verst ab ipsa Moscovia castrametatus est. Inde eruptione facta, omnia rapinis incendiisque complevit. Sub id temporis Sapgirej pariter cum exercitu ex Cazan profectus, Volodimeriam et Novogardiam inferiorem depopulatus est. His peractis, fratres Reges ad Columnam civitatem conveniunt, viresque conjungunt, Basilius cum ad tantum hostem propulsandum imparem se esse videret, Petro sororio suo, ex regibus Tartarorum oriundo, aliisque nonnullis proceribus, in castro cum praesidio relicto, ex Moscovia fugit: adeo timore perculsus, ut rerum suarum desperatione, aliquandiu sub acervo foeni, ut quidam referunt, latuerit. Vicesima nona Julii, Tartari ultra progressi, late omnia incendiis compleverant: tantumque terrorem Moscis incusserant, ut se in castro et in civitate parum tutos putarent. In ea trepidatione a mulieribus, pueris, aliaque imbelli aetate, qui curribus, vehiculis ac sarcinis in castrum confugiebant, tantus in portis tumultus oboritur, ut nimia festinatione se invicem et impedirent, et conculcarent. Ea multitudo tantum foetorem in castro fecerat, ut si hostis triduo aut quatriduo sub urbe permansisset, etiam peste obsessis pereundum fuisset; nam in tanta hominum colluvie, ut quisque locum occuparat, ita naturae satisfacere cogebatur. Erant tum temporis Moscoviae Oratores Livonienses: qui cum conscensis equis fugae se mandassent, et circumquaque nihil praeter ignes et fumum viderent, seque a Tartaris circumdatos esse arbitrarentur, adeo properarunt, ut una die in Tver, quae triginta sex miliaribus Ger. a Moscovia abest pervenirent. Magnam tum laudem merverunt bombardarii Alemanni, praesertim Nicolaus, prope Rhenum, non longe a Spira, Imperiali Germaniae civitate, natus: cui a praefecto, aliisque consiliariis, qui nimio timore jam fere confecti erant, tuendae urbis negotium blandissimis verbis committitur: orantibus, ut tormentis majoribus, quibus moenia dejici solent, sub portam castri deductis Tartaros inde arceret. Horum autem tam vasta erat magnitudo, ut vix tridui spacio eo perduci potuissent. Sed neque pulveres bombardicos tam multos habebant paratos, quibus vel semel majus tormentum exonerari potuisset. Solent enim Mosci perpetuo hunc morem servare, ut omnia in recondito, nec quicquam tamen praeparatum habeant: verum urgente necessitate, omnia tum demum celeriter conficere student. Visum est ergo Nicolao, ut tormenta minora, quae procul a castro erant recondita, humeris hominum celeriter in medium adducerentur. Iis dum detinerentur, clamor derepente exoritur, Tartaros adesse: quae res tantum timorem oppidanis incusserat, ut projectis per vicos bombardis, etiam moenium defendendorum curam omitterent. Quod si tum centum hostium equites impetum in civitatem fecissent, parvo negotio eam funditus igni consumpsissent. In ea trepidatione, praefectus, quique cum eo in praesidio erant, optimum rati, ut Mahmetgirej regis animum, missis muneribus plurimis, in primis autem medone, placarent, et ab obsidione averterent: acceptis muneribus, Mahmetgirej se obsidionem solvere, et provincia velle decedere respondit, si datis literis Basilius sese obstringat, perpetuum se tributarium regi fore, quemadmodum ejus pater et majores sui fuissent. Quibus literis pro voluntate scriptis, acceptisque, Mahmetgirej

Digitized by Google

exercitum ad Rezan reduxit; ubi data Moscis redimendi et permutandi captivos copia, reliquam praedam sub auctione vendidit. Erat tum temporis in Tartarorum castris Eustachius, cognomento Taskovicz, qui regis Poloniae subditus, cum auxiliaribus copiis ad Mahmetgirej venerat. Nam inter regem Poloniae ac Moscoviae ducem nullae tum induciae erant. Is spolia quaedam ad castrum subinde deferebat venalia, eo consilio, ut data occasione, una cum ementibus Ruthenis in castri portas irrueret, idque depulsis inde custodibus occuparet. Hujus conatum rex simili astu adjuvare voluit. Ad praefectum arcis, quendam ex suis, hominem sibi fidum, mittit, qui Praefecto tributarii sui servo mandet, ut ea quae petebat, sibi administret, atque ad se veniat. Praefectus autem Joannes Kovar, rei bellicae ejusmodique artium non ignarus, nulla conditione induci potuit, ut castro exiret: verum simpliciter respondit, se nondum edoctum esse, principem suum Tartarorum tributarium et servuum esse, quod si edoceretur, scire se quid facto opus foret. Quare illico Principis sui literae, quibus se regi obstrinxerat, proferuntur, atque exhibentur. Interum dum ostensis literis praefecti animus ita sollicitatur, Eustachius suum agens negotium, castro magis ac magis appropinquabat: quove magis fucus lateret, Knes Theodorus Lopata, homo primarius, aliique complures Rutheni, qui in Moscoviae depopulatione in hostium manus devenerant, certa pecunia redempti restituebantur. Ad haec, plerique ex captivis negligentius servati, ac de industria quodammodo dimissi, in castrum evaserant: ad quos repetendos cum Tartari magna multitudine castro appropinquassent, Rutheni metu perculsi, profugos denuo restituissent, Tartarique nihilominus a castro adeo non recederent, ut pluribus subinde advenientibus, eorum numerus adaugeretur: Rutheni propter imminens periculum, in magno terrore, summaque rerum desperatione erant, neque quid facto opus esset satis videbant. Tum Joannes Jordan, natione Alemanus, ex valle Oeni oriundus, machinarum magister, periculi magnitudinem magis quam Mosci perpendens, ex suo arbitrio collocatas ordine machinas in Tartaros et Lithuanos exoneravit: eosque ita terruit, ut relicto castro omnes diffugerent. Rex per Eustachium, hujus technae artificem, de illata injuria cum praefecto expostulat: qui quum se inscio ac inconsulto bombardarium machinas exonerasse dixisset, omnemque hujus facinoris culpam in illum transtulisset, mox bombardarium tradi sibi rex postulat; atque, ut plerumque in rebus deploratis fit, maxima pars, quo hostili terrore liberarentur, hunc dedendum censuere: solo Joanne Kovar praefecto renuente; atque ejus maximo beneficio tum Alemanus ille servatus fuit. Nam rex sive morae impatiens, sive quod milites praeda onustos haberet, re sua id exigente, subito (literis etiam Moscoviae Principis, quibus se tributarium perpetuo sibi fore obstrinxerat, in arce relictis) solutis castris, in Tauricam discessit. Porro tantam captivorum multitudinem ex Moscovia secum duxerat, ut ea vix credibilis esse videatur. Ajunt enim numerum octingentorum millium excessisse, quam in Capha partim Turcis vendiderat, partim interfecerat; nam senes et infirmi, qui vendi magno non possunt, adque laborem perferendum inutiles sunt, apud Tartaros juvenibus, non secus ac catulis lepores, quo primae militiae tyrocinia inde addiscant, aut lapidandi, aut in mare praecipitandi, aut alio quovis mortis genere interficiendi objiciuntur; qui autem venduntur; perpetuo sexennio servitutem servire coguntur: quo exacto, liberi quidem fiunt, provincia tamen decedere non audent. Sapgirej rex Cazan, quoscunque ex Moscovia captivos abduxerat, in Astrachan emporio non longe ab ostiis Volgae sito, Tartaris vendidit. Tartarorum regibus ita ex Moscovia profectis, Basilius princeps rursus Moscoviam rediit: atque cum in ingressu Nicolaum Alemanum, cujus solertia et diligentia castrum servatum fuisse dixi, in ipsa castri porta, quo ad excipiendum Principem ingens multitudo confluxerat, stantem vidisset, clara voce: Tua, inquit, fides erga me et diligentia, quam in servando castro praestitisti, nobis cognita sunt, hujusque officii gratiam cumulate tibi reponemus. Alteri quoque Alemano, Joanni, qui ab castro Rezan Tartaros exoneratis repente machinis depulerat, advenienti: Salvus ne es? inquit. Deus nobis vitam dedit, hanc tu denuo nobis conservasti: magna erit erga te gratia nostra. Uterque se liberaliter donatum iri a principe sperabat: nihil tamen illis datum est, quamvis Principem hac de re saepe fatigassent, promissorumque admonuissent. Qua principis ingratitudine offensi, dimissionem, ut patriam, a qua diu abfuissent, cognatosque suos possent invisere, efflagitant; ea re affectum est, ut decem priori stipendio cuique floreni, jussu Principis, adjicerentur. Interea cum in aula Prin-

Digitized by Google

cipis de Ruthenorum fuga ad Occam, quis ejus auctor extitisset, contentio fuisset orta: Seniores in Knes Demetrium Bielski exercitus ducem, hominem juvenem, a quo consilia sua spreta fuissent, omnem culpam transferebant, ejusque incuria Tartaros Occam transiisse: contra ille depulsa a se culpa, Andream juniorem fratrem Principis primum omnium fugam iniisse, caeterosque hunc secutos fuisse dicebat. Basilius, ne severior in fratrem, quem auctorem fugae fuisse constabat, esse videretur, ex praefectis unum, qui una cum fratre profugerat, injectis catenis, dignitate et principatu privavit. Ineunte deinde aestate, ut acceptam a Tartaris cladem ulciscerctur Basilius, ignominiamque quam fugiens et sub foene latitans susceperat, deleret, coacto ingenti exercitu, adjuncto etiam magno tormentorum et machinarum apparatu, quibus antea in bellis Rutheni nunquam usi fuerant, profectus ex Moscovia cum omni exercitu, ad Occam fluvium, Columnamque civitatem consedit; inde missis ad Mahmetgirej in Tauricam caduceatoribus, ad certamen cum provocat; superiore enim anno, se, non indicto bello, ex insidiis, furum latronumque more oppressum fuisse; ad ea rex respondit: Sibi ad invadendam Moscoviam satis multas vias patere: bella non magis armorum quam temporum esse: proinde ea se suo magis quam alieno arbitrio, gerere solere. Quibus verbis irritatus Basilii animus, tum etiam quod ulciscendi *libidine* arderet, motis castris, anno Domini 1523, in Novogardiam, inferiorem scilicet, ut inde Cazan regnum depopularetur, occuparetque, contendit. Inde profectus ad fluvium Sura, in finibus Cazanensium, castrum quod a suo nomine appellavit, erexit: neque tum ultra progressus, exercitum reduxit. Sequenti vero anno Michaelem Georgii, unum ex praecipuis consiliariis suis, majoribus quam prius copiis, ad subigendum Cazan regnum misit. Eo apparatu adeo terribili, Sapgirej rex Cazani perculsus, accersito ad se ex fratre nepote, rege Tauricae. juvenem tredecim annorum, qui interim regno praecesset, ad Turcarum Imperatorem, ejus auxilium opemque imploraturus, confugit. Cum autem juvenis avunculi monitis parens, iter aggrescus, ad Gostinovoosero, id est insulam quae mercatorum dicitur, intra Volgae meatus, non longe a castro Cazan sitam pervenisset, liberaliter honorificeque a regni principibus susceptus est. Nam Sejd, *supremus* Tartarorum sacerdos (qui in tanta apud eos auctoritate ac veneratione est, ut etiam reges advenienti occurrant, stantesque huic equo insidenti manum porrigant: capiteque inclinato, quod solis concessum est regibus tangant: nam Duces non ejus manum, sed genua: nobiles vero pedes, plebeji vestes tantum, aut equum manu attingunt) in eo comitatu fuit. Is Sejd, cum Basilii partes clam foveret, sequereturque, juvenem capere, et Moscoviam vinctum mittere satagebat: sed deprehensus, captusque, cultro in publico occiditur. Michael interea dux exercitus, coactis in inferiore Novogardia ad machinas commeatumque deferendum navibus, quarum tanta multitudo erat, ut fluvius alio qui amplus, navigantium multudine opertus undique esse videretur: ad Cazanum cum exercitu properabat; cumque ad mercatorum insulam Gostinovoosero pervenisset, locatis septima die Julii castris, viginti diebus, dum equitatum expectat, ibi commoratus est. Interea Cazan castrum, quod ex lignis exstructum erat, per quosdam a Moscis subornatos incenditur, ac intuente Ruthenorum exercitu funditus exuritur. Tanta occupandi castri occasio, adeo formidine ac igna via Ducis neglecta fuit, ut nec militem ad expugnandum castri collem eduxerit, nec Tartaros id denuo aedificantes impediverit: verum vigesima octava ejusdem mensis die trajecto in eam partem qua castrum situm est, Volga, ad Cazanca fluvium cum exercitu consedit, viginti diebus bene gerendae rei occasionem captans. Ibi moratus, nec longe ab eo Cazanensis quoque Regulus sua castra locat: emissisque Czeremissis peditibus, Rubus, Ruthenos saepius, frustra tamen, infestat; quae Scheale rex, qui quoque ad id bellum navibus venerat, scriptis literis admonet, ut regno suo haereditario cedat. Ad quae ille paucis: Si regnum hoc meum (respondit) habere cupis, age ferro decernamus utrique; id cui fortuna dederit, habeat. Dum Rutheni ita frustra moras trahunt, absumpto quae abduxerant, commeatu, fame laborare incipiunt; nam Czeremissis omnia circumquaque vastantibus, hostiumque itinera diligenter obseruantibus, uihil adferri poterat: adeo ut nec Princeps de exercitus sui, qua premebatur, necessitate cognoscere, nec ipsi quinque illi significari possent. Huic rei duos Basilius praefecerat: unum, Knes Ioannem Palicki, qui ex Novogardia instructis commeatu navibus, secundo fluvio ad exercitum descenderet: relictoque ibi commeatu, statu etiam rerum praesenti



Digitized by Google

considerato, ocius ad se reverteretur; alter eandem ob rem cum quingentis equitibus terrestri itinere missus fuerat, qui a Czeremissis, in quos inciderat, cum suis caesus est, vix novem per tumultum fuga elapsis. Praefectus graviter saucius, tertio post die in manibus hostium obiit. Hujus cladis fama cum ad exercitum pervenisset, tanta in castris consternatio, quam vanus de toto equitatu ad internecionem caeso subito obortus rumor etiam adauxerat, coorta est, ut nihil nisi de fuga cogitarent; in quam cum omnes consensissent, haesitabant adhuc, adverso ne fluvio, quod difficillimum erat, redirent, an secundo tantisper descenderent, donec alios fluvios attingerent, ex quibus post terrestri itinere longo circuitu reverterentur. In his dum fame, supra modum eos urgente, essent consulationibus, novem, quos ex quingentorum caede elapsos fuisse dixi, forte superveniunt, Joannemque Palicki cum commeatu adventurum nunciant: qui etsi cursum suum maturaret, sinistra tamen fortuna usus, majore parte navium amissa, cum paucis in castra pervenit. Etenim cum diutino labore fatigatus, una nocte quietis causa in Volgae littus se recepisset, Czeremissae continuo magno ac currentes clamore, quis nam proeternavigaret, sciscitantur? quos Palicki servitores, nautarum servos esse rati, jurgiis increpantes, flagris se postero die caesuros minantur, quod domini sui somnum ac quietem importunis vociferationibus interturbarent. Ad quae Czeremissae: Cras, inquiunt: aliud nobis vobiscum negotium erit: nam vinctos vos omnes Cazan ducemus. Mane igitur sole nondum apparente, cum densissima nebula totum littus occupasset, Czeremissae derepente in naves impetu facto, tantum terrorem Ruthenis incusserant, ut Palicki praefectus classis, relictis in manu hostium nonaginta majoribus navibus, in quibus singulis triginta viri erant, soluta a littore navi, medium Volgae teneret, nebulaque tectus fere nudus ad exercitum perveniret. Atque inde post, plurium navium comitatu rediens, haud dispari fortuna usus, in Czeremissarum insidias iterum polapsus est. Navibus enim, quibus deducebatur, amissis, ipse vix cum paucis incolumis evasit. Dum Rutheni ita fame hostilique vi undequaque urgentur, a Basilio missus equitatus Viega fluvio, qui a Meridie Volgam influit, octoque miliaribus a Cazan abest trajecto, ad exercitum contenderet, a Tartaris et Czeremissis bis excipitur: cum quibus congressi, multis utrinque desideratis, Tartaris deinde cedentibus, se reliquo exercitui conjunxerunt; atque ita exercitu equitatu firmato, Cazan castrum quintadecima Augusti obsideri coeptum est. Qua re cognita; regulus ad alterum oppidi latus in conspectu hostium, sua quoque castra locavit: emissoque subinde equitatu hostium, castra obequitare, eosque lacessere jubet; atque ita crebrae utrinque velitationes fiebant. Narratum est nobis ab hominibus fide dignis, qui ei bello interfuerunt, sex aliquando Tartaros in planiciem ad Mosci exercitum processisse: quos cum rex Scheale centum quinquaginta equitibus Tartaricis aggredi vellet, a duce exercitus prohibitum fuisse: duobusque milibus equitum ante cum collocatis, occasionem rei bene gerendae praereptam sibi fuisse. Hi cum Tartaros circumvenire, et quasi concludere, ne fuga elaberentur, vellent: Tartari eorum conatum hoc astu eludere, in sequentibus Moscis paulatim cedere, parumque progressi subsistere. Idem Mosci cum facerent, eorum Tartari timiditatem animadvertentes, mox arreptis arcubus tela in eos torquebant: inque fugam conversos persecuti, complures sauciabant. Moscis denuo in se conversis, paululum cedere, iterumque subsistere, atque ita hostem simulata fuga ludificare. Haec dum fiunt, duo Tartarorum equi, tormenti ictu prostrantur, illaesis tamen equitibus, quos reliqui quatuor salvos ac incolumes, duobus milibus Moscorum spectantibus, ad suos reduxere. Dum equites se ita mutuo ludificant, magna vi interea admotis tormentis, castrum oppugnabatur: neque obsessi segnius, exoneratis pariter in hostem tormentis, se defendebant. In eo certamine bombardarius, quem unicum in castro habebant, ex Ruthenorum statione sphaerula bombardica ictus, occubuit. Qua re comperta, mercenarii ex Germanis et Lithuanis milites, magnam spem ad occupandum castrum concipiunt: quibus si praefecti animus respondisset, haud dubie eo die castro potiti fuissent. Verum is cum suos inedia, quae quotidie etiam magis adaugebatur, premi cerneret, priusquam per internuncios, de incundis induciis clam cum Tartaris egisset, adeo militum conatum non probavit, ut eos etiam cum iracundia corriperet, verberaque minaretur, quod se inscio et inconsulto castrum oppugnare auderent. Bene enim in tanta rerum angustia Principis sui rebus consultum fore putabat, si initis cum hoste quibuscunque induciis, tormenta et exercitum salvum reportaret. Tartari

Digitized by Google

quoque cognita praefecti voluntate, in spem bonam adducti, conditiones quas praefectus offerebat, scilicet ut missis in Moscoviam legatis, pacem cum Principe transigerent, libenter susceperunt; quibus ita constitutis, Palicki praefectus soluta obsidione, cum exercitu in Moscoviam reversus est. Fama erat, praefectum a Tartaris muneribus corruptum, obsidionem soluisse; quam quidam natione Sabaudiensis adauxerat: qui cum tormento sibi commisso, ad hostes deficere voluisset, deprehensus in itinere, atque severius examinatus, confessus est, se deficere voluisse: atque ut plures ad hanc defectionem sollicitaret, argenteos se nummos et pocula Tartarica ab hostibus accepisse; in quem tamen in tam manifesto scelere deprehensum, Praefectus nihil durius statuit. Reducto ita exercitu, quem centum octoginta miltium fuisse perhibent, Cazan regis Oratores ad pacem firmandam ad Basilium veniunt; qui etiam tum, dum nos Moscoviae essemus, aderant: neque adhuc ulla tunc futurae pacis spes inter eos erat; nam et nundinas, quae circa Cazan in mercatorum insula fieri consueverant, in Cazanensium injuriam Basilius Novogardiam transtulit: gravi indicta poena, si qui in posterum ex suis ad mercatum in insula proficiscerentur; eamque nundinarum translationem magno Cazanensibus incommode futuram sperabat, atque vel salis (cujus Tartari illis tantum nundinis copiam a Ruthenis habebant) emptione adempta, ad deditionem eos cogi posse. Verum hujusmodi nundinarum translatione non minus incommodi sensit Moscovia, quam ipsi Cazanenses. Plurimarum enim rerum, quae ex mari Caspio, Astrachan emporio, ad haec Persia et Armenia per Volgam importabantur, consecuta est caritas ac penuria: maxime autem nobilissimorum piscium, ex quorum numero Beluga est, qui citra et ultra Cazan in Volga capiuntur.

Hactenus de bello Principis Moscoviae cum Tartaris Cazaniensibus gesto. Nunc ad intermissam de Tartaris narrationem denuo redeo.

Post Tartaros Cazanenses, primi Tartari cognomento Nagai occurrunt, qui ultra Volgam, circa mare Capsium, ad fluvium Jaik ex provincia Sibir decurrentem habitant. Hi reges non habent, sed duces. Nostra tempestate tres fratres, aequali divisione provinciarum facta, ducatus illos obtinebant: quorum primus Schidak, civitatem Sarajczik ultra fluvium Rha, Orientem versus, cum adjacente ad Jaik fluvium regione obtinebat: alter Cossum, quicquid inter Kamam, Jaik et Rha fluvios esset: Schichmamaj tertius fratrum Sibir provinciae partem, et omnem circumjacentem regionem possidet. Schichmamaj interpretatur sanctus, vel potens. Atque hae quidem regiones omnes fere sylvosae sunt: extra eam quae ad Sarajczik vergit, quae campestris est.

Inter Volgam et Jaik fluvios, circa maro Caspium, habitabant quondam Savolhenses reges, de quibus postea. Apud hos Tartaros rem admirandam, et vix credibilem, Demetrius Danielis, vir (ut inter Barbaros) gravis ac fide singulari, nobis narravit: patrem suum aliquando a Principe Moscoviae ad Savolhensem regem missum fuisse: in qua dum esset legatione, semen quoddam in ea insula, melonum semini, paulo majus ac rotundius, alioqui haud dissimile, vidisse: ex quo in terram condito, quiddam agno persimile, quinque palmarum altitudine succrescceret: id quod eorum lingua Boranetz, quasi agnellum dicas, vocaretur: nam et caput, oculos, aures, caeteraque omnia in formam agni recens editi, pellem praeterea subtilissimam habere, qua plurimi in eis regionibus ad subducenda capitis tegumenta uterentur; ejusmodi pelles vidisse se, multicoram nobis testabantur. Ajebat insuper, plantam illam, si tamen plantam vocari fas est, sanguinem quidem habere, carnem tamen nullam: verum carnis loco, materiam quandam cancrorum carni persimilem; ungulas porro non ut agni corneas, sed pilis quibusdam ad cornu similitudinem vestitas: radicem illi ad umbilicum, seu ventris medium esse; vivere autem tandiu, donec de pastis circum se herbis, radix ipsa inopia pabuli arescat. Miram hujus plantae dulcedinem esse: propter quam a lupis, caeterisque rapacibus animalibus multum appeteretur.

Ego quamvis hoc de semine et planta pro commento habuerim, tamen et antea tanquam a viris minime vanis auditum retuli: et nunc tanto libentius refero, quod mihi vir multae doctrinae Guilhelmus Postellus narravit, se audivisse a quodam Michaele, apud rempublicam Venetam publico Turcicae et Arabicae linguae interprete, quod viderit a finibus Samarcandae civitatis Tartaricae, caeterarumque regionum quae ad Euroaquilonem mare Caspium respiciunt, usque in Chalibontidem deferri quasdam pelles delicatissimas, plantae cujusdam in illis regionibus nascentis, quae aliqui Mussulmani ad capita sua rasa fovenda mediis pileis inse-

Digitized by Google

rere, ac pectori quoque nudo applicare soleant. Plantam sibi tamen non visam esse, nec nomen se scire, nisi quod illic Samarcandeos vocetur: eamque esse ex animali instar plantae in terram defixo. Quae cum ab aliorum narratione non dissideant, mihi (inquit Postellus) pene persuadent, ut hanc rem minus fabulosam esse putem ad gloriam Creatoris, cui omnia sunt possibilia.

A Principe Schidak, progrediendo in Orientem viginti diebus, occurrunt populi quos Mosci appellant Jurgenci, quibus Barack Soltan, magni Chan seu regis de Cataja frater imperat. A domino Barack Soltan, decem diactis itur ad Bebeid Chan. Hic est ille magnus Chan de Cataja.

Astrachan urbs opulenta, magnumque Tartarorum emporium, a qua tota circumjacens regio nomen accepit, decem dierum itinere infra Cazan in citeriore Volgae ripa, ad ejus fere ostia sita est, Quidam hanc non ad Volgae ostia, sed aliquot dierum itinere inde distare ajunt. Equidem eo loco quo Volga fluvius in multos ramos, quos quidem septuaginta esse ajunt, scinditur, pluresque insulas facit, totidemque fere ostiis Caspium mare tanta aquarum copia ingreditur, ut procul spectantibus, mare esse videatur, Astrachan sitam esse puto. Sunt alii, qui eam Citrahan appellant.

Ultra Viatkam et Cazan, ad Permiae vicinam Tartari habitant, qui Tumenskii, Schibanskii, et Cosatzkii vocantur; ex quibus Tumenskii in sylvis habitare, decemque milium numerum ajunt non excedere: alii praeterea Tartari trans Rha fluvium sunt, qui quod soli capillos nutriant, Kalmuki vocantur: et ad mare Caspium Schamachia, a qua etiam regio nomen accepit, ita appellati, homines in texendis sericeis vestibus excellentes, quorum civitas sex dierum itinere abest ab Astrachan, quam una cum regione rex Persarum haut ita diu (ut ajunt) occupavit.

Asoph civitas ad Tanaim, de qua supra, septem dierum itinere distat ab Astrachan: ab Asoph autem, Taurica Chersonesus, praecipue autem Praecop civitas, abest quinque dierum itinere. Inter Cazan autem et Astrachan, longo secundum Volgam tractu, ad Borysthenem usque, campi deserti sunt, quos Tartari nullis certis sedibus inhabitant: praeter Asoph et Achas civitatem, quae est duodecim miliaribus supra Asoph ad Tanaim: et minori Tanai vicinos Tartaros, qui terram colunt, certasque sedes habent. Ab Asoph ad Schamachiam sunt duodecim diactae.

Ab Oriente Meridiem versus reflectendo, circa Macotidis paludes et Pontum, ad fluvium Cupa, qui paludes influit, Aphgasi populi sunt, quo loci usque ad Merula fluvium, qui Pontum illabitur, montes occurrunt, quos Circassi, seu Ciki incolunt. Hi montium asperitate freti, nec Turcis, nec Tartaris parent. Eos tamen Christianos esse, suis legibus vivere, in ritu et caeremoniis cum Graecis convenire, lingua Slavonica (qua utuntur) sacra peragere, Rutheni testantur. Audacissimi piratae sunt; nam fluviis, qui ex eorum montibus fluunt, navibus in mare delapsi, quoscunque possunt spoliant: eos praesertim, qui ex Capha Constantinopolium navigant. Ultra Cupa fluvium est Mengarlia, quam Heraclea fluvius interlabitur: deinde Costatis, quam quidam Colchim esse arbitrantur. Post quem Phasis occurrit, qui priusque mare illabatur, haud procul ab ostiis Satabellum insulam facit: in qua fama est, Jasonis naves quoddam stetisse. Ultra Phasim, Trapezus.

Tauricae Chersonesi paludes, quae ab ostiis Tanais in longitudinem trecenta miliaria Italica habere dicuntur, ad caput S. Joannis, promontorium, qua in arctum coeunt, duo tantum miliaria Italica continent. In ea Krym civitas, olim regnum Tauricae sedes: a qua Krymski nominabantur. Postea toto Isthmo spacio mille ducentorum passuum ad insulae formam perfosso, reges non Krymskii, sed Praecopskii, ab illa nimirum perfossione sumpto vocabulo, nomen accepere. Praecop enim, lingua Slavonica perfossum sonat. Unde apparet, scriptorem quendam errasse, qui Procopium quendam ibi regnasse scripsit. Porro tota Chersonesus, sylva quadam per medium scinditur: eaque pars quae pontum respicit, in qua Capha insignis urbs, olim Theodosia dicta, Genuensium colonia, toto a Turca possidetur. Capham autem Mahumetes, qui expugnata Constantinopoli, Graecorum imperium destruxit, Genuensibus ademit. Alteram peninsulae partem Tartarus possidet. Omnes autem Tartari, Tauricae reges, originem suam ex Savolhensibus regibus ducunt: et cum domestica seditione aliqui regno pulsi fuissent, nec usquam in vicinia firmam sedem habere possent, hanc Europae partem occupavere: veterisque injuriae haud immemores, diu cum Savolhensibus dimicabant: donec patrum nostorum memoria, Alexandro magno duce Lithuaniae in Polonia im-

Digitized by Google

perante Schachmet rex Savolhensis in partes Lithuaniae venit, scilicet ut initio cum Alexandro rege foedere, conjunctis viribus Mahmetgirej regem Tauricae ejiceerent. In quam rem uterque quidem princeps consensit. Cum autem Lithuani juxta eorum consuetudinem longius quam par est, bellum differrent, uxor Savolhensis regis, ejusque quem in campis habebat exercitus, morae, tum etiam frigoris impatientes, eorum regem in oppidis quibusdam agentem sollicitant, obmisso Poloniae rege, ut in tempore rebus suis provideat. Quod cum illi persuadere non possent, uxor relicto marito, cum parte exercitus ad Mahmetgirej Praecopensem regem deficit: cujus impulsu, Praecopensis exercitum ad profligandas reliquas Savolhensis copias mittit. quibus dissipatis, Schachmet Savolhensis rex infelicitatem suam videns, sexingentis fere equitibus comitatus, Albam ad Thyram fluvium sitam, spe auxilii a Turca implorandi confugit. In ea civitate cum structas sibi, ut caperetur, insidias intellexisset, converso itinere, vix media parte equitum assumpta, Kioviam pervenit; ubi a Lithuanis circumventus, captusque, cum regis Poloniae jussu Vilnam deduceretur, obviam sibi rex progressus honorifice susceptum, ad Polonorum conventum secum duxit: quo quidem conventu bellum adversus Mengligerej decernitur. Sed cum Poloni in cogendo excercitu tempus longius, quam par erat, extraherent, Tartarus vehementer offensus, denuo de fuga cogitare coepit: in qua deprehensus, ad Troki castrum, quatuor a Vilna miliaribus retractus est; quem ego ibi vidi, unaque cum eo pransus sum. Atque hic Savolhensium regum imperii finis fuit: cum quibus et Astrachan reges, qui quoque ex eisdem regibus originem traxerunt, una perierunt; quibus ita oppressis et extinctis, regum Tauricae potentia majorem in modum adaucta, vicinis gentibus terrori erat, adeo ut et regem Poloniae ad certum stipendium pendendum cogerent, ea conditione, ut eorum opera quavis urgente necessitate utatur. Quin et Moscoviae Princeps, missis subinde muneribus illum sibi devincire solebat; quod ideo fit, quia cum mutuis assidue bellis implicentur, uterque Tartarorum ope armisque alterum se sperat opprimere posse. Cujus ille haud ignarus, acceptis muneribus utrumque vana spe lactabat; id quod vel eo tempore, dum ego Caesaris Maximiliani nomine apud Moscoviae Principem de pace cum rege Poloniae inennda tractarem, apparuit. Nam cum Moscoviae Princeps ad aequas pacis conditiones induci non posset, rex Poloniae Praecopensem regem pecunia conduxit, ut Moscoviam cum exercitu ab una parte adoriretur, se quoque ex altera Opoczkam versus impetum in Mosci ditionem facturum; qua arte Poloniae rex Moscum ad tolerabiles pacis conditiones cogi posse sperabat. Quod Moscus animadvertens, missis Oratoribus suum vicissim apud Tartarum egit negotium, ut scilicet in Lithuaniam, quam tum omni metu vacuam ac praesidio destitutam esse dicebat, vires suas converteret. Cujus consilium Tartarus, sui commodi duntaxat ratione habita, secutus est. Atque is ejusmodi Principum dissensionibus potentior factus, cum imperii augendi libidine teneretur, neque quiescere posset, ad majora animum applicuit: Mamajque Nahaicensi principe sibi adjuncto, Tauricam anno Domini 1524, mense Januario, cum exercitu egressus, regem Astrachan adortus est; cujus urbem, cum ea relicta, metu profugisset, obsedit, et occupavit, mansitque victor in civitate sub tectis. Interim Agis Nahaicensium quoque princeps, fratrem suum Mamaj increpat, quod tam potentem vicinum suis copiis juvaret. Praeterea eum monet, ut Mahmetgirej regis in dies crescentem potentiam suspectam haberet; posse enim, ut insanabili ille animo esset, fieri, ut conversis in se fratremque armis, utrumque regno depulsum aut interimat, aut in servitutem deducat. Quibus verbis Mamaj permotus, fratri nunciat, eumque hortatur, ut quam magnis posset copiis ad se properaret; posse enim nunc, cum Mahmetgirej magno rerum successu elatus securius ageret, utrosque eo metu levari. Agis fratris monitis parens, ad praescriptum tempus se cum exercitu, quem ad defendendas in tot bellis regni sui fines jam prius coegerat affuturum omnino promisit. Qua re intellecta, Mamaj continuo regem Mahmetgirej monet, ne militem soluta disciplina sub tectis aleret, corrumperetque: sed urbe relicta, in campis potius, ut mos est, degeret. Cujus consilio acquiescens rex, militem in castra educit, advolat Agis cum exercitu, seque fratri jungit: atque hi non ita multo post Mahmetgirej regem nihil tale timentem, cum Bathir Soltan filio, vigintiquinque annos nato, prandentem, facto derepente impetu obtruncant, ejusque majorem exercitus partem fundant, et reliquos in fugam vertunt: ac ultra Tanaim, Tauricam usque insequentes caedunt, fugantque: Praecop civitatem, quam in Cher-

Digitized by Google

sonesi ingressu esse dixi, obsident: tentatisque omnibus, cum ea nec vi nec deditione potiri posse viderent, soluta obsidione domum redeunt. Horum ergo opere rex Astrachan regno suo iterum potitus est: viresque regni Tauricae, cum Mahmetgirej fortissimo et felicissimo rege, qui potenter aliquandiu imperavit, conciderunt. Mahmetgirej occiso, frater ejus Sadachgirej, Turcarum imperatoris (cui tum serviebat) auxilio Praecopense regnum occupavit: qui cum Turcarum moribus imbutus, rarius praeter Tartarorum morem in publico versaretur, neque subditis suis se conspiciendum exhiberet, a Tartaris, qui hanc insolitam rem in Principe ferre non poterant, ejicitur, inque ejus locum ex fratre nepos substituitur, a quo cum Sadachgirei captus fuisset, nepotem, ne caede in se saeviat, sed a suo sanguine abstineat, senectutis suae misereatur, denique ut privatus reliquum vitae in castro aliquo deduceret, nomenque duntaxat regium, tota regni administratione nepoti permissa, retinere possit, supplex orat, et impetrat.

Nomina dignitatum apud Tartaros haec fere sunt. Chan, ut supra dixi, rex est: Soltan, filius regis: Bij, dux: Mursa. filius ducis, Olboud, nobilis, vel consiliarius: Olboudulu, alicujus nobilis filius: Seid, supremus sacerdos: homo vero privatus, Ksi. Officiorum vero, Ulan, secunda a rege dignitas: nam reges Tartarorum quatuor viros, quorum consilio in rebus gravibus potissimum utuntur, habent; ex his primus, Schirni votatur: secundus Barni, tertius Gargni, quartus Tziptzan. Hactenus de Tartaris: nunc de Lithuania, Moscoviae vicina, dicendum est.

## DE LITHUANIA.

Lithuania Moscoviae proxima est; non autem de sola provincia, sed regionibus illi adjacentibus, quae sub Lithuaniae nomine comprehenduntur, nunc loquor. Haec longo tractu ab oppido Circas, quod ad Borysthenem situm est, in Livoniam usque protenditur. Porro Circassi, Borysthenis accolae, Rutheni sunt, aliis ab his quo supra ad Pontum in montibus habitare dixi. His nostra tempestate praeficiebatur Eustachius Tascovicz, (quem cum Mahmetgirej rege in Moscoviam una profectum fuisse, supra dixi) vir belli peritissimus, astutia singulari: qui cum crebra cum Tartaris commercia haberet, saepius tamen eos fudit, quin et ipsum Moscum, cujus aliquando captivus fuerat, in magno saepe pericula adduxit. Eo anno, quo nos Moscoviae eramus, miro astu Moscós profligavit: diguaque mihi res visa est, quae hoc loco ascriberetur, Tartaros quosdam habitu Lithuanico in Moscoviam deduxit, in quos, seu Lithuanos, nullo metu Moscos irruituros sciebat. Ipse dispositis loco opportuno insidiis, Moscos ulciscentes praestolatur. Tartari depopulata parte Severae provinciae, Lithuaniam versus iter arripiunt: indeque mutato itinere, cum Lithuaniam tenuisse cognovissent, Mosci Lithuanos esse rati, mox vindictae cupiditate magno impetu in Lithuaniam irruunt, qua vastata, cum praeda onusti redirent, ab Eustachio ex insidiis circumventi, ad unum omnes caeduntur. Qua re cognita, Moscus Oratores ad Poloniae regem, qui de illata sibi injuria conquererentur, misit; quibus rex: Suos non intulisse, sed injuriam ultos esse, respondit. Ita Moscus utrinque delusus, damnum cum ignominia ferre coactus est.

Infra Circassos nullae habitationes Christianorum sunt. Ad Borysthenis ostia, Oczakow castrum et civitas, quadraginta miliaribus a Circass, quam Tauricae rex non ita diu Poloniae regi ademptam possidebat. Hanc nunc Turcus tenet. Ab Oczakow ad Albam, circa ostia Thirae, quae veteri nomine dicitur Moncastro, quatuordecim miliaribus ab Oczakow, in Praecop quatuordecim miliaribus. A Circass circa Borysthenem ad Praecop quadraginta miliaribus. Supra Circassos septem miliaribus per Borysthenem ascendendo, Cainow oppidum occurrit, a quo decem et octo miliaribus est Kiovia, vetus Russiae metropolis: quam magnificam et plane regiam fuisse, ipsae civitatis ruinae, monumentaque, quae in ruderibus visuntur, declarant. Apparent adhuc hodie in vicinis montibus ecclesiarum, monasteriorumque desolatorum vestigia, praeterea cavernae multae in quibus vetustissima sepulchra, corporaque in his nondum absumpta visuntur. Ab hominibus fide dignis accepi, puellas ibi ultra septimum annum raro castitatem servare, rationes varias audivi, quarum nulla mihi satis facit: quibus, mercatoribus abuti quidem, sed abducere minime licet. Nam si quis abducta puella deprehensus fuerit, et vita et bonis, nisi Principis clementia servatus fuerit, privatur. Lex etiam ibidem est, qua externorum mercatorum (si qui ibi forte decesserint) bona aut regi cedunt, aut ejus praefecto: id quod apud Tartaros et Turcas, in Kiovensibus apud se mortuis observatur. Ad Kioviam monticulus quidam est, per quem mercatoribus via aliquanto difficiliore trans-

Digitized by Google

eundum est: in cujus ascensu, si forte currus aliqua pars frangatur, res quae in curru portabantur, Fisco vindicantur. Haec omnia D. Albertus Gastol Palatinus, Vilnensis regis in Lithuania vicegerens, mihi retulit. Porro a Kiovia ascendendo per Borysthenem triginta miliaribus, Mosyr ad fluvium Prepetz, qui duodecim miliaribus super Kiow Borysthenem influit, occurrit. Thur fluvius piscosus influit Prepetz, a Mosyr autem ad Bobransko, triginta. Inde ascendendo vigintiquinque miliaribus, pervenitur in Mogilew, a qua Orsa sex miliaribus abest. Haec jam enumerata secundum Borysthenem oppida, quae omnia in Occidentali littore sita sunt, regi Poloniae: Orientali vero, Moscoviae principi subjiciuntur: praeter Dobrovnam, et Mstislaw, quae Lithuaniae ditionis sunt. Trajecto Borysthene quatuor miliaribus Dobrovnam, indeque viginti Smolensko devenitur. Ex Orsa nobis iter fuit in Smolensko, et tum Moscoviam usque.

Borisovo oppidum viginti duobus ab Orsa in Occidentem miliaribus abest, quod Beresina fluvius, qui infra Bobransko Borysthenem influit, praeterlabitur. Est autem Beresina, ut oculis conspexi, amplior aliquanto Borysthene, ad Smolensko. Plane puto hunc Beresinam, id quod etiam vocabuli sonus indicare videtur, ab antiquis Borysthenem habitum fuisse, nam si Ptolemaei descriptionem conspexerimus, Beresina fontibus magis quam Borysthenis, quem Nieper appellant, conveniet.

*Lithuania* porro quos Principes habuerit, quando Christianismo initiata fuerit, ab initio satis dictum est. Hujus gentis res ad Vitoldi usque tempora, semper florebant. Si bellum aliunde ipsis immineat, suaque adversus hostium vim defendere debeant, vocati quidem, ad ostentationem magis quam ad bellum instructi magno apparatu veniunt: verum delectu habito, cito dilabuntur. Quod si qui remanserint, hi equis vestibusque melioribus, quibus instructi nomina dederunt, domum remissis, cum paucis quasi coacti, ducem sequuntur. Caeterum magnates, qui certum militum numerum suis sumptibus in bellum mittere coguntur, data duci pecunia, se redimentes, domi remanent: eaque res adeo dedecori non est, ut militiae praefecti, ducesque publice in conventibus castrisque proclamari faciant, si qui velint, numerata pecunia exantoratos domum redire posse. Tanta autem inter hos quidlibet agendi est licentia, ut immodica libertate non uti, sed abuti videantur, Principumque bona impignorata possideant: adeo ut Principes in Lithuaniam venientes, suis, ni provincialium ope subleventur, vectigalibus ibi vivere non potuerint. Gentis habitus oblongus, arcumque Tartarorum, hastam vero et scutum Hungarico more gerunt, equis bonis, iisdemque castratis, sine soleis ferreis, quos mollibus coercent lupatis, utuntur.

Vilna est caput gentis: civitas ampla, intra colles sita, ad confluxum fluviorum Veliae et Vilnae. Velia autem fluvius aliquot infra Vilnam miliaribus, Crononem influit. Cronon autem, oppidum Grodno, nomine haud ita dissimili, praeterlabitur, Prutenosque populos quondam ordini Teutonicorum subjectos (quibus nunc Albertus Marchio Brandenburgensis, posteaquam se regi Poloniae subdidit, cruceque et ordine deposito, haereditarius praeest) a Samogitis, eo loci quo Germanicum mare illabitur, dirimit: ubi est oppidum Mumel; nam Germani Crononem Mumel, patrio vero vocabulo Nemen appellant. Vilna porro nunc est muro cincta, multa templa aedesque lapideae in ea exaedificantur, in qua episcopalis sedes est, quam tunc Joannes regis Sigismundi filius naturalis, vir singulari humanitate praeditus, tenebat, nosque in reditu nostro humaniter excepit. Praeterea parochialis ecclesia, et aliquot monasteria et praecipuum Franciscanorum de observantia coenobium, maximis sumptibus extructum, excellit. Multo plura tamen sunt Ruthenorum templa in ea, quam Romanae obedientiae. In Lithuaniae principatu sunt tres Romanae obedientiae episcopatus: Vilnensis scilicet, Samogithiae et Kioviensis. Rutheni vero episcopatus in regno Poloniae et Lithuania, aut suis in corporatis principatibus, sunt, archiepiscopus Vilnae nunc degens, Polocensis, Volodimeriensis, Lucensis, Pinski, Komensis, Praemissiensis; Lithuani melle, cera, cinere, quibus potissimum abundant, quaestum faciunt, quae magna ab eis copia Gedanum, deinde in Hollandiam deferuntur. Picem quoque et asseres ad fabricandas naves, frumentum quoque Lithuania abunde praebet. Sale caret, quod venale ex Britania habet. Quo tempore Christiernus Daniae regno ejectus, mareque piratis infestum esset, sal non ex Britania, sed ex Russia portabatur: quo etiamnum utuntur apud Lithuanos. Nostra tempestate apud Lithuanos duo potissimum viri bellica laude clari fuere: Constantinus Knes Ostroski et Knes Michael Linski. Constantinus ut plurimum Tartaros fudit: non occurrendo multitudini praedantium, sed praeda onustos sequeba-

Digitized by Google

tur, cumque redirent ad eum usque locum, in quo se omni metu solutos, respirandi et quiescendi commodum spatium habere putabant (is locus erat illi notus) cumque eos invadere constituisset, monuit suos, ut sib ea nocte cibaria pararent, nam se eis nullam ignis copiam in noctem futuram, esse facturum. Itaque sequenti die continuato itinere, cum Tartari noctu nulla flamma aut fumo apparente, putarent hostes regressos, aut dilapsos, eoque et equos in pascua dimitterent, mactarent, vorarent, et se somno dederent: Constantinus primo diluculo invadens, magnis cladibus eos affecit. Knes vero Michael Linski, qui cum adolescens adhuc in Germaniam venisset, et apud Albertum Saxoniae ducem eo tempore in Frisia bellum gerentem strenue se gessisset, ac per omnes militiae gradus magnum sibi nomen peperisset, Germanorumque apud quos adoleverat moribus imbutus, in patriam rediisset, apud Alexandrum regem magna auctoritate ac summo loco fuit: adeo ut rex arduas quasque res ex ejus judicio ac arbitrio constitueret. Accidit autem, ut cum Joanne Saversinski Palatino Trocensi, regis causa in dissensionem veniret, ubi compositis tandem rebus, in vita regis omnia quieta inter illos manebant: at mortuo rege, manebat Joanni alta mente repositum odium; nam ex eo privatus erat Palatinatu. Tum ipse et complices, atque amici, apud Sigismundum regem, qui Alexandro successerat, crimine affectati imperii, ab aemulis quibusdam delatus est, et proditor patriae nominatus. Cujus injuriae Knes Michael impatiens, cum saepe regem appellasset, rogassetque ut communi judicio, quo tantum crimen a se depellere posse dicebat, causam inter se et Saversinski auctorem discerneret: cumque rex illius petitioni locum non daret, in Hungariam ad Vladislaum regis fratrem proficiscitur: a quo literis et Oratoribus, quibus ad cognoscendam suam causam rex admonebatur, impetratis, tentatisque omnibus, cum causae suae cognitionem a rege impetrare non posset, indignitate rei permotus Michael, tale facinus se aggressurum, regi dixit, quod ipsi sibique aliquando foret moerori. At cum domum iratus se recepisset, quendam ex suis hominem sibi fidum, cum literis mandatisque ad Moscoviae Principem mittit. Scripserat autem, si Princeps securam liberamque adse vivendi cupiam, datis in hanc rem literis, atque addito juramento, sibi promitteret, eaque res honori aemolumentique sibi apud Principem foret, se castris quae in Lithuania possideret, aliisque vi aut deditione occupatis, ad se deficere velle. Eo nuncio Moscus, qui viri fortitudinem et dexteritatem cognitam haberet, merifice exhilaratus, omnia quae a se Michael peteret, datis ut volebat literis, juramentoque addito, se facturum recepit. Rebus ita apud Moscum ex sententia confectis, Michael ulciscendi libidine flagrans in Joannem Saversinski, qui tum in villa sua circa Grodno erat (in qua ego postea semel pernoctavi) toto impetu fertur, cumque ne elabi posset, dispositis circum aedes militum stationibus, immisso percussore quodam Mahumetano, in lectulo dormientem opprimit, obtruncatque: qua re peracta, ad castrum Minsko cum exercitu progressus, vi illud, aut deditione occupare nitebatur: sed Minsko occupatione frustratus, alia sub inde castra oppidaque aggressus est. Interea cum regis in se copias advenire, seque illi longe imparem esse intelligeret, obmissa castrorum oppugnatione, in Moscoviam se contulit: ubi a Principe honorifice exceptus est; nam Lithuaniam illi parem non habere sciebat. Unde magnam de eo spem conceperat, se ejus consilio, opera, industria, universam Lithuaniam posse occupare; qua spe haud prorsus frustratus est. Nam communicatis cum eo consiliis, Smolensko insignem Lithuaniae principatum denuo obsedit, et eam viri hujus industria magis quam viribus cepit. Unus enim Michael, militibus qui in praesidio erant, omnem urbis defendendae spem, sua praesentia ademit: eosque et metu et pollicitationibus, ut castrum proderent, permovit. Quod eo audacius majoreque studio faciebat, quoniam Basilius, si Michael Smolensko quacunque arte potiri posset, se castrum cum provincia adjacente perpetuo sibi concessurum promiserat. Quibus tamen promissis adeo ille postea non stetit, ut Michaelem de pactione se appellantem, vana tantum spe lactaret, atque illuderet. Qua re vehementer Michael offensus, nondum abolita e pectore Sigismundi regis memoria, cujus gratiam, opera amicorum quos in ejus aula tum haberet, se facile consequi posse sperabat, ex suis quendam sibi fidum ad regem mittit, seque, si quae gravius in se commisisset, condonaret, rediturum pollicetur. Grata haec legatio regi fuit: nuncioque continuo publicae fidei, quas petebat, literas dari mandavit. Verum cum Michael literis regiis non prorsus fideret, quo tutius redire posset, a Georgio Pisbek et Joanne de Rechenberg, equitibus Germanis, quos ea auctoritate apud regem ejus-

Digitized by Google

que consiliarios esse sciebat, ut regem vel inde tum possent ad servandam fidem cogere, similes literas efflagitavit, impertravitque. Sed cum ejus rei nuncius in Mosci custodias incidisset, captusque esset, re patefacta, Principique celeriter significata, Michael Principis jussu capitur. Eodem tempore nobilis quidam ex Trepkonum familia, adolescens Polonus, a Sigismundo rege ad Michaelem Moscoviam missus erat: qui ut mandata regis commodius exequi posset, perfugam se simulabat. Is quoque haud meliore fortuna usus, a Moscis capitur: et cum perfugam se diceret, neque sibi fides adhiberetur, adeo arcani continens fuit, ut etiam graviter tortus, id non revelaret. Porro cum Michael captus, in conspectum Principis in Smolensko adductus fuisset: Perfide, inquit, dignate pro meritis poena afficiam; ad quae ille: Perfidiae crimen, quod mihi impingis, non agnosco; nam si tu mihi fidem promissamque servasses, si delissimum me in omnibus servitorem habuisses; sed cum te eam floccifacere, meque a te insuper eludi viderem, grave mihi in primis est, ea quae animo in te conceperam, me exequi non potuisse; mortem ego semper contempsi, quam vel ea causa libenter subibo, ne vultum tuum Tyranne amplius conspiciam. Deinde Principis jussu in magnam populi frequentiam in Viesma abductus, ubi supremus belli Praefectus, projectis in medium gravibus, quibus vinciendus erat, cathenis: Princeps te, inquit, Michael maxima (ut scis) dum fideliter servires. gratia prosequebatur. Postquam autem proditione fortis esse volvisti, hoc te secundum merita tua munere donat; simulque cum dicto, cathenas illi injici jubet; qui dum ita spectante multitudine cathenis constringeretur, ad populum conversus: Ne captivitatis, inquit, meae falsa apud vos fama spargatur, quid fecerim, curque captus sim, paucis aperiam: ut vel meo exemplo, qualem Principem habeatis, quidquo quisque vestrum de eo sperare debeat, aut possit, intelligatis. Ita orsus, totius sui in Moscoviam itineris rationem, quaeque Princeps scriptis literis, addito juramento, sibi promisisset, neque ulla ex parte promissis stetisset, referebat. Cumque sua de Principe expectatione falsus esset, voluisse denuo in patriam redire: ideo se captum esse; qua injuria cum praeter meritum afficeretur, mortem se non magnopere refugere, praesertim cum sciret, communi lege naturae omnibus aeque moriendum esse. Et cum corpore valido, ingenioque ad omnia versatili esset, multum etiam valebat consilio, seriis jocosisque rebus aeque idoneus, planeque (ut ajunt) omnium horarum vir: qua animi dexteritate multum sibi gratiae authoritatisque apud omnes, Germanos praesertim, ubi educatus fuerat, conciliaverat. Tartaros, Alexandro rege imperante, insigni clade profligaverat: neque a Vitoldi morte, Lithuani tam praeclaram a Tartaris victoriam unquam reportarunt. Hunc Germani voce Bohemica, Pan Michael vocabant: qui cum, ut homo Ruthenus Graecorum in fide ritum ab initio, eoque post obmisso, Romanum secutus fuisset, quo Principis in se iram indignationemque leniret, mitigaretque, in vinculis denuo Ruthenicum assumpsit. De ejus liberatione, nobis in Moscovia existentibus, multi praeclari viri, in primis autem Principis conjunx, quae sibi ex fratre neptis erat, apud Principem laborabat; intercedebat pro eo etiam Caesar Maximilianus, litterasque speciales in priore mea legatione ad Principem nomine suo dederat: quibus tamen usque adeo nihil effectum est, ut mihi tum nec aditus ad se pateret: imo ne videndi sui copia dabatur. In altera vero legatione, cum forte de liberatione ejus tractaretur, saepius a Moscis interrogabar, an hominem novissem: quibus equidem, quod in re suam fore putabant, nomen me duntaxat ejus aliquando audivisse, respondi. Atque Michael tum liberatus ac dimissus fuit: cujus neptim Princeps, vivente adhuc priore uxore cum duxisset, tantam spem in eo ponebat, ut filios suos illius virtute a fratribus in regno tutos fore crederet: tutorem denique filiorum suorum testamento instituerat. Mortuo dein Principe, viduam lascivientem cum identidem increparet, proditionis crimine ab ea insimulatus, captusque infelix moritur. Qua re patrata, non longe post, ipsam quoque saevientem, veneno sublatam: adulterum vero Ovczina dictum, in partes laniatum ac dissectum ajunt.

Volinia, inter Lithuaniae principatus, gentem bellicosiorem habet.

Lithuania admodum sylvosa est, paludes ingentes, et multos fluvios habet: quorum alii, ut Bog, Prepetz, Thur et Beresina, Orientem versus Borysthenem illabuntur, alii vero, ut Boh, Cronon, et Narew, Septentrionem versus decurrunt. Coelum inclemens, animalia omnis generis parva habet: frumento quidem abundat, sed seges raro ad maturitatem pervenit. Gens misera, et gravi servitute oppressa. Nam ut quisque famulorum caterva stipatus, domum colonia alicujus ingreditur, impune quid vis facere



Digitized by Google

res ad vitae usum necessarias rapere, absumere, crudeliter etiam colonum verberare licet. Colonis quavis de causa ad dominos suos absque muneribus aditus non patet; quod si etiam admittantur, ad Officiales et Praefectos relegantur: qui nisi munera accipiant, nihil boni decernunt, constituuntve. Neque vero haec solum tenuium ratio est, sed etiam nobilium, si a proceribus impetrare quippiam volunt. Audivi a quodam primario Officiale apud regem juniorem, qui dixit. Unum quodque verbum in Lithuania aurum esse, Regi quotannis imperatam pecuniam pro defendendis regni finibus pendunt. Dominis, praeter censum, hebdomatim sex dies laborare: Parocho denique ducta, vel mortua uxore, liberis similiter natis, aut vita defunctis, eo quo confitentur tempore, certam numerare pecuniam coguntur. Tam dura porro servitute a Vitoldi tempore in hunc usque diem detinentur, ut si quis forte capite damnatus fuerit, de se ipso, jubente domino, supplicium sumere, suisque manibus se suspendere cogatur; quod si forte facere recusaverit, tum crudeliter caesus, atque immaniter excarnificatus, nihilominus suspenditur. Hac severitate effectum est, ut si ludex aut Praefectus in re praesenti constitutus, reo moram forte nectenti, minatus fuerit, aut solum modo dixerit, Festina, dominus irascitur: tum miser gravissima verbera extimescens, laqueo vitam finit.

Samogithia proxima Lithuaniae est provincia, in Septentrionem ad mare Baltheum, quae Prussiam quatuor miliarium Germanicorum spacio a Livonia dividit: nullo oppido, aut castro munito insignis; huic ex Lithuania a Principe Praefectus, quem sua lingua Starosta, quasi seniorem appellant, praeficitur; neque temere is, nisi gravissimas ob causas, officio movetur: sed quoad vivit, perpetuo manet. Episcopum habet Romano Pontifici subjectum. In Samogithia hoc in primis admirandum occurrit, quod cum ejus regionis homines procera ut plurimum statura sint, filios tamen alios corporis magnitudine excellentes, alios perpusillos, ac plane nanos, veluti vicissitudine quadam, procreare solent. Samogithae vestitu vili, eoque ut plurimum cinericio utuntur. In humilibus casis, iisque oblongioribus vitam ducunt, in quibus ignis in medio conservatur: ad quem cum paterfamilias sedet, jumenta totamque domus suae supellectilem cernit. Solent enim sub eodem, quo ipsi habitant, tecto, sine ullo interstitio pecora habere. Majores urorum cornibus pro poculis etiam utuntur. Audaces sunt homines, et ad bellum prompti: loricis, aliisque plurimis armis, praecipue autem cuspide, et eo breviore, venatorum more, in bello utuntur. Equos adeo parvos habent, ut vix credibile sit, ad tantos labores eos sufficere posse: quibus foris in bello, domique in colendis agris utuntur. Terram non ferro, sed ligno proscidunt: quod eo magis mirandum, cum terra eorum tenax, et non arenosa sit, quaque pinus nunquam crescit. Araturi ligna complura quibus terram subigunt, locoque vomeris utuntur, secum portare solent: scilicet, ut uno fracto, aliud atque aliud, ne quid in mora sit, in promptu habeant. Quidam ex provinciae praefectis, quo provinciales graviore labore levaret, multos ferreos vomeres adferri fecerat. Cum autem eo, sequentibusque aliquot annis, segetes aliqua coeli intemperie expectationi agricolarum non responderent, vulgusque agrorum suorum sterilitatem ferreo vomeri adscriberet, nec aliud quicquam in causa esse putaret, Praefectus veritus seditionem, amoto ferro, suo eos more agros colere permisit. Provincia haec nemoribus, sylvisque abundat, in quibus horrendae quandoque visiones fieri solent. Sunt etiamnum illic idololatrae complures, qui serpentes quosdam quatuor brevibus, lacertarum instar, pedibus, nigro obaesoque corpore trium palmarum longitudinem non excedentes, Givoites dictos, tanquam penates domi suae nutriunt: eosque lustrata domo statis diebus ad appositum cibum prorepentes, cum tota familia, quod saturati in locum suum revertantur, timore quodam venerantur. Quod si adversi quid illis accideret, serpentem Deum domesticum male acceptum ac saturatum esse credunt. Cum priori ex Moscovia itinere rediens, in Troki venissem, referebat hospes meus, ad quem forte diverteram, se eodem quo ibi eram anno, ab ejusmodi quodam serpentis cultore aliquot alvearia apum emisse: quem cum oratione sua ad verum Christi cultum adduxisset, utque serpentem quem colebat occideret, persuasisset, aliquanto post cum ad visendas apes suas eo reversus fuisset, hominem facie deformatum, ore aurium tenus miserabilem in modum diducto offendit. Tanti mali causam interrogatus, respondit, se, quod serpenti deo suo manus ne pharias injecisset, ad piaculum expiandum, luendamque poenam, hac calamitate puniri: multaque graviora, si ad priores ritus suos non rediret, eum pati oportere. Haec quamvis non in Samogithia, sed in Lithuania sunt acta, pro exemplo tamen adduxi. Mel nusquam melius, nobiliusve, quodque mi-

Digitized by Google

nus cerae habeat, albumque sit, quam in Samogithia, reperiri ajunt.

Mare quod Samogithiam alluit, quodque Baltheum, quidam Germanicum, alii Prutenicum, nonnulli Veneticum: Germani vero alludentes Baltheo, Pelts appellant: Sinus proprie dicitur; interluit namque Cimbricam Chersonesum, quam hodie Juchtland, et Sunder Juchtland Germani: Latini vero. nomine inde pariter sumpto, Juciam vocant. Alluit et Germaniam, quam Bassam dicunt, incipiendo ab Holsatia, quae Cimbricam contingit: dein Lubicensem terram, item Vismariam, et Rostok, Magno polensium Ducum civitates, totumque Pomeraniae tractum, id quod nomen ejus loci indicat, Pomorjae enim Slavonica lingua idem est, ac si diceres, Juxta mare, seu maritimum, Inde Prussiam, cujus metropolis est Gdanum, quod et *Gedanum* et Dantiscum appellatur, alulit. *Porro Ducis* Prussiae sedes est, quam Germani *Regium montem* appellant. Eo loci certo anni tempore, succinum mari innatans, magno hominum periculo, propter subitum maris accessum et recessum aliquando, piscatur. Samogithiam vix 4 miliaribus contingit: atque longo tandem tractu Livoniam, et eam partem quam vulgo Khurland, Curetos absque dubio vocant, et regiones quae Mosco subsunt: Finlandiam denique, quae Suetensium ditionis est, unde etiam Venedicum nomen originem duxisse arbitrantur, circumluit. Ab altera autem parte *Suetiam* contingit. Totum autem Daniae regnum quod insulis maxime constat, in hoc sinu continetur: exceptis Jucia et Scandia, quae continenti adhaerent. Gotlandia quoque insula regno Daniae subjecta, in hoc sinu est: ex qua plerique Gotthos prodiisse putabant: cum tamen longe angustior sit, quam quae tantam hominum multitudinem capere potuisset. Praeterea si Gotthi ex Scandia progressi fuissent, ex Gotlandia in Suetiam, et iterum reflexo per Scandiam itinere (quod rationi minime consentaneum est) oportuisset eos reverti. In Gothia insula adhue Visbi civitatis ruinae extant, in qua omnium illac praeternavigantium lites ac controversiae cognoscebantur, ac constituebantur: eo etiam ex longinquis illis maritimis locis causae ac negotia deferebantur, provocabanturque.

Livonia provincia in longitudine secundum mare protenditur. Hujus metropolis est Riga, cui Teutonici ordinis magister praeest. In ea, praeter Rigensium archiepiscopum, Revaliensis et Ossiliensis episcopi sunt. Oppida habet complura: praecipue autem civitatem Rigam ad fluvium Dvina, non longe ab ostiis: item Revaliam et Derbtum civitates. Revaliam Rutheni Rolivan: Derbt vero Jurjowgorod appellant. Riga nomen suum utraque lingua retinet Fluvios navigabiles, Rubonem et Nervam habet. Hujus provinciae Princeps, fratres ordinis, quorum primi Commendatores vocantur, item proceres et cives, Germani fere omnes sunt. Plebs ut tribus fere linguis utitur, ita in tres ordines seu tribus est divisa. In Livoniam ex Germaniae principatibus, Juliacensi, Geldrensi, et Monasteriensi, quotannis novi et servitores et milites deducuntur: quorum pars in demortuorum, alii in eorum locum qui defuncti annuo officio, quasi manumissi in patriam redeunt, succedunt. Insigni equorum copia adeo abundant, firmique sunt, ut hactenus tam regis Poloniae quam magni Ducis Moscoviae hostiles et frequentes in agros eorum incursiones fortiter sustinuerint, seque strenue defenderint.

Anno Domini 1502, mense Septembri, Alexander Poloniae rex, magnusque Lithuaniae Dux, Magistrum Livoniensem Valtherum a Pletenberg, pactionibus quibusdam induxit, ut ipse instructo exercitu Moscoviae Ducis provincias aggrederetur: pollicitus, ubi is hostilem terram attigisset, cum magno se exercitu affuturum. Sed enim Rex cum ad constitutum tempus, sicuti receperat, non venisset, Moscique cognito hostium adventu, ingenti multitudine magistro occurrissent, isque cum se desertum videret, neque sine summa turpitudine periculoque retrocedere posset, suos primum pro tempore paucis adhortatus, mox exoneratis tormentis, strenue hostem aggreditur: primoque impetu Ruthenos dissipat, atque in fugam convertit. Cum autem pro numero hostium pauciores essent victores, gravioreque armatura praepediti, hostem longius persequi non possent: Moscire cognita, recuperatis animis, denuo in ordines redeunt, atque Pletenbergii peditatum, qui circiter mille quingenti instructa phalange hosti se opposuerunt, aggressi strenue caedunt. In ea pugna Praefectus Matthaeus Pernaver, cum fratre Henrico, et vexillifero Conrado Schvartz, periere. Hujus vexilliferi egregium facinus memoratur; nam cum hostium telis obrutus, confectusque diutius stare non posset, priusquam occumberet, alta voce virum aliquem fortem, qui vexillum a se reciperet, inclamabat; ad cu-

Digitized by Google

jus vocem Lucas Hamersteter, qui se ex Braunsuicensibus ducibus, illegitimo tamen thoro, oriundum gloriaretur, illico accurrens, vexillum ex moribundi manibus capere nitebatur; quem Conradus, sive quod suspectam haberet illius fidem, sive quod tanto honore indignum esse arbitraretur, tradere recusavit. Cujus injuriae Lucas impatiens, educto gladio manum Conradi cum vexillo amputat. Conradus nihilominus vexillum altera manu et dentibus mordicus apprehendens, tenet, laceratque. Lucas vexilli fragmentis arreptis, proditisque peditum copiis, ad Ruthenos deficit. Hujus defectione factum est, ut quadringenti fere pedites ab hostibus misere trucidarentur: reliqua turba cum equitatu, servatis ordinibus, ad suos incolumes rediere. Hujus cladis autor Lucas, postea a Moscis captus, atque in Moscoviam missus, in aula principis aliquamdiu honesto loco fuit. Verum is acceptae a Moscis injuriae impatiens, ex Moscovia clam ad Christiernum Daniae regem postea profugit, a quo tormentis praefigitur. Cum autem pedites aliqui, qui ex ea clade evaserant, in Daniam elapsi, illius proditionem Regi indicassent, nec cum eo una militare vellent, rex Christiernus eum in Stockholm misit: mutatoque post regni statu, costericus, alias Gustavus Suetiae rex, recuperata Stockholm, Lucam ibi inventum, numero familiarium suorum ascribit, et Viburg oppido praefecit: ubi cum nescio cujus criminis se insimulari cerneret, veritus graviora, denuo in Moscoviam se receepit: ubi ego illum honorifice vestitum, inter Principis stipendiarios vidi.

Suetia imperio Mosci contermina, Nortvegiae et Scandiae non secus conjuncta est, atque Italia Neapolitano regno et Pedemonti: marique Baltheo, dein Oceano, et eo quod nunc Glaciale appellamus, circumquaque fere alluitur. Suetia, cujus regia Holmia, quam incolae Stockolm, Rutheni Stecolna appellant, amplissimum regnum, multas et varias nationes complectitur: inter quas virtute bellica celebres Gothi, qui in Ostrogothos, id est orientales: et Vestrogothos, id est occidentales Gothos, pro regionum quas incolunt situ, divisi: inde que progressi, toti orbi, ut plerique scriptores memoriae prodiderunt, terrori fuere.

Nordvegia, quam quidam Nordvagiam appellant, longo tractu Suetiae adjacet, marique alluitur. Atque ut haec a Sud, id est Meridie ita illa a Nord, id est Septentrione, ad quem sita est, nomen accepit. Germani enim quatuor orbis plagis vernacula nomina insidere, provinciasque his adjacentes inde denominavere. Ost enim, Orientem significat: unde Austria quam Germani proprie exprimunt, Osterreich. Vest, Occidentem: a quo Vestvalia; ita a Sud et Nord, ut dictum est, Suetia et Nordvegia.

Scandia vero non est insula, sed continens, Suetiae regni pars, quae longo tractu Gotthos contingit, et cujus nunc bonam partem rex Daniae possidet. Caeterum cum eam, harum rerum Scriptores, majorem ipsa Suetia fecerint, ex eaque Gotthos et Longobardos pregressos fuisse retulerint: videntur, mea quidem sententia, haec tria regna veluti integrum quoddam corpus, Scandiae duntaxat nomine comprehendisse: quia tum illa terrae pars inter mare Baltheum, quod Finlandiam alluit, at Glaciale mare, incognita fuit: quaeque adhuc propter tot paludes, innumeros fluvios et intemperiem coeli inculta, atque parum cognita est. Quae res fecit, ut plerique hanc immensae magnitudinis insulam, uno Scandiae nomine appellarent.

De Corela supra dictum est, eam et regi Suetiae, et principi Moscoviae, quod ditioni utriusque Principis interposita est, tributariam esse; eaque re uterque suam esse gloriatur: cujus fines ad mare Glaciale usque protenduntur. Caeterum cum de Glaciali mari varia multaque a plerisque scriptoribus tradantur, haud abs re fore visum est, si illius maris navigationem paucis subjungam.

## NAVIGATIO PER MARE GLACIALE.

Quo tempore Serenissimi Principis mei Oratorem apud magnum Ducem Moscoviae agebam, aderat forte Gregorius Isthoma, Principis illius interpres, homo industrius, qui apud Joannem Daniae regem, linguam Latinam didicerat; is anno Domini 1496, a suo Principe cum magistro David natione Scoto, regis Daniae tunc Oratore, quem ego quoque priori legatione illic cognovi, ad regem Daniae missus, totius itineris sui rationem nobis compendio retulit: quod cum nobis in tanta locorum difficultate arduum et nimis laboriosum videretur, paucis, sicuti ab eo accepi, describere volui. Principio dicebat, se cum David jam dicto oratore, a Principe suo dimissos, Novogardiam magnam pervenisse. Cum autem eo tempore regnum Suetiae a rege Daniae defecisset, ad haec Moscus cum Suetentibus dissideret, atque adeo commune et consuetum

Digitized by Google

iter illi propter tumultus bellicos tenere non possent, aliud iter longius quidem, ac tutius ingressos fuisse: ac primum quidem ex Novogardia ad ostia Dvinae ac Putivlo, difficili admodum itinere pervenisse. Dicebat autem iter hoc, quod ob molestias et labores nuncquam satis detestari poterat, esse spacio trecentorum mil. Conscensis denique in Dvinae ostiis quatuor naviculis, littus Oceani dextrum se navigando tenuisse, ibique montes altos et asperos vidisse: tandem confectis 16 miliaribus sinuque quodam trajecto, littus sinistrum adnavigasse; atque mari amplo a dextris relicto, quod a Peczora fluvio, quemadmodum et adiacentes montes, nomen habet, ad Finlappiae populos pervenisse: qui etsi humilibus in casis passim secundum mare habitant, ferinamque propemodum vitam ducant, feris tamen Lappis sunt mansuetiores. Eos Mosco vectigales esse dicebat. Relicta postea Lapporum terra, ac octuaginta miliaribus navigatione confecta, Nordpoden regionem, regi Suetiae subjectam, attigisse. Hanc Rutheni Kajenska Zemla, populos vero Kajeni appellant; inde emenso ac superato littore flexuoso, quod in dextrum protendebatur, ad promontorium quoddam, quod Sanctum Nasum appellant, se pervenisse dicebat. Est autem Sanctus Nasus, saxum ingens, ad nasi similitudinem in mare prominens: sub quo antrum vorticosum conspicitur, quod singulis sex horis mare absorbet, ac alternatim magno solitu reddit evomitque ejusmodi voraginem. Alii umbilicum maris, alii Charybdim dixere. Tantam autem hujus gurgitis vim esse, ut naves aliasque in propinquo res attraheret, involueret atque absorberet: neque se unquam in majori periculo fuisse ajebat. Nam gurgite subito ac violenter navem, qua vehebantur, ad se attrahente, vix magno labore remitentibus remis sese evasisse. Superato S. Naso, ad quendam montem saxosum, quem circumire oportebat, perveuisse: ubi cum ventis reflantibus aliquot diebus detinerentur, nauta, Saxum (inquit) hoc quod cernitis, Semes appellant: quod nisi munere aliquo a nobis placatum fuerit, haud facile praeteribimus; quem Isthoma, ob vanam superstitionem se increpasse ajebat; increpatus nauta subticuit, totoque illic quatriduo vi tempestatis retentos, ventis postea quiescentibus, solvisse. Cumque secundo jam flatu vehcrentur, nauclerum dixisse: Vos admonitionem meam de placando Semes saxo, tanquam vanam superstitionem irridebatis: at nisi ego nostu clam ascenso scopulo, Semes placassem, nequaquam transitus nobis concessus fuisset. Interrogatus, quid Semi obtulisset? avenae farinam butyro permixtam, super lapidem quem prominere vidimus, se fudisse dicebat. Postea cum ita navigarent, aliud ingens promontorium, Motka nomine, ad peninsulae speciem ipsis occurrisse: in cujus extremitate Barthus castrum, quod praesidialem domum significat, esset. Habent enim ibi reges Nordvegiae ad defendendos fines, militare praesidium. Tantam autem ejus promontorii longitudinem in mare esse dicebat, ut vix octo diebus circumiri posset; qua mora ne impedirentur, et naviculas et sarcinulas per Isthmum dimidii miliaris intervallo, magno labore humeris traduxerunt. Dein in Dikilopporum, qui feri Loppi sunt, regionem, ad locum Dront nomine, qui ducentis a Dvina in Septentrionem miliaribus abest, navigasse; atque eo usque Moscoviae Principem, ut ipsi narrant, tributa exigere solere. Relictis porro ibi scaphis, reliquum itineris terra trahis confecisse. Referebat praeterea, cervorum ibi greges, ut apud nos boum, esse, qui Nordvegorum lingua Rhen vocantur, nostratibusque cervis aliquanto majores sunt: quibus Loppi vice jumentorum utantur, hoc modo. Vehiculo in scaphae piscatoriae formam facto, cervos jungunt: in quo homo, ne citato cervorum cursu excidat, pedibus alligatur. Lorum, quo cervorum cursum moderatur, sinistra: dextra vero manu baculum tenet, quo vehiculi, si forte in aliquam partem plus aequo vergeret, casum sustineat; atque eo vehendi genere viginti miliaria se uno die confecisse, cervumque tandem dimisisse: quem ad dominum suum stabulaque consueta sponte rediisse, dicebat. Eo tandem itinere confecto, ad Berges civitatem Nordvegiae, recta in Septentrionem inter montes positam, indeque equitatione in Daniam pervenisse. Ceterum apud Dront et Berges in solstitio aestivali, dies viginti duarum horarum esse dicitur. Blasius alter Principis interpres, qui paucos ante annos a Principe suo ad Caesarem in Hispaniam missus fuerat, diversam, magisque compendiariam itineris sui rationem nobis exposuit. Dicebat enim, cum ad Joannem regem Daniae missus fuisset ex Moscovia, Rostow usque pedes venisse: conscensisque navibus Pereaslaw, a Pereaslaw per Volgam in Castromow: indeque septem verst terrestri itinere ad fluviolum quendam se pervenisse, per quem cum in Vologdam primum, Suchanam deinde, et Dvinam, ad Berges usque Norvegiae urbem, navigasset

Digitized by Google

omniaque pericula et labores quos Isthoma supra retulit, navigando superasset, recta tandem Hafniam Daniae metropolim, quae Germanis Coppenhagen dicitur, pervenisse. In reditu uterque se per Livoniam in Moscoviam reversos fuisse, illudque iter annuo spacio confecisse dicebat; quamvis alter, Gregorius Isthoma, se media hujus temporis parte tempestatibus in plerisque locis detentum et remoratum fuisse ajebat. Uterque tamen constanter affirmabat, se mille et septingenta verst, hoc est 340 miliaria hoc itinere peragrasse, Demetrius item ille, qui novissime apud summum Pontificem Romae Oratorem egit, ex cujus etiam relatione Paulus Jovius Moscoviam suam descripsit, perque hoc ipsum ter in Nordvegiam et Daniam missus venerat, omnia supra dicta ita se habere confirmavit. Caeterum hi omnes, de congelato seu glaciali mari a me interrogati, nihil aliud responderunt, quam si in maritimis locis plurimos et maximos fluvios, quorum vehementi et copioso in fluxu maria longis spaciis ab ipsis littoribus propelluntur, vidisse, eosque ab ipsis littoribus per certa spacia una cum mari congelari: uti fit in Livonia, aliisque Suetiae partibus; quamvis enim concurrentium ventorum impetu glacies in mari frangatur, in fluminibus tamen raro, vel nunquam, nisi inundatio aliqua superveniat, glacies tum congesta elevatur, aut frangitur; nam glacierum frusta, fluviorum vi in mare delata, per totum fere annum supernatant: adeoque frigoris vehementia denuo concrescunt, ut aliquando plurium annorum glaciem in unum concretam, ibi cernere liceat; id quod ex frustis, quae a ventis in littus propelluntur, facile cognoscitur. Equidem et Baltheum mare in plurimis locis et saepius congelari, a fide dignis audivi. Dicebant, etiam in ea regione, quae a feris Loppis habitatur, Solem aestivali solstitio quadraginta diebus non occidere: tribus tamen noctis horis corpus solis caligine quadam obductum, ut radii illius non appareant, videri: tantumque luminis nihilominus praebere, ut nemo a labore suo tenebris excludatur. Mosci jactant, se ex illis feris Loppis habere vectigal; quod etsi verisimile non sit, mirum tamen non est, cum alios vicinos ab ipsis vectigal exidentes non habeant. Tributi autem loco pelles et pisces, cum aliud non habeant, pendunt. Persoluto autem annuo tributo, nemini se quicquam debere, suique se juris esse gloriantur. Loppi quamvis pane, sale, aliisque gulae irritamentis careant, solisque piscibus et feris utantur, multum tamen proni in libidinem esse perhibentur. Sagittarii porro peritissimi omnes, adeo ut si quas nobiliores in venatione feras nanciscantur, eas quo pelle integra et immaculata potiantur, missa in proboscidem sagitta interficiunt. Mercatores, aliosque hospites peregrinos, domi cum uxore, venatum euntes reliquunt; reversi, si uxorem hospitis consuetudine laetam ac solito hilariorem reperiant, munere aliquo hunc donant: sin minus, turpiter expellunt. Jam consuetudine hominum externorum, qui quaestus gratia eo commeant, innatam feritatem deponere, ac mansuetiores fieri incipiunt Mercatores libenter admittunt, a quibus ex crasso panno vestes, item secures. acus, coclearia, cultri, pocula, farina, ollae, idque genus alia ipsis afferuntur: ita ut coctis jam cibis vescantur, humanioresque mores induerint. Vestibus, quas ipsi ex diversis ferarum pellibus consuunt, utuntur, eoque habitu in Moscoviam aliquando veniunt: paucissimi tamen caligis, ac pileis, ex pelle cervina confectis, utuntur. Nullus illis aureae et argenteae monetae usus, sola rerum permututione contentis: et cum aliorum idiomata non calleant, apud exteros muti propemodum esse videntur. Tuguriola sua corticibus arborum tegunt: et nusquam certas sedes habent, sed absumptis uno loco feris ac piscibus, alio migrant. Narrabant etiam praedicti Moscoviae Principis Oratore, se in eisdem partibus altissimos montes, ad Aetnae similitudinem flammas semper eructantes vidisse: et in ipsa Nordvegia multos montes perpetua conflagratione coruisse. Qua re adducti quidam, purgatorium ignem ibi esse fabulantur; de quibus montibus, dum legatione apud Christiernum Danorum regem fungerer, eadem fere ab Nordvegiae Praefectis, qui tum forte aderant, accepi. Circa ostia Peczorae fluvii, quae sunt dextrorsum ab ostiis Dvinae varia magnaque in Oceano dicuntur esse animalia. Inter alia autem, animal quoddam magnitudine bovis, quod accolae Mors appellant. Breves huic, instar castrorum, sunt pedes: pectore pro reliqui corporis sui proportione aliquanto altiore, latioreque, dentibus superioribus duobus in longum prominentibus. Hoc animal sobolis ac quietis causa. cum sui generis animalibus, Oceano relicto gregatim montes petit: ubi antequam somno, quo natura profundio re opprimitur, se dederit, vigilem, gruum instar, ex suo numero constituit: qui si obdurmiscat, aut forte a venatore occidatur, reliqua tum facile capi pos-

Digitized by Google

sunt: sin mugitu, ut solet, signum dederit, mox reliquus grex excitatus, posterioribus pedibus dentibus admotis, summa celeritate, tanquam vehiculo per montem delapsi, in Oceanum se praecipitant: ubi in supernatantibus glacierum frustis pro tempore etiam quiescere solent. Ea animalia venatores, solos propter dentes insectantur: ex quibus Mosci, Tartari, et in primis Turci, gladiorum et pugionum manubria affabre faciunt: hisque pro ornamento magis, quam ut graviores ictus (ut quidam fabulatus est) incutiant, utuntur. Porro apud Turcos, Moscos et Tartaros hi dentes pondere veneunt, pisciumque dentes vocantur.

Mare Glaciale ultra Dvinam, ad Peczora, et Obi ostia usque, longe lateque protenditur; ultra quae Engronelandt regionem esse ajunt. Eam cum ob altos montes, qui perpetuis nivibus obsiti rigent, tum perpetuam glaciem mari innatantem (quae navigationem impediat, periculosamque faciat) a conversatione seu commercio nostrorum hominum sejunctam, atque ideo incognitam esse audio.

## DE MODO EXCIPIENDI ET TRACTANDI ORATORES.

Orator in Moscoviam proficiscens, ejusque limitibus appropinquans, nuncium ad proximam civitatem mittit, qui ejus civitatis Praefecto indicet, se Oratorem talis Domini, limites Principis ingressurum. Mox Praefectus, non solum a quo Principe mittatur, sed cujus etiam conditionis, dignitatisve sit ipse Orator, item quotus veniat, diligenter inquirit: quibus cognitis, aliquem cum comitatu, habita tam Principis a quo mittatur, dignitate, quam Oratoris ratione, ad excipiendum et deducendum Oratorem mittit. Interim etiam magno Duci, unde et a quo veniat, continuo significat. Missus, ex itinere pariter aliquem ex suis praemittit, qui Oratori significet, Magnum hominem advenire, qui eum certo loco (locum designans) excepturus sit. Porro Magni hominis titulo propterea utuntur, quod illud praedicatum Magnus, tribuitur omnibus excellentioribus personis; neque enim quenquam strenuum, aut nobilem, aut Baronem, illustrem aut magnificum vocant, aut alio denique id genus titulo ornant. Caeterum in congressu, missus ille adeo non cedit loco, ut nivem hyberno tempore, ubi subsistit, verrere, seu terrere ita jubeat, quo Orator praeterire queat: ipse interim via trita, seu publica non cedit. Praeterea in congressu et hoc observare solent; mittunt nuncium ad Oratorem, qui eum odmoneat, ut ex equo aut vehiculo descendat: si autem aliquis aut lassitudinem, aut aegritudinem causatus fuerit, tum respondent: quod nec proferre, nec audire verba Domini, nisi stando liceat. Imo missus diligenter cavet, ne prior ex equo aut vehiculo descendat, ne videatur hac re derogare domino suo; quin ubi Oratorem ex equo descendere animadvertit, tum primum et ipse descendit.

In priore mea legatione nunciabam occurrenti extra Moscoviam, me fessum esse de via et ut in equis expediremus expedienda, At sibi id faciundum (repetita priore causa) ne quaquam videbatur. Interpretes et alii jam descenderant, monentes me, ut et ego descenderem. Quibus respondebam, quamprimum Moscus descendet, me quoque descensurum. Equidem cum viderem ipsos eam rem tanti facere, decsse ipse quoque Domino meo, ejusque minuere auctoritatem, pariter nolui. Sed enim prior descendere cum renueret, illaque superbia aliquantisper protraheretur, finem facere volens, movi pedem ex subjice ephippiario, tanquam descensurus: qua re animadversa, missus continuo ex equo descendit: ego vero lente me ex equo detuli, ita ut illum a me illusum esse poenituerit.

Sub haec accedens, aperte capite inquit; Magni domini Basilii, Dei gratia regis et domini totius Russiae; et magni ducis, etc, (recitando potiores principatus) Locumtenens et Capitaneus N. provinciae, etc. jussit tibi significaro. Postquam intellexit te Oratorem tanti domini, ad magnum dominum nostrum venire, misit nos tibi obviam, ut te ad se deduceremus; (repetende titulum principis, et Locumtenentis). Praeterea nobis demandatum est, ut inquireremus, quam sane equitaveris; (is enim modus est in excipiendo, Quam sane equitasti?) Dein Oratori dextram missus porrigit: neque rursus honorem prior exhibet, nisi videat Oratorem caput suum aperire. Sub haec, humanitatis forte officio adductus, ultro Oratorem compellat, quaerens, quam sane equitasset, Postremo dat signum manu innuens, Ascende et vade. Conscensis tandem equis, aut vehiculis, subsistit loco una cum suis: neque via cedit Oratori, sed postremus a longe sequito, curatque diligenter ne quisque retrocedat, aut subsequa-

Digitized by Google

tur: procedente Oratore, mox sciscitantur, primum nomen Oratoris, et singulorum servitorum: item nomina parentum, et ex qua quisque provincia oriundus sit, qualem quisque calleat linguam, et cujus sit conditionis, an principis alicujus servitor, an Oratoris consanguineus, aut affinis sit: et an prius quoque in eorum provincia fuerit; quae singula ad magnum ducem per literas contino referunt. Porro cum paululum progressus est Orator, occurrit homo, mandatum dicens se a Locumtenente habere, ut sibi de omnibus necessariis provideat,

Dobrovna igitur, oppidulo Lithuaniae, ad Borysthenem sito, egressi, octoque eodem die miliaribus confectis, cum limites Moscoviae attigissemus, sub divo pernoctavimus: fluviolum aquis redundantem ponte stravimus, ut post mediam noctem inde progredi, et Smolensko pervenire possemus. Nam ab ingressu, seu limite, in principatum Moscoviae, Smolensko civitas duodecim miliaribus tantum Germanicis distat. Mane cum ad unum fere miliare Germ. progressi essemus, honorifice suscipimur: atque inde vix ad dimidium miliare progressi, loco sub divo nobis constituto patienter pernoctavimus: postero die rursus ad duo miliaria progressis, locus pernoctandi constitutus fuit, ubi a deductore nostro prolixe et laute accepti sumus. Caeterum sequenti die (quae erat dies Palmarum) quamvis servitoribus nostris mandaveramus, ut nullibi subsisterent, quin cum sarcinis recta Smolensko contenderent: eos tamen, vix ad duo miliaria Ger. progressi, in loco ad pernoctandum constituto detentos invenimus. Nos autem cum ulterius pergentes viderent, obsecrabant, ut saltem ibi prandium sumeremus; quibus parendum erat. Ea etenim die deductor noster, Oratores sui domini ex Hispania a Caesare nobiscum revertentes, Knes Joannem Posetzen Jaroslawski, et Simeonem Trophimow secretarium invitaverat. Ego qui sciebam causam, cur nos tam diu in his solitudinibus detinerent (miserant etenim ex Smolensko ad magnum Ducem, nunciando adventum nostrum, expectantes responsum, an liceret nos ducere in castrum, necne) volui experiri animum illorum, ingrediorque viam Smolensko versus. Id alii procuratores cum animadvertunt, evestigio ad deductorem currunt, discessum nostrum nunciant: mox reversi, orant, miscentes etiam precibus minas, ut maneremus. Sed illis interea hac atque illuc oursitantibus, cum ad tertium fere pernoctandi locum pervenissemus, meus procurator inquit: Sigismunde quid agis. cur pro arbitrio tuo in alienis dominiis contra ordinationem domini progrederis. Cui respondi: Equidem non sum assuetus in sylvis, more ferarum, sed sub tectis et inter homines vivere. Oratores domini vestri transierunt per regnum domini mei pro arbitrio suo, et deducti sunt per civitates, oppida et villas. Hoc idem et mihi liceat. Neque est mandatum domini vestri, neque causam necessitatemve tantae moraе video. Postea ajunt sese parum deflexuros, causantes noctem jam imminere: praeterea sero castrum ingredi haud quaquam convenire. Horum autem nos causas, quas praetendebant, contemnentes, recta Smolensko contendimus: ubi tam angustis tuguriolis, procul a castro accepti fuimus, ut equos, nisi prius effractis januis, inducere non potuerimus. Sequenti die rursus per Borysthenem traducti, ex opposito fere castri ad Borysthenem pernoctavimus. Tandem Locumtenens per suos nos excipit, atque quintuplici fere potu honorat: Maluatico scilicet, et Graeco vino, caetera erant medones varii, item pane et certis ferculis. Mansimus in Smolensko decem dies, expectantes responsum magni Ducis. Venerant autem duo nobiles a magno Duce, ut nostri curam haberent, nosque Moscoviam deducerent. Aedes vero utriusque nostrum ingressi, ornati commodis vestibus, nequaquam caput aperientes, putabant id nos priores facere oportere: quod tamen negleximus. Postremo, cum mandatum Principis utrinque referendum et audiendum esset, prolato Principis nomine, honorem exhibuimus. Caeterum quemadmodum variis in locis detenti tardius Smolensko veneramus: ita ibi quoque diutius quam par fuit, detinebamur. Ne autem longiore mora gravius offenderemur, aut ipsi desiderio quodammodo nostro deesse viderentur, semel atque iterum nos accesserant; dicentes, Cras mane discedemus. Nos itaque mane equos celeriter adornavimus, accinctique tota die expectavimus. Tandem vesperi cum quadam pompa veniunt, sequeo die haud quaquam expedire potuisse respondent. Cras mane tamen rursus, ut antea, iter sese ingressuros pollicentur: quod pariter distulerunt; nam vix tertia die post, circa meridiem discesseramus, eaque tota die jejunavimus. Sequenti quoque die longius iter constituerant, quam quo currus nostri pervenire possent. Interea temporis omnes fluvii hybernis nivibus dissolutis, aquarum multitudine redundabant. Rivuli quoque nullis coerciti ripis, ingentem aqua-

Digitized by Google

rum vim voluebant: adeo ut tuto, citraque maximos labores transiri non possent. Pontes enim ante horam, duas aut tres facti, exundantibus aquis natabant. Parum igitur abfuit, quin Comes Leonardus de Nugarolis, Caesaris Orator, altera die post discessum a Smolensko, submersus fuisset. Equidem dum in ponte jamjam natante starem, curaremque ut impedimenta transportarentur, equus sub eo conciderat, eumque in caeca ripa reliquerat. Procuratores duo illi, proximi tum Comiti, ne pedem quidem auxilii ferendi gratia movissent: adeo ut nisi alii a longe accurrissent, eumque juvissent, actum de eo fuisset. Veneramus eo die ad quendam pontem, quem Comes cum suis maximo periculo transierat. Ego, qui currus sciebam haud subsecuturos, citra pontem mansi, et villici cujusdam domum *sum* ingressus. Et cum procuratorem *negligentius* cibum curare viderem, propterea quod sese commeatum praemisisse responderet: ipse a matre familias cibum, quem libenter et justo precio dabat, comparabam. Hoc ille ubi resciyit, matronae illico inhibuit, ne quicque mihi venderent Quod cum animadverti, nuncium illius accersi, mandavique ut procuratori diceret, ut aut cibum tempestive ipse curet, aut emendi copiam permittat, quod nisi faciat, caput sim illi diminuturus. Novi, inquam, morem vestrum: multa conquiritis ex mandato domini, et hoc nostro nomine, quae tamen nobis non porrigitis; ad hoc non permittitis, *ut* nostris sumptibus vivamus; minatus sum, haec me Principi dicturum. His verbis minui illius auctoritatem, ita ut deinceps me non solum observaret, sed quodammodo veneraretur Post venimus ad confluxum Voppi et Borysthenis fluviorum, ibique oneravimus Borysthenem sarcinulis nostris, quae Mosajsko usque adverso flumine portabantur: nos vero Borysthene superato, in quodam monasterio pernoctavimus. Sequenti die equi nostri in spacio dimidii miliaris Ger. tres fluvios, aliosque plurimos rivulos redundantes, non sine periculo natare cogebantur. Nos illos per Borysthenem scalmis piscatoriis a monacho quodam vecti circumvimus, atque tandem 26 Aprilis Moscoviam attigimus. A qua cum dimidio mil. Ger. abessemus, occurrit nobis festinabundus, sudoreque diffluens, senex ille secretarius, qui in Hispaniis legatus erat, nuncians, dominum suum nobis obviam mittere magnos homines: nominans eos, qui nos praestolarentur, excepturique essent. Ad haec ait, decere ut in congressu ex equis descendamus, et stantes verba domini audiamus. Postea manu porrecta confabulabamur. Equidem inter alia causam tanti sudoris cum quaesivissem, mox alta voce respondit: Si gismunde, est alius mos serviendi apud dominum nostrum, quam tuum. Porro dum ita progredimur, videmus longo ordine, veluti, exercitum quendam, stantes: atque mox, nobis appropinquantibus, ex equis descendentes: quod et ipsi vicissim fecimus. Caeterum in ipso congressu, quidam initio ita orsus est: Magnus Dominus Basilius, Dei gratia rex et dominus totius Russiae etc. (totum titulum recitans) intellexit, vos Oratores fratris sui Caroli electi Rom. Imp. et supremi regis, ac ejus fratris Ferdinandi, advenisse: misit nos suos consiliarios, nobisque injunxit, ut a vobis inquireremus, quam sanus esset frater suus Carolus Rom. Imp. et supremus rex. Sub haec, similiter de Ferdinando. Secundus ad Comitem: Leonarde Comes, inquit, Magnus Dominus (totum titulum recensens) injuxit mihi, ut tibi obviam irem, teque in hospitium usque deducerem, tibique de omnibus necessariis providerem. Tertius hoc idem ad me dixit. Haec aperto capite, utrinque cum dicta et audita essent, primus rursus inquit: Magnus Dominus (recitando titulum) jussit, ut ex te Leonarde Comes, inquirerem, quam sane equitasses. Hoc idem ad me. Quibus juxta eorum consuetudinem respondimus: Deus det sanitatem magno Principi. Clementia autem Dei et gratia Magni ducis sani equitavimus. Idem hoc rursus: Magnus dux, etc. (subinde titulum repetens) misit tibi Leonarde gradarium cum ephippio, et alium quoque equum ex suo stabulo. Haec eadem ad me. Ad quae cum gratias egissemus, porrigunt nobis manus, et uterque utrumque nostrum ordine interrogant, quam sane equitassemus. Tandem dicebant, Decere ut dominum eorum honoremus, equosque donatos conscendamus: quod quidem fecimus; atque fluvio Moscva trajecto, praemissisque aliis omnibus subsequimur. In ripa porro est monasterium: inde per planiciem, perque medias hominum turbas, quae undique accurrebant, in civitatem, atque adeo diversoria ex opposito sita deducti sumus. Erant autem aedes vacuae et habitatoribus, et omni supellectile. Uterque vero procurator indiciabat suo Oratori, se una cum illis procuratoribus qui nobiscum ex Smolensko venerant, habere a Domino mandatum, nobis ut de omnibus necessariis provideant: statuebant etiam coram nobis



Digitized by Google

scribam, dicentes illum constitutum esse, ut quotidie cibum et alia necessaria afferat; hortantur denique, ut si quid usquam nobis deesset, illis id significaremus. Deinceps singulis fere diebus nos invisebant, semper de defectu inquirentes. Habent autem constitutam sustinendi rationem, aliam pro Germanis, aliam pro Lithuanis, aliam pro aliorum Oratoribus. Habent inquam certum numerum, et cum quidem praescriptum, constituti procuratores, quantum videlicet dent panis, potus, carnis, avenae, foeni, et aliarum omnium rerum, juxta numerum singularum personarum. Sciunt quantum lignorum ad culinam, item quantum ad vaporaria calefacienda, quantum salis, piperis, olei, caepe, aliarumque minimarum rerum in singulos dies dare debeant. Eandem rationem quoque observant procuratores, qui oratores deducunt et reducunt ex Moscovia. Caeterum quamvis satis superque tam cibi quam potus suppeditare solebant, tamen omnia fere quae petieramus, prioribus commutata dabant. Quintuplicem potum semper afferebant, triplicem medonem, duplicem cervisiam. Aliquando pro certis rebus mea pecunia ad forum miseram, praecipue vero pro vivis piscibus: id graviter ferebant, dicentes, domino eorum inde magnam fieri injuriam. Indicabam etiam procuratori, me nobilibus, quorum quinque numero mecum habui, lectulos curare velle. At ille mox respondebat, non esse consuetudinem, lectulis cuiquam providere. Cui respondi: Me non petere, sed velle emere: atque ideo secum communicare, ne posthac, ut antea, irasceretur. Sequenti itaque die reversus inquit: Retuli ad consiliarios domini mei, de quibus heri colloquebamur. Injunxerunt mihi, ut tibi dicerem, ne nummos pro lectulis exponeres; nam quemadmodum nostros homines in partibus vestris tractastis, eadem ratione sese et vos tractaturos pollicentur. Cum autem per biduum quievissemus in hospitio, quae sivimus a procuratoribus nostris, qua die Princeps nos accersurus, auditurusque esset: Quando cunque volveritis, respondent, referemus ad consiliarios domini. Mox petivimus. Erat nobis constitutus terminus, sed in alium diem rejectus. Pridie autem ejus dici, venerat ipse procurator, dicens: Consiliarii nostri domini mandarunt mihi, ut tibi nunciarem, te cras ad Principem nostrum iturum. Porro quotiescunque nos vocarunt, semper interpretes secum habuerunt. Eodem vesperi revertitur interpres, et dicit: Praeparate, quia vocaberis ad conspectum domini. Item mane revertitur rursus commonens: Hodie cris in conspectu domini. Dein vix quartali unius horae elapso, similiter utriusque nostrum venit procurator dicens: Jam jam magni homines pro vobis venient, atque ideo decet vos in easdem conventre aedas. Cum itaque Caesareum oratorem accessissem, continuo interpres advolat, et magnos homines, eosque praecipuos apud Principem viros, qui nos in aulam essent deducturi, nunc adesse ait. Erat autem quidam Knes Basilius Jaroslawski, magno Duci sanguine junctus: alter, unus ex iis qui nos nomine Principis exceperant: quos comitabantur plurimi nobiles. Interim procuratores nostri monebant nos, ut illis magnis hominibus honorem exhiberemus, et obviam iremus: quibus respondimus, scire nos debitum officium nostrum, atque etiam facturos. Caeterum cum jam illi ex equis descendissent, atque hospitale diversorium Comitis ingrederentur, procuratores, subinde nos urgebant, ut illis obviam procederemus, eorumque Principem in deferendo honore, nostris dominis quodammodo praeponeremus, nos vero interim dum illi ascenderent, nunc hoc, nunc aliud impedimentum simulantes, occursum tardamus, atque recta in mediis gradibus in illos incidimus: eosque ut aliquantisper respirarent, in habitationem ducere voluimus, sed id facere renuebant. Ipseque Knes inquit, Magnus Dominus (recitando integrum titulum) jussit vos ad se venire. Mox conscensis equis, magna comitante caterva progressi, in tantas hominum turbas juxta arcem incidimus, ut per eas vix magno satellitum labore ac opera penetraverimus. Est enim ea apud illos consuetudo. ut quoticscunque insignes externorum principum ac regum Oratores in aulam deducendi sunt, tum vulgus nobilium stipendiarii ac milites ex circumjacentibus ac vicinis regionibus, jussu Principis convocentur, urbis tabernae omnes ac officinae sub id tempus occludantur, vendentes ac ementes foro pellantur, eives denique undiquaque conveniant. Hoc autem eo fit, ut ex tam immensa hominum multitudine, subditorumque turba, Principis apud alenigenas potentia: ex tantis autem externorum principum legationibus, majestas apud omnes appareat. Porro arcem ingredientes, diversis in locis seu regionibus, diversi ordinis homines cellocatos vidimus. Juxta portam stabant cives: milites vero et stipendiarii aream tenebant; qui pedes nos comitabantur, antecedebant, et stando impediebant, ne ad gradus usque per-

Digitized by Google

veniremus, ibique ex equis descenderemus. Etenim prope gradus ex equo descendere, praeter Principem nemini licet. Quod ideo quoque fit, ut major Principi honor exhibitus videatur. Primum autem, ut ad medios gradus venimus, occurrunt nobis certi Principis consiliarii, porrigentes manum et osculum, nosque ulterius deducunt. Mox superatis gradibus, occurrunt et alii, majoris auctoritatis consiliarii: cedentibusque prioribus (est enim mos, ut priores sequentibus, ac proximis quibusque ex ordine cedant, ac loco suo tanquam regione attributa subsistant) salutando dextras porrigunt. Dein ingredientibus palatium, in quo vulgus nobilium circumstabat, primarii similiter consiliarii occurrunt, nos que ordine ac ratione praedicta consalutant. Tandem in aliud atrium, quod Knesis, aliisque generosioribus, ex quorum ordine ac numero consiliarii leguntur, septum erat: atque inde ad Principis usque conclave (ante quod stabant ingenui, qui quotidiana officia Principi praestant) ita deducti sumus, ut interim nemo prorsus ex circumstantibus, vel minimum honorem nobis exhibuisset; quin si aliquem nobis familiariter notum praetereventes, forte salutaremus, aut alloqueremur, adeo ille non respondebat, quicquam, ut perinde se exhiberet, ac si nunquam quemquem nostrum novisset, aut salutatus a nobis non esset. Ad Principem tandem quum ingrederemur, assurgebant nobis fratres Principis, si forte adsunt, non assurgunt, aperte tamen capite sedent) Consiliarii; atque unus ex primariis ad Principem conversus, ex more suo, non rogatus nostro nomine, in haec verba loquebatur: Magne Domine, Leonardus Comes frontem percutit: et rursus, Magne Domine, Leonardus Comes frontem percutit: de tua magna gratia; itidem de Sigismundo. Primum significat, quasi, inclinat se, aut honorem exhibet: secundum, gratias agit, de gratia accepta. Nam frontem percutere accipiunt pro salutatione, gratiarum actione, et aliis id genus rebus. Etenim quoties aliquis quicquam petit, vel gratias agit, tum caput inclinare solet: si enixius: id facere studet, tum ita se demittit, ut terram manu contingat. Si magni Duci pro re aliqua maxima gratias agere, aut petere ab eodem quicquam volunt, tum usque adeo se inclinant, demittuntque, ut fronte terram contingant. Princeps in loco eminentiore ac illustri, pariete imagine divi cujusdam splendente, aperto capite sedebat, habebatque a dextra in scamno pileum Kolpak, sinistra vero baculum cum cruce Posech, atque pelvim cum duobus gutturniis adjuncto impositoque mantili; ajunt Principem, cum Oratori Romanae fidei manum porrigat, credere homini se immundo et impuro porrigere: atque ideo, eo dimisso, continuo manus lavare. Erat ibi quoque ex adverso Principis, loco inferiore, scamnum pro Oratoribus adornatum. Eo Princeps ipse, exhibito sibi prius (ut jam dictum est) honore, nos nutu et verbo accersit, manu scamnum demonstrans. Quo loci cum ordine salutaremus Principem, aderat interpres, qui verbum verbo reddebat. Audito autem inter caetera Caroli et Ferdinandi nomine, surrexerat, deque scabello descenderat; auditaque ad finem usque salutatione: Frater (inquit) noster Carolus electus Rom. Imp. et supremus Rex, sanus ne est. Dum Comes respondit, Sanus est: interim scabellum ascendit, et sedit. Haec eadem, finita mea salutatione, ex me de Ferdinando quaerebat. Dein utrunque nostrum ordine ad se vocabat, dicebatque: Porrige mihi manum; qua data, sunjungit, Sanusne equitasti? ad quae uterque nostrum, juxta illorum morem respondit: Deus det, ut tu sanus sis ad multos annos. Equidem clementia Dei, et tua gratia, sanus. Sub haec jusserat, ut sederemus. Nos vero, priusquam id fecimus, juxta illorum consuetudinem, Principi in primis, dein consiliariis et Knesis, qui pro honore nostro stabant, gratias, caput ad utramque partem inclinantes, egimus. Solent alioqui aliorum Principum Oratores, praesertim qui ex Lithuania, Livonia, Suetia, etc. mittuntur, in conspectum Principis admissi, una cum comitatu ac servitoribus, singuli singula munera offerre.

Porro consuetudo offerendi munera est ejusmodi. Audita et exposita legatione, mox consiliarius is qui Oratores ad Principem introduxit, surgens, clara et aperta voce omnibus audientibus ita dicit: Magne Domine, N. Orator frontem percutit, N. tali munere: hoc idem do secundo et tertio repetit. Dein singulorum nobilium ac servitorum, eodem modo et nomina et munera exprimit. Constituito denique illi in latere Secretarius, qui pariter et Oratorum, et singulorum ex ordine offerentium nomina et munera nominatim signat. Ejusmodi autem munera ipsi Pominki, quasi Mnemosynon quoddam appellant, nostros vero admonebant de muneribus: quibus respondimus. Non esse moris nostri. Sed redeo ad propositum.

Salutatione exposita cum paulisper sedissemus, invitaverat ordine utrumque nostrum

Digitized by Google

Princeps hisce verbis: Prandebis mecum. In priore mea legatione, ut hoc quoque adjiciam, juxta illorum consuetudinem me hoc modo invitaverat: Sigismunde, comedes sal et panem nostrum nobiscum. Mox dein vocatis ad se procuratoribus nostris, nescio quid illis demissa voce dixerat; a quibus vicissim admoniti interpretes: Surgite, inquiunt, eamus in aliam habitationem; in qua dum reliquum legationis ac mandatorum quibusdam consiliariis ac secretariis a Principe constitutis exponimus, adornabantur mensae. Constituto porro prandii apparatu, Principe, fratribus ac consiliariis jam discumbentibus, in coenaculum ipsi cum essemus deducti, continuo consiliarii caeterique omnes ordine nobis assurrexerunt: quibus vicissim, morem eorum edocti, priusquam consederant, gratias, caput ad omnes partes inclinando, egimus: locumque in accubitu, quem nobis ipse Princeps manu designabat, cepimus Caeterum tabulae in coenaculo circumcirca adornatae erant. In medio stabat abacus, gravis diversis aureis et argenteis poculis. In tabula, ad quam Princeps sedebat, utrinque tantum intervalli relictum erat, quantum ipse manibus expansis spacii pertingere posset: infra quod fratres, si forte adsunt, a dextris senior, junior a sinistris, sedent. A fratre rursus paulo ampliore spacio interjecto, seniores Knesi, consiliarii, ordine ac gratia quam quisque apud Principem obtinet observata, sedebant. Ex opposito Principis in alia tabula nos sedebamus: atque parvo intervallo interposito, familiares ac servitores nostri; quibus ex adverso, in altero latere, ordine sedebant hi, qui nos ex hospitio in aulam deducebant; in posterioribus utrinque oppositis tabulis, sedebant hi quos Princeps singulari gratia invitaverat: quibus stipendiarii nonnunquam adhibentur. In tabulis posita erant vascula, quorum alia aceto, alia pipere, alia sale repleta erant: singula autem per longitudinem tabulae ita collocata et distributa erant, ut semper quatuor numero convivae, singula haec tria haberent. Sub haec dapiferi, splendidis vestibus ornati, ingressi, abacum circumeuntes, ex adverso Principis, neglecto omni honore, subsistunt: dum omnes vocati convivae accumberent, dumque cibum afferre juberentur. Interim omnibus discumbentibus, Princeps quendam ex suis ministris vocarat, ac duo sibi oblonga panis frusta dederat, inquiens: Da Leonardo Comiti, et Sigismundo, hunc panem. Minister assumpto secum interprete, ordine utrique nostrum ita obtulit: Leonarde Comes. Magnus Dominus Basilius, Dei gratia Rex et Dominus totius Russiae, et Magnus Dux, facit tibi gratiam suam, et mittit tibi panem de sua tabula. Haec verba interpres clara voce reddebat. Nos stantes, Principis gratiam audiebamus. Assurrexerant et alii, extra Principis fratres, pro honore nostro. Pro ejusmodi autem gratia ac honore, alia responsione opus non est, quam ut panem oblatum accipias, super tabulam ponas, gratiasque ipsi Principi capitis inclinatione, dein consiliariis item aliis, ad omnes partes caput circumferendo et inclinando agas. Porro panc ipso Princeps suam erga aliquem gratiam, sale vero amorem ostendit. Neque vero majorem honorem potest alicui exhibere in suo convivio, quam si alicui sal de sua tabula mittit. Panes praeterea formam helcii equini habentes, mea opinione, omnibus iis vescentibus, durum jugum et perpetuam servitutem designant. Tandem pro cibo dapiferi nullo rursus honore Principi exhibito, egressi, aquam vitae, quam ab initio prandii semper bibunt: dein cygnos assos, quos fere pro primo ferculo, quoties carne vescuntur, hospitibus apponere solent, attulerant. Ex quibus tres sibi appositos Princeps cultello pungens, qui nam melior, aliisque esset praeferendus, explorabat, eosque continuo auferre jusserat, Egressi mox omnes, eo quo intraverant ordine, cygnos discerptos, ac in partes divisos, in minores patinas, easque singulas singula quatuor frusta posuerant, Ingressi, quinque patinas Principi apposuerant: reliquas fratribus, consiliariis, Oratoribus, aliisque ordine distribuerant. Astat quidam, qui Principi poculum porrigit: is scilicet, per quem panem et alia fercula singulis mittit. Solet autem Princeps portiunculam dapifero ad praegustandum dare, dein a diversis partibus decerpere, gustareque: post fratri, aut consiliario alicui, aut Oratoribus, unam patinam, ex qua ipse gustavit, mittere. Semper autem majori solennitate Oratoribus hujusmodi obsonia, ut de pane dictum est, offeruntur: in quibus accipiendis, non solum ei cui mittuntur, sed aliis singulis assurgendum, adeo ut toties exhibita Principis gratia, assurgendo, stando, gratias agendo caputque subinde in omnes partes inclinando, non mediocriter quispiam defatigetur. In priore legatione, cum Caesaris Maximiliani Oratorem agere, et convivio acceptus fuissem, aliquoties pro honore fratrum Principis surrexeram: sed

Digitized by Google

illos cum mihi vicissim neque gratias agere, neque vices ullas reponere viderem, deinceps quoties gratiam a Principe accepturos animadvertebam, coepi tum continuo cum aliquo loqui, dissimulans omnia: et quamvis quidam ex opposito mihi innuebant, neque stantibus Principis fratribus appellabant, ego tamen usqueadeo dissimulabam omnia, ut vix post tertium admonitionem ex eis, quidnam sibi vellent, quaererem. Caeterum, cum fratres Principis stare respondissent: ego priusquam respicerem, assurgeremque, caeremoniae quodammodo finiebantur. Dein cum aliquoties tardius assurrexissem, iterumque statim sedissem, idque qui ex opposito sedebant, riderent: itidem quam ob rem risissent, tanquam aliud agens, interrogabam. Sed cum nemo causam aperire vellet, tandem quasi intellecta causa, vultu in gravitatem composito dicebam: Ego nunc non adsum, ut privata persona: certe qui dominum meum negligit, hunc et ego negligam. Praeterea cum Princeps alicui ex junioribus obsonium mitteret, equidem etiam admonitus ut non assurgerem, respondi: Qui dominum meum honorat, hunc et ego honorabo. Porro cum assos cygnos coeperamus edere, apponebant acetum, addito sale et pipere: iis enim loco embammatis, seu jusculi utuntur. Lac praeterea acidum in eundem usum appositum, item cucumeres falsi, ad haec pruna eadem ratione condita, prandii tempore e mensa non removentur. Eadem ratio in aliis inferendis ferculis servatur: nisi quod rursus, ut assatura, non efferantur. Apponuntur varii potus, malvaticum, Graecum vinum, varii etiam medones. Princeps communiter semel aut bis porrigi sibi poculum suum jubet: ex quo cum bibit, Oratores ad se ordine vocat, Leonarde, Sigismunde (dicens) venisti a magno domino, ad magnum dominum: fecisti magnum iter: posteaque vidisti gratiam nostram, et serenos oculos nostros, bene tibi erit; bibe et ebibe, et bene ede usque ad saturitatem: deinde quiesces, ut tandem ad dominum tuum redire possis. Omnia et singula vasa, in quibus cibus, potus, acetum, piper, sal, et alia apposita vidimus, dicunt esse ex puro auro: id quod ex pondere verum apparebat. Sunt quatuor personae, quae singulae ex utraque parte abaci stantes, singula pocula tenent, ex quibus Princeps plerumque bibit, et saepius Oratores alloquitur, monetque eos ut edant. Aliquando etiam scisci*tatur* aliquid ab eis, seque valde urbanum et humanum exhibet. Interrogabat me inter alia, an rasissem barbam? quod unica dictione fit, scilicet Bril; cum faterer, dicit, Et hoc juxta nostrum: quasi diceret, Et nos rasimus. Cum enim alteram uxorem duxisset, totam barbam abraserat: quod nunquam ab aliquo Principe factum perhibebant. Antea ministri tabulae, instar Levitarum sacris inservientium, dalmaticis induti erant, cincti tamen: nunc vero habent vestes diversas, quas Terlik vocant, gemmis et unionibus graves. Prandet aliquando tres aut quatuor horas. In prima mea legatione, etiam ad unam usque noctis horam prandebamus. Quemadmodum enim de rebus dubiis consultantes, saepe totum diem consumunt, neque digrediuntur, nisi re prius mature deliberata, constitutaque: ita conviviis pariter seu comessationibus integrum absumunt nonnunquam diem, intendentibusque tandem tenebris secedunt. Convivas saepe et ferculis et potu honorat. A prandio in negotiis gravioribus nihil agit: quin finito prandio dicere solet Oratoribus, Ite nunc; dimissos, illi ipsi qui eos in aulam deduxerant, rursus in diversoria reducunt: seque mandatum habere dicunt, ibi ut maneant, illosque exhilarent. Afferuntur argentea pocula, et certa vascula multa, cum certo potu: omnesque in hoc student, quo temulentos eos faciant. Sciunt autem pulchre homines invitare ad bibendum; et quum nullam aliem habent occasionem propinandi, incipiunt tandem bibere pro sanitate Caesaris, fratris ejus, Principis, aliorum denique incolumitate, quos videlicet in aliqua dignitate et honore constitutos credunt. Illorum nomine quemquam recusare poculum, non debere, nec etiam posse, existimant. Ita autem bibitur. Qui incipit, sumit poculum, ac in medium habitationis procedit: stansque aperto capite, festivo sermone exponit, pro cujus sanite bibat, quidque illi precetur: mox evacuato ac obverso poculo, verticem tangit, quo omnes videant se ebibisse, et sanitatem illius domini, cujus nomine bibitur, exoptare. Postea ad locum supremum se confert, plura pocula implere jubet, mox suum cuique porrigit, nomenque pro cujus salute bibendum sit, addit; singuli itaque ad medium habitationis ire, ac evacuatis poculis in suum redire locum coguntur. Qui vero longiorem compotationem effugere velit, fingat se necesse est temulentum, aut somno oppressum esse: aut, ut illos inebriet, aut saltem post multa exiccata pocula se amplius nequa-

Digitized by Google

quam bibere posse, affirmet. Etenim non credunt convivas bene acceptos, ac laute tractatos, nisi temulenti reddantur. Hunc morem communiter nobiles, et quibus permissum est medonem ac cervisiam bibere, observant. In priore legatione negotiis confectis, cum me dimitteret, finito prandio ad quod eram vocatus (solent enim legatos tam discedentes, quam advenientes, convivio accipere) surrexerat Princeps, subsistensque ad tabulam, poculum sibi dari jusserat, dicens: Sigismunde, ego volo pro amore, quem habeo erga fratrem nostrum Maximilianum, Romanorum electum Imperatorem, et supremum Regem, proque sanitate sua; poculum hoc ebibere: quod et tu ebibes, et alii omnes ordine, ut videas amorem nostrum erga fratrem nostrum Maximilianum, etc; eique referas, quae videris. Dein porrigit mihi poculum, et dixit: Ebibe pro sanitate fratris nostri Maximiliani Elect. Rom. Imperatoris, et supremi Regis. Porrigebat et aliis omnibus qui prandio intererant, aut alioqui astabant, et ad singulos iisdem verbis utebatur. Acceptis igitur poculis, parum retrocessimus, caputque erga principem inclinantes, bibimus. Quibus finitis, me ad se vocat, manum porrigit, ac inquit: I nunc. Solet praeterea communiter Princeps, negotiis Oratorum ex aliqua parte pertractatis atque constitutis, eos ad venationem et solatium invitare. Est juxta Moscoviam locus arbustis consitus, leporibus percommodus, in quo quasi quodam leporario fovetur maximus numerus leporum: quos proposita maxima poena capere, praeterea arbusta ibi secare, nemo audet. Nutrit etiam quamplurimos in vivariis ferarum, atque aliis locis. Et quotiescunque vult ejusmodi uti solatio, tum ex diversis locis lepores comportare jubet; nam quo plures lepores ceperit, hoc majore solatio et honore negotium se confecisse putat. Item cum in campum venerit, tum certos suos consiliarios, adjunctis certis etiam aulicis, seu equitibus, pro Oratoribus mittit, eosque ad se deduci jubet. Deducti itaque, Principique appropinquantes, de equis, consiliariorum admonitione, descendere, et ad Principem re aliquot passibus coguntur. Nos eadem ratione in venatione ad se deductos, in equo exornato sedens, veste splendida indutus, chirothecis depositis, tecto tamen capite, humaniter exceperat, nudamque porrexerat manum, perque interpretem dicebat: Eximus ad solatium nostrum, vocavimus vos ut interessetis solatio nostro, atque inde aliquam voluptatem capere-

tis: proin equos conscendite, nosque sequimini. Habuit tegmen quod Kolpak appellant, quodque utrinque a tergo et a fronte moniliam habebat, ex quibus laminae aureae in modum pennarum in altum tendebant, incurvantesque sursum deorsumque ferebantur. Vestis erat instar Terlik, aureis filis contexta; ex cingulo pendebant duo oblongi patrio more cultelli, et pugio pariter oblongus; a tergo habebat sub cingulo genus quoddam armorum veluti caestum quo communiter in bello utuntur. Est etenim baculus cubito aliquantulum longior, cui corium duarum palmarum longitudine est affixum: in cujus extremitate clava aut aenea, aut ferrea, seu frustum quoddam existit; hoc tamen auro undique exornatum erat. Claudebat ejus dextrum latus, expulsus Casani rex, nomine Scheale, Tartarus: sinistrum vero, duo juvenes Knesi; quorum alter securim ex ebore, quam ipsi Topor vocant, ea fere forma qualis in Hungaricalibus aureis expressa cernitur, dextra ferebat: alter vero clavam pariter Hungaricae similem quam ipsi Schestopero, id est sexpennatam appellant. Rex Scheale accinctus erat duplici pharetra: in una sagittas reconditas, altera vero arcum inclusum quodammodo habebat. Aderant in campo plusquam trecenti equites. Porro dum ita per campum incedimus, Princeps non aliquoties, nunc hoc, jam alio loco subsistere, aliquando ad se propius venire jusserat. Dein ad locum venationis perductos, alloquebatur, consuetudinem esse dicens, ut quoties in venatione ac suo solatio esset, tum ipse et alii boni viri suis manibus canes venaticos ducerent: itidemque nos ut faceremus, hortabatur. Constituerat denique unicuique nostrum duos homines, quorum uterque canem ducebat, quibus ipsi pro solatio nostro uteremur. Ad ea respondebamus: Nos hanc suam gratiam grato accipere animo, eundemque morem apud nostrates esse; illa autem excusatione ideo utebatur, quod apud eos canis immundum animal habetur: et turpe est, canem nuda manu attingere. Caeterum stabant longo ordine centum fere homines, quorum dimidia pars nigro, altera flavo colore erat vestita. Non longe ab iis substiterant omnes alii equites, prohibentes ne illae transcurrerent ac elaberentur lepores. Porro nemini ab initio dimittere canem venaticum permissum erat, quam regi Scheale, et nobis. Princeps primus inclamabat venatorem, ordili jubens: qui continuo concitatissimo equi cursu ab caeteros venatores, quorum magnus erat nume-

Digitized by Google

rus, advolat: mox uno ore omnes exclamant, canes molossos et odoriferos immittunt; ubi sane perjucundum erat audire tot, tamque varios canum latratus; habet autem quam plurimos, et eos quidem optimos, canes. Quosdam autem ad insequendum lepores tantum Kurtzos dictos, perpulchros pilosis caudis et auribus, communiter audaces, tamen ad longius currendi ac persequendi spacium haud commodos. Cum lepus sese offert, dimittuntur tres, quatuor, quinque aut plures canes, eum undique adorientes: quo apprehenso, magno plausu acclamant, ac si magnam feram cepissent. Porro lepores si tardius aliquando excurrunt, solet tum Princeps continuo aliquem, quemcunque inter arbusta leporem in sacco habentem conspexerit, nominare, ac Hui hui inclamare: qua voce leporem emittendum *significat*. Egrediuntur itaque lepores *nonnunquam* quasi somnolenti, saltantes inter canes, veluti capreoli aut agnelli inter greges. Cujuscunque canis plures capit, is eo die optimum strategema praestitisse putatur. Princeps *ipse* pariter Oratori, cujus canis plures ceperit, applaudere videtur. Porro venatione tandem finita, omnes convenerant, leporesque comportaverant: quos tum numerabant; numerati vero sunt circiter 300. Aderant ibi tum Principis equi, non ita multi, nec satis pulchri; etenim in priore legatione simili solatio cum interfuissem, vidi longe plures ac pulchriores, praesertim ejus generis quos nos Turcicos, illi vero Argamak vocant. Aderant quoque complures falcones, alii albi, alii phoenicei coloris, magnitudine excellentes: quos nos Girofalcones, hos illi Kreczet appellant: quibus venari cygnos, grues, et alias id genus aves capere solent. Sunt autem Kreczet, aves audacissime quidem: at non tam atroces, impetuque horrendo, ut aliae aves quantumvis rapaces, illarum volatu, seu conspectu (quemadmodum quidam de duabus Sarmatiis fabulatus est) decidant, extinguanturque. Illud quidem experientia ipsa constat, si quis venatur accipitre, aut niso, aut aliis falconibus, et interim Kreczet (quam a longe volantem continuo sentiunt) advolaverit, quod praedam ulterius nequaquam insequuntur, sed pavidae subsistunt. Retulerunt nobis fide digni ac insignes viri, Kreczet, quando ex illis partibus ubi nidificant, afferuntur, tum aliquando 4, 5, aut 6, in quodam vehiculo ad hoc praeparato, simul includuntur: atque escam quae illis porrigitur, observato certo quodam senii ordine, capere solent. Id autem ratione, an natura illis indita, an quo alio modo fiat, incertum est. Praeterea quemadmodum in alias aves adverso impetu feruntur, rapacesque existunt: ita inter se ipsas sunt mansuetiores, mutuis sese morsibus minime dilaniantes. Nunquam aqua se, ut caeterae aves, lavant: sed sola arena, qua pediculos excutiunt, utuntur. Frigiditate adeo gaudent, ut perpetuo aut super glacie, aut lapide stare soleant. Sed redeo ad institutum. Princeps ex venatione ligneam quandam turrim versus, quae abest a Moscovia quinque millibus passuum, progressus est, ubi aliquot tentoria erant collocata, primum, magnum et amplum, instar domus, pro se: aliud pro rege Scheale: tertium pro nobis: dein alia pro aliis personis, et rebus; in quae cum ordine deducti essemus. Princeps in suum pariter ingressus, vesteque commutata, nos continuo ad se accerserat, nobisque ingredientibus, sedebat in sede eburnea: latus ejus dextrum claudebat rex Scheale, nos ex adverso loco, alias Oratoribus, dum vel audiuntur, vel de negotiis tractant, destinato. Infra regem sedebant certi Knesi et consiliarii; in sinistro latere, Knesi juniores, quos favore singulari ac gratia sua prosequitur Princeps. Discumbentibus itaque omnibus, apponebantur primum confectiones (ut vocant) coriandri, anisi, et amygdalorum: dein nuces, amygdala, atque saccari integra pyramis: quae ministri genibus flexis Principi, regi, et nobis, tenentes porrigebant. Potus similiter de more dabatur: Princepsque gratiam suam (ut in prandiis assolet) exhibebat. In priore mea legatione eo loci etiam prandium sumpsimus. Et cum inter prandendum, panis, quem ipsi Beatae Virginis vocant, quemque quoddammodo consecratum venerari, atque etiam edere, quem denique communiter in habitationibus loco eminentiore honorifice servare solent, cum forte tentorio commoto in terram decidisset: tum Princeps, atque omnes alii eo casu gravissime obstupefacti, trepidantes stabant. Tum mox accersitus sacerdos, hunc ex gramine, summo studio ac veneratione colligebat. Post finita collatiuncula potuque quem nobis porrexerat Princeps, sumpto, nos dimiserat, dicens: Ite nunc. Dimissi, honorifice usque in hospitia nostra deducti fuimus. Habet et aliud genus solatii, quo pro aliis Oratoribus (ut accepti) solet uti. Aluntur ursi, capti in quadam amplissima et ad hoc constituta domo: in qua Princeps, assumptis Oratoribus, ludos exhibere solet. Habet quosdam infimae conditionis homines,

Digitized by Google

qui jubente spectanteque Principe, ligneis furcis occursant ursis, eosque ad pugnam lacessunt. Congressi tandem, si forte a provocatis ac in rabiem conversis ursis laniati fuerint, ad Principem currunt clamantes: Domine, ecce vulnerati sumus; quibus Princeps: Abite, inquit, faciam vobis gratiam. Dein illos curare, vestes praeterea et certos modios frumenti illis largiri jubet.

Caeterum cum jam absolvendi dimittendique eramus, honorifice, ut antea, ad prandium invitati, ac in aulam deducti fuimus, Utrique praeterea honoraria vestis, zebellinis pellibus subducta, oblata fuit; qua indutis, inque Principis conclave ingressis, Marschalcus continuo utriusque nostrum nomine, ordine dicebat: Magne Domine, Leonardus et Sigismundus, de magna tua gratia, frontem percutit: hoc est, ob acceptum munus gratias agit. Vesti honorariae adjunxerat zebellinorum quadragenas duas, hermelinorum vero 300; atque aspreolorum pelles 1500. In priore legatione addiderat mihi vehiculum, seu traham, cum praestanti equo, et alba ursina pelle, alioque tegumento commodo. Dederat denique multa piscium, Belugae, Osetri, et Sterled, in aere durata, sed infalsa frusta: meque perhumaniter dimiserat. Porro reliquas ceremonias, quibus in dimittendis Oratoribus utitur Princeps, item quando limites suae ditionis ingressi Oratores excipiuntur, rursusque dimissi, ad eosdem usque reducti tractantur, sustentanturque, supra in Lithuanorum Oratorum dimissione copiose explicavi.

Caeterum, quia de pace perpetua tractanda, aut saltem induciis inter Moscoviae principem ac Poloniae regem ineundis, a Caesare CAROLO et fratre ejus FERDINANDO Austriae archiduco, missi fuimus, caeremonias, quibus Moscoviae princeps tum in firmandis induciis utebatur, subjungere visum est. Conclusis itaque, ac in certam formam redactis cum Sigismundo rege Poloniae induciis, in aulam Principis vocati, cum in habitationem quandam deducti essemus, aderant Lithuani Oratores: veniunt etiam eo Principis consiliarii, qui easdem nobiscum concluserant; atque in hanc sententiam sermone ad Lithuanos converso verba faciunt: Voluit quidem Princeps noster, in singularem gratiam ac petitionem magnorum principum, pacem perpetuam cum Sigismundo rege vestro inire. Ea autem cum nullis conditionibus fieri nunc possit, se inducias ad eorundem principum adhortationem inire voluisse. Quibus constituendis, ac legitime firmandis, vos Princeps accersiri jussit, ac praesentes esse voluit. Tenebant porro literas, quas Princeps regi Poloniae daturus erat, confectas, sigillo appenso, et eo quidem parvo ac rubro communitas: in cujus sigilli parte priore imago erat, homo nudus equo sine sella insidens, hastaque draconem transverberans: a tergo vero aquila bicops, utroque capite coronato, cernebatur. Habebant praeterea induciales literas, certa formula compositas: quarum similes, ac eodem exemplo, nominibus ac titulis duntaxat mutandis; rex ipse vicissim Principi erat missurus: in quibus nihil prorsus immutatum erat, excepta hac clausula, quae ad finem literarum addita erat: Nos Petrus Giska palatinus Polocensis et capitaneus Drohiczinensis; et Michael Bohusch Bohutinovicz thesaurarius magni ducatus Lithuaniae, et Stovinensis; ac Kamenacensis. Capitaneus, Oratores regis Poloniae et Magni Ducis Lithuaniae, fatemur, eoque etiam nomine crucis signum deosculati sumus, nosque obstrinximus, Regem videlicet nostrum easdem pariter osculo crucis confirmaturum: in cujus rei meliorem fidem hasce literas nostris signetis communivimus. His itaque auditis ac visis omnes una ad Principem vocamur. Ad quem cum ingressi essemus, mox certo loco nos sedere jusserat, ac in haec verba loquebatur: Joannes Francisce, Comes Leonarde, Sigismunde, efflagitastis a nobis Clementis Papae septimi, ac fratris nostri Caroli, ejusque fratris Ferdinandi nomine, ut pacem cum Sigismundo Poloniae rege perpetuam iniremus. Eam commodis utrinque conditionibus facere cum haudquaquam potuimus, rogastis, ut saltem inducias imponeremus; quas quidem amore nostro in principes vestros, nunc facimus, acceptamusque: super quibus dum Regi justitiam nostram facimus, easque confirmamus, vos praesentes esse volumus, quo dominis vestris referatis, vos factis, ac jam legitime firmatis induciis interfuisse, vidisse, nosque illorum amore haec omnia fecisse. Qua oratione finita, Michaelem Georgii consiliarium vocat, ac crucem deauratam ex opposito de pariete fune serico pendentem, sumere jubet. Mox consiliarius, sumpto mundo lintheolo, quod super fusorio cantaro, in pelvi collocato, jacebat, crucem magna cum veneratione apprehendit, dextraque tenet. Secretarius pariter literas induciales junctas utraque manu tenebat, ita tamen, ut Lithuanorum literae alteris subjectae, eatenus prominerent, quatenus clausula, qua se Lithuani ob-

Digitized by Google

strinxerant, appareret: super quas simul, ubi Michael dextram, qua crucem tenebat, posuisset, Princeps surgens, sermone ad Lithuanorum Oratores converso, longa oratione narrabat, se quidem pacem ad singularem petitionem ac cohortationem tantorum Principum, quorum legatos eo nomine ad se missos viderent, non refugisse, si ea ullis sibi commodis conditionibus fieri potuisset: et cum pacem perpetuam inire cum rege illorum non posset, in horum gratiam quinquennales se inducias, vigore literarum (literas digito demonstrans) inisse: quas quidem, quoad Deus volet, servabimus, inquit, nostramque justitiam fratri nostro Sigismundo regi faciemus: ea tamen conditione, ut similes per omnia literas, eodemque exemplo scriptas, rex nobis det, easque praesentibus Oratoribus nostris confirmet, justitiam suam nobis faciat, ac illas ad nos tandam per Oratores nostros transferendas curet. Interim etiam juramento vos obstringetis, ea omnia et singula regem vestrum facturam, observaturumque. Dein crucem respicit, seque ter signo crucis, capite toties inclinato, ac manu ad terram fere dimissa munit; propiusque accedens, labia, ac si oraret, movens, os lintheolo tergens, inque terram expuens, crucem tandem deosculatus, fronte eam primum, dein utroque oculo attingit; retrocedens, rursus cruce, capite inclinato, se munit. Postea Lithuanos, ut accederent, idemque ipsi facerent, monet. Oratores antequam id facerent, inscriptionem, qua se obstrinxerant, pluribus quidem verbis congestam ac compositam, nihil tamen aut parum admodum ultra supradictam sententiam continentem, Bogusius nomine, Ruthenus, recitabat: cujus verba singula Petrus, fide Romanus, collega repetebat; eadem nobis pariter interpres Principis ad verbum reddebat. Post recitata ac interpretata inscriptione, Petrus ac Bogusius ordine ipsam crucem, astante Principe, deosculantur. Quibus finitis, Princeps sedens in haec verba loquebatur: Vidistis nos fratri nostro Sigismundo Poloniae regi, justiciam nostram ob singularem petitionem Clementis, Caroli et Ferdinandi fecisse. Dicite ergo dominis vestris, tu Joannes Franciscae Papae, tu Comes Leonarde Carolo, et tu Sigismunde Ferdinando, nos ea illorum amore, et ne Christianus mutuis bellis fundatur sanguis, fecisse. Haec cum longa oratione, additis consuetis titulis, perorasset: nos illi vicissim ob singularem ejus erga principes nostros observantiam gratias egimus, nosque mandata illius diligenter executuros promisimus. Dein duos ex suis praecipuis consiliariis et secretariis, ad se vocat, eosque legatos jam ad Poloniae regem institutos, Lithuanis innuit. Postremo multa pocula suo jussu allata, nobis, Lithuanis, atque adeo omnibus et singulis, tam nostris quam Lithuanorum nobilibus, manu sua porrigebat. Lithuaniae denique Oratores nominatim appellans, dicebat: Quae nunc egimus, et quae alioqui ex consiliariis nostris intellexistis, ea fratri nostro Sigismundo regi exponetis. Haec cum dixisset, surgit, et rursus inquit: Petre, et tu Bogusi, fratri nostro Sigismundo Poloniae regi, et magno Duci Lithuaniae, vos nostro nomine (caput interim parum movens) inclinabitis; moxque sedens, utrumque accersit: dextram illis, atque etiam ipsorum nobilibus ordine porrigit, dicitque, Ite nunc; atque sic illos dimiserat.

## ITINERA IN MOSCOVIAM.

Anno 1515 venerant Viennam ad Caesarem Maximilianum, Vladislaus, et ejus filius Ludovicus, Hungariae et Bohemiae, ac Sigismundus Poloniae, reges: ubi contractis ac conclusis matrimoniis filiorum et nepotum, confirmataque mutua amicitia, inter caetera Caesar pollicitus erat, se Oratores suos ad Basilium Moscorum ducem missurum, qui inter hunc et Poloniae regem pacem faceret. Ad hanc legationem Caesar destinaverat Christophorum episcopum Labacensem, et Petrum Mraxi. Sed dum Episcopus protraheret negotium, et interim regis Sigismundi secretarius Joannes Dantiscus, postea episcopus Varmiensis, morae impatiens, profectionem sedulo urgeret, hoc legationis munus mihi non ita pridem ex Dania reverso, fuit impositum. Mandatis itaque continuo a Caesare Haganoae Alsatiae oppido acceptis discedens.

Trajecto primum Rheno, per Marchionum Badensium ditionem et oppida, Rastat, Etlingen, Pfortzach, in ducatum Virtenbergensem, Constat: oppidum denique imperii Eslingen ad Necarum, quem et Nicrum appellant, situm, indeque Gopingen et Geislingen veni.

Ulmae mox Danubio superato, per Gunsburg, ac oppidum Purgav, a quo Marchionatus Burgoviae nomen habet, Augustam Vindelicorum ad Lycum fluvium perrexi: ubi me praestolabantur Gregorius Zagrevski Moscus nun-



Digitized by Google

cius, et Chrysostomus Columnus secretarius Elizabethae viduae Joannis Sfortiae Mediolani et Bharii, qui itineris erant comites.

Relicta Augusta sub initium anni 1516 ultra Lycum, per Bavariae civitates et oppida, Fridberg, Inderstorff, Freysingen, id est Frisingensem episcopatum ad fluvium Ambor, Landshut ad Iseram flu. Gengkhofen, Pfarkirchen, Scharding ad' Oenum transivimus. Oenoque superato, ripasque Danubii legentes, Austriam supra Onasum attigimus. Lincium oppidum in ripa Danubii situm, caput eius provinciae ingressi, pontemque illic Danubio impositum transeuntes, per oppida Galneukirchen, Pregarten, Pierpach, Kunigsvisen, Arbaspach. Rapolstain, in archiducatum Austriae, atque adeo oppida Claram vallem, vulgo Tzvelt dictam, Rastenfeld, Horn, et Retz pervenimus.

Moraviae recta dein, ultra fluvium Teja, qui pro majori parte Austriam a Moravia dirimit, oppidum Snojmam appulimus: ubi Petrum Mraxi collegam meum vita defunctum esse intellexi; et ita solus hoc munus, quod Caesari gratum erat, obivi.

Ex Snojma, Volfernitz, Brunam, dein Olmutium sedem Episcopalem ad fluvium Morava sitam: tres illae civitates Snojma, Bruna et Olmutium sunt primae in Marchionatu; indeque Lipnik,

Hranitza, Ger. Veissenkirchen

Itzin, Ger. Tischein.

Ostrava, Ger. Ostra oppidum: ubi Ostravitza fluvium, qui oppidum alluit, et Silesiam ab ipsa Moravia dirimit, transivimus.

Silesiae post ducum Theschinensium oppidum Freistat, ad Elsa flu. situm.

Strumen, Ger. Schvartzvasser.

Ptzin, Ger. Ples principatum: a quo progrediendo duorum miliarium spacio, est pons trans Istulam, limes Bohemicae ditionis.

A ponte Istulae Polonica est ditio, et usque Oschventzin principatum, Germanice Auschvitz, quo loco fluvius Sola Istulam ingreditur, est iter unius miliaris.

Extra Oschventzin, per pontem superamus Istulam: et confectis 8 mil.

Poloniae regni caput Cracoviam pervenimus, currusque nostros trahis imposuimus. A Cracovia progressi,

Prostovitza, 4 miliar.

Vislitza, 6 miliar.

Schidlow, 5 mil.

Oppatow, 6 mil.

Savichost, quatuor mil. ubi rursus trajecto, et ad sinistram relicto Istula fluvio,

Ursendow, quinque miliar.

Lublin, septem miliar. Palatinatum, quo loci certo ac stato anni tempore insignes habentur nundinae, ad quas ex variis orbis partibus homines, Moscovitae, Lithuani, Tartari, Livonienses, Prutheni. Rutheni, Germani, Hungari, Armeni, Valachi atque Ebrei confluunt.

Cocko, octo miliar. Antequam huc perventum est, labitur fluvius Viepers, septentrionem versus.

Mesericz octo mil. paulo longius progrediendo, est limes Poloniae.

Lithuaniae oppidum Melnik, sex mil. ad Buh fluvium.

Bielsko, octo mil.

Narew, quatuor mil. ubi ejusdem nominis fluvius ex quodam lacu et paludibus, quemadmodum Buh. effusus, et in Septentrionem decurrit.

Ex Narew, transeundo sylvam octo miliaribus: extra quam est oppidum Grinki, in quo regii homines, qui et commeatum suppeditabant (Pristavos appellant) et Vilnam usque deducebant, me praestolabantur; tum in

Grodno, sex miliar. Est ibi satis commodus pro ejus regionis natura principatus. Castrum cum civitate ad fluvium Nemen, qui germ Mumel appellatur, quique ipsam Prussiam alluit, quae olim a supremo Theutonici ordinis magistro gubernabatur. Sed eam nunc Albertus Marchio Brandenburgensis haereditarii ducatus nomine tenet. Crononem hunc fluvium puto, alludens nomini oppidi; ibi Joannes Savorsinski, a Michaele Linski in ea domo, aut (ut ajunt) curia, in qua hospitatus eram, oppressus est. Porro hic reliqui Moscorum nuncium, quem rex Vilnam ingredi prohibuit. Inde progressus,

Prelai, duo miliaria.

Volconik, quinque miliaria.

Rudniki, quatuor miliaria.

Vilnam, quatuor miliaria quoque.

Ante Vilnam autem viri insignes praestolabantur, qui me regis nomine cum honorifice excepissent, atque in traham, seu amplum vehiculum pulvinaribus stratum, et stragulis auro et serico contextis collocatum, regiis ministris latus utrumque claudentibus, officiumque perinde ac si ipse rex veheretur praestantibus, in hospitium usque deduxissent: mox aderat Petrus Tomicki, tunc episcopus Premisliensis,

Digitized by Google

regni Poloniae vicecancellarius, vir omnium testimonio virtute singulari ac vitae integritate praeditus, meque regis pariter nomine humanissime consalutavit, excepitque. Ad ipsum denique regem, magna aulicorum caterva sequente, paulo post deduxit: a quo multis primariis viris, proceribusque magni ducatus Lithuaniae praesentibus, honestissime exceptus fueram.

Vilnae porro eo tempore inter caetera, matrimonium inter ipsum regem, et Bonam Joannis Galeacii Sfortiae ducis Mediolani filiam, Caesare promovente, me nuncio, contractum atque conclusum fuit.

Erant ibi in arctis custodiis tres Moscovitici duces, quibus summa rerum, atque adeo Moscoviticus exercitus, anno 1514 ad Orsam commissus *fuerat*: inter quos erat Joannes Czeladin *primus*. Quos equidem regis permissu *salutatus*, eo quo potui studio consolabar.

Vilna caput magni ducatus Lithuaniae, eo loci sita est, quo confluunt Velia et Vilna fluvii: inque Nemen, seu Crononen illabuntur. In ea relicto Chrysostomo Columno, non diu detinebar.

Vilnam die 14 Martii egressus, non publica atque usitata via, quarum una per Smolensko, altera vero per Livoniam itur in Moscoviam: sed media inter has usus, recta Nemenczin quatuor miliaribus, indeque Svintrava octo miliaribus, superato Schamena fluvio, perveni.

Sequenti die Disla, sex mil. ubi ejusdem nominis lacus est: atque Drisvet, quatuor mil. ubi nuncius Mosci, quem Grodno reliqueram, ad me rediit.

Braslaw, quatuor miliaribus ad lacum Naver, qui in longitudinem uno miliari patet.

Dedina, quinque miliar. atque Dvina fluvium, quem Livonienses (quorum ditionem percurrit) Duna appellant (sunt qui Turantum esse volunt) attigimus.

Drissam dein septem mil. properantes, rursus sub Betha oppido ad Dvina fluvium perveninus: per quem glacie concretum, vehiculis, ejus gentis more, 16 miliaribus sursum versus dum veheremur, duae nobis tritae viae occurrerunt. Cum itaque utram ingrederemur, dubitaremus: mox servitorem in domum rustici in ripa sitam sciscitatum misi; quia vero sub meridiem glacies magnopere liquescebat, nuncius juxta ripam liquefacta ac fracta glacie demersus, vix tandem extractus fuit; accidit etiam, ut quodam loco fluvius utrinque liquefacta prorsus et absumpta glacie, ea duntaxat glacici parte, quam continua vectio induraverat, imo non nisi quatenus vehiculorum orbitae complectebantur, nobis tanquam pons quidam, non sine gravi horrore ac periculo transitum daret. Augebat metum fama communis: quia non diu ante, aliquot centum Moscoviticos praedones, per eundem fluvium glacie concretum transeuntes, ad unum omnes fuisse submersos, ferebatur.

A Drissa Doporoski sex miliaribus, indeque Polocko principatum, quem Vaivodatum appellant, ad Dvinam fluvium, quem alii Rubonem appellant, venimus: ubi honorifice, in maxima hominum occurrentium frequentia excepti, magnifice ac laute tractati, ad proximam denique mansionem usque deducti fuimus.

Inter Vilnam et Polocko plurimi lacus, crebrae paludes, atque immensae longitudinis sylvae sunt, ut quae ad quinquaginta mil. Germ. protenduntur.

Ulterius progressi iter, in limitibus regni minime tutum, ob crebras utriusque partis excursiones, hospitia deserta, aut nulla habuimus: perque magnas paludes ac sylvas, tandem Harbsle et Milenki, pastorum casas, venimus: in quo itinere Lithuanus deductor me deseruerat. Accedebat ad hospitiorum incommoditatem, itineris summa difficultas; si quidem inter lacus et paludes nive et glacie labescente nobis eundum erat, dum Nischam oppidum, ad quendam ejusdem nominis lacum situm, indeque Quadassen quatuor miliaribus, quo loci cum magno pavore et periculo lacum quendam, aqua supra glaciem extante transivimus, atque ad tuguriolum rustici cujusdam perveneramus, quo ex ditione Mosci, Georgii comitis mei cura commeatus allatus erat. Eo loci equidem limites utriusque Principis observare ac discernere non potui.

Moscoviae sine contradictione ditio Corsula: ubi, duobus fluviis Velicarecka et Dsternicza trajectis, indeque duobus mil. confectis, venimus ad

Opoczka civitatem cum castro, ad Velicarecka sitam; quo loci natans pons est, quem equi plerumque genutenus in aqua transeunt. Hanc arcem rex Poloniae, dum ego Moscoviae de pace tractarem, obsederat. In illis porro locis, quamque propter crebras paludes, sylvas, et innumeros fluvios, exercitus aliquo commode duci non posse videatur: nihilominus tamen quocunque volunt, recta contendunt: co-

Digitized by Google

lonorum nimirum multitudine praemissa, qui quaelibet impedimenta arboresque incidendo submovere, paludes ac fluvios pontibus sternere coguntur.

Voronetz dein octo miliaribus oppidum situm ad Soret fluvium, qui recepto in se Voronetz fluvio, non longe infra oppidum Velicarecka illabitur.

Viburg quinque miliar.

Volodimeretz oppidum cum propugnaculo, 3 fere miliar.

Brod coloni cujusdam domum, pariter 3 miliar, indeque 5 miliaribus emensis, stratoque ponte per Ussa fluvium, qui Scholonam influit,

Parcho civitatem, cum castro, ad Scholona fluvium sitam: Opoca villam quandnam, sub quo Vidocha fluvius Suchonam ingreditur, quinque miliaribus; inde septem superatis fluviis,

Reisch villam, quinque pariter miliar.

Dverenbutig villam, quinque mil. infra quam dimidio miliari Pschega, Strupin fluvio in se recepto, influit Scholonam: in quem alii quatuor fluvii, quos eo die transivimus, illabuntur.

Sotoki homuncionis domum, 5 miliar. a qua 4 miliar. Novogardiam tandem magnam quarta Aprilis attigimus. Caeterum a Polocko Novogardiam usque, tot paludes ac fluvios superavimus, ut eorum nomina ac numerum ne incolae quidem teneant: tantum abest, ut illos quispiam commemorare ac describere posset.

Novogardiae paululum respirans, ac septem diebus quiescens, ab ipso locumtenente in die Palmarum convivio acceptus fui: atque ab eodem amanter admonitus, ut servitoribus equisque illic relictis, per dispositos, seu postarum (vulgo loquuntur) equos Moscoviam irem. Cui morem gerens, egressus primum Beodnitz quatuor miliaria, indeque totius diei iter juxta Msta fluvium, qui navigabilis est, et ex Samstin lacu oritur, confeci. Eo porro die cum per pratum liquiescente jam nive, citato equorum cursu proficiscerèmur, pueri mei natione Lithuani equulus ceciderat, ita ut cum puero prorsus praecipitaretur: seque denuo in modum rotae convolvens, in posteriores pedes daret, consisteretque et interea nec terram latere attingeret, nec puerum sub se prostratum ac jacentem laederet.

Post recta Seitskow, ultra fluvium Nischa, sex miliar.

Harosczi ultra fluvium Calacha, septem miliar.

Oreat Rechelvitza ad fluvium Palamit, 7 mil. Eodem die transivimus 8 fluvios, et unum lacum, congelatum quidem, sed aqua supra glaciem completum.

Tandem sexta feria ante Paschatis festum in domum postarum pervenimus, tresque lacus superavimus: primum Voldaj, qui uno miliari in latitudinem, duobus vero in longitudinem patebat: secundum Lutinicz, non admodum magnum: tertium Ihedra, cui ejusdem nominis villa ab Oreat octo miliar. adjacet; quo sane die per hosce lacus, congelatos adhuc, sed aquarum multitudine nive liquiescente inundantes, tritam viam secuti, difficillimum ac periculosissimum iter habuimus: nec deflectere de via publica cum ob nivis altitudinem, tum quod nullum vestigium alicujus semitae apparebat, audebamus. Confecto itaque tam difficili atque periculoso itinere, venimus

Choitilova septem miliar. infra quam duobus Schlingva et Snaj fluviis, eo loco quo confluunt, inque Msta fluvium illabuntur, superatis, Voloschok attigimus: ibique in die Paschatis quievimus. Post septem miliaribus confectis, trajectoque Tverza fluvio,

Vedrapusta oppidum in ripa situm: indeque 7 miliar. descendentes,

Dverschak civitatem, infra quam 2 miliaribus Schegima fluvio navicula piscatoria transmisso, in

Ogossa oppido, uno die quievimus; sequenti die per Tverza fluvium septem miliar. navigantes,

Medina appulimus; sumptoque prandio, rursus naviculam ingressi, 7 miliaribus Volgam, celeberrimum fluvium, atque adeo

Tver principatum attigimus; ubi sumpta majore navi, per Volgam navigantes, non ita longe post ad congelatum, ac glacierum frustis refertum ipsum fluvium venimus: inque quodam loco, maximo labore ac sudore appulimus; altumque congesta in acervum glacie, ripam vix tandem superavimus: indeque pedestri itinere in coloni cujusdam domum venientes, parvosque ibi repertos equos conscendentes, ad monasterium divi Heliae venimus; ubi commutatis equis,

Gerodin oppidum ad Volgam situm, tribus inde miliaribus rectaque post

Schossa 3 miliaribus,

Czorno domum postarum, 3 miliar.

Clin oppidum, ad fluvium Januga situm, 6 miliar.

Piessack domum postarum, 3 miliar.

Czorna, ad fluvium ejusdem nominis situm, 6 miliar,

Moscoviam, 3 miliar. tandem decimaoctava

Digitized by Google

Aprilis pervenimus: ubi quomodo consalutatus atque exceptus fuerim, abunde satis in hoc libro exposui, cum de exceptione ac tractatione Oratorum egissem.

## REDITUS.

Dixi ab initio, me in Moscoviam ad componendos Poloniae et Moscoviae principes, a Divo Maximiliano Imperatore missum fuisse, sed re infecta inde rediisse; nam dum Moscoviae, praesentibus etiam regis Poloniae Oratoribus, de pace ac concordia tractarem, interim rex instructo exercitu Opoczka castrum, ne quicquam tamen, oppugnabat; quare Princeps inducias cum rege facere pernegabat: neque intercepto quidem negotio, honorifice tamen dimiserat. Relicta itaque Moscovia, recta

Mosajsko, 18 miliar.

Viesma, 26 miliar.

Drogobusch, 18 miliar.

Smolensko dein, 18 miliar. perveni; abinde *duabus* noctibus ibi sub dio in magnis nivibus quievimus: ubi ab deductoribus meis laute ac honorifice tractabar, et strato in longum aliquanto altius foeno, corticibus arborum superimpositis stratisque linteis, attractis more Turcarum seu Tartarorum pedibus mensae accumbentes, cibum capiebamus, bibendoque aliquanto largius, coenam producebamus. Altera nocte veneramus *ad quendam* fluvium, minime tum quidem congelatum: sed post medium noctis, ob infestum frigus usque adeo concretum, ut per glaciem plusquam decem onusta etiam vehicula traducta sint; equi vero alio loco, quo celerius majoreque impetu decurrebat fluvius, compulsi, fracta glacie transibant. Eo loci duodecim a Smolensko miliar. relictis deductoribus, in Lithuaniam profectus sum: et a limite octo miliaribus, ad

Dobrovnam veni, ubi rerum necessariarum justum quidem copiam, sed hospitium Lithuanicum habui.

Orsam quatuor miliar. quousque a Viesma a dextris Borysthenem habuimus, quem tum haud longo intervallo supra infraque Smolensko trajicere cogebamur; eoque circa Orsam relicto, recta

Druzek, 8 miliar.

Grodno, 11 miliar.

Borisow, 6 miliar. ad fluvium Berosina, *cujus* fontes Ptolomaeus Borysthenis adscribit.

Lohoschak, 8 miliar.

Radochostje, 7 fere miliar.

Crasno Sello, 2 miliar.

Modolesch, 2 miliar.

Creva oppidum cum castro deserto, 6 mil.

Mednik pariter oppidum cum castro deserto, 7 miliar. indeque

Vilnam tandem pervenimus: ibique post regis in Poloniam discessum, paucis diebus, dum servitores cum equis meis ex Novogardia per Livoniam reverterentur, commoratus sum; quibus receptis, mox inde quatuor miliaribus de via in Troki deflexi, ut ibi in quodam horto conclusos ac conseptos Bisontes, quos alii Uros, Ger. vero Auroxen appellant, viderem. Palatinus porro, etsi meo inexpectato ac improviso adventu quodammodo offendebatur, me nihilominus tamen ad prandium invitavit: cui intercat Schachmet rex Savolhensis Tartarus: qui eo loci in duobus muratis, et inter lacus extructis castris, veluti liberis custodiis, honeste servabatur. Is inter prandendum variis de rebus per interpretem mecum colloquebatur: Caesarem praeterea fratrem suum appellabat, omnesque principes ac reges inter se esse fratres dicebat.

Sumpto prandio, acceptoque a Palatino juxta Lithuanorum consuetudinem munere, primum Moroschei oppidum, dein Grodno 15 miliar.

Grinki, 6 miliar. Sylva post superata,

Narew, 8 miliar. atque

Bielsko oppidum venimus, ubi Nicolaum Radovil palatinum Vilnensem offendi, cui jam antea Caesaris literas reddideram: qui etsi antea me equo gradario, duobusque aliis pro vehiculo donaverat, castratum tamen et bonum jam denuo equum dono dedit: obtrusitque preterea aureos aliquot Hungaricales, adhortando, ut ex his annulum mihi fieri curarem, quo induto, quotidieque inspecto, sui facilius, et praesertim apud Caesarem recordaret. Ex Bielsko in Briesti castrum cum oppido ligneo, ad fluvium Buh, in quem Muchavetz, illabitur,

Lamas oppidum: ubi Lithuania relicta,

Poloniae primum oppidum Parczow ingressus, supra quod non ita longo intervallo Iasonica fluviolus labitur, Lithuaniamque a Polonia dirimit post

Lublin, 9, miliar.

Rubin,

Ursendoff,

Savichost, ad trajectum Istulae.

Sandomir civitatem cum castro, ad Istulam sitam, distantemque a Lublin 18. miliar.

Digitized by Google

Poloniza, ad fluvium Czerna: in quo nobilissimi pisces, quos vulgo Lachs appellant, capiuntur.

Civitatem novam Corczin appellatam, oppidum cum castro murato.

Admonet me hic locus rei prodigiosae, et pene incredibilis, qua minime praetereundam esse putavi. Cum quodam tempore ex Lithuania redirem per hanc regionem, incidi in hominem apud Polonos primarium Martinum Svorovski: qui me multis precibus invitatum, in domum suam deduxit, ibique quam lautissime habuit. Dumque, ut fit, familiariter multis de rebus colloqueremur, narravit idem mihi, virum quendam nobilem cognomento Pierstinski, quo tempore Sigismundus rex circa Borysthenem belligeraretur, graviorem armaturam equestrem indutum, sub ipsa usque genua, inter Smolensko et Dobrovnam ingressum Borysthenem, ibique ab equo rabie correpto, in medium flumen abreptum et excussum esse; et cum diu non comparuisset, ac plane pro perdito et deplorato habitus esset, subito sub aquis in ripam egressum esse, ipso rege Sigismundo et ejus exercitu tribus fere hominum millibus inspectantibus. Etsi vero auctoritate hominis movebar, tamen cum difficilia creditu dicere visus esset, evenit, ut eodem die ipso, Martino comitante, huc ad novam civitatem Corczin perveniremus: ubi tum vir summa apud Polonos dignitate, Christophorus Schidlovecki castellanus Cracoviensis, et ejusdem loci Capitaneus, agebat. Ibi cum idem me splendidissimo convivio cum multis aliis clarissimis viris excepisset, recurrente narrationis illius de Pierstinski memoria, non potui mihi temperare, quin de ea mentionem facerem: quod sane per opportune accidit. Nam hoc non tantum convivae ipsi, etiam regem ipsum tanquam oculatum testem citantes, confirmarunt: sed aderat in eodem convivio ipsemet Pierstinski, qui casum hunc suum ita exposuit, ut pro credibili haberi possit. Dixit autem, quod equo excussus ter se extulerit supra aquas: atque ibi venisse sibi in mentem, quod ante dici audivisset, pro perdito habendum esse cum, cui non succurritur, cum tertio effertur. Itaque se oculos aperuisse, atque ita sublata altera manu esse progressum, seu signo dato, ut ei subveniretur. Rogatus autem, an hausisset aquam; bis se hausisse, respondit. Haec ut audita mihi sunt, ita aliis narrata volo. Sed nunc ad continuandum iter meum revertor.

Prostvitza, ubi optima cervisia coquitur; indeque

Cracoviam, caput regni, sedem regalem, ad Istulam sitam, 18. miliar. a Sandomir distantem, urbem in quam clericorum, studiosorum atque mercatorum frequentia celebrem, pervenimus: ex qua, a Rege ipso, cui opera mea grata erat, munere accepto, honestissime fui dimissus; rectaque.

Lipovetz sub castrum, sacerdotum aliquid gravius delinquentium carcerem:

Indeque 3 miliar. Osventzin, Silesiae quidem oppidum, Polonicae tamen ditionis, ad Istulam situm, quo loco Sola fluvius ex montibus, qui Silesiam ab Hungaria dividunt, decurrens, Istulam ingreditur. Non longe sub eodem oppido Prejssa fluvius ex alia parte Istulae, Silesiam a Polonica et Bohemica ditione dirimit, Istulam quoque influit.

Ptzina, Ger. Ples, principatum in Silesia Bohemicae ditionis, 3. mil.

Strumen, Ger. Schwartzwasser, 2. miliar.

Frejstactel. ducum Teschinensium oppidum, quod Elsa fluvius praeterlabitur, qui in Oderam exoneratur.

Moraviae dein Ostrava oppidum, quod Ostravitza fluvius alluit, Silesiamque a Moravia dividit.

Itschin, Ger. Titzein oppidum, quatuor miliar.

Hranitza. Ger. Weissenkirchen oppidum, quod Betvuna fluvius praeterlabitur. 1. miliar.

Lipnik 1. miliar. unde cum Vistriciam 2. miliar. recta contendentes, forte ex quodam colle Nicolaus Czaplitz, ejus provinciae nobilis, sibi nos obvios conspexisset, mox pixide arrepta, ad conflictum se quodammodo cum duobus comitibus praeparabat. Qua re equidem non temeritatem hominis, sed ebrietatem potius animadverteram: ac continuo servitoribus mandaveram, ut ei nobis occurrenti media via cederent. Sed ille hoc humanitatis officio neglecto, in altam nivem se conjecerat, nosque praetereuntes torve intuebatur: servosque a tergo cum vehiculis sequentes, ad hoc ipsum genus officii, quod illi praestare haud quamque poterant, cogebat: strictoque gladio minabatur. Ea re exorto utrinque clamore, factoque servorum qui post erant concursu, ipse mox telo balistae laesus, equus pariter vulneratus sub eo conciderat. Postea cum Moscis Oratoribus iter institutum prosecutus, veni Olmutzium, quo ille quoque saucius pervenerat: statimque, veluti ejus regionis

Digitized by Google

incola notus, turba hominum (qui fodendis aggerendisque piscinis operam locant) collecta, ulcisci sese volebat. Cujus ego tamen conatus maturo consilio repressi, ac intercepi. Ex Olmutzio

Bischow oppidulum, 4. miliar.

Niklspurg, 4. miliar. arcem splendidam, cum oppido; quod etsi uno miliari ultra Tejam fluvium, qui multis in locis Austriam a Moravia dirimit, situm est, Moraviae tamen adjacet, ejusque ditioni subjecta est.

Austriae inde oppidulum Mistlbach, 3. miliar.

Ulrichskirchen, 3. miliar.

Viennam, ad Danubium sitam urbem, a multis scriptoribus celebratam, tribus pariter miliaribus confectis pervenimus: quo equidem duo integra vehicula ex Moscovia usque deduxi.

Ex Vienna, Novam civitatem, 8 miliar. indeque ultra montem Semring, interque Styriae montes Salisburgum usque veni. Post Oeniponti, in Comitatu Tirolensi oppido, Caesarem assecutus: cujus Majestati non solum ea quae ex mandatis gesseram, grata erant: sed etiam relatio de caeremoniis et consuetudine Moscovitarum, auditu valde jucunda. Quare etiam Matthaeus Cardinalis Salisburgensis, Caesari admodum carus, Princeps industrius, et in rebus agendis versatissimus, jocose coram Caesare protestatus est, ne Caesar, se absente, reliquum caeremoniarum ex me audiret, cognosceretve.

*Expedito* mox ac dimisso a Caesare Moscorum Oratore, equidem in Hungariam ad regem Ludovicum, cum sub id tempus institutus Orator fuissem, eundem per Oenum ac Danubium Viennam deduxi: eoque ibi relicto, ipse continuo Pannonium currum conscendi, quo trijugis equabus curru volitante celerrime ferebar, paucisque horis Budam triginta duobus miliar. perveni. Tantae autem celeritatis causa est, tam commoda per justa intervalla respiratio equorum, et permutatio. Quarum prima utuntur in Pruk, oppidulo ad Leitham fluvium, qui Austriam ab Hungaria dividit, distatque a Vienna 6 miliar. Secunda in Ovar castro, cum oppidulo, Ger. Altenburg, 5 miliar. Tertia in Jaurino oppido, sedeque Episcopali. Hunc locum Hungari Jurr, Germani vero ab Raba fluvio, qui oppidum alluit, Danubiumque ingreditur, Rab appellant. Hoc quidem in loco, qui ab Ovar 5 miliaribus distat, equos permutant. Quarta, sex infra Jaurinum miliaribus, in pago Cotzi, a quo et vectores currus nomen acceperunt: Cotzique adhuc promiscue appellantur. Ultima in Vark pago, quinque a Cotzi miliaribus: quo loci equorum soleas, num qui clavi vacillent, aut desint, inspiciunt, currus loraque sarciunt: quibus omnibus refectis, Budam, sedem regalem, 5 inde miliar. invehuntur.

Budae sede regia exposita, ac confecta legatione, finitisque comotiis, quae haud procul ab urbe, ab eo loco quo celebrantur, Rakhusch vulgo appellantur, a rege honestissime dimissus, ad Caesarem redii: qui proxima Januario post, anno scilicet Domini 1519 mortem obiit. Hanoque in Hungariam profectionem, quod Moscoviticae conjuncta, unoque prope et continuo iti nere confecta fuit, adjicere volui.

Caeterum cum in regni Hungariae mentionem inciderim, non possum equidem sine gemitu et gravissimo dolore commemorare, quomodo hoc regnum antea florentissimum et potentissimum omnibus quodammodo intuentibus tam subito afflictissimum factum sit. Est quidem, ut caeteris rebus omnibus, ita etiam regnis et imperiis terminus quidam constitutus: sed nobilissimum Hungariae regnum certe non tam fatis trahentibus, quam mala et iniqua administratione, plane ad in tertium redactum esse videtur. Mathias rex, neque regio sanguine natus, neque vetusto ducum aut principum stemmate clarus, non tamen nomine solum rex fuit, sed ipsa re regem praestitit: ac non modo Turcarum principi fortiter restitit, ejusque gravissimas impressiones invictus sustinuit: verum et ipsi Romanorum Imperatori, atque adeo Bohemiae et Poloniae regibus negocium fecit: denique omnibus vicinis suis terrori fuit. Quemadmodum autem hujus regis virtute, ac rebus praeclare gestis, Hungariae regnum ad summam potentiam ipso vivente pervenerat: ita eo sublato, quasi mole sua laborans, inclinare coepit. Nam qui ei successit Vladislaus Boemiae rex, Casimiri Poloniae regis filius primogenitus princeps quidem pius, religiosus, et vitae inculpatae: sed ad moderandam tam bellicosam gentem, in tanti praesertim hostis vicinitate, minime sufficiens fuit. Etenim tot rebus secundis ferociores et insolentiores facti Hungari, benignitate et clementia regis abutebantur ad licentiam, luxuriam, desidiam, fastum: quae vitia eo tandem evasere, ut etiam rex ipse contemptui haberetur. Porro Vladislao defuncto, sub ejus filio Ludovico cum haec ipsa vitia magis ac magis invalere: tum si qua reliqua fuit belli disciplina, ea tota est amissa; nec po-

Digitized by Google

fuit rex puer his malis ob aetatem mederi: nec alioqui ad eam, quam decebat, gravitatem educatus fuit. Primores regni, ac praecipue praelati, luxu pene incredibili diffluebant: et certabant quasi aemulatione quadam tum inter se, tum cum baronibus, ut alii alios profusione et splendore vincerent. Idem nobilitatem partim beneficiis ac praemiis, partim etiam potentia ac metu sibi obnoxiam tenebant, ut plures assectatores haberent, ac eorum studiis et acclamationibus in publicis conventibus juvarentur. Mirum dictu, qua pompa, quo apparatu, ac quibus equitum utriusque armaturae copiis Budam sunt ingressi, praecinentibus tubicinibus ad cujusdam quasi triumphi speciem.

Porro in regiam cum irent, aut inde redirent, tanto deductorum et stipatorum comitatu undique septi incedebant, ut vici et plateae vix catervam caperent. Cum vero prandendum esset, tota urbe ad aedes cujusque tubae non aliter atque in castris resonabant: et ducebantur praedia in multas horas, quae somnus et quies excipiebant, cum contra quasi solitudo quaedam esset circa regem, et fines regni interea destituti necessariis praesidiis, impune ab hostibus vastarentur. Episcopatus dignitates, et praecipua quaeque officia promiscue, non pro meritorum ratione, conferebantur: et quo plus potentiae quisque obtinebat, hoc plus juris habere credebatur. Itaque laborabat justicia, et premebantur infirmiores: ac omni bono ordine sublato atque everso, subinde inveniebatur aliquid, quod Reipubl. labem aliquam cum vulgi detrimento afferret: cujusmodi fuit illa innovandae argenteae monetae licentia, per quam prioribus bonis numis conflatis, alii deteriores passim cudebantur: et his rursum sublatis, alii fiebant meliores: qui tamen justum precium tenere non potuerant, sed nunc pluris, nunc minoris habiti sunt (pro ut locupleciorum cupiditati libuit:) qui etiam a quibusdam privatis pene palam impune sunt adulterati. Denique ea erat in universa Hungaria omnium rerum inclinatio, vel potius confusio, ut quivis vel minimam experientiam habens, regnum hoc tot malis obnoxium, etiamsi nullum vicinum haberet hostem, mox perire oportere perspiceret. Ego quidem certe cum oratorem Principis mei Budae agerem, non dubitavi, quasi aliud agens, serenissimam Hungariae reginam Mariam admonere, ut futura consideraret, sibique in omnem eventum praesidii aliquid compararet et seponeret: neque ut domini et mariti sui potentiae et juventae, aut fratrum suorum opibus nimium fideret. Nam haec omnia morti et infinitis casibus obnoxia esse. Meminisset veteris proverbii, quo fertur, Bonum esse, habere amicos: sed miseros esse, qui his uti cogantur. Gentem Hungaricam ferocem et inquietam, seditiosam et turbulentam, advenis et exteris parum aequam et amicam esse. Imminere Hungariae hostem potentissimum: neque quicquam magis affectare, quam ut id suam in potestatem redigat. Referre itaque ipsius, ut aliquid recondat, unde sibi et suis, si quid adversi accidat, opitulari possit. Et alioqui magis regium esse, juvare alios, quam alieno auxilio indigere. Etsi vero bonam in partem pro more regio accepta fuit haec admonitio, mihique actae sunt gratiae: tamen quod mihi tum praesagiebat animus, quodque metuebam, nihil proficientibus bonis ac fieis monitoribus et consultoribus, ingenti nostro malo evenit: neque dum hujus tragoediae finis est. Aula mansit, qualis erat: et nihil remissum est a pompa, fastu, insolentia ac luxu, donec concideret; ut non inepte quidam ex aulicis tum dixerit, se nunquam vidisse vel audisse regnum ullum, quod majore, atque Hungaria, gaudio et tripudio periret.

Etsi vero plane desperatae res Hungarorum essent, tanta tamen eorum erat insolentia, ut hostem praepotentem et vicinum, Turcam, non modo superbe contemnere, sed etiam injuriis et contumeliis adversus se provocare non dubitarent. Nam cum hic, qui nunc imperat, Solimannus, patre suo defuncto de more denunciasset vicinis, se paterno solio potitum esse, et portam suam patere omnibus, sive pacem sive bellum petentibus: idque praecipue per Oratores suos Hungaris significasset: nec deessent qui suaderent, eos cum Polonis, ut antea, a Solimanno pacem petere debere: Hungari non modo repudiavere consilia salutaria, sed etiam Oratores ipsos Turcae captos detinuere. Qua contumelia irritatus Solimannus Hungariam hostiliter invasit: captaque primum Nandoralba, fortissimo non tantum Hungariae, sed universi orbis Christiani propugnaculo, ad alia capienda progressus, eo pervenit, ut regia sede Buda et praecipuis quibusque ac munitissimis arcibus, ipsaque regni parte optima et florentissima potiretur. Unde iis quae restant, nunc ita imminet, ut pene pro victis ac debellatisque haberi possint. Videbantur quidem sibi Hungari aliquam habere causam ad detiuendos Solimanni Oratores, quod pater ejus Oratorem

Digitized by Google

Hungarorum ad se missum Barnabam Bel detinuisset, secumque in expeditionem adversus Sultanum susceptam duxisset: quem tamen eo bello confecto, bene muneratum remiserat. Sed mussitandum hoc erat potius Hungaris: cum, ut dicitur, vana sit sine viribus ira: quam per impotentem ultionem provocato potentiore sibi exitium accersere, et in idem discrimen vicinos adducere. Cum Solimannus Budam ante semel captam, sed Joanni Zapolitano redditam, denuo profligato exercitu nostro, qui eam post Joannis mortem obsessam tenebat, denuo cepisset et occupasset: ego ad eum Principis mei nomine, cum illustri Comite Nicolao a Salmis, Orator accessi: et in parte pacis habui, dextram osculari tyranni. Quo tempore non tantum de tota Hungaria, sed etiam conterminis provinciis actum esse videbatur.

Porro quam iniqne comparata fuerat pugna Ludovici regis cum Solimanno, notius est quam ut dicere sit necesse. Objectus est rex adolescens, militiae rudis, et nullo ante in bello versatus, cum paucis, magna ex parte imbellibus, hosti callidissimo, ac multis recentibus victoriis exultanti: trahentique secum robur exercitus, quo orientem et magnam Europae partem debellarat. Quae praecipue futurae erant Hungarorum vires, eas Joannes Zapoliensis Vajvoda Transylvanus apud se retinuit, neque in auxilium regis sui accedere permisit. Idem vero extincto rege, sceptra invasit, quae dudum concupiverat: imo quae ei pater ipsius Stephanus Zapoliensis, adhuc puero destinarat. Memini enim me audivisse a Joanne Lacki, qui Casimiri regis Poloniae secretarius, ac postea Archiepiscopus Gnesnensis fuit: hunc Stephanum Zapoliensem, quum, Mathia rege mortuo, apud quem summam auctoritatem obtinuerat, decreando novo Rege ageretur, filium suum Joannem adhuc infantem complexum, dixisse: Si tantulus esses fili (modo corporis paulo majore ostenso) nunc rex Hungariae esses. Idque idem Archiepiscopus seu bene ominatum, et quasi praejudicii cujusdam vim habens, non destitit jactitare, cum inter nos de pace inter Principem meum et Joannem concilianda ageretur. Quod autem evenit; ut Joannes dignitatem et sedem regiam cum aliqua parte Hungariae per Solimannum obtineret: idem nunc etiam soboles ejus, aut hi potius in quorum potestate est, contra omnia jura et pacta affectant: nihil pensi habentes, neque cogitantes, quam perfidiose antea a tyranno tractati et Buda ejecti fuerint. Sed feruntur excaecati regnandi libidine animi in interitum suum, eodemque vicinos trahunt.

Si Christiano orbi nullum fuisset in Hungaria praesidium (quod tamen fuisse maximum, quotidiana experientia, et jam clades additae cladibus testantur) tamen vel propter solas opes, quas Deus optimus maximus in Hungariam largissime effudit, et inde vicinis nationibus suppeditavit, non tantum Hungaris ipsis, sed Christianis omnibus, pro ejus salute tanquam pro communi patria, esset laborandum. Nam quid fere est in tota rerum natura boni et preciosi, quod Hungaria non habeat? Si metalla quaeras, quae pars est orbis Hungaria foecundior auro, argento, cupro, chalybe, ferro? Nam plumbi minus habet, et stanno carere dicitur: si tamen carere est, quod nondum inveniri contigit. Quin et salem metallicum habet, optimum et purissimum, qui instar lapidum in lapicidinis caeditur.

Et quod jure mireris, alicubi etiam aquae metallorum speciem vertunt, et ex ferro cuprum reddunt. Vina dat pro locorum diversitate, ut fit, diversa: sed plerisque in locis etiam extra Sirmium, vini proventu et bonitate clarum, quod amisimus, tam generosa et excellentia, ut pro Creticis haberi possint. Taceo frugum ac omnis generis optimorum fructuum infinitam copiam. Porro feras, et quicquid venatu vel aucupio capitur, quid attinet commemorare? Ita enim his abundat Hungaria, ut interdicere rusticis, ne vel venentur, vel aucupentur, pro re valde insolente habeatur: nec pene minus plebejorum quo nobilium epulae sint, leporcs, damae, cervi, apri, turdi, perdices, phasani, bonasi, et quicquid est ejusmodi quod ad mensas delicatiores alibi expetitur. Pecoris certe adeo abundans est, ut jure mirari possis, unde proveniant tot et tanta boum et ovium agmina, quae in exteras regiones, Italiam, Germaniam, Bohemiam mittit. Nam cum per Moraviam, Austriam, Stiriam, Slavoniam, perque alias Hungariae vicinas provincias multae pateant viae, per quas pecus agminatim expellitur: observatum est, per solam viam Viennensem uno anno plus quam octoginta millia boum in Germaniam acta esse. Jam de piscium omnis generis copia quid dicam? quae cum ad Danubium, Dravum, Savum, et alia minora flumina, tum ad Tibiscum, mediam fere Hungariam ab Oriente et Septentrionibus percurrentem, tanta est, ut fere quo minimo veneant, ac tantum non gratis dentur pisces: saepe etiam vel gratis dati,



Digitized by Google

non auferantur. Nec est tantum ubertas quaedam pene incredibilis tantarum opum in Hungaria: sed etiam tanta bonitas, ut quae aliis in locis nascuntur ejusdem generem, Hungaricis nequaquam conferri aut aequiparari possint. Quo major et tristior erit nota hujus saeculi apud posteritatem, quod non omnes vires suas ad servandum regnum tam opulentum, et ad cohercendum Christiani nominis hostem capitalem, tam opportunum converterit.

## ITER SECUNDAE LEGATIONIS.

Mortuo Caesare Maximiliano, Stiriensium Orator ad Carolum Hispaniarum regem, archiducem Austriae, tum electum Rom. Imperatorem, ad cujus Majestatem postea et Moscus suos miserat Oratores, qui confoederationes cum Max. Imp. initas jam denuo confirmarent, missus sum. Ut autem vicissim Imperator Moscо gratificaretur, dederat negocium fratri D. Ferdinando, Archiduci, ut Ludovicum Hungariae regem admoneret, quo is apud suum patruum Sigismundum Poloniae regem tantum efficeret, ut ad aequas pacis seu induciarum conditiones cum Mosco consentiret. Viennae itaque Austriae Leonardus Comes Nugarolae, nomine Caroli Rom. Imp. et ego fratris suae Majestatis Ferdinandi, Infantis Hispaniarum, Archiduducis Austriae, etc. conscensis curribus Pannonicis, ad Ludovicum regem Hungariae properantes, Budam venimus: ibique expositis mandatis, negotiisque ex sententia confectis dimissi, Viennamque redeuntes, mox cum Mosci Oratoribus, qui tum ex Hispaniis a Caesare redierant, egressi per oppida,

Mistelbach, 6. miliar.
Visternitz, 4. miliar.
Vischa, 5. miliar.
Olmutium, 4 miliar,
Sternberg 2 miliar.

Parn ferrifodinas, 2. miliar, indeque duobus miliaribus pontem Morava fluvio impositum transeuntes: ibique Moravia relicta.

Silesiae oppidum et principatum ingressi,
Jagerndorff tribus miliaribus, tum per
Lubschiz, 2. miliar.
Glogovia parva, 2. miliar.
Crepitza, 2. miliar. Et post trans Oderam flu.

Opolia civitatem cum castro, ad Oderam fluvium sitam, ubi ultimus Opoliensium Dux suam sedem habebat, 3. miliar.

Oleschno, Ger. Rosenberg, trans fluvium Malpont, qui tum aquarum multitudine mirum in modum redundabat, 7 miliar.

Poloniae oppidum Crepitza vetus, duo fere miliaria pervenimus, quo in loco cum Poloniae regem, Pietercoviae oppido (in quo Regnicolae, habere comitia ac celebrare solent) esse intelleximus, illico eo servitorem praemisimus. Reversus, cum inde Regem jam recta Cracoviam profecturum renunciasset, iter nostrum ex Crepitza eo nos pariter direximus, atque primum

Clobucko, 2. miliar.

Czenstochow monasterium, in quo imago divae Virginis magno concursu populi, praecipue vero Ruthenici colitur, 3. miliar,

Scharki, 5. miliar.

Cromolow, 3. miliar.

Ilkusch insignes plumbifodinas, 4. miliar.

Cracoviam inde post 5. miliar. confectis, secunda Februarii die pervenimus: ubi nihil tum nobis honoris fuit exhibitum, neque nobis quisquam obviam processit, neque hospitia designata, seu constituta erant, neque humanitatis officio quisquam aulicorum nos consalutavit, excepitve, perinde ac si de adventu nostro nihil prorsus intellexissent. Impetrato post ad Regem aditu, causam legationis nostrae elevabat, officiumque Principum nostrorum tanquam intempestivum reprehendebat: maxime vero, cum Oratores Mosci, a Caesare ex Hispaniis usque redeuntes, nobiscum videret: Moscum ideo moliri aliquid suspicabatur. Quae nam tandem, inquit, vicinitas, aut sanguinis conjunctio Principibus vestris cum Mosco intercedit? quod ultro se medios constituerent: praesertim cum Rex ipse a Principibus nostris nihil tale peteret, hostemque suum facile ad aequas pacis conditiones cogere posset. Nos vero consilia pia et Christiana, mentem que synceram Principum nostrorum testabamur, illosque nihil magis quam pacem, ac mutuam inter Christianos Principes amicitiam ac concordiam ex animo optare velle, atque omni studio procurare. Dicebamus etiam: Si Regi non videtur, ut nostra mandata prosequamur, tum aut re infecta redibimus, aut Dominis nostris ea nunciabimus, et responsum super ea re expectabimus. Qua re audita, humanius aliquanto ac liberalius etiam in hospitiis tractabamur. Eo tempore data erat mihi occasio petendi mille florenos, quos mihi mater Reginae Bonae, quod jampridem ex Caesaris Maximiliano mandato hoc ipsum matrimonium filiae tractassem, inscriptione data, promiserat:

Digitized by Google

quam Rex tum benigne a me acceperat, eamque ad reditum meum servarat, mihique postea reverso satisfieri curaverat.

Die Februarii quartadecima, Cracovia relicta, trahis seu vehiculis satis commodo itinere per Poloniae oppida,

Novam civitatem, Corczin,
Poloniza,
Ossek,
Pocrovitza,
Sandomeria,
Savichost,
Ursendof,
Lublin,
Parczow,

Lithuaniae tum oppidum tribus millaribus Poloviza attigimus, ubi plurima itinera, propter crebras paludes, pontibus strata transivimus; indeque

Rostovsche, 2 miliar.
Pessiczatez, 3 miliar.

Briesti, 4 miliar. magnum oppidum cum castro, ad Buh fluvium, in quem Muchavetz illabitur.

Camenetz oppidum, cum lapidea turri in arce lignea, 5 mil. indeque duobus fluviis Oschna et Beschna trajectis, confectisque 5 miliaribus.

Schereschova recens aedificatum oppidum in magna sylva, ad fluvium Lisna, qui et Camenetz praeterlabitur, situm, venimus.

Novidvor, 5. miltar.
Porossova, 2 miliar.

Volkovitza, 4 miliar. quo loco commodius hospitium in tota profectione non habuimus.

Pieski oppidum ad fluvium Selva, qui ex ipsius Russiae Volinia provincia procurrit, Nemenque influit.

Mostu uno miliari ad fluvium Nemen situm oppidum, quod a ponte Nemen imposito, nomen accepit: Most enim pons est.

Czutzma, 3 miliar.
Basiliski, 3 miliar.
Radomi, 5 miliar.
Hestlitschkami, 2 miliar.
Radniki, 5 miliar.

Vilnam, 4 miliar. Porro per haec loca a Volkovitza usque enumerata, hoc tempore non perveneramus Vilnam: sed cursum nostrum in dextram Orientem versus flectentes, per

Solva,
Slonin,
Moschad,
Czernig,
Oberno,
Ottmut,
Cadajenow,

Miensko oppidum, a Volcovitza 35 miliar. distans; inde praeterea omnes fluvii in Borysthenem feruntur, cum alii relicti in Nemen decurrant.

Borissow oppidum ad fluvium Beresina situm, 18 miliar, de quo supra.

Reschak 40 miliar. In illis porro locis, propter maximas solitudines, non compendiosa, sed communi via usi, Mogilew oppido, ad dextram intervallo 4 miliar. relicto, per

Schklow, 6 miliar.
Orsa, 6 miliar.

Dobrovna, 4 miliar. aliaque loca in priore itinerario exposita, Moscoviam tandem venimus: ubi diu tractantes, nec tamen aliud extorquere potuimus, quam ista: Si rex Poloniae vult nobiscum pacem, mittat ad nos, ut consuetum est, Oratores suos, et nos volumus cum illo pacem nobis competentem. Misimus tandem nostros ad regem Poloniae (qui tum in civitate Gdanensi fuit) destinavitque ad hortationem nostram suos Oratores, Petrum Gyscha palatinum Plocensem, et Michaelem Bohusch Lithuanicum thesaurarium.

Porro Princeps cum Oratores Lithuanos haud procul a Moscovia esse cognovisset, subito se venationis praetextu ac recreandi animi gratia, tempore minime tamen ad venandum congruo, Mosaisko, quo loco maximam habet leporum copiam, contulerat: nosque ad sese, ne fortasse Lithuani urbem ingrederentur, vocaverat; ubi impetratis confirmatisque induciis, undecima Novembris dimissi, sciscitabatur Princeps, qua via nos redituri essemus, quia Turcam Budae fuisse intellexerat: quid autem effecisset, se ignorare ajebat. Eadem qua veneramus via, Dobrovnam usque reversi, impedimenta nostra, quae ex Viesma per Borysthenem miseramus, ibi recepimus: Pristavumque Lithuanum, qui nos eo loci expectabat, reperimus: a quo, Ludovicum Hungariae regem periisse, tum primum intelleximus.

A Dobrovna 4 mil. venimus Orsam: unde eodem itinere, quo ego in priore reditu usus eram, Vilnam pervenimus: ibique ab Regis naturali filio, Joanne, episcopo Vilnensi humaniter accepti, lauteque tractati fuimus; tum

Rudnik, post 4 miliar.
Volkonik, 3 miliar.

Meretsch oppidum, quod ab ejusdem nominis illic fluvio nomen habet, septem miliar.

Digitized by Google

Osse, 6. miliar.

Grodno principatum ad Nemen fluvium situm, septem miliar.

Grinki, 6. miliar. quo cum prima Januarii proficisceremur, tam durum frigus obortum fuit, impetusque ventorum nives in modum turbinis volvens, dispergensque, adeo ut hoc tanto tamque infesto frigore equorum testiculi, et aliqua ex parte caniculae ubera congelata, corruptaque exciderint. Equidem nasum, nisi tempestivius a Pristavo admonitus fuissem, fere amisissem. Ingressus enim hospitium, vix tandem, nive, monitu Pristavi, nasum macerando ac fricando, non citra dolorem sentire coeperam, scabieque quoddammodo oborta, ac dein paulatim arescente, convalueram; gallumque Moscoviticum, more Germanorum super currum sedentem, frigoreque jamjam morientem, servitor crista, quae gelu concreta erat, subito abscissa, non solum hoc modo servavit, verumetiam ut erecto statim collo cantaret, nobis admirantibus, effecit.

A Grinki, per magnam sylvam, in

Narew, 8. miliar.

Bielsco, 4. miliar.

Milenetz, 4. miliar.

Mielnik, 3. miliar.

Loschitzi, 7. miliar, Post 8 miliar.

Poloniae oppidum tandem Lucow, ad Oxi fluvium situm. Hujus loci praefectus Starosta, quasi dicas senior, appellatur: sub cujus ditione tria milia nobilium esse feruntur. Sunt ibi aliquot villae atque pagi, in quibus tantus nobilium crevit numerus, ut nullus sit colonus.

Oxi oppidum ad fluvium ejusdem nominis situm, 5. miliar.

Steschitza oppidum, sub quo Vieprs fluvius Istulam ingreditur, 5. miliar.

Svolena oppidum, 5. miliar. quo loco Vieprs fluvio transmisso,

Senna, 5. miliar.

Polki, 6. miliar.

Schidlow oppidum muro cinctum, 6. miliar.

Vislitza oppidum muratum in lacu quodam situm, 5. miliar.

Prostvitza, 6. miliar. indeque 4. miliar.

Cracoviam tandem reversi sumus: ubi multa quidem praeter mandata, sed quae tamen Domino meo Bohemorum regi recens electo non ingrata et profutura sciebam, tractavi.

Ex Cracovia iter nostrum Pragam versus dirigentes, per

Cobilagora, 5. miliar.

Ilkusch plumbifodinas, 2. miliar.

Bensin oppidum, 5. miliar. infra quod haud longo intervallo Pieltza fluvius Poloniam a Silesia dirimit.

Silesiae oppidum Pielscovitza, 5. miliar

Cosle oppidum muratum, ad Oderam fluvium, quem Viagrum appellant, situm, quatuor. miliar.

Biela, 5. miliar.

Nissam, 6. miliar. civitatem, Vratislaviensium Episcoporum sedem, in qua ab Jacobo episcopo per humaniter accepti ac tractati fuimus.

Otmachaw castrum episcopi, 1. miliar.

Baart, 3. miliar.

Bohemiae oppidum Glatz, Comitatus. 2. mil.

Raneritz, 5. miliur.

Jeromiers pariter, 5. fere miliar.

Bretschaw, 4. miliar.

Limburg, 4. miliar. civitatem ad Albim fluvium sitam.

Pragam tandem, caput regni Bohemiae, 6. miliar. ad Moldavam fluvium sitam, perveni, meumque Principem jam Bohemorum Regem electum, eoque ab coronationem vocatum reperi: cui equidem coronationi vicesima quarta Feb. interfui. Porro Oratores Mosci, qui me sequebantur, et quibus officii atque honoris gratia obviam processeram, dum arcis et urbis magnitudinem intuerentur, non esse castrum, aut civitatem, sed regnum potius dicebant, quod sine sanguine acquiri permagnum esset.

Caeterum rex clemens et pius, audita ac cognita relatione mea, consultationeque de rebus tum imminentibus finita, grata habuit quae gesseram, de diligenti mandatorum suorum expeditione, deque his quae praeter mandata profutura tum effeceram: et quod me aegrotum quidem, ad omnes labores obeundos obtuleram, gratiam suo ore pollicebatur. Quae omnia cum Regi grata essent, mihi jucundissima fuere.

FINIS.

Digitized by Google

# II.

# PAULI JOVII NOVOCOMENSIS

## DE LEGATIONE

## BASILII MAGNI PRINCIPIS MOSCOVIAE AD CLEMENTEM VII. PONTIFICEM MAXIMUM LIBER.

Digitized by Google

Digitized by Google

II.

# PAULI JOVII NOVOCOMENSIS.

## DE LEGATIONE

## BASILII MAGNI PRINCIPIS MOSCOVIAE AD CLEMENTEM VII. PONTIFICEM MAXIMUM LIBER.

---

## DE LEGATIONE MOSCOVITICA.

REGIONIS primo situs, quem Plinio, Strabonique et Ptolemaeo parum notum fuisse perspicimus, pressa brevitate describetur, et in tabula typis excusa figurabitur: inde gentis mores, opes, religionem, militiaeque instituta, Tacitum imitati, qui a perpetuis historiis libellum de Germanorum moribus sejunxit, per strictiore stilo narrabimus, eadem fere sermonis simplicitate utentes, qua nobis ab ipso Demetrio, curiosa ac leni vestigatione lacessito, per ocium exposita fuere. Demetrius enim haud inepte Latina utitur lingua, utpote qui in Livonia a teneris annis in ludo prima literarum rudimenta didicerit, et insigni variarum legationum munere functus, plures provincias Christianorum adierit. Nam quum antea ob spectatam fidem ac industriam, apud Suetiae Daciaeque reges, et magnum Prussiae magistrum, Oratorem egisset, novissime apud Maximilianum Caesarem, dum in ejus aula omnis generis hominum refertissima versaretur, si quid barbarum quieto docilique ingenio inerat, elegantium morum observatione detersit. Causam vero hujusce suscipiendae legationis praebuit Paulus Centurio Genuensis, qui cum acceptis a Leone X. Pontifice commendaticiis literis, mercaturae causa in Moscoviam pervenisset, cum Basilii principis familiaribus ultro de consociandis utriusque ecclesiae ritibus agitavit. Quaerebat enim Paulus insano, vastoque animo, novum et incredibile iter petendis ab India aromatibus. Fama namque cognoverat, cum in Syria, Aegyptoque et Ponto negotiaretur aromatur, aromata ex ulteriore India adverso amne Indo subvehi posse, atque inde modico terrestri itinere superatis Paropanisidis montium jugis, traduci in Oxum Bactrianorum amnem: qui iisdem fere montibus, quibus Indus, oritur, adverso fonte in Hyrcanum mare, raptis secum multis amnibus, ad Stravam portum effunditur. Porro ab ipsa Strava tutam facilemque navigationem videri, usque ad emporium Citrachan, ostiumque Volgae amnisi: inde vero adversis semper amnibus, Volga scilicet, et Oca, et Mosco, in urbem Moscam: ab Mosca autem, terrestri itinere Rigam, et in ipsum mare Sarmaticum, omnesque occiduas regiones facile perveniri posse, contendebat. Vehementer enim et supra aequum, Lusitanorum injuriis erat accensus, qui India magna ex parte armis domita, occupatisque omnibus emporiis, cuncta aromata coemerent, et in Hispaniam averterent, atque ea graviore quam antea precio ac impotenti quaestu omnibus Europae populis venditare consuevissent: quin et dili-

Digitized by Google

genti adeo cura Indici maris littora perpetui sclassibus custodirent, ut eae negotiationes penitus intermissae atque desertae videantur, quibus per sinum Persicum, ac adversum Euphratem, et per Arabici maris angustias, secundoque demum Nilo per mare nostrum Asia omnis atque Europa abunde et viliore quidem precio complebantur: deteriore etiam Lusitanorum mercimonio, quum remotissimae navigationis incommodo, sentinaeque vitiis aromata corrumpi, eorumque vis et sapor, odoratusque illo spiritus, multa demum mora in Olysipponensibus conditoriis promercalibus evanescere atque exspirare videatur, cum asservetis semper recentioribus, vetera tantum, et multo quidem situ mucida venundari quereretur. Caeterum Paulus quanquam de iis rebus acerbissime apud omnes disserendo, et Lusitanis ingentem conflando invidiam, multo auctiora fore vectigalia regia, si id iter aperiretur, et aromata ab ipsis Moscovitis, qui tantam eorum vim omnibus ferculis absumerent, vilius emi posse perdoceret: nihil tamen quod ad eam negotiationem pertineret, impetrare potuit; quoniam Basilius homini externo ac ignoto, eas regiones quae ad Caspium mare et Persarum regna aditum praeberent, minime aperiendas esse existimabat. Itaque Paulus omnibus exclusus votis, ex mercatore legatus factus, Basilii literas, Leone jam vita functo, ad Hadrianum pontificem retulit, quibus ille cum multo verborum honore egregiam voluntatem erga Romanum Pontificem ostendebat. Paucis enim ante annis Basilius ardente cum Polonis bello, quum Lateranensis conventus haberetur, per Joannem Daciae regem, hujus Christierni, qui nuper regno expulsus est, patrem postularat, ut iter tutum legatis Moscovitis ab urbem Romam praeberetur. Verum quum eodem forte die, et Joannes rex et Julius Pontifex ab humanis excessissent, sublato ad id sequestro, consilium mittendae legationis omisit. Exarsit subinde bellum inter ipsum et Sigismundum Poloniae regem: quod quum insigni ad Borysthenem parta victoria a Polono feliciter confectum esset, Romae supplicationes sunt decretae, veluti devictis caesisque Christiani nominis hostibus: quae res et regem ipsum Basilium, et universam gentem ab Romano Pontifice haud mediocriter alienavit. At cum haec Hadrianus Sextus fato extinctus, Paulum jam secundo itineri accinctum destituisset, suffectus ei ClemensVII, illum etiam tum Orientis iter insano animo voluntatem, cum literis in Moscoviam transmisit, quibus Basilium propensissimis adhortationibus invitabat, ad agnoscendam Romanae ecclesiae majestatem, feriendumque communibus in religione sensibus perpetuum foedus, quod illi maxime salutare atque honorificum fore testabatur: ita ut Pontifex polliceri videretur, se ex sacrosaneta auctoritate Pontificia eum regem collatis regalibus ornamentis appellaturum, si rejectis Graecorum dogmatibus ad auctoritatem Romanae Ecclesiae se conferret. Cupiebat enim Basilius regii nominis titulum concessione Pontificia promereri, quum id dare sacrosancti juris esse et Pontificiae majestatis judicaret: quando et ipsos quoque Caesares a Pontificibus maximis diadema aureum et sceptrum, Romani imperii insignia, accipere inveterata consuetudine cognovisset; quanquam et id pluribus a Caesare Maximiliano legationibus postulasse ferebatur. Igitur Paulus, qui feliciore aliquanto cursu, quam multo cum quaestu percurrere terrarum orbem ab incunte aetate didicerat, quanquam senex et antiqua stranguria tentatus, prospero celeriqne itinere Moscam pervenit, ubi a Basilio humaniter est susceptus. Fuit interea in ejus aula menses duos, diffisusque viribus, et ejus immensi itineris difficultate deterritus, quum ludicae negotiationis spes omnes ac inexplicabiles cogitationes penitus abjecisset, cum Demetrio legato, priusquam eum in Moscoviam pervenisse putaremus, Romam rediit. At Pontifex magnificentissima Vaticanarum aedium parte, ubi laquearia aurata, lecti serici, aulaeaque eximii operis visebantur, Demetrium suscipi, et togis sericis vestiri jussit: attribuitque ei comitem, ac rerum divinarum pariter et urbanarum monstraterem, Franciscum Cheregatum, episcopum Aprutinum, longinquis saepe ac dignissimis legationibus functum, qui ipsi Demetrio vel in Moscovia, Pauli sermonibus erat notissimus. Porro Demetrius ubi aliquot dierum quiete recreatus est, detersis elotisque sordibus, quas longo ac laborioso itinere contraxerat, assumptoque insigni patrio habitu, ad Pontificem deductus, eum de more supplex adoravit, munusque Zebellinarum pellium suo, regioque nomine obtulit; tum vero Basilii literae datae, quas ipsi antea, et demum Illyricus interpres Nicolaus Siccensis in hanc sententiam Latinis verbis transtulerunt. Clementi Papae, pastori ac doctori Romanae ecclesiae, Magnus dominus Basilius Dei gratia Imperator ac dominator totius Russiae, nec non magnus dux Volodimariae, Moscoviae, Novogrodiae, Plescoviae, Smoleniae,

Digitized by Google

lfferiae, Jugoriae, Peremniae, Vetchae, Bolgariae, etc. Dominator et magnus Princeps Novogrodiae inferioris terrae, Cernigoviae, Razaniae, Volotchiae, Rezeviae, Belchiae, Rostoviae, Jaroslaviae, Belozeriae, Udoriae, Obdoriae, Condiniaeque, etc. Misistis ad nos Paulum centurionem, civem Genuensem, cum literis, quibus nos adhortati estis, ut vobiscum, caeterisque Christianorum principibus consilio ac viribus conjuncti esse vellemus, adversus Christiani nominis hostes, ac nostris vestrisque legatis ultro citroque commeandi tutum ac expeditum iter pateret, ut mutuo amicitiae officio, de amborum salute et statu rerum cognosci possit. Nos autem, Deo bene atque feliciter adjuvante, sicuti hactenus, adversus impios Christianae religionis hostes impigre constanterque stetimus, ita et in posterum stare decrevimus. Itemque cum caeteris Christianis principibus consentire, et pacata itinera praestare, parati sumus. Quas ob res mittimus ad vos Demetrium Erasmium, nostrum hominem, cum hac nostra epistola, Paulumque centurionem remittimus. Demetrium autem celeriter remittetis, eumque incolumem et inviolatum usque ad fines nostros esse jubebitis. Idem nos quoque praestabimus, si cum Demetrio legatum vestrum mittetis, ut sermone ac literis certiores de rebus administrandis reddamur, sic ut perspectis Christianorum omnium voluntatibus, nos etiam optima consilia capere valeamus. Datum in Domino nostro, in civitate nostra Moscovia, anno ab initio mundi septimo millesimo, tricesimo, tertio Aprilis. Caeterum Demetrius, uti est humanarum rerum et sacrarum praesertim literarum valde peritus, occultiora de magnis negotiis mandata habere videtur, quae mox cum privatis congressibus expositurum speramus: nam a febre, in quam ex coeli mutatione inciderat, pristinas vires et naturum vultus ruborem recuperavit, ita ut pontificiis sacris, quae in honorem divorum Cosmae et Damiani, solenni apparatu, musicisque concentibus confecta sunt, sexagenarius senex, et cum voluptate quidem astiterit, et in senatum venerit, quum Campegius Cardinalis a Pannonica legatione tum primum rediens, a Pontifice omnibusque aulae ordinibus exciperetur, quin et sacrosancta urbis templa et Romanae magnitudinis ruinas, priscorumque operum deplorada cadavera mirabundus inviserit, ita ut credamus eum propediem explicatis mandatis, cum legato pontificio, Episcopo Scarense, dignisque acceptis a Pontifice muneribus, in Moscoviam esse rediturum. Moscovitarum nomen recens est: quanquam de Moscis Sarmatarum affinibus Lucanus meminerit, et Plinius Moscos ad Phasidis fontes supra Euxinum ad Orientem constituat. Eorum regio latissimos habet fines, et ab aris Alexandri magni circa Tanais fontes ad extrema terrarum, Borealemque Oceanum, sub ipsis fere Septentrionibus extenditur: campestris magna ex parte, et pabuli quidem ferax, sed aestate pluribus in locis admodum palustris; nam ea omnis terra magnis frequentibusque amnibus irrigatur, qui ubi nivibus hybernis multo solis vapore colliquatis, et resoluta ubique glacie contumescunt, campi passim in paludes abeunt, cunctaque itinera continentibus aquis et coenosa illuvie defoedantur, donec novae hyemis beneficio restagnantia flumina, ipsaeque paludes iterum cogantur, et vias solidissimo constratas gelu, vel transituris curribus praebeant. Hercynia sylva quotam Moscoviae partem occupat, ipsaque passim positis ubique aedificiis incolitur, jamque longo labore hominum rarior facta, non eam, sicuti plerique existimant, horridam densissimorum nemorum impenetrabiliumque saltuum faciem ostendit. Caeterum ea immanibus feris plenissima, per Moscoviam perpetuo tractu inter ortum solis, et Boream, ad Scythicum Oceanum excurrere traditur: ita ut spes hominum ejus finem curiose scrutantium infinita magnitudine sua semper eluserit; ea in parte quae vergit ad Prussiam, uri ingentes et ferocissimi taurorum specie reperiuntur, quos Bisontes vocant: itemque Alces cervina effigie, et cum carnea proboscide, altisque cruribus, et nullo suffraginum flexu: Lozzi a Moscovitis, a Germanis vero Helenes appellati, quae animalia C. Caesari nota fuisse videmus. Praeterea ursi inusitatae magnitudinis, et praegrandes lupi, atro colore formidabiles. Ab ortu Moscovia finitimos habet Scythas, qui Tartari hodie nuncupantur, gentem vagam, et bello omnibus seculis illustrem. Tartaris pro domibus sunt carri, centonibus coriisque contecti: ab quo vitae genere Hamaxovios antiquitas eos appellavit. Pro urbibus vero, ac oppidis immensa castra, non fossis, aut materiae claustris, sed infinita sagittariorum equitum multitudine vallata. Dividuntur Tartari per Hordas: ea est eorum lingua, consentientis in unum populi congregatio, ad effigiem civitatis. Hordis singuli praesunt Imperatores, quos genus, aut bellica virtus dedit; saepe enim cum fini-



Digitized by Google

timis bella gerunt, ac ambitiose admodum et atrociter de imperio decertant. Hordarum infinitum prope numerum esse constat: quippe Tartari ad Cathajum usque celeberrimam in extremo ad orientem Oceano civitatem, latissimas solitudines tenent. Porro qui proximi sunt Moscovitis, mercaturae commercio et frequentibus eorum irruptionibus sunt noti. In Europa ad Dromon Achillis Taurica in Chersoneso sunt Praecopitae, quorum Principis filiam Selymus Turcarum Imperator uxorem duxit. Ii Polonis maxime sunt infesti, lateque inter Borysthenem et Tanaim cuncta populantur: et cum Turcis sicuti religione, ita et caeteris in rebus mirifice consentiunt: qui in eadem Taurica Caffam Ligurum coloniam obtinent, Theodosiam antiquitus appellatam. Ii vero Tartari, qui inter Tanaim et Volgam amnem in Asia latos campos inhabitant, Basilio Moscovitarum regi parent, et Imperatorem aliquando ejus judicio deligunt. Inter eos Cremii, intestinis seditionibus laborantes, quum antea opibus et belli gloria maxime valuissent, paucis ante annis vires simul ac omnem dignitatem amiserunt. Trans Volgam, Casanii Moscovitarum amicitiam religiose colunt, ac eorum se clientes esse profitentur. Ultra Casanios ad Boream sunt Sciabani, multitudine armentorum ac hominum potentes. Post eos sunt Nogai, qui summam hodie opum et bellicae laudis obtinent auctoritatem. Eorum Horda quam amplissima nullum habet Imperatorem, sed Reipublicae Venetae more multa seniorum prudentia, strenuorumque virtute gubernatur. Ultra Nogajos, haud magno ad meridiem deflexu, versus Hyrcanum mare, Zagathai Tartarorum nobilissimi, oppida lapide constructa incolunt, regiamque habent Samarcandam urbem, eximiae magnitudinis et claritatis: quam Jaxartes, maximus Sogdianae amnis interfluit, atque inde ad centum miliaria in mare Caspium effunditur. Cum iis populis aetate nostra Hismael Sophus, rex Persarum, dubio saepe eventu bella gessit: timoreque eorum adductus, dum vires omnes imminentibus opponuntur, Selymo una acie victori Armeniam, Taurisiumque regni caput praedae reliquit. Samarcanda urbe ortus est Tamburlanes, sive ut Demetrius dicendum monet, Themircuthlu, qui Bajazetem Ottomanum, hujus Solimani tritavum, apud Ancyram Galatiae urbem ingenti praelio superatum cepit, et per omnem Asiam ab se terribili maximi exercitus impetu devictam, ferrea inclusum cavea, in triumphi pompa circumduxit Ab hac regione ad Moscovitas plurima vestis serica adducitur. Caeterum mediterranei Tartari nihil praeter equorum pernicium greges, et nobiles nulla filiorum textura, sed coactis ex lanis, candidos centones praebent: e quibus Feltriae vestes penulae, ad perferendum omnem imbrium injuriam idoneae, atque pulcherrimae conficiuntur; a Moscovitis autem laneas tunicas et argenteam monetam petunt, quum ab iis omnis corporis cultus, superfluaeque supellectilis apparatus contemnatur: solo etenim centone ad irati coeli contumeliam fortiter sustinendam contenti sunt, et solis confisi sagittis hostem arcent: quanquam dum in Europam excurrendum esse decrevissent, principes eorum ferreas galeas et loricas, gladiosque falcatos, a Persis nostra tempestate coemerint. A meridie Moscovitarum fines iisdem ab Tartaris clauduntur, qui supra Maeotim paludem in Asia, et circa fluvios Borysthenem et Tanaim in parte Europae, planiciem ad Hercyniam vergentem tenent. Roxolani, Getae et Bastarnae antiquitus eam plagam incoluere, unde Russiae nomen effluxisse crediderim; nam Lithuaniae partem, Russiam appellant inferiorem: quum ipsa Moscovia, Russia alba nuncupetur. Lithuania itaque ab Cori venti flatibus Moscoviam spectat: ab occasu vero, mediterranea Prussiae atque Livoniae ipsis Moscovitae finibus inseruntur, ubi mare Sarmaticum ab Cymbricae Chersonesi angustiis irrumpens, lunato sinu ad Aquilonem inflectitur. In extremo vero ejus Oceani littore, ubi Norvegia atque Suetia amplissima regna. Isthoma veluti quodam continenti adhaerent, Lapones existunt, gens supraquam credibile sit, agrestis, suspiciosa et ad omne externi hominis vestigium, navigiique conspectum, maxime fugax. Ea neque fruges, neque poma, neque ullam omnino vel terrae, vel coeli benignitatem novit: sola sagittandi peritia cibum parat: variisque ferarum tergoribus vestitur. Gentis cubilia, cavernulae siccatis repletae foliis, cavique arborum stipites, quos vel intromissa flamma, vel ipsa vetustas, inducta carie fabricarit. Aliqui ad mare, ubi ingens est captura piscium, ineptis, sed felicibus artificibus piscantur, duratosque fumo pisces tanquam suas fruges recondunt. Laponibus exigua corporum statura, luridi contusique vultus, pedes vero velocissimi. Ingenia eorum ne ipsi quidem proximi Moscovitae noverunt, quum eos parva manu aggredi, exitialis insaniae esse dicant: magnis vero copiis inopem rerum omnium vitam du-

Digitized by Google

centes lacessisse, neque utile, neque omnino gloriosum unquam existimarint. Ii candidissimas pelles, quas armelinas vocamus, cum varii generis mercimoniis permutant: sic tamen, ut omne mercatorum colloquium conspectumque defugiant, adeo ut mutua rerum venalium collatione facta, et relictis medio in loco pellibus, cum absentibus et ignotis, syncerissima fide permutationes transigantur. Ultra Lapones in regione inter Corum et Aquilonem, perpetua oppressa caligine, Pygmaeos reperiri, aliqui eximiae fidei testes retulerunt: qui postquam ad summum adoleverint, nostratis pueri denum annorum mensuram vix excedant: meticulosum genus hominum, et garritu sermonem exprimens, adeo ut tam simiae propinqui, quam statura ac sensibus ab justae proceritatis homine remoti videantur. Ab Aquilone vero innumerabiles populi Moscovitarum imperio parent, qui ad Oceanum Scythicum, itinere trium fere mensium extenduntur. Proxima Moschoviae regio est Colmogora frugibus abundans, quam interluit Dividna, fluviorum totius Septentrionis longe amplissimus, qui alteri fluvio minori in mare Baltheum erumpenti, nomen dedit. Is statis et Niloticis similibus incrementis, nec incertis anni temporibus circunjectos inundat campos, pinguique alluvie, algentis coeli injuriis, saevisque Aquilonis flatibus mirifice resistit: quum nivibus imbribusque auctus inflatur, adeo lato alveo in Oceanum per incognitas gentes in speciem ingentis pelagi defertur, ut expedito navigio unius diei remigatione transire nequeat; ubi vero aquae mox resederunt, vastae passim insulae fertilitate nobiles relinquuntur. Frumentum namque terrae traditum, nullo aratri beneficio prouenit, admirabilique celeritatae naturae festinantis, ac novam superbi amnis injuriam timentis, oritur simul et adolescit, atque in aristas educitur. In Dividnam influit Juga amnis: in ipsoque confluentium angulo celebre est emporium, nomine Ustjuga, a Mosca regia urbe sexcentis miliaribus distans. In Ustjugam a Permiis, Pecerris, Inugris, Ugulicis, Pinnagisque ulterioribus populis, preciosae pelles martarum, zebellinorumque, luporum cervariorum, et nigrarum albarumque vulpium conportantur, et ab iis vario mercimonii genere permutantur. Zebellinos vero, levium pilorum tenui canicie probatissimos, quibus nunc principum vestis fulcitur, et delicata matronarum colla, expressa vivae animantis effigie, conteguntur, Permii et Pecerri praebent: sed quos ipsi ab remotioribus etiam gentibus, quae ad Oceanum pertinent, per manus traditos accipiant. Permii et Pecerri paulo ante aetatem nostram more gentilium idolis sacrificabant: nunc vero Deum Christum colunt. Ad Inugros, Ugolicesque, per asperos montes pervenitur, qui fortasse Hyperborei antiquitus fuerunt. In eorum jugis nobilissimi falcones capiuntur; ex iis genus unum est candidum, guttatis pennis, quod Herodium dicunt. Sunt et hierofalchi, ardearum hostes, et sacri, et peregrini, quos antiquorum principum luxus in aucupiis non agnovit. Ultra eos, quos modo nominavi, populos, Moscovitis regibus tributa pendentes, aliae sunt nationes extremae hominum, nulla certa Moscovitarum peregrinatione cognitae: quando nemo ad Oceanum pervenerit: sed fama tantum, ac ipsis plerunque fabulosis mercatorum narrationibus auditae. Satis tamen constat, Dividnam innumerabiles trahentem amnes, ingenti cursu ad Aquilonem deferri, mareque ibi esse longe vastissimum, ita ut illinc ad Cathajum legendo oram dextri littoris, nisi terra intersit, navibus perveniri posse, certissima conjectura credendum sit. Pertinent enim Cathajni ad extremam Orientis plagam, ad Thraciae ferme parallelum, Lusitanis in India cogniti, quum proxime ad coemenda aromata per regionem Sinarum, Melacham usque ad auream Chersonesum navigarint, vestesque ex zebellinis pellibus attulerint: quo vel uno argumento, non longe ab Scythicis littoribus Cathajum urbem abesse putamus. Caeterum cum a Demetrio quaereremus, an apud ipsos ulla de Gotthis populis vel fama per manus a majoribus tradita vel ex ipsis literarum monumentis memoria superesset, qui ante mille annos et Caesarum imperium, et urbem Romam omnibus injuriis deformatam evertissent: respondebat, et Gotthicae gentis et Totilae regis nomen clarum esse atque illustre, in eaque expeditionem coivisse plures populos, et ante alios, Moscovitas: crevisseque eum exercitum ex colluvie Livoniorum et Circumvolganorum Tartarorum: sed propterea omnes Gotthos fuisse appellatos, quoniam Gotthi, qui insulam Islandiam sive Scandaviam incolerent, auctores ejus expeditionis extitissent. Iis maxime finibus Moscovitae ex omni parte clauduntur, quos Modocas Ptolemaeo fuisse credimus: hodie autem a Mosco amne haud dubie sic dicti, qui et regiae urbi, quam interfluit, suum quoque nomen indiderit. Ea est omnium Moscoviae urbium longe clarissima, tum situ ipso, qui regionis medius esse existimatur, tum insigni

Digitized by Google

fluvium opportunitate, domorumque frequentia, et munitissimae arcis celebritate. Oblongo etenim aedificiorum tractu, secundum Mosci fluminis ripam ad spacium quinque miliarium extenditur; domus in universum sunt lignеae, distinctae in triclinia, coquinas, et cubilio, capacitate amplae, nec structuris enormes, aut nimium depressae: trabes enim ingentis magnitudinis ab Hercynia sylva supportantur, quibus ad rubricae lineam delibratis, et contrario ordine inter se ad rectos angulos conjunctis et confibulatis, exteriora domorum septa singulari firmitate, nec multa impensa, et summa celeritate constituuntur. Domus ferme omnes, et ad usum olerum, et ad voluptatem privatos habent hortos, unde rarae urbis circuitus longe maximus apparet. Singulae regiones singula habent sacella: sed conspicuo in loco templum est deiparae Virgini dicatum, celebri structura atque amplitudine, quod Aristoteles Bononiensis mirabilium rerum artifex, et machinator insignis, ante sexaginta annos extruxit; ad ipsum urbis caput, Neglina fluviolus, qui frumentarias agit molas, Moscum amnem ingreditur, peninsulamque efficit: in cujus extremitate arx ipsa cum turribus ac propugnaculis, admirabili pulchritudine Italorum architectorum ingenio constructa est. In subjectis urbi campis capreolorum et leporum incredibilis multitudo reperitur: quos nemini plagis et canibus sectari licet, nisi Princeps id ad voluptatem intimis familiaribus, vel peregrinis legatis indulserit. Tres ferme urbis partes duobus alluuntur fluminibus: reliqua vero, latissima fossa, atque ea multa aqua ex ipsis amnibus corrivata praecingitur. Urbs etiam ab adverso latere alio flumine quod Jausa dicitur, munita est: id pariter in Moscum paulo infra urbem evolvitur. Porro Moscus ad meridiem excurrens, in Occam amnem multo majorem apud oppidum Columnam sese effundit: nec magno inde itineris spacio Occa ipse; et suis et alienis undis magnus et tumens, exoneratur in Volgam, ubi ad confluentes situm est oppidum Novogrodia minor, de nomine majoris urbis, ex qua deducta est ea colonia, nuncupatum. Oritur Volga, qui antiquitus Rha fuit, e magnis vastisque paludibus qui Candidi lacus appellantur. Sunt eae supra Moscam inter Aquilonem et Corum, emittuntque cunctos ferme amnes, qui diversas in regiones diffunduntur, uti de Alpibus videmus: e quorum jugis ac fontibus Rhenum, Padum ac Rhodanum, innumerabilesque minores fluvios manare compertum est. Siquidem eae paludes pro montibus perenni scaturigine, humorem affatim praebent, quum nulli omnino montes in ea regione multa etiam hominum peregrinatione reperiantur: ita ut Ryphaeos montes et Hyperboraeos toties ab antiquis celebratos, plerique Cosmographiae veteris studiosi penitus fabulosos esse arbitrentur. Ex iis itaque paludibus Dividna, Occa, Moscus, Volga, Tanais atque Borysthenes oriuntur. Volgam Tartari Edilum, Tanaim vero Don appellant: ipse Borysthenes Neper hodie nuncupantur; hic paulo infra Tauricam in pontum Euxinum decurrit. Tanais autem a Maeoti palude, ubi Azoum est, nobile emporium, excipitur. Volga vero ad meridiem Moscam urbem relinquens, vasto circuitu ingentibusque maeandris primo ad Orientem, mox in Occasum, ac demum ad Austrum magna aquarum mole praecipitatus, in Hyrcanum mare devolvitur. Supra ejus ostium urbs est Tartarorum, nomine Citrachan, ubi a Medis, Armeniisque et Persis mercatoribus nundinae celebrantur. In ulteriore Volgae ripa Tartarorum oppidum est Casanum, a quo Casaniorum Horda nomen ducit: distat a Volgae ostio, Caspioque mari quingentis millibus passuum. Supra Casanum autem centesimo et quinquagesimo miliari ad ingressum amnis Surae, Basilius qui nunc regnat, Surcicum oppidum condidit, ut in ea solitudine mercatoribus ac viatoribus, qui de rebus Tartaricis ac ejus inquietae gentis motibus proximos finium Praefectos certiores reddunt, certa et tuta mansio cum tabernis hospitalibus stat..eretur. Moscovitarum Imperatores variis temporibus, uti ex usu praesentium rerum fuit, vel libido, nova ac obscura loca nobilitandi longius pertraxit, apud diversas urbes imperii atque aulae sedem habuere. Siquidem Novogardia, quae Caurum et solem fere occidentem spectat, versus Livonium mare non multis ante annis totius Moscoviae caput fuit, summamque semper obtinuit dignitatem, propter incredibilem aedificiorum numerum, latissimique et piscosi lacus opportunitatem, et vetustissimi ac venerabilis templi famam: quod ante quadringentos annos Byzantiorum Caesarum aemulatione, sanctae Sophiae Dei filio Christo dicatum fuit. Novogardia perpetua quasi hyeme et tenebris longissimarum noctium premitur; nam polum Arcticum ab Orizonte sexaginta quatuor gradus elevatum videt: sex fere gradibus ipsa Mosca ab aequatore remotior, qua coeli ratione sol-

Digitized by Google

stitii tempore propter exiguas noctes continuatis fere solis ardoribus aestuare perhibetur. Urbs quoque Volodemaria regiae nomen adepta est, quae ad ortum solis ducentis amplius miliaribus a Mosca distat: eoque sedem Imperii ab strenuis Imperatoribus necessaria ratione translatam ferunt, ut ex propinquo, quum tum bella continenter cum finitimis gererentur, paratiora praesidia adversus Scytharum irruptiones opponerent; est enim citra Volgam in ripis Clesmae amnis sita, qui in Volgam evolvitur. Caeterum Mosca, vel ob eas, quas diximus, dotes, Regiae nomine dignissima judicatur: quoniam medio quodam totius frequentioris regionis ac Imperii loco sapientissime constituta, munitaque arce et fluminibus, consensu omnium, praecellentiae meritam laudem, honoremque nulla aetate defuturum sibi vendicasse caeterarum urbium collatione videatur. Distat Mosca ab urbe Novogrodia quingentis millibus passuum, medioque ferme itinere Ottoferia Volgae amni imposita occurrit. Is amnis, uti fonti proximus, nondum receptis tot amnibus, exiguus lenisque permeat; inde per nemora et campestres solitudines Novogrodiam pervenitur. Porro a Novogrodia ad Rigam proximum Sarmatici littoris portum, paulominus quingentorum miliarium iter est. Isque tractus superiore commodior putatur, quum frequentes habeat vicos, urbemque Plescoviam viae impositam, quam duo amnes complectuntur. Ab Riga autem, quae magni magistri militiae Livoniorum ditionis est, ad Lubeccam Germaniae portum in sinu Cymbricae Chersonesi miliaria paulo plus mille periculosae navigationis numerantur. Ab urbe Roma vero Moscam duobus milibus et sexentis miliaribus distare compertum est, brevissimo scilicet itinere euntibus per Rhavennam, Tarvisium, Carnicas alpes, Villacumque Noricum, et Vienna Pannonicam; atque inde superato Danubio, per Olmutium Moravorum usque ad Cracoviam Poloniae regiam, mille et centum miliaria existunt. Ab ipsa vero Cracovia ad Vilnam Lithuaniae caput: quingenta: et totidem ab ea urbe ad Smolenscum ultra Borysthenem situm, et a Smolensco ad Moscam sexcenta computantur; verum id iter, quod est a Vilna per Smolenscum ad Moscam, hyeme per nives longo concretas gelu, lubricamque, sed multo attritu solidatam glaciem expeditis in curribus in credibili celeritate conficitur: aestate vero nisi difficili laboriosoque itinere campestria superari nequeunt; nam ubi nives perpetuis solibus dissolvi eliquarique coeperint, in paludes coenosasque voragines abeunt, viris pariter et equis in extricabiles, nisi lignis pontibus infinitio prope labore consternantur. Terra Moscovia in universum neque vitem, neque oleam, neque paulo suavioris pomi frugiferam arborem, praeter melopepones et cerasa, producit: quum teneriora quae que gelidissimis Boreae flatibus exurantur; campi tamen tritici, siliginis, milii, panicique et omnis generis leguminum segetes ferunt; sed certissima messis in cera et melle consistit. Regio enim tota foecundissimis apibus plena est, quae non in manufactis agrestium alvearibus, sed in ipsis arborum cavis probatissima mella conficiunt; hinc per sylvas, et opacissimos saltus, frequentia ac nobilia apum examina ramis arborum pendentia videre est, quae nullo aeris crepitu colligere sit necesse. Reperiuntur saepe favorum ingentes massae arboribus conditae, veteraque mella deserta ab apibus, quum singulas arbores, in vastis nemoribus rari aggrestes minime perscrutentur, ita ut in admirandae crassitudinis arborum stipitibus permagnos mellis lacus aliquando reperiant. Retulit et cum multo omnium risu Demetrius legatus, ut est ingenio comi et faceto, proximis annis vicinae suae agricolam, quaerendi mellis causa in praegrandem causam arborem superne desiliisse, eumque profundo mellis gurgite pectore tenus fuisse haustum, ac biduo vitam solo melle sustinuisse, quum vox opem implorantis in ea sylvarum solitudine, ad viatorum aures penetrare nequivisset: ad extremum vero desperata salute, mirabili casu, ingentis ursae beneficio inde extractum evasisse, quum forte ejus beluae ad edenda mella more humano se demittentis, aversos, renes manibus comprehendisset, et eam subito timore exterritam ad exiliendum tum tractatu ipso, tum multo clamore concitasset. Nobile quoque linum, et cannabum in restes, multaque item boum tergora, et massas cerae ingentes, Moscovitae in omnem Europae partem mittunt. Nulla auri argentive, vel ignobilioris metalli, ferro excepto, apud eos vena, secturave reperitur: nullumque est tota regione, vel gemmarum vel preciosi lapilli vestigium, ea omnia ab externis populis petunt; naturae tamen injuria, quae tot bona prorsus inviderit: uno pellium nobilissimarum mercimonio resarcitur, quarum pretium incredibili hominum cupiditate et luxu adeo crevit, ut in singulas vestes suffulturae, millensis aureis nummis veneant. Fuit autem tempus, quo

Digitized by Google

haec vilius emebantur: quum remotissimae Septentrionis nationes politioris cultus, nostraeque adeo anhelantis luxuriae penitus ignarae, summa simplicitate, eas vilibus ac ridiculis saepe rebus permutarent: ita ut vulgo Permii, atque Pecerri, tantum pellium Zebellinarum pro ferrea securi rependerent, quantum earum simul connexarum ipso securis foramine, quo manubrium induitur, Moscovitae mercatores extrahere poterant. Ante quingentos annos Moscovitae gentilium deos coluere, Jovem scilicet, Martem et Saturnum, et plerosque alios, quos sibi insano errore hominibus ex industriis, aut regibus antiquitas finxit. Tunc vero primum Christianis sacris initiati, quum Graeci antistites haud satis constantibus ingeniis a Latinorum ecclesia dissentire coeperunt: factumque est, ut Moscovitae eos religionis ritus, quos a Graecis doctoribus accepissent, iisdem sensibus, et sincerissima quidem fide sequerentur. Spiritum enim sanctum, tertiam in divina Trinitate personam, a patre Deo solum produci persuasum habent: quum rectissima veritate a patre simul Christoque filio proficisci credendum sit; verum ea controversia apud conventum Florentinum, praesidente Eugenio quarto Pontifice, magna partium contentione agitata, cum exitum habuit, ut pertinacia Graecorum in sermone potius quam in sensu castiganda videretur: quum Graeci antistites evidentissimis convicti rationibus spiritum sanctum a patre per filium produci faterentur. Sacramentum quoque non ex azymo, uti jure debemus, sed ex fermentato pane conficiunt: idque sub utraque specie, sicuti soli apud nos sacerdotes, panis scilicet, divinique sanguinis, ab eorum presbyteris universo populo communicatur: quo maximo errore imbuti Bohemi, paulo ante patrum nostrorum memoriam a Latinorum ecclesia desciverunt. Caeterum quod valde alienum a Christiana religione esse videmus, nullis sacerdotum suffragiis, nullaque propinquorum, aut amicorum pietate juvari mortuorum manes arbitrantur: fabulosumque esse purgatorii locum putant, e quo tandem piorum animae, cum diuturna ignis poena, tum multis parentationibus, indulgentiaque summorum pontificum expiatae, immortalium foelicitatem beata in coeli sede consequantur. Caeteris in rebus easdem fere ceremonias tenent, quae a Graecis usurpatae sunt, Romanamque ecclesiam caeterarum omnium principatum obtinere, superbe at pervicaciter negant; sed ante alia, Judaeorum genus, vel memoria quidem horrent, nec eos intra fines admittunt, veluti pessimos atque maleficos homines: qui etiam novissime Turcas aenea tormenta conflare docuerint. Christi vitae miraculorumque omnium historia ab Evangelistis quatuor conscripta, itemque Pauli epistolae, dum sacra fiunt, e suggestu clariore voce recitantur, probataeque vitae sacerdotes homelias Ecclesiae doctorum publice legunt, etiam iis horis, quibus sacra minime conficiuntur; non enim Oratores cucullatos, qui advocato populo concionari, et ambitiose nimis atque subtiliter de divinis disserere soliti sunt, admittere fas putant: quoniam rudes imperitorum animos simplici potius doctrina, quam altissimis arcanorum interpretationibus ad sanctiorem morum frugem evadere, viri solidae religionis arbitrantur. Hos, quos modo diximus, sacros libros, itemque novi ac veteris instrumenti enarratores, praeterea Ambrosium, Augustinum, Hieronymum atque Gregorium, in linguam Illyricam traductos habent, religioseque custodiunt. Antistites, Principesque minorum sacerdotum singulis urbibus pagisque praefecti sacra curant, controversias dimirunt, et moribus depravatos summa quadam vindicandi potestate persequuntur. Regem sacrorum, quem ipsi Metropolitam vocant, a Constantinopolitano Patriarcha petunt: Archimandritae autem et Episcopi, conjectis in urnam meliorum nominibus, sorte ducuntur. Eorum vero hominum qui humanis cupiditatibus ultro renunciarunt, divinarumque rerum contemplationi et sacrorum ministerio sese dedicarunt, duplex est genus; utrunque coenobia incolit: sed alterum est vagum, et paulo solutioris vitae, sicuti apud nos divorum Francisci atque Dominici sectam profitentes: alterum constat ex sanctioribus monarchis, quorum ordinem divus Basilius instituit; iis ne limine quidem vel in suprema vitae necessitate, pedem efferre fas est. Procul enim ab oculis profanorum singulari duritie vitam in occultioribus adytis degunt, summamque subactae carnis et confirmati in religione animi opinionem praebent. Universus populus quater in anno, et pluribus semper diebus jejunare consuevit, abstinetque ab esu carnium, ovorum, et lactis. In vero primum, more Latino, post diem Cinerum: mox adulta aestate, in honorem divorum Petri et Pauli: et initio autumni demum, cum assumptae in coelum Mariae virginis memoriam celebramus: postremo sub ipsam hyemem, cum adventus Domini pronunciatur. Per hebdomadam vero, diem Mercurii sine carnibus,

Digitized by Google

diem autem Veneris sine ovis lacteque traducunt: sed Saturni dies mensa omnibus obsoniis opipare referta, hilariter excolitur. Caeterum secus ac nos solemus, nullas festorum dierum vigilias observant. Religiosissime templa venerantur, adeo ut ea neque viros neque feminas venereis pollutos conplexibus intrare fas sit, nisi prius privatis balneis abluantur. Saepeque accidit, ut complures utriusque sexus sacra audientes, extra limen consistant, et propterea a petulcis invenibus recentis incontinentiae notati, facetis aliquando nutibus salutentur. In ipso natali die Joannis Baptistae, et in Paschate, trium Magorum, presbyteri sacratos panes parvos toti populo largiuntur, quorum esu febribus conflictatos allevari existimant. Alia quoque sacra, certo anni tempore apud flumina gelu concreta celebrantur. In ripa tabernaculum constituunt, et advocata nobilitate hymnos numeroso concentu pronunciant, sacraeque lymphae multa aspergine profluentem purificant, et solenni ceremonia stratum et consecratum circumcisa et revulsa glacie protinus asperiunt. His rebus rite confectis, si qui adsunt languentes vel morbosi, in flumen desiliunt, et sacris aquis abluuntur, quum ob id elui morborum sordes persuasum habeant. Defuncti, uti apud nos, mediocri funeris pompa comitantibus presbyteris efferuntur, capite mappa velato: caeterum non in templis, uti apud nos impia prope, vel abominabili certe corruptela usurpatum est, sed in septis ac exterioribus templorum vestibulis sepulturae traduntur, iisque more nostro quadragenis diebus parentant: quod certe mirum videtur, quum in purgatorio loco expiari animas, et criminum poenam ullis amicorum suppliciis, ulloque pietatis officio mitigari penitus negent. In caeteris, eadem quae a nobis de religione sentiuntur, constantissime credunt. Moscoviae Illyrica lingua, Illyricisque literis utuntur, sicuti et Solavi, Dalmatae, Bohemi, Poloni, et Lithuani. Ea lingua omnium longe latissima esse perhibetur; nam Constantinopoli Ottomanorum in aula familiaris est, et nuper in Aegypto apud Memphiticum Sultanum et equites Mamalucos haud ingratis auribus audiebatur. In hanc linguam ingens multitudo sacrorum librorum industria maxime divi Hieronymi et Cyrilli, translata est. Praeter quoque patrios annales, Alexandri etiam magni, Romanumque Caesarum, itemque M. Antonii et Cleopatrae memoriam iisdem literis commendatam tenent; Philosophiam vero, et sideralem scientiam, caeterasque disciplinas et rationalem medicinam nunquam attigere; iique pro medicis se gerunt, qui alicujus paulo ignotioris herbae vires, se pluries observasse profitentur. Anni apud eos non a natali Christi, sed ab ipso mundi initio numerantur, qui non a mense Januario, sed a Septembri incipiunt. Leges toto regno habent simplices, summa principum et justissimorum hominum aequitate conditas: et propterea populis valde salutares, quoniam eas ullis causidicorum cavillationibus interpretari atque pervertere non licet. De furibus, sicariis et latronibus supplicium sumunt. Quum de maleficiis quaestionem habent, reos multa gelida aqua superne demissa perfundunt, quod intolerandum tormenti genus esse perhibent. Nonnunquam obduratis et contumacibus, ut confessio criminis exprimatur, ligneis cuneolis digitorum ungues convelluntur. Iuventus omnis variis ludis, sed militiae proximis sese exercet: in stadio cursu contendit, in palaestra colluctatur, pernicitati equorum studet: omnibusque praemia, et praesertim sagittariorum peritisset proponuntur. In universum Moscovitae statura sunt mediocri, sed quadrata, et valde torosa: caesii omnibus oculi, prolixae barbae, crura brevia, et ventres extenti; equitant contractis admodum cruribus; et peritissime, vel aversi et fugientes, sagittas emittunt. Domi opipare potius quam laute vivunt: nanque omnium ferme cibariorum quae vel a luxuriosissimis desiderari possunt, mensae eorum et parvo quidem precio passim instruuntur. Gallinae siquidem, et anates, singulis saepe argenteolis tenuibus nummis veneunt; majoris minorisque pecoris incredibilis est copia: ot occisae media hyeme juvencae, concretis gelu carnibus duorum fere mensium spacio non putrescunt. Venatione et aucupio, uti apud nos; nobiliora obsonia parantur; nam venaticis canibus, et plagis omnis generis feras capiunt: et asturibus, atque falconibus, quos mirificos regio Pecerra praebet, non modo phasianos, et anates, sed cycnos et grues consectantur. Astures ex genere infimo aquilarum, vel milvorum, falcones vero accipitrum nobile genus antiquis fuisse putamus. Capitum quoque avis subnigra, puniceis superciliis, magnitudine anseris, quae pulparum sapore phasianorum superat dignitatem: Moscovitica lingua Tether nuncupata, quae Plinio Erythratae vocatur, Alpinis populis cognita, et maxime Rhetis, qui saltus ad Abduae amnis fontes incolunt. Ingentes etiam sapidissimosque pisces, et ante alios Sturiones, quos

Digitized by Google

Siluros antiquitus fuisse putamus, Volga praebet: et ii quidem hyeme multa inclusi glacie, recentes pluribus diebus asservantur. Aliorum vero piscium multitudinem ferme incredibilem ex candidis, quos diximus lacubibus expiscantur. Vino nativo quum penitus careant, advectitio uti solent: sed in festis conviviis tantum, et sacrificiis. Ante alia Creticum subdulce maximo in honore habetur, sed in usum medicinae tantum, vel principalis luxuriae ostentationem: quum miraculi loco sit eductum Creta per Gaditanas fauces, et tantis conclusi maris Oceanique fluctibus agitatum, incorrupta suavitatis ac odoris dignitate, inter Scythicas nives, ebibisse. Populus vero medonem bibit, ex melle lupulisque decoctum, quod picatis in cadis veterascit, et ex antiquitate nobilitatem adsequitur. In usu quoque sunt birra atque cervisia, sicuti apud Germanos Polonosque videmus, quae ex tritico, zeaque vel ordeo decoctis, omni convivio circumferuntur. Hanc quadam cognata cum vino potestate, largius conpotantibus ebrietatem inducere adfirmant. Medonem ac birram per aestatem infrigidare, infusa poculis glacie voluptatis gratia solent; nam ingentia glaciei frusta nobilium in cellis subterraneis singulari studio reconduntur. Sunt et, qui in deliciis habeant, succum ex subausteris cerasis expressum, qui perspicui et purpurissantis vini colorem et saporem jucundissimum refert. Uxores et feminae, non in eo honore sunt apud eos, ut apud caeteras gentes; nam prope ancillarum loco habentur. Viri insignes earum vestigia mirum in modum observant, et pudicitiae diligentissime cavent; non enim adhibentur conviviis, neque sacrorum causa remotiora templa petere, aut temere in publicum egredi permittuntur. Caeterum vel ab externis hominibus, et exiguo quidem precio, ad Venerem omne vulgus feminarum facile pellicitur, adeo ut parum earum amoribus studere viri nobiles existimentur. Basilius ante viginti annos Joannem patrem amisit. Is Sophiam, Thomae Palaeologi, qui late in Peloponneso imperabat, Constantinopolitanique Imperatoris erat frater, uxorem duxit; ea tum Romae erat, Thoma patre Turcarum armis Graecia pulso; ex hac quinque liberi felici fecunditate suscepti, ipse Basilius, Georgius, Demetrius, Simeon, et Andreas. Demetrio et Simeone jam pridem morbo ab sumptis, Basilius Salomoniam Georgii Soborovii, eximiae fidei atque prudentiae consiliarii, filiam, in matrimonium sibi collocavit: cujus feminae singulares virtutes una sterilitas obscurat. Solent autem Moscovitae, cum de uxore ducenda deliberant, omnium toto regno puellarum virginum delectum habere, ac forma virtuteque animi praestantiores ad se perduci jubere: quas demum per idoneos homines, fidelesque matronas inspiciunt, ita diligenter, ut secretiora quoque ab iis contrectari explorarique fas sit. Ex iis vero magna atque solicita parentum expectatione quae ad Principis animum responderit, regiis nuptiis digna pronunciatur; caeterae vero, quae de formae pudicitiaeque et morum dignitate contenderant, saepe eadem die in gratiam Principum, proceribus atque militibus nubunt: sic ut mediocri loco natae plerunque, dum Principes, regiae stirpis clara stemmata contemnunt, ad summum regalis thori fastigium, uti et Turcas Ottomanos solitos esse videmus, pulchritudinis auspiciis evehantur. Basilius quadragesimumseptimum aetatis annum non attingit, specie corporis eximia, animi virtute singulari, suorumque studio ac benevolentia, et rebus gestis, progenitoribus suis anteferendus. Nam cum per sex annos cum Livoniis, qui septuaginta duas urbes foederatas in ejus belli causam trahebant, armis contendisset, paucis legibus datis potius quam acceptis, victor discessit. Polonos quoque initio statim ipsius Imperii, acie profligavit: Constantinumque Ruthenum copiarum ducem, captum et cathenis vinctum, Moscam perduxit. Sed ipse aliquanto post ad Borysthenem, supra Orsam urbem, ab eodem Constantino, quem dimiserat, magno praelio est superatus: ita tamen, ut Smolenscum oppidum, quod antea Moscovitae occuparant, post tantam etiam victoriam a Polonis partam, in dttione Basilii relinqueretur. Sed adversus Tartaros, et maxime Europeos Praecipitas, saepius secundo praelio a Moscovitis est dimicatum, ulciscendis fortiter injuriis, quas illi repentinis incursionibus intulissent. Supra enim centum et quinquaginta milia equitum Basilius ad bellum ducere consuevit, distinctis per vexilla turmis, quae suos duces sequuntur. Regiae alae vexillo inscripta est Josuae Hebraei imago, illius qui, ut sacrae referunt historiae, a Deo maximo longissimum diem, retardato solis cursu, piis precibus impetravit. Pedestres copiae nullo prope usui sunt in illis vastis solitudinibus, tum ex ipsa veste quae fluxa talarisque est: tum ex hostium consuetudine, qui cursu potius et equitandi celeritate, quam vi statariae pugnae, vel ipso congressu militiam exercent. Equi eorum statura

Digitized by Google

infra mediam existunt, sed robusti et velocissimi habentur. Equites prapilatis hastis, clavisque ferreis et sagittis rem gerunt; paucis falcati sunt gladii. Corpora vero clypeis rotundis, ut Asiatici Turcae: vel inflexis et angularibus parmis, more Graecorum, itemque lorica et galea pyramidali proteguntur. Basilius etiam Sclopettariorum equitum manum instituit: multaque aenea tormenta Italorum fabrorum artificio conflata, suisque imposita curribus in arce Moscae visunt. Ipse insigni apparatu et singulari comitate, qua tamen Regia majestas nulla ex parte corrumpitur, publice cum proceribus atque legatis epulari solet, magnumque inaurati argenti pondus duobus abacis expositum, eodem triclinio conspicitur. Nullam praetoriani militis cohortem, praeter ipsam familiam, corporis custodiae causa circum se habere, vel alibi alere consuevit. Ab urbana enim fideli multitudine stationes habentur; nam unaquaeque urbis regio foribus, cancellisque sepitur: nec temere per noctem, aut sine lumine, in urbe vagari licet. Aula omnis constat ex regulis, et ex ipso militum delectu, qui per statos mensium circuitus, frequentandae, nobilitandaeque regiae causa per vices ad implenda comitatus officia e singulis regionibus accersuntur. Porro exercitus omnis quum bellum ingruit, vel hostibus indicitur, ex evocatis veteranis, novisque provinciarum delectibus cogitur; nam cunctis in urbibus praefecti militiae juventutem inspiciunt, idoneosque in ordines militum transcribunt: quibus ex aerario provinciarum, certa, pacis tempore, sed ea quidem exigua, stipendia persolvuntur. Verum qui militant, immunitate vectigalium gaudent, et caeteris paganis praestant, regiaque gratia omnibus in rebus potentes existunt. Patescit namque verae virtuti nobilis locus, quum bellum geritur: siquidem egregio et in omni rerum administratione salutari instituto, ad suum quisque spectatum facinus, vel perpetui praemii, vel ignominiae sempiternae fortunam assequitur.

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

# III.

# JOANNIS FABRI

## MOSCOVITARUM RELIGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

III.

# JOANNIS FABRI

# MOSCOVITARUM RELIGIO.

## FERDINANDO HISPANIARUM PRINCIPI ETC.

Cum humaniter salutasses, ac magnifice pro tegio in te animo accepisses, serenissime Princeps, Oratores Moscovitarum, qui jam a sacratissima Caesarea majestate ex Hispaniis feliciter, cum et illic pleraque magis etiam quam vel par esse possit, in eos magnificentissima collata essent, laeti ad te Tubingam redierant statim, ut est excellentissimi tui ingenii consuetudo, commisisti, ut quam primum, mecum sumptis aliquot insignibus, qui hujusmodi negocio pares esse viris tum eruditis, tum multarum rerum usu praeditis, istiusmodi Moscovitarum, nobis Germaniae viris prius admodum incognitorum percontaret: idque tuo nomine originem, ritus, mores, religionem atque id genus alia, quod et ob hoc facile fieri poterat, quoniam interprete utebantur ipsi: qui eum et natus Moscovita esset, praeter suam vernaculam linguam et Germanice et Latine mediocriter callebat. Ob id maxime desiderasti Princeps serenissime procul dubio si cui forte mirum videretur, quo certior factus, cum quibusnam olim divus Caesar Maximilianus avus tuus pro communi Rep. foedus iniisset. Tum aliud est, quod forte huic rei perquirendae plus addidit desiderii, ut cum olim in conventu vel doctorum hominum, ubi frequens esse soles, vel principum, mentio quaedam de exteris inciderit, id quod usu non possis, saltem monumentis admonitus, aeque in lucem proferre queas, quicquid est ex variis exterorum moribus. Quare et ipse facile motus, atque, ut par erat, votis tuis obtemperavi, accessimus simul, primumque quae tui animi sententia esset, exposuimus: id quod et illis summe placaverat, talis Principis indolem ac ingenium mirantibus. De quo et plurimum spei sibi polliceri poterant, quod unus esses ex omnibus, ad quos ipsi, longa quidem profectione, quae jam biennium compleverat, ab Oriente facta in Occidentem, diverterant hospitalitatis jure antiquissimo, qui gentis suae varia amplecteretur. Itaque et ipsi talibus benevoli facti, nihil omnino eorum obticebant quae quaerebamus, verum omnia cum foenore reddebant. Idem et ego tibi facturus serenissime Princeps, quo ordine, quibus velocis, universa hujusmodi hominum in publicum proferri possunt, etiam majora quam illi retulerunt nihil relinquens fidi interpretis munere functurum exponam. Primo itaque omnium tum congruum tum necessarium mihi visum ut quae nominis appellatio huic genti existat hodie passim vulgo: tum quae prisca fuerit, referam, ubi et maximus nobis labor incumbit. In conferendis namque vel Graecorum cum Latinis monumen

Digitized by Google

tis, vel vetustissimis illis cum recentioribus, non mediocris exigitur ingenii judicium. Facile enim omnia commutari contingit, quemadmodum in moribus fieri frequenter cernitur. Invenio itaque; eos populos, quos communi vocabulo nos Moscovitas appellamus hodie, olim, teste Plinio, Roxolanos esse dictos, quos tamen aliquantulum, commutata litera, tabula Europae octava Ptolomaeus Rosolanos nominat, quemadmodum et Strabo. Qui etiam multo jam tempore Rutheni dicti fuere. Atque hi sunt, qui quondam adversus Mithridatis Antipatorum duces strenue dimicarunt, veluti Strabo refert. Hodie vero, cujusmodi et antea memini, pro temporum varietate, nihil plus immutari cernimus, quam regionum, provinciarumque nomina. Quoniam urbs est illis regalis totius provinciae Moscovia dicta, unde et Moscovitae nomen acceperunt, vel ut aliis placet, veluti Volaterrano, a fluvio Moscovii, utcunque derivaveris hoc modo non admodum retulerit, dummodo nominis ratio liquida fiat. His olim praefuit Joannes dux, cui Helena conjux erat de Palaeologorum, hoc est Constantinopolitanorum Imperatorum genere nata. Ultra hos Roxolanos quidem Strabo ait neminem habitare. Sunt itaque Rutheni sive Moscovitae Orienti plus confines propioresque, ac Borysthenem conterminant ex uno latere Lithuanitis, dein Polonis, atque Tartaris ex alio latere. Qui quidem Tartari illi saepe hostiles manus inferunt, crebras incursiones faciunt. A Caesare item Caphensi, qui certe praesidio Tartarorum potentissimus existit, et a Capha nomen ducit, juxta mare in Taurico Chersoneso residens innumera belli mala sustinent quasi omni momento. Versus itaque Septentrionem mari clauduntur glaciali, cujus littus cum sit amplissimum universum fere Moscovitarum ducis existit. Atque hoc mare est, quod veteres, lacum Cronium, ob ejus glaciem perpetuam fere appellarunt. Cronium enim ἀπὸ τοῦ χρόνου Graece Latine Saturno appellato, venit: qui quoniam senex frigidus ac tardus extitit, pro hujusmodi astro a poetis ponitur. Hinc quaecunque frigida tardaque sunt, et hujusmodi, Cronia appellari consueverunt, et hoc mare Cronium, quod immenso Septentrionis communi frigore, et hac parte maximo, quanto longius a sole est multis milibus passuum congelari soleat. Quapropter et Hecthaeus, teste Plinio, Amalchium vocat, lingua Scytharum, quod Latine quoque interpretari potest congelatum. Sic in contrarium eadem de causa, ab Ammonio historico, lacus qui prope Constantiam est, quem Solinus alias Pregantinum nominat, Acronius vocatur, quod ne quaquam ex integro unquam congelatus memoretur. Verum ne longius ab instituto aberremus, Moscovitarum certe ducis imperium adeo latis protenditur longisque; agris, ut aliquot spatia Aliae complectatur, aliquot etiam Europae, eaque minime parva. Moscovia autem urbs est, ut quod alias minime consequi possumus. hoc comparatione quasi ob oculos commodiori modo ponamus, duplo major quam sit Colonia Agrippina, quemadmodum ipsi retulerunt, qui in profectione ista hujusmodi urbis, plus forsan quam reliquarum Germaniae explorandi curam habere. Huic tamen magnitudine non imparem habent, et aliam urbem Vladimeri, tum Plescoviam, et Novigradiam, Smolnae et Otiferi, quas regiis, amplissimisque aedificiis extructas dicebant, muris quoque bene munitis, illisque tum ex quadratis, tum decoctis lapidibus extructis. Quarum etiam Plescovia praeter caeteras praemunita muris tribus cingitur. Reliquae vero quas habent innumeras, non usque adeo celebres habentur. Quoniam ab his quas praediximus, titulum suum ac inscriptionem Russiae imperator accepit. Nam in praesentiarum, quoties vel per Oratorem, vel per epistolam sese Moscovitarum Imperator insinuat hoc titulo uti consuevit: Basilius Dei gratia Imperator totius Russiae, ac magnus dux Vladimeri et Moscoviae, Novigradiae, Plescoviae, Smolnae et Otiferi. Atque certe ille est titulus, quo anno proximo elapso 24 mense Augusto, dum in inclita Vienna tua, te ex magni Basilii nomine salutarent, sunt orationem suam exorsi. Habet princeps Moscovitarum sub se principes multarum provinciavum, eosque praepotentes. Ex quibus non postremus est canus ille et barbatus, quem velut Oratorem Ruthenorum Imperator misit, ut serenitatem tuam primo, ac post Caesarem majestatem in Hispaniis adiret. Qui et triginta milibus equitum quoties belli necessitas exigit Imperatori suo succurre solet. Sunt et alii principes quorum potentia non parva est. At illud singulare est, quod in ipsis summe commendari potest, ut nullus sit eorum tam illustris, dives ac praepotens, quin accersitus a duce perquam humillimum etiam praeconem, statim advolet, omnibus mandatis sui Imperatoris, instar dei, obtemperet, etiam in iis causis, quae vel vitae detrimentum periculumque exigere videntur. Imo haec maxima noxa, ac ignominia apud ipsos censetur, quum minus aliquis in

Digitized by Google

cunctis duci suo pro voluntate egerit. Econtra praeclarissimam in viro esse obedientiam. Id circo intra paucos dies aliquando bis, aut ter centena millia, vel alias ingentem quandam multitudinem congregare potest, contra hostes suos aut Tartaros, aut Caesarem Caphensem, vel alios quosuis exercitum ducturus, adeo nulla est natio quae imperatori suo magis obediat, nihil plus viro dignum aut gloriosius esse ducentes, quam pro principe etiam mori. Sic enim recte se immortalitate donari existimant. Ideo etiam frequenter contra Tartaros, Turcas, et alios cum tam potenti equitum exercitu, instar apum collecto, fortissimos triumphos agere solent. Et eo tempore, quo Caesar Maximilianus cum ipsis foedus iniit, cum rege Poloniae bellum gesserunt. Qui ut in dies bella gerunt, indies quoque aptiores ad vim inferendam exercitu, tum ad propugnandum, tum ad conserendum manus fieri solent. Nam cum olim, pro more Parthorum, plus fugiendo quam insequendo victoriam nacti essent, jactu jaculorum ex arcubus, nunc vero ad omnes belli insultus, vel inferendos vel patiendos aptiores facti, et aeneis machinis, quas bombardas vocant, utuntur, atque mirae magnitudinis acies instruunt, industria qua fieri solet. Et si summam cupis, ajunt plerique historici, quod Moscovitarum gens sit quae nunquam sit experta pacis commoda quae nisi natura, situque adeo munitissimam haberet terram, periculum sit, jam saepissime eam expugnatam fuisse. Lingua vero eis est, qua sibi multum cum Bohemis, Croatis, et Slavonibus convenit, adeoque vicinia, ut Sclavo Moscovitam plene percipiat, nisi quantum visum est nonnullis, Moscovitis asperam magis ac duriorem esse phrasim. Sclavonum autem linguam a confusione, quae in Babel tempore Nembrotis fortis illius in Genesi venatoris facta est, nomen accepisse tradunt historici. Eam tamen rem satis mirari non possum, quod cum inter Dalmatiam quidem et Moscoviam, utraque Pannonia sita sit. Ungaro tamen nihil minus quam cum linguae cognatione conveniat cum Moscovita. Quare conjectura est, olim has gentes per legiones divisas esse, atque ex Dalmatia illuc migrasse: ob hoc quoque asserit Volateranus Ruthenorum linguam semidalmaticam esse. Utcunque tamen fuerit, hoc certum esto, Bohemis, Croatis, Dalmatis, et Moscovitis lingua convenire, id quod e tuis interpretibus, quos in aula tecum fovebas, quotquot eramus, deprehendimus. Nam cum et illi interpretes inter Croatos et Dalmatas nati essent, nullusque unquam illorum vel Moscovitas accesserat, vel moratus cum eis fuerat, adhuc tamen tunc praesentes verba illorum deprehendere poterant. Sunt etiam in Moscovia nemora mirae magnitudinis, in quibus vulpes nigri, et ursi albi venantur; ita monumentis prius admoniti, nunc vero demum interprete Oratorem edocti. Nec mirum fortassis, in causa enim facile fuerit nimium illud Septentrionis frigus, quod semper mater est albedinis, uti philosophia constat. Vivunt autem in sylvis plerique venationibus ferarum admodum sedulo incumbentes. Habent et apes frequentissimas, a quibus mel et ceram cum copia colligunt, quae tamen apud illos mediocris admodum sunt precii. Cum vero belli frequentia terram eorum incultam ac neglectam faciat, vitae suae necessaria non aliunde magis, quam e pellibus quaeritant, ad quas comparandas mercatores tum e nostris, tum e longinquioribus veniunt regionibus, ea est illorum nobilitas; qui namque nobilissimi sunt apud nos, ab illis nobis comparamus: veluti sunt pelles Zobolini, Martyres, Hermelini, et his similes. Simplici verborum fide, non longis ambagibus contrahunt, mercem pro merce. Quamvis enim aureorum et argenteorum numismatum ipsis et multus usus sit, tamen pro frugibus, ac reliquis vitae necessariis pelles frequentissime commutant. Sunt etiam ex gentibus ejus imperatoris, qui vino et frumento neque utuntur, neque habent, sed uti bestiae bestiis vescuntur: id quod cum Tartaris commune habent, ignobile vulgus est, et omnino sylvestre Tartariae vicinum, ad littus maris glacialis in sylvis habitans. Alii vero aliarum urbium Moscoviae, scilicet Novigradiae, etc, cives in esu piscium nobiscum magis civiliter communicant: in decoquendo vero nonnihil a nobis discrepant, quantum ipse vidi. Et cujus fere oblitus fuissem, Volateranus scribit, Ruthenos uti moneta non signata: illud tamen experiri volens, ab ipsis certior factus, monetae Ungariae multum usum apud eos esse. At quod maximum est in vita, fidem Christianam sequuntur, quam a sancto Andrea apostolo, fratre Simonis Petri, primum eis praedicatam affirmant. Ea quoque quae sub Constantino Magno a 318 episcopis, anno 319 in Nicea urbe Bithyniae primo Niceno concilio conclusa, ac a Basilio Magno, et sancte Chrysostomo tradita et praedicata fuerunt, tam sancta, tam firma, tam sincera esse credunt ut ab illis hac-

Digitized by Google

tenus nunquam licuerit transverso digito, ut-ajunt, recedere cuiquam, sicut neque ab Evangelio Christi. Ea quoque vel modestia est eorum, ut quae a sanctis patribus in suis conciliis semel sint decisa, nunquam audeat quisquam suae professionis in dubium denuo vocare. Constantiori itaque animo quam plerique nostrum in hac prima fide perseverare solent, quam ab Apostolo Andrea, suisque successoribus, sanctisque patribus didicerunt, atque ab ubere materno suxerunt. Nequaquam sese in varias scindi haereses patiuntur. Verum si qua vel fidei difficultas, vel ritus religionis inciderit, universa ad Archiepiscopum, ac reliquos episcopos, pro ipsorum tantum spiritu definienda refertur, neque quicquam inconstanti vulgo et inconcordi relinquitur. Sacerdotis enim labia custodiunt legem dei, et lex ex ore ejus requirenda erit. Habent autem archiepiscopum, qui in urbe Moscovia, in eo loco ubi sedem imperator habet, cathedram archiepiscopalem obtinet. Sunt et episcopi quamplures, in Novigradia unus, in qua et Isidorus extitit, sub Eugenio pontifice Romano. Cardinalis teste Raphaele. In Roscivia alius, alius in Sustali, alius in Otiferi, alius in Smolne, alius in Resan, Colmum, Volut, et Frotini praeficiuntur episcopi: qui et suas habent dioeceses. Hi quidem omnes episcopi archiepiscopum velut supremum agnoscunt. Archiepiscopus autem ille, antequam patriarcha Constantinopolitanus a Mahometica tyrannide suppressus esset, semper hunc patriarcham ut superiorem recognovit. Huic tamen Romanum pontificem veluti Petri successorem praecessisse, semper ac merito fatentur. Neque hodie ejus rei immemor Ruthenorum imperator, adhuc pietatis ejusmodi diligens custos: quotannis enim Constantinopolitano patriarchae in hanc usque horam, quo vivere, et Aegyptiacae servitutis finem aequa mente expectare possit, eleemosynam mittere consuevit. Satis namque impium sibi videretur, eum deseri, quem totidem ecclesiis praefuisse notum sit, et a quo unico fere totidem, tantarumque provinciarum religio olim dependerit. Cum vero episcoporum nomina sedesque inciderit mentio, auctoritatem illorum planius ac rudius (ut ajunt) promulgare placuit: ubi video illos a nostris in plerisque non multum differre: rem enim ex ordine compertus sum. Nam apud Moscovitas ea lex et sanctio, ut presbyteros, et omnes quotquot clerici sunt solos ordinent episcopi. Neque ulli presbytero unquam quenquam confirmare licet. Hoc enim muneris episcopo soli incumbere asserunt, ut posteaquam tinctus aqua adultus fiat, per impositionem manuum episcopi, et signaculum crucis adeptae fidei testimonium reddat, firmeturque per unctionem, quae in fronte fieri solet. Iidem in coena domini chrisma et oleum celebrant atque conficiunt, cujus dein usus sit in baptisando, confirmando, ungendo infirmos. Soli sunt qui instituunt et destituunt presbyteros. Neque unquam licet laicis in ipsos animadvertere, recte ob oculos habentes Pauli doctrinam ad Timotheum qua dicit: Accusationem adversus presbyterum ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus. Ita nec se unquam imperator ipse de poenis clericorum ingerit, hoc episcopalis tantum animadversionis constanter affirmant et praedicant, ut eos arguat et castiget, quos sibi subditos evangelicus ordo, ac in sortem domini vocatio fecerit. Habent et episcopi suos vicarios et officiales, quemadmodum et nostri, qui jurisdictionem in subditos exercent, et justitiam in rebus ecclesiasticis administrant. Decimis, quemadmodum a Deo decretum est, quoque vivunt episcopi: dominiis utuntur jure concessis, villas ac castra possident. Reliqua vero sacerdotum turba aliquibus decimis, oblationibus, et aliis quamplurimis tam vivorum quam mortuorum aluntur. Pro iis enim beneficia habent fundata, quorum patroni sunt tam spirituales quam laici. Severiori tamen cura hic agitur quam solcat interdum nobiscum, negligentius scilicet. Nemini enim facile aliquod munus ecclesiasticum commendatur, neque confertur beneficium, nisi prius huic ipsi satisfacere posse comprobetur: per ejus rei tamen peritos, velut episcopos aut vicarios. Sunt episcopis suae familiae, tum nobilibus, tum aliis constitutae. Hi certe sunt episcopi, per quos statque caditque universa Ruthenorum religio. Divina saepe quum eum imperatore conveniunt peragere solent. Pro insignibus tanti hujus muneris baculis utuntur, et mitris, perinde atque nostri solent episcopi. Ea vero abstinentia est, quae nunquam satis laudari poterit, insignis admodum et magna: tum archiepiscopi, tum reliquorum episcoporum cibi atque potus, nec minor vero quam monachis ejus regionis, quibus ipsa solet esse refertissima, qui quidem ea lege obstricti abstinentiae, ut nunquam in perpetuum carnibus vesci liceat. Ne igitur tam facile vesana nostrae Germaniae cohors se solam deludi atque

Digitized by Google

onerari ducat, quasi monstris monachis, plebs certe Dei selecta est, passim per universum quae increbuit, quam quidem hodie mirari solent, nescio quibus persuasi, quasi novam faciem, cum fere nulla professio Christianorum sit antiquior, vel adhuc magis Evangelio accedens, quam stulta hominum nostrorum opinio, veneratur, magni aestimat gens efferata bello continuo, id quod nos abominationes dicimus. Non procul ab urbe Moscovia monasterium est amplissimum, in quo trecenti fratres perpetuo fere sub regula magni Basili degunt, in quo etiam sepulchrum sancti Sergii abbatis, quod ab exteris e longissimis etiam agris frequentatur: multis enim miraculis celebre factum est, Christianorum admiratione non parum dignis. E quibus vel unicum in medium prolatum sufficiet, omnium illustrissimum, quod paucos ante annos illic contigit, duobus caecis quidem visus donatus est. Cum n. abbas ille viveret, tanta vitae sanctitate extitit, ut facile sibi persuaserint, atque credant jam multa ipsum precibus suis apud deum posse efficere, atque consequi mortalibus. Idcoque monumentum ejus crebro mira cum devotione accedunt, honorantque. Universi vero tum monachi, tum virgines Vestales, quotquot sunt in monasteriis unicae regulae, unique habitui obnoxii, nigro scilicet, usque adeo religiose vivunt, ut non mirentur solum, verumetiam summo honore eos prosequantur. Neque ipsis tam vilis ratio voti habetur, velut hodie nobiscum, verum cum quis ingressus fuerit monasterium, nunquam in perpetuum quoquo modo, quave indulgentia ei licebit exire, aut reliquo votum irritum facere. Vota vero tria sunt quae exhibent, seu nostri, Obedientiae scilicet, paupertatis, et castitatis. Quae si quis praetergressus, e monasterio qui prosiliit, deprehenditur, perpetuo carcere in poenam tanti sceleris clauditur. Tanta est votorum sanctitas, ut etiam quamvis multa apud Ruthenos archiepiscopi et episcoporum auctoritas sit, in his tamen illis minime quicquam concessum est. Quod fovendum et reddendum domino utriusque testamenti scriptura edoceat, imo ipsa veritas requirat. Castitatis itaque adeo ratio haberi solet, ut nunquam monachis uxores ducere, neque monialibus nubere liceat. Ita enim a Paulo et tota Ecclesia prohibentur. Is autem qui virginem bonae famae duxit, in sacerdotem ordinatur, in monachum tamen nunquam recipitur. Episcopus autem vel sacerdos posteaquam coelebs in sortem domini vocatus atque conscriptus fuerit, conjugio non copulatur, sed perpetuae castitati adstringitur. Quod si quis concubinatus crimen admiserit, (quod tamen apud Ruthenos vitium est rarissimum) acerrima poena ab episcopo affligitur, suoque beneficio privatur. Cumque uxor semel mortua fuerit, quamprimo duxit, in perpetuum quoque aliam in uxorem nunquam ducit. Non bigamum nanque, at unius uxoris virum episcopum instituit Paulus. Et quod pietati colophonium addere videtur, devotionisque spiritum augere: ut cum sacerdos divina celebraturus est, in conjugio constitutus, maximeque in missa celebranda observari solet, minime phas esse putant, praecedenti nocte cum uxore dormire: periculum enim illic esse verentur, si non cum peccato id fiat. Ideo quoque pro pleniori reverentia nocte sequenti ab uxoribus quoque abstinent. Ea est in his quidem tanti corporis et sanguinis mysterii reverentiam, is cultus, haec spiritus persuasio. Videant igitur nunc nostri quam pollutis manibus hoc sacrosanctum mysterium, pignus omnis redemptionis nostrae, tractare soleant. Moveret optarim vel unicum Davidis exemplum: qui cum extremo jam fere jejunio laboraret, non tamen propositionis panes ab Abimelech obtinuisset, nisi ipse et servi ejus ab heri, et nudiustertius ab uxoribus, aut aliis mundi fuissent. Cur igitur non munditiei ille quoque studeret magis, qui vasa domini, imo ipsum dominum administraturus est, et manibus contrectaturus? Est et aliud officium sacerdotum praecipuum, ut Evangelium Christi populo annuncient, salutem scilicet et pacem: id quod fieri consuevit ubique omnibus diebus dominicis, festis quoque divae virginis Mariae, apostolorum item et quorundam confessorum, martyrumque. Verbum autem domini pari devotione et praedicatur et auditur. Magna quoque est illis reverentia virginis Mariae, crebris quidem orationibus veluti Christi mater pro intercessione apud filium rogatur. Vere enim ea putatur, cum theotocos sit, quae pro nobis in terris plurima possit a filio consequi. Festa itaque ejus, Annunciationis, Purificationis, Nativitatis, Assumptionis, et quotquot denique inciderint, jejuniis indictis, orationibus, missis tum lectis, tum decantatis celebrare, pro communi ritu ecclesiae solent Graecorum: quemadmodum et toto anni spatio excepto quadragesimali tempore, quando S. Gregorii missam theologi celebrare consueverunt. Est autem utraque missa ter prolixior quam si ea quae apud



Digitized by Google

Latinos communis habetur. Qualis autem sit Missa S. Gregorii Papae, non omnino ignorat Serenitas tua, cui nonnunquam interfuit in Hispaniis, ubi in quibusdam partibus peragi compertum est, mihi tua aliquando referente solennitate. Devotis quidem mentibus accedunt illam populi audituri, tanquam participes futuri ejus. Solet autem hoc differre illorum Missa a nostra, quod Moscovitae in pane fermentato, Graecorum more, conficiunt. Calici item tantum aquae quantum vini rubei miscent: quam aquam et calidam esse volunt, quod ex latere Domini non sine mysterio magno profluxerit sanguis et aqua, quam calidam fuisse credere phas est: alloqui enim miraculum vix censeri posset. Hocque sacramentum corporis ei sanguinis a solo sacerdote consecratur, qui veluti nostri fere stola alba indutus, tota mente ad deum elevata, id efficere conatur mysterium, quod pro sufficienti pignore omnium promissionum suarum Christus in ultima coena reliquit, quemadmodum universus orbis fatetur. Epistolam item et Evangelium aeque in Missis habent. At lecto Evangelio non mox Nicenum illud symbolum, sed post angelicum cantum, qui Sanctus appellatur, primum fides Nicena decantari solet, cumque dominicae orationi finis factus fuerit, mox antiphona de virgine Maria sequitur. Consecratio itaque aeque ab ipsis verbis fit a Christo probatis, quibus et eam vim concessam credunt, ut prolatis ipsis a sacerdote, mox creatura creatori suo cedat, illudque quasi necessarium esse. Dum vero sic conficitur, ecce panis justae magnitudinis ordaceus opponitur, in cujus medio hostia est, cui crucifixi forma, perinde ut apud nos, impressa cernitur, quam vi benedictionis in corpus Christi conversam sacerdos sibi sumit et manducat, reliquum vero panis per frusta divisum potentibus distribuit: quem singuli, non ut corpus Christi, sed veluti benedictum aliquem, et quodammodo sanctum panem cum summa devotione suscipiunt. Solent itaque has Missas celebrare de trinitate, de beata Virgine, deque aliis sanctis, Et quoniam illis procul dubio Purgatorii opinio est, igitur assidue pro defunctis orant, Missis subveniunt. In qua quidem re tanta illorum est religio, ut plerique bina pro mortuis anniversoria, ut vocant, agant. Alterum qui fatalis quo mortuus est die agitur: alterum autem quo ab ecclesia institutum, sancti illius, cujus nomen habuit proprium, festum celebratur. Ad haec fiunt frequentes oblationes et eleemosynae Christianorum. Hoc quicquid est rituum, et potissimum missarum, omne quidem ex institutione primaeva ecclesiae esse affirmant, uti tradunt etiam Chrysostomus, Basilius magnus, ac Gregorius theologus. Haec igitur sunt brevius dicta quam vel par sit huic mysterio: nemo enim facile reperiri poterit Christianorum, qui humanis praeceniis satis commendare poterit turbae fidelium, adeo multum momenti, remissionis vitiorum ex hoc pendere merito credimus. Jam vero ad reliqua salutis Christianae sacramenta pedem conferemus. Eucharistiae quidem sacramentum, quantum ipsis in usu est, populo administrari solet. tempere quo Christus ipse instituit: et dein secuta ecclesia, paschali scilicet, alia tamen serie forsitan quam Romana Ecclesia faciat, atque decreverit. Baptismum pro sacramento primo, adeoque praecipuo ducunt, quapropter hoc si quisquam neglexerit, deriseritque, mortis poena affligitur. Baptisant itaque pueros in nomine patris et filii et spiritus sancti. Huic muneri fungendo, quaecunque necessitas inciderit, nemo hominum sufficere putatur, nisi sacerdos extiterit. Prius vero quam baptismus administretur, orationes fiunt frequentes ac devotae a sacerdote, a parentibus, a patrinis, a proximis, ab amicis, et quicunque denique adsunt, quo deus optimus maximus sese et coelo per plenitudinem gratiae suae puero per universum vitae suae curriculum assistere dignetur.

Quibus certe precibus ad deum fusis, in ecclesia, ad quod peragendum illic baptisterium ordinatum est: aut tempore brumali, molestiam frigoris fugientes, in loco secretiori puer baptisari solet. In cujus rei testimonium adhibentur patrini, pro more etiam nostro, quibus ex pollicitis incumbit, ut hujus baptismi memores esse velint, ut puerum olim cum aetas patitur aut expostularit, in fide erudiri non negligant, ut deum pro tanta gratia laudent, ac orent, ut donum hoc divinissimum fidei datum in dies augere dignetur. Praelectis itaque orationibus, atque etiam exorcismis, cum puer fortioribus naturae viribus apparet, ter totus immergitur, alioquin aqua tingitur, raro tamen: conspersio enim minus sufficiens judicatur. Oleo et crismate interim quoque appositis fronti et scapulis. Sal vero quod a nostris adhibetur, et lutum ex saliva et pulvere, non admodum receptum est Moscovitis: abrenunciationem vero trinam, fidei quoque confessionem trinam in usu retineni. Haec certe cuncta ab his qui apud

Digitized by Google

Rosolanos prima fidei fundamenta jecerunt, quasi per manus tradita, illi perpetuo firma, syncera, incorrupta servarunt: neque Christiani hominis esse ducunt, instar arundinis vento agitatae; facile cujusquam persuasione ab his proturbari in futurum, neque si angelus de coelo descenderit, cerae instar torquendas dabunt mentes eorum ab hoc instituto. Interrogati dein per nos, quantum ipsi circumcisioni tribuerint, num et ipsi in usu haberent. Procul quidem ab eis abesse responderunt, ut vel scintillam veteris et aboliti Judaismi observent, imo in detestationem illius nec quisquam Judaeorum per universum Ruthenorum imperium admittetur, etiamsi multis millibus aureorum hoc consequi praesumeret. Id tamen non negabant, Tartaros sibi naultum persuadere e praeputio, eosque omnes circumcidi pro labe abluenda veteris Adae, contagionis instar contracta: in hoc Mahometicam legem secutus, quam Mahomet instituit, ut statim quam plurimos sibi compararet sequaces, cum pronos ac benevolos ad eam suscipiendam faceret Judaeos. Quam rem sodulo affirmabant ab eis procul abesse, nihilque quod non ex omni parte Evangelicae veritati, orthodoxae fidei, huicque quam tot seculis, intemeratam, impollutam, sanctam retinuerint, consonet redoleretque, quod ab ubere ipso tenelli suxissent, admittere. Cui si quid contrarium inciderit, per haereses sese intrudere coeperit, principio quidem obstant, antequam velut cancer latius serpat, quam eradicari possit, statim pontificali censura, quasi membrum putridum, resecant ac rejiciunt. Christi professionem ac crucem ejus nunquam se neglecturos constanter affirmantes, neque unquam idololatriae obnoxios futuros. Esse tamen plerosque in sylvis, longius a conversatione hominum, qui facti sunt idololatrae.

Cum vero jam adultus est puer, et perfectam aetatem consecutus, ita ut suae fidei Christianae testimonia reddere potest, ad episcopum ducitur, ut confirmationis hujusmodi fidei sacramentum recipiat, quod et chrismate in fronte per signum crucis confertur. Administratio vero hujusmodi sacramenti nulli concessa: nisi episcopis: quo conjecturare licet atque argumenti loco haberi, quandoquidem omnem religionem suam per manus traditam habent ab apostolis, impositionem illam manuum vel in confirmatione, vel in ordine sacro soli episcopo traditam esse, sicque hactenus monumenta omnia tenuerunt, atque perpetua observatione custoditum est. De matrimonio si qua dicenda sunt: hoc certum esse affirmarunt, consanguinitatis; simul atque affinitatis multum curae ac solicitudinis esse ipsis, neque unquam facile negligi, adeo quoque ut nec unquam in quarto gradu vel repertus sit, qui contraxerit, neque indultum, verum perpetuo illicitum. Hoc enim a sanctis patribus sancitum semel, nunquam irritum facere conantur. Et quod plus est, illud quicquid est cognationis, quod in baptismate et confirmatione contrahunt patrini, in universum aeque observare solent, atque ecclesiae Romanae decretis cautum est. Quod si in his decernendis concertatio oborta fueri, lis omnis episcoporum arbitrio dirimitur, ita tamen, ut nequaquam indulgentia causam leniorem fecerint, quo nulla fraus fiat omnino constitutionibus. Adulterii abominatio fortassis major illis quam nobis existit. Illud enim summa execratione detestari et persequi solent. Lex est etiam firma, ut quamdiu vir vixerit, simul alteri nubere uxor non possit. At hoc defuncto primum etiam lege liberatur, alioquin individua consuetudine vitae cum marito commorandum est. Unicum etiam solamen omnium miseriarum et calamitatum quae accidunt, tum felicitatis aeque summa aestimatur proles, laborum patientiam parit: infelicium tolerantiam, spem meliorum, famae curam, virtutis calcar, sudoris sedulitatem, et reliqua hujusmodi, quibus parentes posteris suis adcommodare student. Sacri ordines quoque apud ipsos suis quibusdam obsecrationibus et caeremoniis sacerdotibus conferuntur. Neque illis clavium potestas tradita creditur, nisi ad imitationem Christi in aures illorum dicatur: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hujusmodi certe Evangelii forma, a Christo nobis praescripta, omni huic qui ab episcopo vocatus, ordinatusque in presbyterum fuerit, auctoritas tribuitur, qua vel a peccatis solvere, vel iis ipsis obnoxios sinere potest. Sacerdotali n. hoc Ministerio Moscovitae ad poenitentiam utuntur. Quisquis namque ad provectiorem aetatem, atque etiam venerit, quae ingenii sub viribus uti potest, ac discernere inter bonum et malum, rectum et pravum, lepram et non lepram, per contritionem sese peccasse agnoverit, recte spiritus contribulati sacrificium reddens, mox ad pedes sacerdotis procidit, et in auream illi, ut qui sedem dei teneat, scelera omnia admissa sigillatim, quantum memoria recolligere potest, ex ordine cum planctu aut gemitu declarat, a quo postea beneficium absolutionis, tanquam Christi-

Digitized by Google

vicario, accipit. Huic rei conficiundae quoque tempus habent constitutum: quotannis enim Paschae festo pro ecclesiastica ordinatione facere coguntur, plerique tamen devotiores ad celebriores festivitates exomologesin auricularem facere non negligunt. Id si quis constituto tempore Paschatis neglexerit, anathema esse solet omnibus, abominaturque, ipseque ab omnium conversatione, adeoque ab ecclesiae ingressu coercetur. Confessus itaque quo digne particeps fieri possit tanti mysterii corporis et sanguinis domini, prius per aliquot dies corpus affligat oportet, et in servitutem usque redigat carnem suam, reliquosque poenitentiae fructus dignos in testimonium afflictae conscientiae peragat. Proin jejunium illud quadragesimale a Christo et apostolis nobis institutum prorsus affirmant, quo quidem tempore, quoniam omnium procreantium Veneri commodissimum est, atque pruritus acerbissimus animantium cunctorum non est quod plus provocet, opus est summe, ut veteris illius Adae insultus perdomemus carnis abstinentia, quae certe abstinentia apud hos quidem septem hebdomadis summa diligentia perficitur, adeo ut hoc tempore in perpetuum nulli suorum hominum, carnibus, ovis, caseo, et butyro vesci liceat. Praeter hoc etiam a decima die Novembris ad festum usque Nativitatis salvatoris nostri Jesu Christi, jejunant, habent et alias hebdomadas continuas, quibus jejunant: ut in Junio ad festum Petri et Pauli. Aliquot item hebdomadas in Augusto ad festum Assumptionis Mariae, tum diem Veneris per universum annum, quidam et Mercurii, Votum proin fecerant octo ex peregrinis illis, qui cum tua Serenitate fuerunt, ut singulis hebdomadis tres dies ab esu carnium abstinerent, Lunae scilicet, Mercurii, et Veneris, id quod divina gratia hactenus observatum ajebat interpres. Tanta est autem illis harum constitutionum observantia, ut quocunque jejunio piaculum esset, aliquem carnibus vesci aut ovis. Narrabant interim quoque ex suis inveniri, qui cum jejunia persolvunt, nihil quod unquam visum sit vita fungi, neque pisces ipsos ederent: Inveniri et alios qui jejunio statutis diebus, neque vinum, neque quicquam aliud potuum bibant. Qua re audita ita moti, ut mente, ἐνθουσιασμῷ correpti, destituti videremur, quod admodum iniquam esse nostrorum Christianorum cum illis in rebus istis Christi religionem concernentibus comparationem apparabat. Nec magis unquam quicquam animis nostris tenacius inhaesit, quod nos qui nobis ipsis multum persuademus de arbore fidei nostrae, fructu quidem deteriores illis esse contingat. Oremus igitur sedulo boni Christiani, ut semel obdurationi huic Pharaonicae cordium nostrorum finem imponat, ac gratiam retribuat, ut cum aliis quos alias ferinae vitae aestimamus, cognoscere liceat his fructibus bonae arboris: ut est abstinentia, animas nostras deo lucrari, deum propitium, immemo: remque scelerum nostrorum fieri, quandoquidem Ninivitarum poenitentiam ac ingemiscentem, afflictumque spiritum semel est oculis immensae misericordiae suae contemplatus. Tuentur et alios poenitentiae gradus, quibus deum nobis reconciliari credunt. Ex quibus et potissimus est Oratio, in qua frequentenda non facile similes reperiri censeo. Omni namque diluculo cuncti eorum, toto corpore in pulverem ipsum prostrati, prolixas orationes, et quotidianas ad deum fundunt, et fere absque omni temporis intercapedine rogant precibus. Quarum primum locum obtinet oratio dominica, dein cum archangelo Gabriele diva virgo salutatur. Dicunt et fidei professionem symbolo, quae apostolorum esse a veteribus persuasi sumus: et nullus eorum est, qui non singulis diebus litaniam persolvat. Qui vero ditiores sunt, e quorum facultatibus est magnos et iis sumptus posse facere, Ruthenicis literis imbuti, libros orationum sibi comparant, earum solum tum quae ab ecclesia receptae sunt, cujusmodi apud Oratores vidimus. Imaginum vero non tam levis cura aut contemptus apud ipsos viget, veluti apud nos his factionibus hujus seculi increbruit praeter omnem pietatem: verum ut monumenta, quo nec unquam immemores beneficiorum Dei fieri contingat, prae oculis habent. Nam cum apud fratres D. Francisci cubiculum ingressus essem, quo praecipuus Oratorum dormire consueverat, inveni illic pulchro ex ordine ad caput dormientis posita, imaginem divae Virginis mira honestate depictam, et instar ejus, quam in Moscovia esse ajebat, a S. Luca olim depictam, dein tabulam incarnationis Domini, aliam quae ostentabat, ut amice susceptus est in ulnas Simeonis, aliam quae profectionem in Aegyptum, aliam quae passionem, resurrectionem, et triumphabundam ascensionem in coelos teneret. Erat et alia tabella, in qua pulcherrime depictae fuerant tum moerores, tum gaudia D. virginis Mariae. Postremo erat, quae Apostolorum figuras et nomina continebat. Ac sinistram autem mensa, qua positus erat liber justae magnitudinis, Ruthenicis literis, e quo di-

Digitized by Google

cebant Ducem quotidie orationes suas quasi pensum solvere. Frequentes conveniunt in Ecclesiis, quas et ipsi magni sumtibus extruunt, Orationis domos ex Evangelio vocitantes, quasque imaginibus variis Crucifixi, D. Virginis, Apostolorum et aliorum quorundam ornant, id quod licere sibi ex moribus vetustissimorum Christianorum praedicant. Neque tam facile ipsos movet, quod apud Graecos Constantinopoli ante septingentos annos extiterunt, qui imagines idololatris convenire docuerunt, neque phas esse, ut cum vere Christianis reperiantur. Qui certe secunda dein Nicena synodo damnati fuerunt, quotquot pertinaci animo hanc sententiam sunt tutati. Neque est, ut vel unum aut alterum, qui his ut monumentis utitur, adorare, facile reperiri queas. Quoniam nemo est, qui vel ignorat a lege prohibitum esse, ne veneremur lapides. *Econtra etiam* nullibi scripturae locus est, quo non uti liceat iis monumentis, qui vetet. Imo et in conviviis illi ob oculos ponere consueverunt monumenta hujusmodi, ut in perpetuum animo obversentur, quae praestitit nobis Deus, utque facilius recordentur universae vitae nostrae exempli, Christi. At quod e caeremoniis est, communem habent nobiscum usum, in sacris candelarum, quoniam cera opulentissimi sunt, frugibus vero terrae, et iis omnibus, quae ex substantia sunt alicujus, venerandum ducunt Deum, quae candelae tunc potissimum accenduntur, quando totius redemptionis nostrae mysterium corporis et sanguinis Domini in Missa a sacerdote contrectatur. In organa vero illa Pipiniana, quae tamen nobis prime a Graecia sunt missa, nullos omnino sumptus faciunt, neque hactenus usi.

Neque illud quidem minori, quam reliqua, quae egregie faciunt, loco habendum erit, quod plurimos commendatos habent pauperes, quibus quisque pro sua facultate, atque quantum Evangelii pietas consulit, exponit eleemosynas, vestit, potat, pascit, hospites colligit, et reliqua agit hujusmodi, quibus filios Dei in vita provehere potest, timens ne quo tam horrendi judicii reus fiat, quod Christus dicturus est in valle Josaphat hoedis, postquam separaverit ab ovibus. Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum: hospes eram, et non collegistis me, nudus, et non opervistis me. Quandiu enim non feeistis uni de minoribus istis, nec mihi fecistis. Sicque non parce, sed libenter ac benigne largiendo sementem faciunt poenitentiae, jejunio, orationibusque, ac reliquis quibus poenitentiam consummari videtur, ut et aliquando copiose metant, noxae scilicet obliterationem, et gratiae suae largitionem, sempiternaeque vitae munus, ad quod omnes nos spirare ex cunctis viribus cordis nostri convenit unice. Constituunt ad haec peregrinationes ad praescripta quaedam ac sancta loca: quam rem nunc lubens praetereo. Nam si cuncta referenda essent Serenitati tuae, quae ex illorum religione essent, justo quidem volumine illud agendum foret. Is quoque, qui morbo aliquo praegravatus est, cujusmodi in extremum mortis periculum ducere videtur, non solum auriculari confessione sua peccata enumerare solet: verum ad hoc etiam, ut fidem suam testetur in Christum, qui hoc modo testamento reliquit se remissurum noxam sacramento eucharistiae providetur. Extremam item unctionem minime negligit. Tum pro aegrotante frequentes fiunt orationes, atque litania res agitur. Sicque tandem exacta exomologesi, pro rituque communi Christianorum omnibus perpetratis, confessus ille a sacerdote absolvitur. Septem igitur numero sacramenta habent, velut ea, quae sine omni fraude promissionum suarum eum, qui pro Christiani pietate ipsis utitur, participem ac compotem faciunt. Neque tam facile se deludi talibus promissionibus suspicantur: sed constanti animo credunt iis omnibus, quae ab Ecclesia docentur. Praecepta ita decem eadem auctoritate tenent, qua Mosi primo tradita sunt, qui si nunquam intermoritura, certi per verbum ejus, quod venerit ut impleret legem, minime ut solveret. Indulgentias ab Archiepiscopo et Episcopis accipiunt, magis tamen caste fersitan ab ipsis agitur in ea re, quam a nostris. Impiissimum enim esse ducunt, ut quae ipsi gratis acceperint, sibi magnis sumptibus redimenda essent. Neque fas est ulli Episcopo dare potestatem vescendi carnibus.

Gymnasia habent, pauciora tamen, in quibus pueri nobilium bonis literis, maximeque sacris instituuntur, lingua Ruthenica frequentiss. admodum pauci sunt, qui peregrinis linguis operam impendant. Graecae pleriqne incumbunt ob sanctorum patrum Chrysostomi Nazianzeni, Basilii, et reliquorum monumenta, omniumque eorum gratia, quae a Graecis derivata ad eorum mores vel religionem adcommodari possunt. Hebraeam omnino negligunt, nisi quod unica haec vox Alleluja in Missa frequentari solet. Mattheus, Marcus, Lucas Joannes epistolae Pauli, et reliquae a nobis receptae

Digitized by Google

cum Adocalypsi, inter canonicas novi Testamenti scripturas recensentur. De canonicis vero veteris Testamenti idem asserunt, quod deveteris crevit Ecclesia catholica. Pontificem Romanem ut Christi vicarium et successorem Petri agnoscunt. Propterea S. Clementis, S. Leonis, et Divi Gregorii festa apud Moscovitas celebrari consueverunt. Quod autem ab eo apostatae veluti ac schismatici damnentur, hoc velint judicio justi judicis Dei committere dicebant. Saepissime certe tentatum est eos persuaderi, quo ad Occidentalem Ecclesiam redirent, quae tamen fuerint, quae infelicius homini frustrata sint, forte plus profuerit obticere, quam commemorando vel scandalum infirmioribus praebere, vel odium quorundam in me contrahere. Bene tamen se sperare affirmabant, ut quando cum Caesarea Majestate, capite omnium, simul atque tua serenitate conveniat, facile eventurum, ut is qui vera pax est, eis etiam cum summo pastore ut conveniat effecturum. Dissentiunt a nobis in sacramenti consecratione aliquantulum, ac fractione panis, spiritum sanctum a solo patre, nec a filio procedere, perinde atque Graeci tuentur. Quanquam vero sint apud Graecos plerique, qui purgatorium negent, et alii qui purgatorium scripturis probare conentur. In hoc tamen se non facile scissuram pati affirmant, quin id ipsum firmiter cum Romana Ecclesia teneant. Missas nostras animo promptissimo audiunt, neque aliud magis cruciari ajunt, quam quod a quibusdam quasi alieni a fide vitentur: quando omnia fere nostra sacra cum studio observent. Festa item quatuor solennia celebrant, Natalis scilicet Domini, Paschae, et Pentecostes, atque diei, quo mater Domini a filio assumpta est in coelum. Magno loco habent apostolos, praecipue tamen S. Nicolaum, quem celebrant, honorant, atque invocant. Neque ipsis solum, verum et Tartaris atque Mahometanis plurimis est peculiare. Diem Palmarum ad imitationem Ecclesiae Romanae celebrant, palmas et olivas, atque reliquas hujusmodi arbores benedicentes: Hancque benedictionem creaturarum, non solum ab Ecclesia pie receptam, sed et sacris literis recte fundatam probant. Ex aqua enim, quae est in Numeris, cap. 5 et 19 aperte monstretur, quid execrationes possint. Et e Paulo a Timotheum, sanctificari creaturam per verbum et orationem, notissimum est omnibus. Apud ipsos denique per verba incantari serpentes, per verba ejici daemones, et liberari obsessos commune sit. Per jejunium enim et orationem expelli daemonium, Christus post se scriptum reliquit. Signum crucis ac imaginem crucifixi, etiam contra hostes pugnaturi secum deferunt, inde triumphari desiderantes, unde et Christus. Sanctos vere pro nobis apud Deum intercedere posse credunt, ac quod sedulo faciant, sperant, quorum etiam vota facilius exaudiri autumant. Quare et eos invocant et venerantur. Eos quoque qui publice peccant, excommunicatione persequuntur, quam eorum lingua obscha vocant, quam si quis incurrit, e communi omnium hominum consortio, et conversatione ecclesiastica ejicitur. Unicum est, quod a nobis sane probari non potest, et a nostris institutis alienissimum, quod pueris vix dum tres annos natis Eucharistiae sacramentum praebent, quodque in pane fermentato conficiunt, et ex cocleari panem vino intritum pro corpore et sanguine populo ministrant.

Hi sunt itaque mores Moscovitarum, haec religio, illa pietas, Serenissime Princeps, quae in universum inclita tua in rebus divinis procurandis sedulitas ignorare omnino noluit, ideoque jussu tuo haec certe illorum hominum perquisita sunt, qui quod Turcis ac Tartaris undique circundati, ac mare glaciale longissime a nobis sunt siti, igitur hactenus aliquot secula parum commercii cum imperio nostro, adeoque Christianis habuerunt, nihil tamen minus quam sacrosanctam illam fidem in Christum, quam primitus a patribus eorum plantari in eis contigit, temeraria, impia, pollutaque inscitia labefactari permiserunt, verum adhuc integram, synceram devotamque conservant. Quo fit, ut Serenitas tua satis mirari non potuerit, qui fiat, ut qui continuo bello ferocientes, pacem nunquam consecuti, adeo constanti animo suam tueantur vetustam religionem. Germanos autem totos a Christo alienatos jam aliquandiu extitisse. Quisnam daemon, aut quae erynnis eos fascinarit, satis augurari non possum, qui eos nescio in quam furiam atque tyrannidem convertit, quam non solum absque ratione in eos exercuerunt, qui Christi testimonio aeternam patriam, imo quod plus est, libere interpellandi munus sunt consecuti, pro iis qui in terris laborant cum periculo, et jactura animae suae. At quod omnium maxime, ut semel dicam, Germanis indignum, qui semper Christianissimi sunt aestimati, merito videri potest, quod pugnantia potius cum religione deligere coeperint. Ubi enim illorum vitae ratio perspicua est, illic nostri mortem magis amplectuntur: ubi hi Evangelium Dei, illi certe iram hominum plantarunt: ubi hi jejuniis dediti sunt, illi certe crapulae: ubicunque hi vitam duram

Digitized by Google

agunt, illi quidem mollem, et quod hi conjugio ad castitaten, nostri certe Germani minus recte ad libidinem uti coeperunt, quodque certissimum esse potest, ut his sacramenta molem peccatorum auferunt, ita nostris, pro dolor, accumulationem, qui contemnunt. Et quod ad Rempublicam pertinet, hi aristocratiam amplectuntur, nostri vero democratia, oligarchiaque omnia magis misceri volunt. Merito igitur tu atque universi Principes Germaniae indignari possunt, hucque deventum esse dolere, quod pro genuina hactenus pietate sui sint amplexi omnem impietatem, et in deos, et in parentes, majoresque, et in patriam. Obliti enim veteris probitatis, suam ipsorum patriam, tum animas hostibus prodere solent. Interim tamen bene sperandum censeo, statim enim sua mole corruet iniquitas. Caeterum hilari fronte, sereno vultu haec mea, minora etiam quam vel aequa esse possint Serenitati tuae, nunc accipias rogo, bonique consulas, brevi quidem daturus, forsan quae plus juvarint animum tuum. De Sophi magni Regis Persarum tum moribus, tum legibus, tum pietate: cujus Orator in comitiis Nurnbergensibus olim tuam convenit Serenitatem. Bene vale, et me tibi devinctum atque commendatum, ut soles, in perpetuum habere velis oro. Data Tubingae, 18. Septembris, anni 1525.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# IV.

# CLAUDII GUISANI.

## XII. QUAESTIONES

ET

## GRAECORUM AD EAS RESPONSIONES.



Digitized by Google

Digitized by Google

# IV.

# CLAUDII GUISANI.

# XII. QUAESTIONES,

## ET

# GRAECORUM AD EAS RESPONSIONES.

## QUAESTIO PRIMA.

CREDUNTNE Graeci, panis ac vini substantiam in Christi corpus mutari, manentibus tantum panis accidentibus, sine subjecta substantia?

### RESPONSIO.

Credimus et confitemur, panem in Christi corpus, ac simili ratione vinum in Christi sanguinem ita mutari: ut neque panis, neque substantiae ipsius accidentia maneant, sed in divinam, substantiam transelemententur; de quo magni patris illius Chrysostomi testimonium, cujus exstant verba in Evangelii per Matthaeum memoriae proditi 26. cap. audito. Quum Christus ait, Hoc est corpus meum: panem qui consecratur in ara, non signum, sed ipsius Domini corpus esse demonstrat. Non enim dixit, Hoc est signum: sed, Hoc est corpus meum. Quippe vi quadam ineffabili fit mutatio, tametsi nobis esse panis videatur. Nam quum imbecilli nos simus, et propterea tum crudae, tum humanae carnis manducationem nequaquam admissuri: iccirco nobis quidem esse panis videtur, verum reapse caro est. Prodeat itidem nobis sanctissimus ille Bulgarorum antistes, et horum Evangelii verborum mentem indicet; cujus quidem haec verba sunt in 14 capitis evangelistae Marci explicatione, dictum illud, Hoc est corpus meum declarantis. Hoc ipsum, inquit, corpus meum est, quod nunc accipitis. Nec enim panis dominici corporis signum est, sed in illud ipsum Christi corpus mutatur. Et Dominus ait: Panis quem ego dabo, caro mea est. Item, Nisi carnem filii hominis comederitis, et sanguinem ejus biberitis, vitam in vobis non habetis. Cur autem ais, At qui caro non cernitur? Propter nostram hoc, mi homo, fit imbecillitatem. Nam quum panis et vinum res sint nobis familiares et usitiatae, qui sanguinem et carnem proponi nobis nequaquam laturi eramus, sed cum stupore quodam fastidituri: propterea benignus ille in homines Deus demittendo se nobis accommodans, panis quidem ac vini speciem retinet, verum ipsas res in carnis sanguinisque vim transelementat. Idem ab homine divino Damasceno in Theologicorum 6. cap. verbis hisce traditur: Quia consueverunt homines panem edere, ac vinum aquamque bibere: suam cum eis divinitatem conjunxit, eaque corpus et sanguinem suum fecit, uti per res usitatas ac naturales, ad ultranaturales penetremus. Corpus divinitati reapse unitum est, illud ipsum corpus inquam, ex virgine sancta quod sumtum

Digitized by Google

fuit. Neque sic accipienda sunt haec, quod corpus illud sursum translatum de coelo descendat: sed quod panis et vinum in corpus sanguinemque Christi mutentur. Quod si modum, quo id fiat, requiris: satis esto tibi, quod audias per Spiritum sanctum fieri; quemadmodum etiam a sancta illa deipera sibi et in se per Spiritum sanctum carnem produxit; neque tamen aliud quidquam scire possumus, quam quod Dei quidem sermo verax sit, et efficax, et omnipotens: modus autem minime pervestigabilis. Neque deterius fuerit etiam hoc dicere, quo pacto panis per manducationem, vinum et aqua per ipsum haustum in corpus atque sanguinem comedentis et bibentis mutentur, aliudque corpus fiant: sic panem illum propositionis, itemque vinum et aquam per invocationem et accessum sancti Spiritus modo quodam ultranaturali in corpus ac sanguinem Christi mutari, quam quidem non duo sint, sed unum et idem. Rursus eodem capite: Panis et vinum nequaquam figura sunt corporis atque sanguinis Christi, (absit hoc) sed corpus ipsum Domini, quam dixit: Hoc est non corporis mei figura, sed corpus: non figura sanguinis, sed sanguis. Et rursum: Quod si qui panem ac vinum signa corporis atque sanguinis Domini appellarunt, non (uti Basilius ille divinitus adflatus ait) hoc nominis oblationi post sanctificationem tribuerunt. Nimirum signa futurorum vocantur, non quasi revera corpus atque sanguis Christi non sint: sed quod nunc quidem per ea divinitatis Christi participes efficiamur, quum in altera vita simus intellectiliter eo per solam contemplationem adspectumque fruituri. Et rursum: Propterea cum omni timore, conscientia pura, fide dubitationis experte accedamus: et eveniet omnino nobis, quemadmodum citra dubitationem credimus. Beatus etiam Paulus in epistola priore ad Corinthios ait: Quisquis indigne panem hunc comederit, aut Domini poculum biberit: ob Domini corpus atque sanguinem poenas dabit. Priscus autem Doctor ille Magnes in Evangelii Apologia, quam ad Theosthenem scripsit: Revera, inquit, corpus et sanguis Christi est eucharistia, non sanguinis et corporis figura, quemadmodum nugatores quidam parum mentis compotes tradiderunt. Praeter hos denique magnus ille Basilius in sacris Hierurgiae suae precibus in hanc sententiam loquitur: Fac me per efficacitatem sancti Spiritus idoneum, ut indutus gratia sacerdotali, arae tuae sanctae adstem, corpusque tuum sacrum ac immaculatum cum pretioso sanguine religiose tractem. Denique sanctissimus antistes Dyrrhachii Nicolaus Cabasilas capite 27, et ante hunc doctissimus ac perspicacissimi vir ingenii Maximus, in declaratione sacrae Liturgiae verbis hisce prorsus inter se consentientes utuntur: Ubi sacrosanctum et omnipotentem ipsius spiritum receperint, panis quidem in pretiosum et sanctum corpus ejus mutetur, vinum vero in ipsum sanguinem ejus sanctum et immaculatum. Haec ad primae quaestionis confirmationem sufficiunt.

## QUAESTIO II.

Existimant ne sacramentum hoc vi verborum Christi, Hoc ost corpus meum: et, Hic est sanguis meus: quibus ad de cetera sequentia, confici: an vi et efficacitate Spiritus sancti, sacrarumque precum?

### RESPONSIO.

Hoc rursum tibi divinus ille Chrysostomus verbis hisce planum faciet. Quemadmodum, inquit, verbum illud opificis, Augescite ac multiplicamini, semel quidem a Deo pronuntiatum fuit, verum nunquam non efficax est: sic etiam verbum hoc semel a Servatore prolatum, efficacitatem suam perpetuo obtinet. Sed tamen videamus, num ad incrementum nostri alterius rei nullius egeamus, an et nuptiae, et conjunctio, et alia quaedam studiose curanda requirantur? nequit certe absque his fieri, ut hominum genus conservetur ac propagetur. Quamobrem ut istic ad procreationem liberum nuptias esse necessarias arbitramur, quibus peractis etiam pro hoc ipso precamur, neque tamen iccirco verbum illud opificis ignominiose aspernari videmur, quippe quod causam quidem esse procreationis sciamus, verum nihilominus procreandi modum per nuptias, educationem, aliaque talia progredi: sic etiam heic ipsa Domini verba sacramentum hoc efficere credimus, sed per sacerdotem, et ejus Deum compellantis tum verba tum preces. His testimonio est divinus ille Cabasilas capite 29, et Bulgarorum archiepiscopus in 14 capitis Evangelii per Marcum descripti explicatione sic ait: Quum benedixisset, hoc est, egisset gratias, fregit panem id quod nos etiam facimus, preces quasdam addendes. Praeterea Symeon ille Thessalonicensis archiepiscopus in Liturgiae declaratione: Nos, inquit, traditiones illas observantes, quas accepimus,

Digitized by Google

nimirum uti Servator per seipsum, per apostolos, per patres tradidit, tam verendae communionis mysteria cum Sancti spiritus implorationc, per ipsa Domini verba, et sacerdotum preces peragimus: quam omnes res sacras per invocationem Sancti spiritus, sacerdotis preces, signumque crucis perfectionem consequi credimus, uti ex traditionibus divinis accepimus. Propterea magnus ille Basilius in Liturgia sua, post istaec verba, Accipite, comedite, hoc est corpus meum: item post illa, Bibite de hoc omnes, hic est sanguis meus: sic quadam in precatione subjicit: Te precamur et obsecramus, sanctissime omnium, ut ex bonitatis tuae benevolentia spiritus ille sacer in nos veniat, et in haec proposita munera, eaque benedicat ac sanctifi cet: panem quidem hunc, preciosum Domini, Dei, Servatorisque nostri Jesu Christi corpus efficiendo: quod autem hoc poculo continetur preciosum sanguinem Domini Dei Servatorisque nostri Jesu Christi, qui pro vita salutcque mundi effusus est: nos universos denique, panem eumdem et idem poculum participantes, alterum cum altero uniat in ejusdem Spiritus sancti communionem, ut minime quispiam nostrum vel in judicium vel condemnationem veniat: simul efficiens, ut sacrosancti corporis et sanguinis Christi tui participes fiamus. Itaque profitemur et credimus, per ipsa Domini verba, perque Spiritus sancti vim, ac preces sacras, mysterium hoc perfici, quemadmodum per exposita testimonia demonstratum est; atque hactenus haec ad alteram quaestionem dicta sufficiunt.

## QUAESTIO III.

An sacerdos divinum hoc sacrum peragens. exclusis laicis, corpus ac sanguinem Christi, sive panem benedictum participat?

### RESPONSIO.

Si quispiam laicus dignus et idoneus fuerit, nihil est quod eum a participatione immaculatorum mysteriorum arceat. Omnes quidem apud nos laici quavis in liturgia panem benedictum accipiunt, quem nos Antidorum sive Vicarium donum appellare consuevimus: idque fit apud nos ex divinorum patrum traditione. De hoc audi sapientem illum Cabasilam cap. 53 hoc quodam modo disserentem. Secundum hae allatum panem, ex quo panem sacrum resecuit, multas divisum in partes fidelibus distribuit, uti qui ex eo sacer factus sit, quod ipsi Deo dicatus fuerit ac oblatus. Illi vero cum omni cum reverentia accipiunt, ac dextram exosculantur, uti quae recens sacrosanctum Servatoris corpus attigerit, ac profectam inde sanctificationem non solum hauserit, sed etiam communicare cum attingentibus queat. Praeterea sanctissimus ille Symeon Thessalonicensis archiepiscopus in hanc sententiam de hoc pane loquitur: tum pontifex egreditur, et vicissim populo quod Antidorum vocant, largitur. Quippe quum pontifex Christum (uti diximus) repraesentet: iccirco et sacrum peragit, et tum ipse Christum participat, tum sanctificatis lustratisque porrigit. Quumque populum quoque participem fieri sanctificationis oporteat: intellectiliter cum fidelibus ea sanctificatio communicatur, quae ex precibus et reverendo illo sacro provenit. Et vero quum eidem populo sit necessarium, ut quum corporibus ipse praeditus sit, etiam per res quasdam sensiles sanctificationem percipiat: propterea vicarium munus illud usurpatur, quod est panis sanctificatus, et oblatus in propositione, cujus media maxime pars exsecta, rei sacrae peragendae offertur. Is deinde donorum, hoc est, reverendorum mysteriorum loco, ut qui et lancea signatus sit, et verbis sacris adhibitus, praebetur iis, quotquot mysteria non participant. Haec ad tertiam quaestionem respondisse satis est.

## QUAESTIO IV.

Quale sacrum hoc esse statuunt? actionis ne gratiarum, an pro peccatis expiatorium?

### RESPONSIO.

Hanc etiam quaestionem tibi divinus ille Cabasilas ceterique Theologi solvent. Nam cap. 52 Cabasilas inquit: Dignum et illud est, de quo inquiratur. Quum sacrum hoc et gratiarum actionis causa sit institutum, et supplicationis: quamobrem non ab utroque nomen ei datur, sed a gratiarum actione tantum? Nimirum ab eo, quod majorem in eo locum sibi vindicat. Plures enim hcic se gratias agendi, quam supplicandi occasiones offerunt; quippe quum plura acceperimus, quam ea sint, quae petimus; haec pars quaedam sunt, illa totum. Quae supplicamus ut consequamur, pars sunt eorum, quae accepimus. Accepimus omnia, Deum quod attinet: qui quidem reliqui nihil fecit, quod nobis non dederit; verum uti quaedam consequamur,

Digitized by Google

necdum opportunum est: in quo genere sunt corporum immunitas ab interitu, et immortalitas, e-caeleste regnum. Quaedam consecuti, non retit nuimus: cuiusmodi sunt remissio peccatorum, aliaque dona, quae per sacramenta nobis exhibentur. Quaedam amisimus, abusi nimirum eis, ne priores evaderemus: qualia sunt tranquillitas, commoda valetudo, divitiae; quibus abutuntur, quotquot ea materiem voluptatis et improbitatis faciunt. Denique bonis praesentibus exuimur, lucri majoris causa, cujusmodi Jobo quiddam accidit. Ex quibus manifestum est, Deum supplicationi locum nullum nobis reliquisse, quum nullam non causam agendi gratias habeamus. At vero nosmetipsi egestatem nobis ignavia nostra conciliantes, supplicatione opus habemus. Et videamus, ob quae nam supplicemus. Num propter remissionem delictorum? Eam vero per sacrosanctum baptismum nullo labore nostro consecuti sumus. Cur igitur illam petimus iterum? quod rursum peccatis obnoxii facti simus. Et quae nobis est reatus illius causa? nos ipsi. Sumus igitur iidem in causa, quamobrem supplicare nos oporteat. Basilius autem, rerum ille divinarum interpres, in quadam Hierurgiae suae precatione: Da (inquit) Domine, ut pro peccatis nostris et hujusce populi ignorationibus sacrum hoc nostrum sit acceptum, tibique gratum. Et alia in precatione consimiliter ait: Fac nos idoneos, ut citra condemnationem haec immaculata vivificaque mysteria participemus ad remissionem delictorum, et spiritus sancti communionem. Quinetiam divinus ille Chrysostomus in quadam Hierurgiae suae precatione consonis omnino verbis utens inquit: Offerimus quoque tibi rationalem hunc et expertem sanguinis cultum, teque obsecramus, rogamus, supplicamus, ut in nos et haec dona proposita spiritum sanctum tuum demittas, ut ea participantibus ac animae sobrietatem faciant, ad peccatorum remissionem, ad communionem Spiritus sancti, ad regni coelestis certificationem ad animi erga te libertatem, non ad judicium vel condemnationem. Itaque tam hinc, quam inde apparet, proprie divinum hoc sacrum et expiatorium et gratiarum actionis dici, quemadmodum est demonstratum. Satis de quaestione 4 dictum.

## QUAESTIO V.

An necessarium arbitrantur esse, ut laici tam in specie panis, quam in vini Christum participent?

### RESPONSIO.

Hanc Dominus ipse quaestionem tibi solvet, qui hoc modo in Evangeliis, capite Joannis 6. loquitur: Amen amen dico vobis, nisi filii hominis carnem comederitis, et sanguinem ejus biberitis: vitam in vobis non habètis. Qui mea carne vescitur, meumque sanguinem bibit: is vitam habet aeternam, eumque ultimo ego die suscitabo. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potio. Qui mea carne vescitur, meumque sanguinem bibit: is in me manet, et ego in eo. Beatus etiam Paulus in priore ad Corinthios epistola magistro suo consona profert. Quisquis, ait, indigne panem hunc comederit, aut Domini poculum biberit: ob ipsius Domini corpus atque sanguinem poenas dabit. Et divinus ille magnusque Basilius in quadam Hierurgiae suae precatione sic loquitur: Respice Domine Jesu Christe, qui Deus noster es, e sacrosancto domicilio tuo, deque solio gloriae regni tui, et ad sanctificandum nos veni, qui et superius una cum patre consides, et nobis heic inadspectabiliter ades. Dignare potenti manu tua immaculati corporis tui, pretiosique sanguinis participes facere nos, et per nos omnem hunc populum. Qua propter juxta dictum illud Domini, qui carnem ejus non comederit, et sanguinem ejus non biberit: eum ultima die non suscitabit. Itaque necesse est quemlibet Christianum, sive sacris additum, sive non, utraque participare. Satis et de 5 quaestione dictum.

## QUAESTIO VI.

Num sacerdos aliquando rem sacram peragit populo non praesente, sed tantum homine uno? et an laici eucharistiam congenulando venerantur?

### RESPONSIO.

Omnino sacerdos quilibet rem sacram populo non praesente peragit, saltem uno cum puero, qui aliquibus in locis sacrae hujus actionis ei respondere possit: cui quidem actioni quum adsunt laici, ad terram usque coram eucharistia religiosa cum reverentia procidunt. Hoc respondisse sat esto, ne ob responsionum prolixitatem quaestiones obscurae ac inexplicatae relinquantur.

## QUAESTIO VII.

Num peccantes orare sanctos consueverunt, utentes scilicet hujusmodi verbis: Sancte Petre, ora Deum pro me?

Digitized by Google

### RESPONSIO.

Hoc etiam ita se habere dico. Nam ex divinorum patrum prisca traditione sic dicere consuevimus: Sancte Apostolo Petre (vel quicumque tandem apostolorum fuerit) deprecator pro nobis peccatoribus esto. Consimiliter appellare singulos sanctorum ordines solemus, martyres religiosos, et alios. Satis de 7.

## QUAESTIO VIII.

Habentne in ecclesiis simulacra sculpta? et quamobrem non habent?

### RESPONSIO.

Simulacra sculpta non habemus propterea, quod a divinitus gubernatis patribus ea non acceperimus: qui quidem maxime dehortantur, ne illa colamus, et congenulando veneremur. Audi quid unus ex Christi Dei majoribus Davides in psalmo 96 dicat: Pudore aedificiantur omnes, qui sculpta simulacra venerantur, et de astris suis freti gloriantur. Itidem Moses in Deuteronomio: Per simulacra, inquit, sua me iritarunt. Et rursum Davides psalmo 134: Simulacra gentibus peculiaria sunt. Qua propter simulacra et sculptula statuas de sententia nostrorum Theologorum gentes habet, non sancta illa natio, quae est Christianorum. Iccirco sacrosacta Carthaginiensis Synodus capite 64 sic ait: Quod reliquias simulacrorum attinet, quae aboleri debebant: a religiosissimis Imperatoribus petendum, ut simulacrorum reliquias, quae per universam Africam superant, exscindi omnino jubeant. Ac rursus eadem Synodus canone 95 sic ait: Defunditus exstirpandis reliquiis simulacrorum similiter placuit, esse petendum a gloriosissimis imperatoribus, ut reliquiae cultus simulacrorum non Xoanis modo, sed etiam ubivis locorum omnibus modis aboleantur. Haec breviter octava responsione comprehensa, non displicitura tibi confido.

## QUAESTIO IX.

Creduntne Graeci purgatorium quemdam ignem esse, quo prius animae purgentur, quam in coelum perveniant?

### RESPONSIO.

Breviter ad hoc etiam tibi respondeo, de quo tantum non infinitis locis ac temporibus quaesitum est. Invenies et scripta de hoc Theologorum nostrorum opera. Quamobrem quid Graeci universi hac in parte sentiamus, audito. Nequaquam post mortem et ex hac vita discessum restare purgatorium quendam ignem credimus. Nam psalmorum auctor ait: Quis apud inferos tibi confitebitur? quasi dicat, nemo. Tentationes quidem illas, quas in hac vita experimur, quasi purgatorium quemdam ignem esse statuimus. Nam ejusmodi tentationum diuturnitate, quae nostri castigandi causa contingunt, homines interdum a peccatis expurgantur; quemadmodum in illo dicto significari vides: Per ignem et aquam transivimus, ac eduxisti nos ad recreationem. Quod si esset ante judicium ejusmodi purgatorius animarum ignis a morte, nimirum universae animae infinita temporis diuturnitate sic perpurgarentur, ut judicii tempore nulla poenis obnoxia reperiretur. De quo porro consequeretur, a Christo frustra dictum: Hi quidem ad supplicium aeternum, justi vero aeternam ad vitam abibunt. Item illud: Qui recte se gesserint, ad resurrectionem vitae: qui scelerata facinora designaverint, ad resurrectionem judicii. Haec orientalis est ecclesiae sententia, quam in hodiernum usque diem retinet.

## QUAESTIO X.

Existimantne post hanc vitam animas suppliciis quibusdam propterea purgari, quod in hac vita meritas poenas non dederint?

### RESPONSIO.

De hac quaestione, saepius agitata, prudenter et perspicaci animo velim audias, quae Theologorum nostrorum sententia sit. Eorum hominum animae, quorum quasi media quaedam conditio est, qui scilicet mortiferis in peccatis diem extremum non clauserunt, nec tamen omnino expertes culpae fuerunt, poenitentiae ve fructus declararunt: horum inquam animae creduntur a nostris ejusmodi delictorum ratione purgari, non per purgatorium aliquem ignem, vel determinata certo quodam loco supplicia (nam id nusquam traditum extat) sed nonnullae in ipso diremtu a corpore per solum metum, uti Gregorius ille cognomento Theologus pronuntiat: non nullae post diremtum a corpore, fortassis etiam apud orcum detentae, non quod in igne supplicio ve sint, sed velut in custodia et vinculis coerceantur.

Digitized by Google

His omnibus opitulari preces eorum nomine factas dicimus, concurrente cum his divina bonitate et clementia, quae ad hujusmodi peccata pleraque connivet, eaque mox condonat, nimirum si quae ex imbecillitate humana commissa sunt, quemadmodum magnus ille Dionysius ait in consideratione mysterii de iis, qui sancte consopiti quiescunt. Nam alios, uti diximus, expurgat metus: alios tortura conscientiae, quae animum acrius rodit, quam quivis ignis: alios sola divinae gloriae amissio, et incertitudo ejus, quod futurum est, num his sint potituri. Quae quidem omnia quavis alia re magis hominem torquere ac poenis subjicere, docet ipsam et experientia. Chrysostomum quoque testem habemus, in omnibus prope, vel plurimis saltem moralibus concionibus suis hujusmodi quaedam tradentem: ac praeterea Dorotheum sectatorum solitariorum exercitiorum, in oratione de Conscientia. Quin etiam in aevo futuro magis per haec supplicia torqueri eos, qui puniuntur, sacri Doctores tradunt. Quam in sententiam et magnus ille Gregorius cognomento Theologus in oratione de plaga grandinis inquit: alios quidem excipit lux ineffabilis, et sacrosanctae imperatricisque rerum Trinitatis contemplatio: alios vero inter caetera tortura quaedam, vel potius ante caetera rejectio a Deo, e finis expers conscientiae foeditas atque turpitudo. Ab hujusmodi ergo malis ut ii liberentur, qui obdormierunt, a Deo petimus, et liberari credimus: non autem a supplicio quodam alio vel igne, qui diversus sit ab iis, quae Deus aeternum duratura minatus est. Praeterea consopitorum animas ex orci detentione tamquam carcere quodam per preces liberari, testatur inter alios multos magnus etiam Basilius, in precibus suis, quae tempore Quinquagesimae legi consueverunt, ad verbum ita scribens: Qui hoc perfecto salutarique festo placationes ac preces supplices pro iis, qui apud orcum detinentur, accipere dignatus est, ac nobis spes magnas facis, futurum ut detentis liberatio ab iis molestiis, quibus adfliguntur, et recreatio abs te contingat: pro quibus ipsis animis placatorias preces et sacra tibi offerimus. Itidem Theophanes confessor et sacris fastis inscriptus, in hymnorum de consopitis uno, tali quodam modo pro eis precatur: A lacrymis et gemitibus orci servos tuos libera. Et ecclesia nostra quodam in modulo de iis qui obdormiverunt, hac precatione utitur: Miserere figmenti tui Domine, atque id benignitate tua mundato. Hac in sententia fuerunt et alii, qui hos secuti sunt, Doctores: nosque jubent illam amplecti, profiteri veram credere. Habes quid nos de quaestione 10 statuamus.

## QUAESTIO XI.

Traduntne confessionem esse, quae quidem ipsa sit sacramentum a Christo institutum, ad salutem necessarium? Num item existimant in ea singulorum peccatorum enumerationem faciendam esse? quibus denique verbis sacerdotes iis qui deliquerunt, peccata remittunt?

### RESPONSIO.

Ad hanc quoque interrogationem XI juvante Deo sic respondebo, quemadmodum divinis e literis accepi. Davides auctor generis Christi Dei, perspicue sic in 8 psalmo inquit: Confitebor tibi Domine toto corde meo. Et frater ille Domin Jacobus in epistola sua Catholica: Confitemini, ait, invicem delicta, et supplicate alius pro alio, ut sanemini. Dominus autem in 19. capite Evangelistae Matthaei sic inquit: Amen dico vobis, quae cumque in terra ligaveritis, ligata fore in coelo: et quaecumque in terra solveritis, in coelo soluta fore. Tunc agressus eum Petrus: Quoties, ait, peccanti in me fratri meo ignoscere debeo? ad septiesne? Cui Jesus: Non dico tibi ad septies, sed ad septuagies septies. Idem alibi capite 17 Lucae inquit: Si in te peccaverit tuus frater reprachende eum: et si eum poeniteat, ignoscito ei. Denique Deus et homo Jesus, confessionis nullius egens, in ejusdem Evangelistae 10 capite sic patrem suum compellat: Confiteor tibi pater, coeli terraeque Domine. Quamobrem ut idem nos quoque faciamus, a Christo ad salutem est institutum. Et omnino peccatorum enumeratio fieri debet, quemadmodum illi magni rerum divinarum praecones atque lumina, Basilius, et cum fratre consentiens antistes Nyssae Gregorius, allique hos subsecuti Doctores praecipiunt. Quippe de singulis etiam delictis canonem scripto compraehensum nobis tradiderunt. Nam qui caedem commisit, de magni Basilii sententia, quae in canone 56 exstat, a sacris mysteriis totos 20 annos arcebitur, itemque paedico annos 15. Et Ancyrana Synodus canone 20 adulterum a participatione sacrorum mysteriorum annos 7 excludit, atque ita deinceps serie quadam cum his alii quoque divini doctores consentiunt. Et quamobrem is qui confitetur, viris spiritualibus pec-

Digitized by Google

cata singula fateri debet, una cum loco et modo. Uti nimirum spiritualis pater adhibere medicinam eissecundum instituta sanctorum patrum, possit. Absolvunt autem spirituales patres ac sacerdotes eos, qui deliquerunt, hujusmodi quadam oratione: Benignus ille Deus, qui propter nos abjectos vilesque homines, et salutis nostrae causa naturam humanam adsumfit, totiusque mundi peccata tollit ac gestat, nunc quoque pro benignissima sua misericordia et bonitate tibi haec omnia condonabit, mi frater, quae modo coram ipso indignitati meae recensuisti, remittetque tibi omnia tam in hoc quam futuro aevo, qui omnium salutem vult, et est benedictus saeculis infinitis. Amen. Haec ad II quaestionem respondisse sufficit.

## QUAESTIO XII.

Quot et quaenam sunt sacramenta?

### RESPONSIO.

Sunt omnino septem nimirum Baptismus, Unctio, Communio, Manuum impositio, Conjugium Poenitentia, et Oleum sacrum.

FINIS.



Digitized by Google

His omnibus opitulari preces eorum nomine factas dicimus, concurrente cum his divina bonitate et clementia, quae ad hujusmodi peccata pleraque connivet, eaque mox condonat, nimirum si quae ex imbecillitate humana commissa sunt, quemadmodum magnus ille Dionysius ait in consideratione mysterii de iis, qui sancte consopiti quiescunt. Nam alios, uti diximus, expurgat metus: alios tortura conscientiae, quae animum acrius rodit, quam quivis ignis: alios sola divinae gloriae amissio, et incertitudo ejus, quod futurum est, num his sint potituri. Quae quidem omnia quavis alia re magis hominem torquere ac poenis subjicere, docet ipsam et experientia. Chrysostomum quoque testem habemus, in omnibus prope, vel plurimis saltem moralibus conciombus suis hujusmodi quaedam tradentem: ac praeterea Dorotheum sectatorum solitariorum exercitiorum, in oratione de Conscientia. Quin etiam in aevo futuro magis per haec supplicia torqueri eos, qui puniuntur, sacri Doctores tradunt. Quam in sententiam et magnus ille Gregorius cognomento Theologus in oratione de plaga grandinis inquit: alios quidem excipit lux ineffabilis, et sacrosanctae imperatricisque rerum Trinitatis contemplatio: alios vero inter caetera tortura quaedam, vel potius ante caetera rejectio a Deo, e finis expers conscientiae foeditas atque turpitudo. Ab hujusmodi ergo malis ut ii liberentur, qui obdormierunt, a Deo petimus, et liberari credimus: non autem a supplicio quodam alio vel igne, qui diversus sit ab iis, quae Deus aeternum duratura minatus est. Praeterea consopitorum animas ex orci detentione tamquam carcere quodam per preces liberari, testatur inter alios multos magnus etiam Basilius, in precibus suis, quae tempore Quinquagesimae legi consoeverunt, ad verbum ita scribens: Qui hoc perfecto salutarique festo placationes ac preces supplices pro iis, qui apud orcum detinentur, accipere dignatus est, ac nobis spes magnas facis, futurum ut detentis liberatio ab iis molestiis, quibus adfliguntur, et recreatio abs te contingat: pro quibus ipsis animis placatorias preces et sacra tibi offerimus. Itidem Theophanes confessor et sacris fastis inscriptus, in hymnorum de consopitis uno, tali quodam modo pro eis precatur: A lacrymis et gemitibus orci servos tuos libera. Et ecclesia nostra quodam in modulo de iis qui obdormiverunt, hac precatione utitur: Miserere figmenti tui Domine, atque id benignitate tua mundato. Hac in sententia fuerunt et alii, qui hos secuti sunt, Doctores: nosque jubent illam amplecti, profiteri veram credere. Habes quid nos de quaestione 10 statuamus.

## QUAESTIO XI.

Traduntne confessionem esse, quae quidem ipsa sit sacramentum a Christo institutum, ad salutem necessarium? Num item existimant in ea singulorum peccatorum enumerationem faciendam esse? quibus denique verbis sacerdotes iis qui deliquerunt, peccata remittunt?

### RESPONSIO.

Ad hanc quoque interrogationem XI juvante Deo sic respondebo, quemadmodum divinis e literis accepi. Davides auctor generis Christi Dei, perspicue sic in 8 psalmo inquit: Confitebor tibi Domine toto corde meo. Et frater ille Domini Jacobus in epistola sua Catholica: Confitemini, ait, invicem delicta, et supplicate alius pro alio, ut sanemini. Dominus autem in 19. capite Evangelistae Matthaei sic inquit: Amen dico vobis, quae cumque in terra ligaveritis, ligata fore in coelo: et quaecumque in terra solveritis, in coelo soluta fore. Tunc agressus eum Petrus: Quoties, ait, peccanti in me fratri meo ignoscere debeo? ad septiesne? Cui Jesus: Non dico tibi ad septies, sed ad septuagies septies. Idem alibi capite 17 Lucae inquit: Si in te peccaverit tuus frater reprachende eum: et si eum poeniteat, ignoscito ei. Denique Deus et homo Jesus, confessionis nullius egens, in ejusdem Evangelistae 10 capite sic patrem suum compellat: Confiteor tibi pater, coeli terraeque Domine. Quamobrem ut idem nos quoque faciamus, a Christo ad salutem est institutum. Et omnino peccatorum enumeratio fieri debet, quemadmodum illi magni rerum divinarum praecones atque lumina, Basilius, et cum fratre consentiens antistes Nyssae Gregorius, allique hos subsecuti Doctores praecipiunt. Quippe de singulis etiam delictis canonem scripto compraehensum nobis tradiderunt. Nam qui caedem commisit, de magni Basilii sententia, quae in canone 56 exstat, a sacris mysteriis totos 20 annos arcebitur, itemque paedico annos 15. Et Ancyrana Synodus canone 20 adulterum a participatione sacrorum mysteriorum annos 7 excludit, atque ita deinceps serie quadam cum his alii quoque divini doctores consentiunt. Et quamobrem is qui confitetur, viris spiritualibus pec-

Digitized by Google

eata singula fateri debet, una cum loco et modo. Uti nimirum spiritualis pater adhibere medicinam eissecundum instituta sanctorum patrum, possit. Absolvunt autem spirituales patres ac sacerdotes eos, qui deliquerunt, hujusmodi quadam oratione: Benignus ille Deus, qui propter nos abjectos vilesque homines, et salutis nostrae causa naturam humanam adsumfit, totiusque mundi peccata tollit ac gestat, nunc quoque pro benignissima sua misericordia et bonitate tibi haec omnia condonabit, mi frater, quae modo coram ipso indignitati meae recensuisti, remittetque tibi omnia tam in hoc quam futuro aevo, qui omnium salutem vult, et est benedictus saeculis infinitis. Amen. Haec ad II quaestionem respondisse sufficit.

## QUAESTIO XII.

Quot et quaenam sunt sacramenta?

### RESPONSIO.

Sunt omnino septem nimirum Baptismus, Unctio, Communio, Manuum impositio, Conjugium Poenitentia, et Oleum sacrum.

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

# V.

# JOANNIS LEVENCLAVII

## DE

## MOSCOVITARUM BELLIS

## COMMENTARIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

V.

# JOANNIS LEVENCLAVII

# DE MOSCOVITARUM BELLIS ADVERSUS FINITIMOS GESTIS

## COMMENTARIUS.

QUANDO de Russorum (qua appellatione populi omnes magni Moscorum principis imperio subjecti veniunt) situ, diversis regionibus civitatibus amplitudine gentis, religione moribus et *institutis*, plerique viri clarissimi satis multa litteris hactenus prodidere, praesertim iliustris ille Baro Herberstejnus, cujus unius commentarii vel admodum curiosis satisfacere possunt: operae nos pretium facturos putavimus, si quibus potissimum bellis famam nominis aliquam consecuti essent, una eademque perpetua narratione breviter (quantum ejus fieri posset) explicaremus. In hanc cogitationem magno animi studio incumbentibus, visum est nequaquam ordiri commemorationem hanc a priscis illis saeculis, quibus natio barbara necdum exteris, ac nobis praesertim ad solem occidentem vergentibus nota satis fuit: sed a patrum memoria tantum qua per Europam clarere cepit, vix ante vel ipso nomine cognita. Veteres quidem historias quod attinet, scio perantiquis in Annalibus Germanorum reperiri, venisse ad Imp. Caes. Henricum IV. Aug. qui tum in urbe Vangionum Berbetomago (Bormatiam hodie vocant) agebat, Russorum principem, declarandae suae *in* Augustum observantione causa. Verum ex *variis* indicationibus quantum colligere licet, videtur hoc intelligendum potius de Russis illis, qui hodie Polonorum regi parent ac nostro imperio sunt viciniores. Habebant illi tum principem peculiarem, qui majestatem Imperatoris Romani, regnantis ad solem occidentem, agnosceret. Parebant eidem Imperatori et Sarmatae, quos hodie Polonos vocamus: sed hi paulatim ob nostrorum principum secordiam, publicaque discidia, quorum praecipui auctores erant pontifices non sacri, sed exsecrandi non a nostris modo defecerunt: verum etiam imperio suo finitimas gentes, Russos, plerosque Scythas, quos hodie Tartaros diximus, Lithuanos, Samogithios, Masovios, nostraque demum memoria Borussos magna cum parte Livoniorum adjunxerunt. Utut sane res habeat equidem infitiari nolim ejusdem originis utrosque Russos esse: verum illos remotiores parum cum nostris habuisse commercii crediderim. Graecis recentioribus notior haec fuit natio quippe quae magnis in Pannoniam viciamque Thraciam irruptionibus plurimum Constantinopolitanis Imperatoribus negotii fecit. Narrantur haec prolixe a Zonara, Cedreno, Gregora, ceterisque Graecorum annalium scriptoribus, quorum nos plerisque typis necdum editos, et vidimus et legimus. Frequens apud illos Rossorum sic

Digitized by Google

enim nuncupant) appellatio reperitur, de voce Roxolanorum veterum (ut quidam perhibent) orta. Et quidem opera Graecorum tandem Christiana ad religionem perducti sunt, in hoc genere postremi omnium (si Lithuanos, Borussos et Livonios excipias) Europae nationum. Qua de causa factum est ut ecclesiae Graecae tam in doctrina, quam religiosis ritibus auctoritatem sequantur. Ac veri profecto simile fuerit, nationem barbaram, que prius in Thraciam excurrere consuevisset, ob ejus regionis opulentiam, ex Christianiae religionis disciplina mitiorem faetam, pristinum illud studium vexandi finitimos abjecisse, praesertim postquam a vicinis Scythis sive Tartaris graviter premi cepisset. Propterea nihil admodum memorabile de ipsis proditum monumentis litterarum accepimus ante Casimiri Sarmatarum regis imperium, cujus filii natu majores duo, Joannes Albertus et Alexander, perpetuas eum Moscis inimicitias exercuerunt: tertius vero Sigismundus res adversus eosdem memoria dignas gessit: ad quas prius quam veniamus, lubet id Livoniorum adversus Moscos praelium recensere, quod paucis annis ante pugnatum incredibili virtute fuit, nec satis hactenus nostris hominibus explicatum: quando qui Paulo Jovio et Sigismundo Baroni Herberstejno rem narrarunt, suis usi rationibus, aliter commemorarunt, quam nos apud ipsos Livonios acceperimus. Velim vero, lector, non prolixam a me historiam exspectes, sed rerum praecipuarum indicationem brevem: ne commentarii modum excedat narratio, quae cetero qui tanta in varietate plus aequo fortassis excresset.

Erant elapsi anno a nato ex virgine Jesu Christo Dei F. 1500 quum ab ortis simultatibus inter Moscorum principem et collegii sive ordinis Teutonici apud Livonios ducem, quem Magistrum militiae vocant, tandem bellum incoactum est, in quo aliquamdiu nihil admodum memoria posteritatis dignum gerebatur. Erat id temporis dux gentis Basilius Joannes F. (dictus antea Gabrielus) matre Graeca Sophia Thomae Palaeologi, clarissimi principis in Peloponeso, filia natus. Is quum Joanni patri successisset, singulari gloriae cupiditate flagrabat: et multis sane rebus egregia cum laude gestis hoc consecutus est, ut majoribus suis anteferretur. Habebat hostem in hoc bello nec viribus admodum imparem, et rei militaris scientia clarum. Nam ordini Teutonico cum imperio potestateque praecrat Gualterus Pletemburgius, equestri familia natus apud occidentales Saxones, quos hodie Bestualos appellant, magni vir animi et consilii, qui mature adjunxerat sibi 72 civitates Germaniae, quae Saxonico in solo sitae foedus inter se multo ante pepigerant, eique nomen ab Ansa dederant, quasi quae perpetuis velut ansis inter se cohaererent. Ab his pecuniam in belli sumtum, alia que necessaria largiter accipiebat. Tandem non exspectandum ratus, ut intra fines suos exercitu adducto bellum Moscus ingenti cum agrorum depopulatione pro gentis immanitate barbara gereret: ultro belli sedem in hosticum solum transferendam statuit, et si hostis occurrat, praelio decernendum. Et faciebat hoc eo fidentius, quod Alexander Polonus per internuntios promiserat, se quamprimum Pletemburgius fines hostium attigisset, ab altera parte suis cum copiis Moscos invasurum, in quo tamen ejus deinde spem plane fefellit. Itaque Pletemburgius lectissima septem Germanicorum equitum millia cum quinque millibus Curonum (Livoniorum hi sunt natio, Gualterique tum imperio parebant) intra fines hostium ducit et munitiones quasdam occupat, inde castris motis a. d. 16 Cal. Octobr. recta Plescoviam pergit, urbem amplam ac Livoniae vicinam. Occurrit huic ei Moscus, incredibili cum hominum multitudine. Nam ingens erat ad urbem planicies ad conflictum longe aptissima. Perhibent habuisse Moscum supra centena suorum hominum millia quibus triginta millia Scytharum sive Tartarorum adjunxerat: etenim ut latissimae sunt eae regionis, ita hominum copia nimium quantum abundant. Multitudine Moscus fidere, Pletemburgius ob paucitatem suorum minime terreri: qui turbam imbellem, inconditam perexiliter munitam orientalium more, suorum virtuti cessuram sciret, ubi primum sagittis emissis ventum ad manus foret. Itaque brevi cohortatione suos excitatos recta Scytharum in agmen oppositum ducit. Solent enim Mosci Tartaros primos in hostem immittere, ut qui sagittarum ejaculatione plurimum valeant et equorum pernicitate recipere se quo velint possint. In eos Pletemburgius aenea tormenta bellica feliciter displodit: inde suos propius eum hoste manum conserere jubet, quorum impetu mox ille fundi fugarique: nam inermes adversus armatos haud quaquam subsistere poterant. Succedunt his Mosci duodecim in agmina distributi, quorum singula hominum ad novem millia continerent. Eos quoque Pletemburgii miles non modo fortiter excipit, ac dimicantes sustinet: sed etiam pari felicitate disturbat, caedit, vincit. Hostium

Digitized by Google

reliquae re desperata noctis interventu Plescoviam fuga se recipiunt. Incredibilem sane cladem acceperant cujus erant argumenta campi latissimi passim cadaveribus cooperti; neque desunt, qui tradant ex Tartaris atque Moscis hominum ad octoginta millia periisse, de Pletemburgii militibus vulneratos quidem fuisse jactu sagittarum plurimos, sed unum tantum interemtum; quod tamen nobis in medio relinquerere placet. Herberstejnus signiferi cujusdam proditione caesos a Moscis ad 400 pedites fuisse refert, ceteres incolumes evasisse. Hoc quidem certe constat, felicem hunc ducem exiguo cum suorum damno multis millibus caesis maximum hosti detrimentum attulisse. Satis hoc vel inde colligi poterat, quod ea planicies, in qua pugnatum fuerat, et quae supra sexaginta stadia longe late que patebat, undique cadaveribus constrata cernebatur. Accedit et illud, quod mox suis hominibus ad Pletemburgium missis de pace Moscus agebat: id quod minime facturus fuerat, nisi cladem ingentem accepisset. Nec militiae Magister actionem de pace rejicit, qui videret eam nunc condicionibus sane commodis, et prorsus e re sua constitui posse. Quapropter confecta pax in annos totos quinquaginta, et commerciorum gentis utriusque jura vetera renovata. Praecipuam in hoc praelio cataphractorum equitum virtutem enituisse, plurimumque momenti ad obtinendam victoriam attulisse, traditum est: quos Mosci cum admiratione maxima ferreos homines nuncupant. Hi passim ordines hostium perrumpebant, ex equis eos dejiciebant, cum equis ipsis sternebant, dejectos stratosque proculcabant; nam prisco more gentis Mosci nullis erant idoneis armis adversus talem hostem instructi, non loricis, non ferreis thoracibus muniti; et arma sunt illis alia nulla, quam sagittae, hastae leves, et copides, hoc est, leviter incurvati ac breves gladii. Pace cum Pletemburgio facta, Moscus missis Livoniis, Polonos aggreditur, quorum cum regibus, Casimiro, Joanno Alberto, Alexandro varias eum simultates exercuisse, iam antea monuimus. Inter alia, quae contra Polonos gessit hoc memorandum, quod quum antea Mosci a Polonis vinci plerumque consuevissent: ipse primus vinci victores posse demonstravit, Polonis acie justa profligatis. Ipsum etiam Polonici exercitus ducem, rerum bellicarum insigniter peritum, Constantium Ostroschium cepit, vinctum cathenis Moscoviam abduxit, totos annos septem in carceribus detinuit. Est in Lithuanorum Moscorumque finibus ad ripam Borysthenis (quem Brisnam hodie dicunt) oppidum, quod Smolenscum vocant. It Basilius esse sui juris et imperii contendebat, Poloni regno suo vindicabant. Itaque Basilius anno 1513 coactis amplis suorum copiis Smolenscum obsidet, omnibusque viribus oppugnat, sed frustra; nam quum nihil efficere se videret, propter virtutem praesidiariorum, atque etiam venire Lithuanorum audiret satis validam manum, quae obsessis opem ferret: in aliud tempus rem differendam rarus, obsidionem soluit, copiasque summa celeritate domum reducit. Anno sequenti revertitur, et corruptis per largitionem illorum animis, quibus tuendi Smolensci cura mandata fuerat, oppido proditione potitur. Eo non contentus, tripartito agmine finitimos agros late populatur, et Lithuaniam invadit. Habebant id temporis Poloni regem Sigismundum, Casimiri F. et quidem natu minimum, qui fratribus suis ordine regnum adeptis, et excepto solo Vladislao Boemorum Hungarorumque rege, vita functis successerat. Is quo mature hosti occurreretur, Constantino (qui non multo ante dimissus a Basilio fuerat) mandat uti copias satis amplas conscribat, et obviam hostibus eat, ne ulterius progrediantur. Existimabat neminem rectius opponi Basilio posse, quam eum, qui et magni nominis dux esset, et acceptas a Basilio superioribus annis contumelias injuriasque praeclaro facinore ulcisci cogitaret. Advolat ille cum non magna, sed selectissima militum manu, quum que pervenisset ad Borysthenem, cujus ripam alteram Moscus insigni cum exercitu magno que tormentorum aeneorum numero custodiebat: vado reperto, ponteque constructo, summa prudentia tam pedestres quam equestres copias trajicit. Neque parum ei barbarorum superbia profuit, qui transitum nullo conatu impediebant: uti qui se rebus omnibus longe hostem superare putarent. Habebat omnino in exercitu Constantinus hominum ad septem decem que millia, in quibus erant equitum decem et quatuor, peditum tria millia. Basilius equitum supra quadraginta millia ducebat Ex iis septem millia seligit, ac propinquam in vallem abdit, ut medio in ardore pugnae hostem a tergo aggrederentur, eaque ratione nec opinantem pertubarent. Ceteros in agmina tria divisos aciei Constantini opponit. Is ex adverso cataphractos equites Polonos in acie prima collocat, qui sagittas hostium exciperent: ab latere dextro sex Lithuanorum equitum millia totidem

Digitized by Google

a sinistro: peditem a tergo, cujus virtuti plurimum tribuebat. Primum Moscorum agmen cum suis feliciter perrumpit, inde alterum adoritur. Tum Basilius cum tertio nonnihil pedem referre, et exitum pugnae spectare; nam futurum putabat, ut qui ex insidiis hostem a tergo invasuri erant, aciem omnem vel solo terrore perturbarent, disjicerent, caederent. Verum iis animadversis peditum agmen quadratum occurrerat, et omnes in fugam conjecerat. Itaque quum hi tertium Mosci agmen recta peterent, Basilius abjecta spe victoriae cum nobilioribus semet ex acie sub ducit; ducem fugientem ceteri sequuntur. Pugnatum fortiter ab iis, qui Polonis oppositi media in acie steterunt. Sed quum pariter Lithuani atque pedites superatis iis, quos adversos habuerant hos etiam ab omnibus partibus invaderent: tamdem ipsi quoque fuga sibi consuluerunt. Commissum hoc praelium est a. d. 6. eid. Septembr. anno 1514. Capta hostium castra, regia Basilii suppellex, aenea tormenta, cum 5000 equorum; Caesa Moscorum 7000. Venerunt et praecipui quidam duces in hostium potestatem. Hinc ad Smolenscum oppugnandum recta ductae copiae, sed irrito conatu. Nam Basilius ex acie fugiens ejus quod futurum putarat metu, fortissimos quosque in oppidum miserat, qui ei praesidio essent: itaque Constantinus ob propugnatorum virtutem et alienum anni tempus recuperatione desperata, trans Borysthenem copias in hiberna deducit. Hoc modo Jovius rem gestam narrat. Qui Herberstejni fidem sequi maluerit in ejus Commentariis aliter indicata quaedam reperiet. Secundum haec anno 1516 Mosci Lithuaniam iterum populabundi percurrerunt. Eos deinceps Joannes Tarnovius Polonus, felix et prudens imperator, justo praelio vicisse ad Starodubam perhibetur: quae res quo pacto gesta sit, quum nobis necdum satis liqueat, in hoc quidem tempore amplius aliquid proferre supersedebimus, praestaturi fortassis aliquando, ne quid hac etiam in parte lector desideret. Convertit certe Basilius, pace cum Polonis facta, vim omnem armorum adversus Tartaros, quos anno 1527; insigni victoria sic superavit et caecidit, ut eorum supra 20,000 uno praelio periisse tradantur. Et quandum mali prius Moscis ab hac gente fuerit illatum, prolixe Baro Sigismundus exponit. Quum autem memoratu digna tantum colligere voluerimus, multorum heic annorum mentione praetermissa, quibus scilicet nihil admodum insigne gestum fuit, ad propria veniamus. Anni 1555 media hieme (nam id tempus iis in regionibus apitissimum esse rei gerendae propterea solet, quod tum stagna, paludes, flumina congelata facilem transitum praebeant) bellum inter Gustavum Suedorum regem, ac Joannem Basilium Moscorum principem exortum, probe biennium totum duravit. Ei causam dedere praefecti utriusque principis in limitibus collocati, qui semel susceptis inimicitiis alternatim praedas abigebant, et omnia longe lateque flammis ac ferro populabantur. Quo factum, ut ipsi etiam principes iritati, suos quosque praefectos defendendos susciperent. Moscus ducenta hominum millia cogit, et in Finlandiam exponit: Hi tormentis aeneis muniti ad oppidum Viburgum usque contendunt, miserabilem in modum omnia diripiunt et igne vastant. Qua crudelitate in suos exercita motus Gustavus, simul et Germanicum militem arcessit, et quantas omnino posset hominum suorum copias magna celeritate cogit. Valido jam instructus exercitu, recta pergit in hostem. Is vero regis adventu per exploratores cognito, ad discessum mox sese comparat, more Turcarum aliorum que barbarorum incolas etiam ipsos abducit, cetera foedis incendiis vastat. Cedentes Suedus ad arces usque duas Mosci subjectas imperio persequitur. Nihil tamen aliud efficit, nisi quod ingressus agrum hostilem pari truculentia saevit in omnem aetatem ac sexum, aedificiis flammas subjicit, hominum corpora cum facultatibus ac jumentis in servitutem abducit. Accidit inter alia, ut quadringenti Mosci, magna ex parte nobilibus familiis nati, (Bojaros sua lingua vocant) in glacie consistentes de tota belli ratione consultarent. Ea pondere nimio vel alio quopiam casu rupta, mox in aquas mersi pereunt. Territi hac suorum calamitate ceteri, oblatas a Gustavo condiciones pacis operaconcionatoris cujusdam Aboensis citra detrectationem ullam accipiunt: inde missis etiam utrinque legatis majoris fidei caussa pax consensu principum sancitur, et ab utroque praeclarum ad posteros exemplum statuitur, adfectis merita poena belli primis auctoribus. Exponenda deinceps nobis ea bella veniunt, quae adversus Livonios Mosci crudelissime gesserunt. Prius vero, quam ad illorum commemorationem accedamus, civiles eorumdem Livoniorum furores indicari par est, quibus eorum vires usque adeo sunt accisae: ut hosti novo, potenti, supraque modum humanum saevo resistere non possent. Referri certe debet hujus regionis calamitas inter exempla vicissitudinis rerum hu.

Digitized by Google

manarum et corruentium imperiorum illustria, quorum casus ac mutationes ex civilibus discidiis plerumque solent oriri. Constitutum hoc imperium fuerat felicibus auspiciis ante 300 annos, ex occasione propagandae Christianae religionis. Porrigere se regionem ipsam constat in longitudinem supra quatuor stadiorum millia, quum in latitudinem minimum ad 1300 stadia pateat. Habebat principem sane potentem, quem Magistrum militiae vocabant, equestris collegii (vulgus ordinem appellat) praesidem: quae quidem dignitas ad neminis heredes transibat, sed uno rebus humanis exemto, de ipso collegii corpore in ejus locum alius sufficiebatur. Habebat praeter hunc, summum antistitem (Archiepiscopum graeco vocabulo dicimus) Rigensem, ac secundum illum antistites alios tres, Dorpatensem, Habselensem, cui et Osela Curonum parebat, ac Revaliensem. Horum singulis oppida, territoria, munitae arces erant annuique fructus uberes. Habebat civitates et amplas, neque pro consuetudine barbarorum exstructas, quales pleraeque sunt in regnis septentrionalibus: sed insignem ad elegantiam ornatas. Inter eas principe loco sunt Riga, Bremensium Germanorum colonia, sita commodo loco ad amnem Dūnam, cuius in Oceanum, quem hoc loco Balticum a baltei similitudine nuncupant, semet exonerantis ostium ab urbe ad 60 stadia distat, et habet fluvius eam magnitudinem, ut ex mari naves ad urbem subvehi possint: altera Revalia, Danorum a rege Voldemaro condita, portu in mari baltico insigni clara: tertia Dorpatum, Russis finitima, propter cuius moenia Beca fluviolus labitur, ad commercia cum Russis peropportunus. Nam in eorum fines delatus, emensis omnino 200 stadiis, in amplissimum se stagnum exonerat, quod Pebussam vocant: itaque fit, ut Dorpato Plescoviam usque perveniri navigio possit. Insigniter hoc stagnum uario piscium genere abundat. Porrigit in longitudinem ad 360 se stadia, et sex septemve receptis amnibus, in Oceanum uno fertur alveo: qui quum de praeruptis scopulis praecipiti lapsu ruat, idem vicinioribus accidit, quod usuvenire habitantibus ad Nili catarractas accepimus, uti nimirum paullatim surdescant. Secundum has civitates, oppida sunt alia minora, magnificis arcibus munita: primum Venda, propter aulam Magistri militiae nobilitata, et in medio totius regionis sita: deinde Velinum, Pernovia maritima, Veseburgum, Volmaria, Vitestenum Narva, et alia. Praeter Germanos, qui tum rerum potiebantur, habet et Livonia Curones, Estenos, Lettos, nationes tam moribus quam lingua diversas. In eadem regione, sivinum, oleum, et alia quaedam mitiori coelo subiectis terris concessa divinitus excipias, (nam his advecticiis tantum utuntur) cetera ad usum humanum necessaria reperiuntur ea copia: ut cum exteris omnino large communicentur. Ejus ergo status et incolumitas quum intestino discidio sic labefactata fuerit, ut ingens rerum omnium subsecuta mutatio sit: operae pretium erit, hoc ipsum discidium, ejus que causas cum toto civili bello, breviter (quantum ejus fieri poterit) narrari. Fuerat annis multis Archiepiscopus Rigae Guilhelmus, patre Marchione Brandeburgio matre Polonica, regis Casimiri filia, Sigismundi sorore natus. Inter alios hujus fratres, quos numero non paucos, et illustres omnino principes habebat, erat Albertus, qui Friderico Saxoniae Ducum gente nato, magno Teutonicorum equitum in Borussia Magistro successerat: nam et Borussia Livoniae vicina collegium equestre tum habebat, cum quo se ante aliquot saecula Livonienses equites mutuae defensionis causa conjunxerant. Albertus hic multis annis cum avunculo Sigismundo rege bella gessit fortiter, ut adversus Polonum collegii sui jura defenderet: qui fratrum, patris, aliorumque majorum suorum exemplo Borussiam sub imperii sui jurisdictionem revocare volebat, quae se unius imperatoris Romani auctoritatem sequi profiteretur. Quum autem multos (ut diximus) annos haec bella durarent, ac viribus inferior Albertus saepius implorata Imp. Caes. Caroli V. Aug. (qui tum Hispanicis Italicisque motibus mirifice distinebatur) ope, nihil impetrasset: tamdem vi majore coactus, Sigismundo se regi anno 1125 summittit. Itaque Sigismundus ei detractis aliquot civitatibus, Gedano, (quod hodie Dantiscum vocant) Torona, Mariaeburgo, Elbinga: reliquam ditionem, abolito equitum in iis locis collegio, beneficiario clientelae jure sic concedit, ut ea tum ipse, tum nati ex eo heredes masculi, et heredibus masculis dificientibus, proximi e Brandeburgiorum principum gente agnati cum hac condicione fruerentur, si Poloniae regum se clientes, non imperatoris Romani, Borussiae nomine profiterentur. Quod quidem id temporis primum incoatum, anno superiore nimirum 1521 renovatum est. Nam quum Albertus ante triennium unico filio Alberto Friderico ex altera conjuge Brunsvigii Ducis



Digitized by Google

Erici filia herede relicto decesserit, Sigismundus Augustus Sigismundi regis F. arcessitis ad se AlbertoFriderico, Georgio Friderico, et Ioachimo Septemviro, Marchionibus Brandeburgiis agnatis: illi praesenti, et horum legatis publica caeremonia beneficium successionis Borussiacae concedere voluit, ne qua in posterum contentio posset oriri: quo ipso tempore Moldavorum etiam (Dacos olim dixere) principem in clientelam suam recepit. Haec propterea recensere hoc loco voluimus, quod Alberti mentio deinceps occurret. Nunc ad Guilhelmum revertamur Erat is provecta jam admodum aetate, ac propterea gubernationis onus esse soli sibi grave molestumque dicens, de constituendo sucessore cum Canonicorum suorum collegio deliberabat, qui etiam vinum parte aliqua negotiorum, sublevaret. Solent in collegiis hoc hominum genus Coadjutores appellare. Simul suam ut mentem ac consilium aperiret, neminem se huic muneri scire profitebatur aptiorem Christophoro Alberti Megalburgii Ducis F. cuius indoles magnum aliquid de ipso policeretur. Hoc institutum, et haec oratio Guilhelmi Archiepiscopi permolesta erat Magistro militae Guilhelmo Fürstembergio, nato equestri apud Bestvalos genere, qui non ita pridem Henrico Galensi vita defuncto in hoc magistratu successerat. Totus etiam ordo equestris collegii suspectum Archiepiscopi consilium habebat. Verebantur enim, ut ajebant ipsi, ne itidem ut in Borussia factum fuisse diximus, abolito equitum collegio, ad unius alicujus illustri familia nati dominatum heic quoque rerum summa perveniret. Accedebat et alia causa. Nam quia superioribus annis cives Rigenses una cum doctrina ritus etiam Romanae religionis aboleverant, et omnibus in templis concionatores suos praefecerant: archiepiscopus illud ad violationem suae dignitatis, suique juris, quod in ecclesias haberet, praejudicium factum adserens: a civibus aliquid multae nomine petebat. Contra Magister militae dicere, si non majus, saltem par sibi jus in rempublicam Rigensem esse, qui et arcem in urbe haberet: quare multari cives Archiepiscopi unius arbitratu, numquam se passurum profitebatur. Hae quidem causae publice praetexebantur, verum erant et aliae nonnullae, quae jamdudum animos utrimque pungebant. Nam Archiepiscopus tum muneris ecclesiastici dignitate, tum nobilissimi ortus praestantia fretus, (erat enim Brandeburgia, seu diximus, gente prognatus) primum in rebus omnibus sibi locum deberi volebat. Itaque principem in comitiis sedem sibi vindicabat, atque ipsum quoque comitiorum indicendorum jus ad se pertinere contendebat ex quo deinceps alia quoque nata est offensa, bellique occasio: quemadmodum infra loco suo sumus indicaturi. Omnium denique gravissima capiendorum armorum erat causa, quam haud scio an non recte ἀφορμὴν verbo Thucydideo simus appellaturi, quod militiae Magister intercepisse se Guilhelmi Archiepiscopi scriptas ad Albertum fratrem Borussiae Ducem litteras diceret, quibus eum hortaretur, peditum illa 10,000 quamprimum mitteret: commodius rei gerendae offerri nullum posse, quam hoc ipsum, quo collegium equestre discidiis maximis laboraret. Negavit semper deinceps Guilhelmus Archiepiscopus, tale quiddam ab se fuisse scriptum: negavit Albertus Borussiae Dux, Guilhelmi frater: negavit Poloniae rex. quidquam inter Archiepiscopum ac se actum clam de oppressione illis collegii fuisse: verum Magister militiae constanter adfirmabat, se productis litteris (si quidem res ita posceret) hoc comprobaturum. Quumque collegii Mareschallus (secundum is a Magistro dignitatis ac potentiae gradum obtinebat) suos moneret, ne temere bello Archiepiscopum obruerent: conclamare universi, occultam inter Archiepiscopum et Mareschallum conspirationem factam, et communicata consilia: nihil esse reliquum, nisi ut armis oppressores liberatis publicae coerceantur. Accessit et hoc, quod Archiepiscopo Mareschallus promisisse ferebatur, se quasdam arces occupatas ei traditurum. Et perhibetur sane ad unam atque alteram arcem accessisse, utque admitteretur, postulasse: quod num hoc an alio consilio, sui fortasse defendendi adversus vim subitam causa fecerit, nobis haud liquet: scriptum quidem non multo post publicavit, quo se variis argumentis purgat. Simul ad Poloniae se regem confert, a quo perhumaniter ac benigne accipitur, mandante suis, ut eum ab injuriis quorumcumque defenderent. In hunc modum inflammatis utrimque animis, seque comparantibus ad gerendum civile bellum: comitia publica militiae Magister indicit, et ordines omnes Vendam convenire jubet. Coiere frequentes universa ex provincia singulorum ordinum homines Archiepiscopo excepto, qui propterea non venire se protestabatur, quod comitia more majorum indicta non fuissent, quorum indicendorum jus ad se pertineret. De hac contumacia questus ad omnes militiae Ma-

Digitized by Google

gister, atque illis etiam expositis, quae de litteris interceptis aliisque consiliis antea commemoravimus: monet Archiepiscopum loco publici hostis habeant, omnesque videant, ne quid respublica detrimenti capiat. Respondent omnes, bello compescendum hostem patriae: simul auxilia singuli sua policentur. Quod decretum ubi accepisset Archiepiscopus, ad defensionem se contra vim illatam parabat: et suos ut arma principis sui tuendi causa corriperent. quem inaedita causa prorsus innocentem invadi cernerent, hortabatur. Contramilitiae Magister missis ad subjectos imperio Archiepiscopi ordines litteris eo quo principi suo devincti sacramento essent, omnes liberabat. Simul prisci foederis eos pactique commonefaciebat quo convenerat, ut si quando quisquam ejus regionis principum moliri vel adversus unum aliquem, vel plures, vel universam denique rempublicam res novas deprehenderetur: ejus subditi nullo se amplius fidei sacramento teneri scirent, nec injusta conantem ulla re juvarent. Hac re facta, ut destitutus a suis Archiepiscopus, Coquenhusium esse reciperet, locum per se valde munitum, sed in quo ad perferendam obsidionem diuturnam parum commeatus suppeteret. Fugientem militiae Magister cum exercitu valide persequitur, et arcem obsidione cingit. Factum hoc mense Quinctili, anno 1556. Archiepiscopus, qui liberandi sui rationem nullam cerneret, die obsidionis octavo deditionem facit. Posteaquam in hostium potestatem venisset custodiae mandatur: simul omnis ejus ditio cum oppidis et arcibus occupatur, ac fisco addicitur. Mitius cum Christophoro Megalburgio duce actum, sed tamen eidem etiam additi qui diligenter observarent, ne posset elabi. Putabatur hic finis esse belli a plerisque, sed longe aliter res cecidit. Nam ubi captum Guilhelmum Archiepiscopum, fratrem germanum suum, Borussiae Dux Albertus accepit: mox ad arma tum suos evocat, tum equitum peditum que Germanorum copias quantas potest maximas fratris in libertatem vindicandi causa conscribit. Quam quidem ad collectionem exercitus operam ei strenue navabat Joannes Albertus Megalburgius, et litteris et armis clarissimus princeps, quarum rerum laudem pauci simul sunt consecuti, Christophori designati Rigensis antistitis frater, quo cum nupta erat Anna Sophia filia Borussiae Ducis Alberti e priore conjuge, Sophia Friderici Danorum regis filia. Praeterea calamitatem fratris per internuntios Polonorum regi Sigismundo Augusto expouit et opem ab eo postulat. Quapropter hic quoque supra hominum 6000 liberandi Archiepiscopi causa cogit, primum quia negligere se posse factam suo consobrino injuriam negaret: deinde quod episcopatus Rigensis Lithaniae finitimi se patronum profiteretur. Interim Fürstembergius quoque militiae Magister adversus utrumque se munit, equitum Germanorum ex ditione sua, et Dorpatensis, Habselensis, Revaliensis, episcoporum auxiliis ad octo millia, magnum item peditatum cogit. Simul suos quosdam homines cum pecunia Lubecam mittit, urbem Saxoniae maritimam, qui pedites praesertim collectos in Livoniam mari transportarent. Polonus primum antistitem quaemdam cum hujusmodi mandatis ad militiae Magistratum mittit: Guilhelum Archiepiscopum libertati quamprimum restitueret, ablata redderet, sibi compositionem ortorum inter utrosque discidiorum permitteret. Quum infecta re legatus revertisset, rex Magistro militiae cum suis bellum denuntiat, et cum amplissimis copiis per Lithuaniam suam ad Livoniorum fines contendit. In hoc rerum statu Christianus Friderici F. Danorum Norvegiorumque rex, religiosus et optimus princeps, insigni ad utrosque legatione missa, de revocandis ad pacem animis agebat. Hi quum aliquamdiu apud utrosque non sine fructu egissent, accessit Ferdinandi Caesaris designati lagatus, missus e comitiis, quae Augustae Tiberiae (Ratisbonam hodie vocant) habebantur, mense Januario anni 1557. Venit et Pomeraniae Ducem nomine legatus, transigendi negotii causa. Diu rebus ultro citroque agitatis, tamdem militiae Magister in castra Poloni cum Archiepiscopo custodia liberato venit, ubi deinde pax his fere condicionibus initur. Primum militiae Magister Guilhelmum Archiepiscopum omnino in integrum restituito, damnumque datum conpensato. Deinde Polono regi sumtus in expeditionem factos refundito. Graves erant hae quidem Fürstembergio, sed quando aliter id temporis agi non poterat, acceptae. Hoc modo thesaurus, quem publicum habebant, a multis annis intactum, magno cum reipublicae damno fuit exhaustus, et Livoniorum attritae vires. Itaque secutae sunt deinceps magnae totius rerum status mutationes, quas nunc (uti promisso nostro satisfaciamus) ordine narraturi sumus. Nam redeundum tandem etiam ad res a Moscis gestas. Dictum a nobis est initio commentarii hujus, post pugnatum feliciter adversus Moscos duce Pletemburgio praelium, pacem in annos 50

Digitized by Google

fuisse factam. Hi quum anno 1550 exiissent, Justus Reccius, equestri loco natus apud Bestvalos, qui Dorpatensis antistes erat, magnae tam apud suos, quam vicinos Russos auctoritatis, missis ad Moscum legatis indutias in annos 5 novas impetrat, his condicionibus: Primum daret operam, uti fana Moscorum diruta, quae Rigae, Revaliae, Dorpati singula prius, quam status Pontificiae religionis apud Livonios mutaretur, habuerant, quamprimum instaurarentur: deinde tributum e Dorpatensi ditione per capita collectum mitteret, quod quidem a priscis annis deberi sibi Moscus ajebat. Haec si proximo quinquennio bona fide praestarentur, ulterius se 15 annorum indutias concessurum policebatur. Hac re confecta, Justus in patriam sese contulit; erat enim in collegio canonicorum Monasteriensium, tametsi Dorpatensem episcopatum accepisset. Eam ipsius abitionem alii aliter interpretabantur. Nonnulli dicere, magnas eum opes e Dorpatensi ditione conflatas secum avexisse: quumque suis spem reditus certam facere vellet, quo absque ordinum impedimento posset discedere, majoris fidei causa sacrosanctis symbolis acceptis reversurum se promisisse; cujus sane narrationis fides penes auctores esto. Alii mitius sentire, qui animum ejus quietis studio tantum dignitatis gradum negligere ajebat, praesertim qui matura prudentia tempestates imminentes secum ipse praecepisset. Dorpatensis quidem ditionis ordines omnes reditum ipsius magne desiderio diu expetebant, id quod etiam missis legatis declararunt: Quos Monasterii nos apud ipsum anno 1552 vidimus, et in Livoniam redeuntes, Lubecam usque comitati sumus, ubi Albertum patruum habebamus. Sed malebat (uti diximus) Monasterii degere in nobili canonicorum, quod istic est, collegio: quamquam hoc quoque deinceps reliquit, et aetate jam provecta uxorem duxit. Posteaquam ex legatis de voluntate consilioque Reccii Dorpatenses accepissent, Hermanum archimandritam Falconaviensem, hominem obscuris natum parentibus, in ejus locum sufficiunt. Patriam habebat Vesaliam sitam ad Rheni ripam in Cliviorum Ducis jurisdictione, quam inferam propterea vocant, quod ejusdem nominis aliud sit ad ejusdem Rheni ripam oppidum, quondam municipium imperatorium, nunc Septemviro Trevirensi subjectum. Heic pater ejus pileos factitarat, quos homines ab eo plebei ad arcendas a capite pluvias emebant. Hermanus ipse ante annum ab hoc 25 ex oppido Dorpatensi cum quibusdam aliis sui ordinis monachis secesserat, quo tempore Pontificia istic religio profligabatur, seque non procul inde receperat in monasterium Falconaviense, cujus deinceps Archimandrita factus, nunc ad dignitatem antistitis vocabatur. Eram ego, quo haec tempore gerebantur, in oppido Dorpatensi una cum magistro in litteris meo, cui me patruus Albertus formandum tradiderat, Henrico Heningo, magnae virtutis et doctrinae viro, qui deinceps in ditione Spanhemensi ad Mosellam fluvium ab illustrissimis Palatinis principibus et Marchionibus Thermarum, qui agrum illum pari jure simul possident, ecclesiis est praefectus. Causae quamobrem ad munus illud Hermanus vocaretur, hae putabantur esse praecipuae: quod in monasterio suo sic se gessisset, ut opulentus esse crederetur: et quod idem praestaturus existimabatur in episcopatu, cujus opes ab antecessoribus imminutae nonnihil erant. Biennio post, quam ad gubernationem accessisset, quia sciret indutias a Mosco concessas exspirasse: (nam agebatur jam annus 1555) legatos ad Moscum mittit, adjungento suos homines militiae magistro, qui cum eo de prorogandis indutiis agerent. Moscus se quidquam amplius concessurum negat, quia nihil eorum praestitissent, de quibus antea convenisset. Sed tamen intercedentibus ipsius consiliariis, fit in annos tres indutiarum prorogatio, quibus et templa Russorum apud Livonios in tribus illis (quae diximus) oppidis instaurarentur, et tributum e ditione Dorpatensi colligeretur. Postulabat autem tributi nomine, ut singula capita more Turcico marcam unam penderent. Et marcae quinae numum aureum scutatum unum conficiunt. Has conditiones legati accipiunt, quia discedentibus mandarat Hermanus episcopus, ut quovis modo bellum averterent. Discessuris Moscus hominem quemdam suum adjungit, qui nisi conventa Dorpatensis antistes atque civitas signis suis communirent, pro gentis more crucem osculari recusaret. Hac enim caeremonia solent uti, quum sanctissime se volunt obligare. Fit obsignatio, sive quod colligi vires interea posse putaretur, quae hostis impetum retunderent, sive alia de causa. Geritur interea bellum intestinum, quod exposuimus. Eo condicionibus illis, quas indicavimus, composito ac sublato, militiae magister anno 1557, in autumno quemdam percunctatum mittit, velut ne Moscus mittendis de pace legatis itinera tuta policeri: an omnino pacem deneget. Videbat enim, factas nuper indutias anno proxime sequenti finem habituras

Digitized by Google

Respondet Moscus, quamdiu sex Germanorum peditum signa relinquantur intra fines Livoniorum, (retinuerat enim illa militiae magister apud se, bello Polonico sopito) non se posse credere, Livonios serio pacem expetere. Sin eum militem dimittant, se vicissim legatis accedendi et agendi de pace potestatem facere. Fürstembergius hoc responso accepto, Vendam ordines convocat. Deliberatum in comitiis, quid fieri potissimum debeat. Quidam obtemperandum ajunt, nec iritandum hostem barbarum. Adversantur his alii, quod scire se dicerent, quo Moscus spectet. Arrepturum quemvis praetextum belli, quamprimum dimissus miles fuerit. Iccirco se modis omnibus consulere, ne copiae minuantur, sed potius duplicentur, et in finibus hosti opponantur, si quid ille forte sit moliturus. Consultatione facta vincit prior sententia; miles exauctoratur; mense novembri splendida legatio Moscoviam mittitur; suos quosdam homines Dorpatensis episcopus adjungit. Est in more Moscorum, ut legatos non tam cito mandata suorum principum exponere jubeant, atque fieri apud nos consuevit: sed aliquamdiu detineant, variisque caeremoniorum, colloquiorum, conviviorum generibus excipiant. Id nunc quoque Livoniorum legatis usuvenisse accepimus, quibus inter alia benevolentiae signa Moscus hoc etiam honoris detulerit, ut eos ad infantis illo tempore sibi nati baptismum tamquam testes adhiberet. Post aliquot dies suum in conspectum eos adduci jubet; munera quae magistri militiae nomine, ac Dorpatensis episcopi offerebantur, accipit; legationem audit. Hinc num pactis conventis stetissent, interrogat: ac nominatim quaerit, secum ne tributum ex ditione Dorpatensi adferrent? Illi primum excusant se quanto studio possunt, et ad purgandos Livonios bellorum tumultus in medium proferunt, quibus impediti praestare pleraque non potuerint hactenus, quae tamen deinceps bona fide sint exsecuturi. Orant, exiguam moram moleste non ferat. Quod autem Dorpatense tributum attineat; se majorum annales evolvisse diligenter, e quibus intellexerint, nihil hujus ditionis nomine Mosco deberi. Quum haec Moscus audivisset, per interpretem eis in hanc sententiam respondet: Quando benevolentia gratiaque mea toties erga vos declarata, quum Reccio, quum militiae Magistro, quum huic ipsi Dorpatensi episcopo indutias prorogavi, quum aliis vos honoribus et beneficiis adfeci, plane vos abuti video, nec quidquam eorum praestare, quae cum crucis osculo sanctissime polliciti hactenus estis: alia ratione vobiscum agam, quorum omnino multandam armis perfidiam fraudesque video. Illi contra rogare; ne vim faciat iis, qui Romano imperatori pareant, quo cum ipsi foedus sit. Verum quum flecti nullis nec verbis, nec promissis, nec precibus animum ejus posse cerneret: abeundi copiam, cum itineris duce postulant. Concessi qui deducerent, sed insigni cum fraude. Nam data opera (quemadmodum haud dubie mandatum ipsis fuerat) tam obliquis itineribus, tam deviis hinc inde oberrarunt: ut post menses amplius duos, nimirum sequentia anni 1552 Februario mense primum ad suos reverterentur. Interea non solum per alios ex suis celeriter ablegatos Livoniis bellum indicit: sed etiam pari celeritate coactas ingentes copias in eorum fines prius immittit, quam legati reversi monere suos de imminenti periculo potuissent, quo prorsus ad defensionem imparatos opprimeret. Litterae, quibus bellum denunciabatur, in haec verba perscriptae fuerunt.

## EPISTOLA MOSCI.

Misistis ad nos, Guilhelme militiae Magister, Archiepiscope Rigensis, Dorpatensis et ceteri antistites, ordinesque provinciae Livoniae universi, legatos vestros, egregios viros, Joannem Bochorstium, Otonem Grothusium, Volmarium Vrangelum, et alios his adjunctos, qui honore nobis exhibito summisse peterent, ut datis ad praefectos nostros Novogardiae Plescoviaeque litteris significaremus, cogitare nos de pace cum militiae Magistro, Archiepiscopo Rigensi, Dorpatensi et ceteris episcopis, omnibusque Livoniae populis ineunda: quibus antea mandatum a nobis erat, nullam vobiscum amicitiam pacemve colerent, quos ut homines injustos et pactorum violatores omnino multare decrevissemus. Impetrarunt hi legati vestri, quod cupere vos ajebant, estque pax inter nos constituta conditionibus hujusmodi: Ut damna nobis data per summam injuriam, deinceps compensaretis: ut subditis nostris mercaturam facientibus jus esset cum vestris negotiandi, et omnis generis merces, nimirum ceram, variorum animalium pelles, coria, sevum, loricas, thoraces ferreos, et arma cetera inter se permutandi: ut Dorpatensis episcopus annorum praeteritorum tributa conquireret, exacta de quovis subditorum suorum

Digitized by Google

capite marca, nobisque tertio foederis initi anno ea mitteret, ac deinceps quotannis tributum nobis debitum persolveret: ut omnibus ad nostra se stipendia conferre volentibus, cujuscumque tamdem nationis homines essent, liber ad nos aditus pateret: ut nec regi Polouiae, magnoque Lituaniae Duci, nec ejus successori suppetias ferretis: ut omnia denique contenta litteris de pace sancita confectis, multotiesque desoriptis, fide bona praestaretis. Secundum haec non legati solum vestri, harum litterarum nomine, spectantibus nobis crucem sacrosanctam sunt exosculati: verumetiam quum praefecti nostri Novogardiani et Plescoviani easdem jussu nostro per internuntium suum, Melardum Torpicum, ad vos misissent, ipsi quoque crucem tum vestro nomine, tum subditorum vestrorum osculati estis, dextras amicitiae symbolum porrexistis, scriptas de pace litteras octo sigillis spectante Melardo munivistis, munitas praefectis nostris remisistis: ut omnibus modis fidem nobis faceretis, egregie vos pacta conventa servaturos. Verum ne tantillum quidem eorum hactenus praestitistis, quae nobis usque adeo sancte polliciti estis. Quod tametsi nos animadverteremus, ne tamen ad arma res veniret, temereque Christianorum sanguis effunderetur: saepenumero vestri vos officii per litteras commonefecimus. Praeterea per legatum ad nos vestrum Gerardum Flemingum, per internuntium Valentinum, per melchiorem ejusque collegas, per Henricum denique Guinterium vobis significavimus, petere nos ut abstineatis iniquis a sermonibus, et a veritate alienis, quibus existimationem famamque nostram laedere consuevistis: itaque vos geratis, agnita superiorum temporum culpa, quemadmodum et litterarum, et osculi crucis religio postularet. Hanc benignitatem nostram aspernari non dubitastis, atque etiam astuto consilio litteras a nobis petere, quibus mittendis ad nos legatis de itinerum securitate caveretur: hac una nimirum de causa, ut re diutius protracta, nobis deinceps illuderetis. Quamobrem quum nulla legis divinae, nulla fidei pactorum ratione habita, et crucis osculo neglecto, nostram quoque clementiam floccipendere sitis ausi: Deo favente vindicare tamdem injurias sceleraque vestra vel justitiae nostrae crucisque supremi Dei violatae nomine cogitamus. In quo conatu si sanguis alterutrorum profundetur, non nobis hoc imputari, sed injusticiae vestrae debet. Nam scire vos omnino volumus, non minus esse nos Christianum magistratum, ac vos sitis: nec rem gratam nobis accidere, quum sanguis innoxius hominum vel Christianorum, vel etiam ethnicorum effunditur. Ut autem intelligatis, quam inique nobiscum egeritis: decrevisse nos insignem potentiam nostram adversum vos reapse declarare, hac epistola significamus, qua quidem ipsa bellum denuntiamus, ac severe vobis edicimus, ne hominem hunc nostrum, qui litteras hasce vobis exhibet, invitum detineatis: sed liberum ei reditum ad nos concedatis. Datae in dominio, aula et urbe nostra Moscovia, anno 7067, mense Novembri.

De hisce litteris animadverti facile potest, quae Mosce belli gerendi causae fuerint. Edixerant sub poena gravissima Livonienses, ne quis loricus, thoraces ferreos, arma ferrea ceteris membris muniendis facta, pulverem tormeniarium, bombardas (ut vocant) manuarias, quidquam rerum aliarum in usum belli excogitatarum vel pretio Moscis venderet, vel pro mercibus (qui hodieque populorum aquilonalium mos est) commutaret. Nolebant enim his rebus, quarum opifices apud ipsos desiderarentur, nationem per se dominandi cupidam magno cum finitimorum, suoque in primis tum terrore tum detrimento armari. Hoc edictum sibi molestissimum esse, jamdudum Moscus significaverat. Accedebat tributi Dorpatensis adsidua flagitatio, cujus ditionis nomine Livonii nihil ei deberi volebant. Dabant operam iidem Livonienses, ne aliarum nationum homines, neve opifices, neve milites per ipsorum fines ad Moscos sese conferrent, eisque stipendia facerent. In hoc genere superioribus annis quiddam acciderat, quod aegerrime Moscus ferebat. Miserat magnis instructum pecuniis Germanum quemdam, qui ejus in aula vixerat, ad Carolum Augustum et Ferdinandum Caesarem, sub specie quidem prisci foederis, sed revera quo impetraret, quod cum animo suo dudum expetivorat. Erat hic legatus in celebribus illis imperii comitiis Augustanis, quae captis Saxone Septemviro, Cattoque principe, anno 1548. sunt habita. Mandatis Mosci legato datis hoc quoque continebatur. Si Carolus ac Ferdinandus legato potestatem facerent stipendio suo colligendi homines variarum artium et opificiorum peritos, qui litteris Caesareis instructi per Livoniam, ut imperio Romano subjectam provinciam, intra fines suos impediente nemine venire permitterentur: Moscum vicissim animi grati declarandi causa sumtu suo totum triennium selecta suorum hominum triginta millia, qui more gentis equites omnes es-

Digitized by Google

sent, adversus Turcas in armis habiturum. Concessum hoc legato fuit per Augusti Caesarisque diplomata. Quapropter multis dato viatico persuadet, ut Lubecam sese conferrent, urbem Saxoniae maritimam, unde navibus in Livoniam transportati ad sui deinceps principis fines contenderent. Sunt omnino sic a natura comparati Russi, ut ex ingeniis suis difficulter aliquid ad usum humanum praeclari excogitent. Verum iidem si quid ab aliis inventum, quo pacto fiat intueantur: non modo feliciter imitari, sed etiam industria sua nonnihil inventis addere possunt. Hac de causa Germanos homines variarum rerum peritos magnopere Moscus expetebat, ut nationem suam per se rudem ac barbaram, cultiorem redderet. Quid fit? Ubi Lubecam venissent, diditusque jam antea de ipsis rumor esset, quo tenderent: adire magistratum mercatores praesertim Livonienses, quorum istic magna frequentia, dicere singulari cum detrimento non modo Livoniorum, sed ipsorum quoque Germanorum hos homines ad Moscos accessuros: orare denique, nautis omnibus interdicant, ne quis eos trans mare Balticum vehat. Hoc impetrato, paulatim dissipati sunt, praesertim nummis deficientibus, unde victitarent. Legatus ipse, quum eamdem ad urbem venisset, petentibus ita Livoniis, qui jure se adversus improbi facinoris auctorem experiri velle dicerent, in carcerem conjectus est: e quo tamen ille post aliquod tempus solerter evasit, Quumque se, quem faciei rubedo nimia facile proditura foret, per eas regiones ad horum penetrare non posse animadverteret: Valentinum Engelhartum Gothanum, qui haec mihi narravit, hominem tum Astronomicarum, tum Geographicarum rerum peritia per Germaniam clarissimum adit, eumque de omnibus in Moscorum regna ducentibus itineribus consulit. Quid autem ei deinceps acciderit, equidem dicere non habeo. Id quidem conjectari non abs re licet, hujus hominis tantaeque pecuniarum summae jacturam Mosci animum haud mediocriter pupugisse. Quamobrem indicto sub finem anni 57 bello, mox sequentis anni Januario mense tantum non infinitam Tartarorum Moscorumque manum intrare fines agri Dorpatensis jubet. Hi circa eidem Jannae; propter arcem Neinhusianam ingressi, ferro et igni per summam immanitatem omnia vastant. In hostium castris qui plurimum, 60000, qui minimum, 20000 fuisse perhibent. Maximas certe copias Moscus haud difficulter cogere potest, et indicatis modo vel pares vel etiam majores: sed cur tantas nunc mitteret, causa non erat, praesertim quum sciret hostem imparatum, qui se per legatos aliquid effecturum putaret, nullis viribus resistere posse. Quo similius vero est, posteriorum sententia definitum numerum fuisse missum. Ceterum mox ab ingressu incredibili furore saevitum in omnem aetatem, sexum, ordinem toto amplius mense; nec quisquam manus hostiles evasit, qui non in oppidum Dorpatense, vel arcem aliquam (habet enim nonnullas episcopus) confugisset. Hinc progressi Narvam ad ejusdem nominis flumen situm oppidum petunt, perque militiae Magistri ditiones eadem immanitate grassantur. Nemine resistente per stadia 1280 in longum, quibus a Narva Nienhusium distat, itidemque ad 400 stadiorum latitudinem depopulati omnia, multis hominum millibus secum abductis, intra fines suos revertuntur. Hoc ingenti damno accepto, Magister militiae suos Vendam convocat, de praesenti rerum statu deliberandi causa. Fuerunt heic aliorum aliae sententiae. Nonnulli volebant, hosti par pro pari referendum, conscriptoque subito milite fines ipsius consimili atrocitate percurrendos. Alii censebant mittenda munera, quibus barbari hostis animus deleniri facile consuevorit. Posse triginta scutatorum millibus impetrari pacem, quae pecunia militi per exiguum ad tempus suffectura sit. Considerandam potissimum et temporis rationem, quo imparati a rebus omnibus ad bellum gerendum necessariis essent, et hostis potentiam. Haec a pluribus probata sententia. Simul ablegantur, qui expeditis itineribus ad Moscum contenderent, et ab eo mensium quatuor indutias peterent, et internuntiis ineundae pacis causa Moscoviam profecturis, litteras salvi commeatus adferrent. Quum Moscus his nihil denegaret, decreta mox legatio, quae transigendi negotii causa cum eo ageret. Ubi ventum ad aulam Mosci, contra spem adversa cuncta reperiunt, animo principis novo quodam casu insigniter exacerbato. Diximus esse apud Livonios amnem Narvam. Ad ejus utramque ripam duo sita sunt ejusdem cum amne nominis oppida. Alteram Russicam, alteram Germanicam Narvam vocant. Utraque suis arcibus est munita, quarum ea quae Mosco paret, Ivanogroda dicitur, a Joannis principis nomine, qui eam Itali cujusdam architecti opera exstruxit: alteram Magistri militiae praefectus perpetuo cum praesidio tenebat. Quum faciis indutiis Russi, quorum erant ad tria millia in praesidio, festo quodam die convenirent inermes patenti quodam

Digitized by Google

in loco: ferunt ex Livoniorum praesidiariis quosdam plus aequo fortasse poculis accensos, in eorum mediam turbam tormenta bellica displosisse. Quibus quum aliqui laesi fuissent, nihil illi propter indutiarum religionem contra moliri: sed celeritate summa rem, uti fuerat acta, principi suo nuntiant. Quapropter ille indignabundus Livoniorum legatos infecta re cum ipsis muneribus dimittit, et minas gravissimas addit. Simul ingentem mittit exercitum, qui Narvam Germanicam obsideret, ejusque muris tormentorum bellicorum vi dejectis, oppidum ad deditionem compelleret. Russi obsidionis octavo die machinis quibusdam ignes in oppidum ejaculantur, et incendiis exitatis ad muros accurrunt. Qui intus erant praesidii milites, quum distrahi se per ignem et hostes viderent, una cum civibus in arcem confugiunt. Erant omnino 300 pedites, et equites 150. Quum ob commeatus inopiam sustinere se diutius obsidionem non posse viderent, deditionem hac condicione faciunt: ut praefecto cum omnibus suis abire salvo liceret, suasque res cuique secum asportare. Data fides, sed quod facultates attinet, non servata. Cives praefecto discedente, Mosco se sacramento devinciunt. Eorum exemplum vicini sequuntur, quum opitulante nemine per Moscos omnia diripi vastarique cernerent. Hoc modo plerique rem gestam fuisse volunt. Alii diversum tradidere. Nam Moscos ajunt exorto apud Germanicam Narvam incendio, trajecto intermedio flumine, quum flammis restinguendis tam praesidiarii Livoniorum milites, quam cives occupati essent, oppidum cepisse. Secundum haec Moscorum agmina Dorpatensem ditionem invadunt, homines numero ad 80,000 Nienhusianam arcem sub mensis Junii finem obsidione cingunt. Eo cognito, militiae Magister cum 1,000 equitum, quibus 300 Dorpatensis antistes adjungebat, obsessis opem ferre nititur. Erant in arce praesidiarii milites vix 70, deque vicinis agricolis non admodum multi. Qua propter hi quoque spe defensionis abjecta, semet hosti dedunt. Quod ubi nuntiatum militiae Magistro fuisset, qui non procul aberat, simulque significatum, universo cum exercitu ad ipsum opprimendum hostem adventare: cedendum in hoc tempore censet, quo tantis viribus esset impar. Itaque nemine jam impediente Russicarum copiarum dux Petrus Sisegaledrus (hoc Moscorum lingua nomen ei datum erat a sex triremibus, quibus piraticam exercuerat) recta Dorpatensem civitatem cum exercitu petit; obsidionem a. d. 3 eidus Sextil. incoat, quum intus praesidia perexigua forent, civibus morbo magna ex parte absumtis. Post paucos dies in urbem mittit, qui obsessis significarent. neminem se coacturum, ut contra fidem imperatori Romano datam in principis sui verba juraret. Potius se abitionem tutam illis policeri, qui sub Moscorum imperio vivere detrectarent. Deditionem facturis, et sacramentum principi suo praestaturis, omnes se fortunas salvas et integras conservatum. Qui neutrum horum amplecti vellent, eis non posse non extrema se minari. Has condiciones major pars civium non illubenter accipit, et continuo deditionem facit. Tantum 200 armati, et pari prope numero inermium feminarum, se num, puerorumque turba, recusato Moscorum jugo, non sine magnis periculis Revaliam sese conferunt Parum enim abfuit, quin contra ipsius Sisegaledri voluntatem a Tartaris spoliarentur. Inter alios Hermanus quoque Dorpatensis antistes in Moscorum potestatem venit, qui ab imo (seu diximus) loco magnum ad honoris potentiaeque fastigium evectus, extrema in sonecta fortunae lit ludibrium, et humanarum rerum inconstantiam experitur. Conspectus est hoc ipso tempore, nimirum mense Sextili, cometa: de quo, quum memorabiles quidam casus deinceps acciderint, paulo post aliquid dicturi sumus. Erant et comitia, quum Carolus Augustus per legatos imperium resignasset, ab ejus successore Ferdinando ad urbem Augustam Vindelicorum indicta, in quibus variis de rebus ad salutem imperii pertinentibus ageretur. Ad ea sub initium anni 1559 militiae Magister ex equestri collegio sapientem disertumque virum Georgium Siburgum mittit, praefectum arcis Duneburgensis: qui ordinibus imperii miserabilem Livoniae statum exponeret, auxiliaque contra Moscos peteret. Hanc ille causam quamvis summo egerit studio, parum tamen effecit. Itidem actum deinceps anno sequenti Spirae inter ordinum imperii legatos, quo pacto Livoniae succurreretur. Ac Ferdinandus quidem quum imperii nomine numum aureorum 100,000 pro ejus temporis ratione, quo passim perturbata essent omnia, Livoniis obtulisset: memoriae proditum est, potius eos nihil, quam tantillum accipere voluisse. Eodem anne 59 Tartari more suo Moscorum in fines excurrerunt, eosque populabundi graviter vexarunt. Itaque suos Moscus ex Livonia revocat, tantum oppidis et arcibus, quibus potitus fuerat, milite praesidiario munitis. Anno sequente, domitis et ejectis extra fines suos Tartaris, in

Digitized by Google

Livoniam revertitur, et oppidum Velinum magnis cum copiis obsidione cingit. Erat illud arce praeclara munitum, in qua hoc tempore satis magno cum praesidio Guilhelmus Fürstenbergius militiae Magister, magni vir animi, erat. Parabat is sese ad defensionem, ac suos ad virtutem cohortabatur. Verum sive socordia, sive singulari perfidia militum deditio facta est, et ipse desertus in hostium potestatem venit. Magna deinde pars floris Livoniorum caesa, capta, Moscoviam abducta, per summam immanitatem barbare tractata. Solent omnino magnas rerum mutationes quum alia signa protendere, tum cometarum tristes adspectus. Diximus autem in ipso harum calamitatum principio conspectum fuisse cometam, qui cauda versus occasum initio porrecta, deinde se totum ad septentriones inflexit. Secuta profecto eventa quaedam insignia, versus occasum, mors CaroliV. Augusti quo bello ac pace clariorem principem multa saecula non viderunt. Mortua mox et ejusdem soror Maria, bellicosa femina, et Angliae regina Maria Philippi Caroli Ferdinandi conjux, cujus mortem magna per Angliam secuta est mutatio. Adde his Henricum Galliarum regem, plane Mavortium, in ludis equestribus laesum, ac non multo post mortuum, secutosque regni terribiles admodum motus. Versus septentriones non magnis intervallis mortui sunt Christianus Danorum Norvegiorumque rex, Christiernus eorundem aliquando regnorum dominus, sed ob crudelitatem expulsus, et in custodia multis annis habitus, Gustavus denique Suedorum rex, qui ex equestri ordine ad eam dignitatem pervenerat. His successere filii, Fridericus Christiano Gustavo Ericus. In ipsis regni auspiciis Fridericus cum duobus patruis, Joanne ac Adolfo, Ducibus Holsatorum, Ditmarsos aggreditur. Ea natio 400 amplius annis Holsatorum principibus quorum aliquando paruerat imperio, feliciter adversata fuerat, suamque libertatem tutata. Verum hoc tempore citius est debellata, quam quisquam hominum, qui et ferocitatem gentis, et naturales locorum munitiones cognitas haberet, existimasset. Itidem capto Guilhelmo Fürstenbergio Livoniae status in universum mutatus est. Nam surrogatus in captivi principis locum Gotardus Ketelerus, equestri apud Bestvalos genere natus, quum ab imperio Romano frustra expectari auxilia cerneret: vicino Poloniae regi fidelitatis sacramentum ea lege praestat, ut vicissim rex eum contra Moscum et hostes alios defenderet. Itaque Curolandiae Semigalliaeque Dux creatus, regiones easdem seu cliens in perpetuum pro se suisque heredibus masculis accipit: in ceteris, quae equestris antea collegii fuerant, nunc a Polono rege occupabantur, praesertim in urbe Rigensi Regius vicarius constituitur. Neque multo post Annam principem Megalburgiam, ex antiqua regum Obotritorum familia natam, Joannis Alberti Megalburgii, Borussiae Ducis generi, et Christophori Rigensis Archiepiscopi sororem matrimonio sibi jungit. Episcopatum Habselensem Magnus Holsatiae Dux, Christiani regis Danorum filius, et Friderici frater, accipit. Dorpatum cum omni agro finitimo, itemque Narva, Velinum, Vitestenum munita loca in Mosci potestate manent. Revalia se Suedorum regi Erico dedit, qui deinceps Pernoviam quoque occupavit, sed non retinuit. Nam Polonus hanc ei per Gotardum rursus eripuit. Revaliae ad Suedorum regem transitio novo bello causam praebuit. Ericus enim coronationis suae tempore Lubecensium legatis non solum promiserat, sed datis etiam litteris testatus fuerat, se majorum suorum, ac praesertim Gustavi patris exemplo priscas ipsis immunitates, quae privilegia vocant, in regno suo salvas relicturum. Eae spectabant potissimum ad negotiationes cum ejus subditis et aliis nationibus, praesertim Moscis, citra impedimentum ullum exercendas. Verum posteaquam auctus est imperio tam insignis oppidi, cui nec elegantia nec magnitudine par ullum in toto Suedorum regno reperitur: vicissim Revaliensibus tamquam sibi jam subjectis gratificari volebat. Conabantur autem illi mercatoribus Germanis iter mari praecludere, ne pervenire Narvam possent, quae jam Mosco parebat, et commercia prisca cum Russis habere. Hoc consilium eo spectabat, ut cum mercibus suis Revaliam petere cogerentur, easque Revaliensibus vendere: qui deinde cum Moscis contrahendo, lucrum aliorum labori sumtuique debitum interciperent. Itaque Suedus rem suis gratam facturus classem instruit, itinera mari obsidet, Lubecensibus Narvam profecturis contra fidem datam naves cum mercibus eripit. Famam inde spargit, esse repertam in eis magnam armorum vim, aliarumque rerum ad bellum gerendum idonearum, quas Moscis vendere praesenti cum totius Christianae reipublicae discrimine voluerint. Idem Ericus jam Fridericum quoque Danorum regem injuriis quibusdam irritarat. Quamobrem inter hos inito foedere bellum Suedo denuntiatur. Sub ejus initium Ericus Joannem germanum fratrem,



Digitized by Google

Finlandiae ducem, quo cum nupta Poloniae regis soror erat, noctu nihil tale opinantem in Aboensi arce capit, et annis aliquot deinceps in vinculis habet. Ea de causa Polonus etiam Erico bellum indicit, qui nihilo magis territus insolenter admodum multa designat, uno eodemque tempore Brittanniae reginam, quae jampridem ipsius conjugium aspernata fuerat, de nuptiis iterum sollicitat, et Philippi Cattorum principis minimam natu filiam uxorem poscit. Qua re patefacta, utraque praeter spem exidit, et Philippus filiam suam Adolfo Friderici regis, Suedorum hostis, patruo in matrimonium collocat. Tandem Ericus lictoris (ut ajunt) Stocholmiensis filiam, ex qua jam sobolem conceperat, uxorem ducit: et eodem tempore de fratrum ac praecipuorum e nobilitate virorum caede consilium capit. Eo animadverso a fratribus opprimitur, et carceri mancipatur. Joannes (quem antea captivum fuisse diximus) primum se regni gubernatorem, deinde regem nuncupat. Ejusdem belli inter Danos et Suedos initio, Ericus dux Brunsvigius cum 20 peditum signis, quae adjunctas equitum copias habebant, occupata Varendorpia, Monasteriensi episcopo, cujus id oppidum erat, 62,000 numum aureorum extorquet, inde per mediam Saxoniam, Megalburgensium et Pomeranorum agros, in Borussiam contendit. Ubi quum Borussiae Dux Albertus, ipsius sororius, ab amnis Vistulae trajectu eum arceret, cum suis pedem refert. Hac expeditione sibi nuntiata, Polonus Christophorum Megalburgium, Archiepiscopum Rigensem, qui Guilhelmo Brandeburgio successerat, in vincula conjicit. Num aliquid inter hunc et Ericum Brunsvigium tractari subolfecerit, incertum. Hoc modo multiplices rerum mutationes in iis locis, non admodum magnis (seu diximus) temporum intervallis semet ex aliis aliae velut exceperunt. Ad Moscos redeamus, quorum bella praecipue nunc exponimus, quamquam hactenus indicata non prorsus ab instituto nostro sunt aliena; quippe de nonnullis horum exorta sunt quaedam quasi discidiorum semina, quibus arreptis Mosci ulterius progressi sunt. Eorum principi molestissimum erat, Livoniorum majorem partem Polono se adjunxisse, qua cum gente nec ipsi, nec majoribus ejus umquam convenerat. Itaque Polonum bello persecuturus, qui suos hostes declaratos in fidem patrociniumque suscepisset, coactis suorum ducentis millibus, praeter ingentem Tartarorum manum, Lithuaniae fines ingreditur, ad oppidum Polozcum recta tendit, copias suas quinquies non solum nullo cum fructu, sed etiam magno detrimento irruere jubet, tamdemque sexta vice capit. Ex captivis praecipui vincti cathenis ferreis, et Moscoviam abducti: ceterorum ad 40,000 interfecti: urbs ipsa flammis injectis cremata. Sub initium haec anni 1563 acciderunt. Nec Polonus suis opem ferre poterat, propter deplorandas ejus regni discordias. Et erant praeterea tam superbi Lituanorum animi, ut a Polonis opem implorare nollent, qui vicissim rogari velle videbantur, ut succurrerent. Magna per omnem viciniam discurrentibus Tartaris atque Moscis damna data. Quumque tandem Nicolaus Radivilus Olichae Dux Lituanorum satis magno exercitu instructus, hostem aggredi vellet: cessit ille, sibique mature consuluit. Secundum haec Polonus vicissim cogitare, quo pacto vires Mosci frangeret, et recens illatas suis injurias vindicaret. Ad hanc rem percommoda se denique obtulit occasio. Notum est, ac jam ante saepius a nobis indicatum, perpetuis excursionibus vel Tartaros a Moscis, vel Moscos a Tartaris vexari. Quum hi nonnihil fractis viribus, paulatim futurum viderent, ut Mosci jugum subire cogerentur, cui se jam unum et alterum nationis suae regnum summiserat: Turcas arcessendos statuunt, quemadmodum et anno 1523 fecerant, quorum natio maxime Moscis est formidabilis. Turcarum Imperator haud invite policetur auxilia; solum hoc restabat, ut quo potissimum itinere profecti Turcae Tartaris sese conjungerent, dispiceretur. Placet a Polono rege Turcis confoederato petendum, ut iter eis per fines suos concederet. Hoc abs rege Moscis infenso non difficulter impetratum Igitur ex inferiore Pannonia per Moldavorum agros Turcis tributarios, latissimosque Podoliae campos, qui ad imperium Poloni spectant, profecta Turcarum 110,000 Tartaris opem adversus Moscos ferunt, eisque magna clade adfectis, munitiones quasdam occupant: quibus quum praesidia satis valida imposuissent, eadem via qua venerant, Pannoniam repetunt. Verum quia per Podoliam redeuntibus, magnae solitudines peragrandae erant: ob commeatus inopiam maxima pars eorum cum equis periisse dicitur. Facta sunt haec anno 1569. Quo ipso tempore Moscus, ut adfinitatibus Christianorum principum res suas constabiliret, cum Holsatorum duce Magno, qui Habscelensem et Oselensem ditionem tenebat, agere cepit de contrahendo inter ipsum et sororem suam matrimonio, cui daturus in dotem esset, quidquid oppidorum,

Digitized by Google

arcium, agri Livoniorum in finibus occupasset. Conciliatae sunt deinceps eo facilius inter hos illae nuptiae, quod Magni pater Christianus Danorum rex cum Mosco foedus habuerat, id, quod a Eriderico rege Magnoque Duce fratribus renovatum erat. Idem Magnus aliquanto post Revaliam quoque solerter occupavit, et ejectis Suedis eam sui juris fecit. Hoc anno 1570 accidit, quum proxime praecedenti Petrus Muccus et Matthaeus Tidemanus cognatus meus, Danorum Lubecensiumque classis imperatores, singulari felicitate portum Revaliensem prima aurora pernebulam invasissent, ex hostium classe majorem navium partem ingenti cum pecunia, supellectile bellica, merciumque copia secum avexissent, reliquas numero ad 30 exussissent; quo facto, non parum hostis imminutae sunt vires, *qui astuto* consilio pacem expetere se simulabat, *ut* sub induciarum praetextu arcessitis e *Livonia* copiis, nostres imparatos obrueret. Diximus insigni damno Moscum a Turcis adfectum fuisse. Quapropter ablegatis ad Polonum suis hominibus, cum eo graviter expostulat, qui Turcis Christiani nominis hostibus *ad se* invadendum per Podoliam eundi potestatem fecisset. Polonus contra queri quum de *aliis* priscis, tum recenti potissimum damno, quod ex vastatione Polozcoi et totius agri finitimi accepisset. Multis actis ultro citroque, tandem ad pacem ineundam anno 1570 convenitur. *Postulata* Mosci haec erant. Primum ne Turcas *Polonus* deinceps iter facere per ipsius imperium contra se pateretur. Deinde damnum datum resarciret. Tertio, filium suum ad se reciperet, arbitratu suo moreque gentis educaret, ac successorem in Poloniae regno Lithuaniaeque magno ducatu designaret. His se conditionibus pacem facturum ostendebat, quae nisi reciperentur, dira quaedam minari videbatur. Ad ea Polonus primum respondebat, velle se vicissim toties illata sibi damna praestari. Quod autem filium Mosci attineat, eum se propterea sibi successorem non designaturum, quae in hac aetate, quae satis adhuc vegeta sit, uxorem aliam ducere sobolis gignendae causa cogitet. Minis Mosci usque adeo se non terreri, ut si quidem bellum quam pacem malle Moscum animadvertat, majores etiam Turcarum copias, quam nuper, in ejus fines sit immissurus. Hoc modo quum pax certa constitui non posset, saltem ad indutias ventum accepimus, Haec nos de bellis Moscorum, et finitimarum quarundam gentium, exponenda brevi commentario propterea duximus: quod pleraque, recentiora praesertim, longius dissitis nationibus ignota, liberali praeditis ingenio, rerumque gestarum apud exteros studiosis haud injucunda lectu, et aliqua ex parte fructuosa quoque futura confideremus. Sunt enim in his exempla nonnulla, quae viros prudentes de maximis rebus commonefacere possunt. Nostram quidem operam atque studium lectores aequi bonique facere cupimus, et omnino facturos speramus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# VI.

# ANGLORUM NAVIGATIO

## AD MOSCOVITAS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# VI.

# ANGLORUM NAVIGATIO

## AD

# MOSCOVITAS.

POSTQUAM merces nostras apud finitimas gentes sordere negotiatores nostri animadverterunt, quaeque avorum nostrorum memoria certatim a peregrinis mercatoribus expeterentur, imminuto jam pretio etiam exportatae fastidiosum reperirent *emptorem*, exoticarum vero mercium pretia, in immensum extenderentur: Londinenses quidam, viri graves, ac Reipublica suae inprimis amantes, hanc cogitationem susceperunt, quo huic malo mederentur. Nec quaerentibus (ut videbatur) remedium defuit, quo tantum incommodum declinarent. Nam cum Hispanorum ac Lusitanorum opes (inventis nuper novis terris) magnopere auctas viderent, eandem viam sibi insistendam rati, novam navigationem instituunt. Cum eodem tempore Sebastianus Cabota vir celeberrimus in urbe moraretur, coepere primo cum illo agere, ac serio consultare, ac re demum inter plures jactata, tandem convenit tres naves expediri, quibus aquilonaris mundi tractus, nostris etiam pateret, atque ad ignota regna viam patefaceret. Ad hanc rem tam arduam et ancipitem, cum multa forent dispicienda, primum veluti in Senatum quendam viros graves, ac prudentiae spectatae legunt, qui collatis consiliis sententias suas exponerent, et in omnem eventum salubriter prospicerent. Lectus hic Senatulus censuit in rem fore, quandam pecuniae summam publice cogi, qua tot naves instruerentur, Et ne quisquam privatim gravi pecunia premeretur, placuit vicenas quinas libras viritim colligi (tantum enim impendebat, qui in hoc quasi novum collegium voluit ascisci.) Coacta itaque ad sex millia librarum summa, tres naves mercantur, quarum maximam partem de integro aedificandam ac reficiendam curant. Qua quidem in re mercatorumne cura an fabrorum diligentia majori me afficiat delectatione, penitus est incertum. Illi enim assamenta firmissima, pulchreque siccata ad navium fabricam comparant, hi indefesso labore ac arte summa, eadem inter se committunt. Rimis stupa obstructis, ac carinis picatis, unius etiam imam partem invento peracri et ingenioso muniverunt. Acceperant enim in quibusdam Oceani partibus teredines generari, quae vel crassissima robora perforarent. Quo magis ab hoc periculo navigantes forent securi, partem navis undis depressam tenuibus plumbi laminis obducunt. Post fabricatas naves ac armamentis instructas coepit illos non minor viatici solicitudo, quod pro temporis ratione, et navigationis longinquitate fuerat prospiciendum. Ad haec cum prospicerent Orientalem orbis plagam esse petendam, nec illuc pervium

Digitized by Google

mare, nisi Borialem mundi tractum naucleri tenerent: ubi, an pateret aditus, jam tum in incerto erat: octodecim mensium commeatu naves instruunt: quod quidem hoc consilio faciunt. Cum nostris per illam immensi et horrendi frigoris oram fuerat trajiciendum, prudenter in rem consulentes, sex mensium cibaria praebent, quo illuc navigare, totidem mensium quo ibi moram facere, hiberno coelo reditum negante, rursum tantundem que remeare possint, assignant. Post repositam, ut diximus, poenum, post arma omnis generis in naves congesta: Duces ac quasi antesignani tantae rei deerant, cui etsi multi sese offerrent, rerum ancipitum ignari, tamen Hugo Vilibejus, vir inprimis strenuus, et non obscuro loco natus, hanc curam sibi delegari impensius postulat. Cujus facile prae caeteris, cum ob corporis formam (erat enim procerae staturae) tum ob singularem in re bellica industriam a Mercatorum collegio habetur ratio. Constituitur ergo Navarchus, assignaturque illi navis praetoria, sic ut in caeteras quoque imperium haberet. Cum de reliquarum praefectis consuleretur, ac huic muneri multi offerrentur, omnium consensu vicit Ricardus Cancelerus vir ob multa ingenii documenta spectabilis, in quo uno summa conficiendi negotii spes erat. Hunc aluerat Henricus Sydneus adolescens nobilis, Regique Eduardo apprime carus: qui Mercatorum concilium adiens, pro singulari sua facundia coram in hanc sententiam verba fecit.

Vehementer pium institutum vestrum amplector (viri honestissimi) qui pro egregia vestra erga patriam pietate in rem, et Anglis, ut spero, utilem, ac patriae communi honorificam, animo et cogitatione incumbitis. Quem quidem conatum vestrum nos quoque pro viribus adjuvare paramur; nec quicquam nobis tam carum ducimus, quod non libenter hujus tam laudabilis propositi nomine non expenderimus. Inprimisque mihi gratulor, me illud ingenium fovisse, quod vobis tam praeclara molientibus aliquo modo usui esse possit. Nihilominus tamen vos hujus rei nescios esse nolim, me Cancelerum eo animo a me dimittere, non quod fastidiam, vel quod mihi gravis alumnus esse videatur: sed ut promptam in adjuvando vestro consilio voluntatem meam pariter intelligeretis, atque Cancelero meo commendatione mea debita tribueretur auctoritas. Vos illum fama, ego illum experientia: vos verbis, ego rebus: vos sermone et congressu: ego quotidiano convictu hominis ingenium penitus habeo perspectum et exploratum. Nec latere vos debet (honestissimi patres) quanta discrimina et vestro et patriae nomine aditurus est. Cujus (si propitia numina proficiscentem servent) nos non immemores esse decebit. Nos pecuniolam fortunae aleae credimus: ille dulcissimam vitam saevissimo mari, et incertis periculorum casibus exponet: nos cum notis et amicis suavem vitam transigemus: ille dum ignotos et indomitos nautas in officio continere studebit, quantis laboribus frangetur, quot periculis vigiliisque angetur, quas molestias devorare cogetur? Nos patrias sedes tenebimus: ille extera et ignota regna petet, ille barbaris et ignotis gentibus salutem committet: ille monstrificis etiam ponti beluis caput objectabit. Quapropter pro periculorum magnitudine, pro officii sui dignitate, vestro favore abeuntem prosequi, et si sors ferat, ut eum reducem conspiciamus, magnifice quoque munerari conveniet.

Postquam haec, aut non longe alia, multo disertissime egregius adolescens perorasset, alius illum contemplari, alius a proximo sciscitari, alius (cui nota viri virtus) tacite gaudere, ac arcanam spem concipere, illum olim in magnum virum causurum. Atque putare inchoatas has adolescentis virtutes, magnopere olim patriam ornaturas. Conticescentibus omnibus gravissimis patriam ornaturas. Conticescentibus omnibus gravissimis patrum, visum est de Orientali orbis tractu, quoad ejus fieri potest, sciscitari, investigare, ac diligenter perquirere. Accersebantur hoc nomine Tartari duo, qui Regi erant ab equili: aderat interpres. Illi per interpretem, super patria, super gente interrogati, nihil penitus responderunt. Quippe qui (ut false quidam palam dixit) poculis exhauriendis, quam populorum moribus discendis magis erant assueti. Post multa ultro citroque jactata, tandem censent solvendi tempus constitui: quod multum anni jam consumptum visum plerisque: et si diutius moram traherent, fore ut glacies viam obstrueret. Placuit itaque omnibus, ut ad vicesimum diem Maji praefecti nautaeque naves conscenderent, ac (faventibus superis) ex portu Radlyfensi secundo aestu solverent. Illi salutatis necessariis, alius conjuge ac natis, alius cognatis et affinibus, alius amico cognatis cariore, ad dictum diem adsunt. Solutis jam navibus, ac reciprocante aestu leni cursu Grenovicum feruntur: remigibus interim grandiores naves celocibus seu speculatoriis naviculis remulcantibus. Hi novo vestitu coloris veneti eleganter ornati incumbunt remis atque aequora verrunt. Cum nunc pro-

Digitized by Google

xime Grenovicensem regiam essent: sub advenientium famam effundunt sese aulici: concurrit vulgus, stabat frequens in ripa, prospectat ex fenestris Senatus Regius. Alii turrium fastigia ascendunt. Vibrantur bombardarum fulmina, tartareae volvuntur nubes: Martium sonant crepitas summa montium juga, reboant valles, reboant sylvae, claraque natarum percellit sidera clamor. Stat alius in puppi, ac gestu quo potest, amicis valedicit. Alii in foris obambulant. Hic cancellatis funibus pendet, ille antennis libratur, alius e summo malo prospectat. In summa triumphalis cujusdam pompae festa facies fuit. At (heu dolor) optimus Rex Eduardus, cujus praecipue nomine hic tantus apparatus, per valetudinem solus aberat. Quorum discessum tristissima illius mors (ac nunquam siccis oculis *mihi memoranda*) post paucos dies subsecuta est. *Vovioum* tandem delati figunt naves; inde *soluturi*, cum aut aestus reciprocatio, aut secundior flatus ad navigandum invitaret. Nec mora, Harovicensem portum petunt, in quo non sine maximo taedio, ac summo temporis detrimento diu morantur. Ad postremum tamen nacti idoneam ad navigandum tempestatem passis velis in altum feruntur, salutato prius natali solo, quae an unquam postea forent revisuri, penitus ignorabant. Respiciunt subinde tristes, nec lacrymis temperant nonnulli cogitantes in quam dubios casus erant ituri, et quae ancipite eventum maris erant experturi. Torquebat propter caeteros Ricardum Cancelerum praefectum Eduardi Boniventuri penuriae metus: nam et pars viatici in portu Harovicensi putrida comperta est, vinique cadi infirmi ac fragiles. Movit etiam illum paternus amor, reliquit n. abiens duos filios impuberes, orphanos futuros, si asperior aliquis casus ipsum sustulisset. Movit illum miserorum et infelicium comitum fortuna, quorum salutem cum sua conjunctam esse sciebat. Dum multiplici curarum ambage Canceleri animus excruciatur, tandem post multorum dierum navigationem, tellus procul visa. Ad quam naucleri naves dirigunt. Insulam esse comperiunt Rossam nomine, in hac consumptis aliquot diebus ulterius navigant, aquilonem semper petentes, rursum aliae apparent insulae. Nomen his crux insularum. Post has cum naves una velificassent, praefectus navium Vilibejus vir in consiliis minime praeceps erecto vexillo, reliquarum navium primates ad se evocat, ut his consiliorum auctoribus et sollicitudinum sociis usus, de reliqua administratione facilius statueret. Illi ex composito adsunt: ac inter caetera convenit, si qua gravior tempestas ingrueret, ac classiculam disjiceret, omnes Vardhusium Nordvegiae portum non incelebrem cursu peterent. Quique primi incolumes illuc appulissent, dum reliquae naves eo convenirent, in anchoris expectarent. Eodem die jam in pomeridianum tempus inclinato, circiter quartam, tanta tempestas subito coorta, et immensi fluctus tanta vi se incitaverunt, ut naves institutum cursum tenere non possent, sed aliae alio, magno sui cum periculo vage disjicerentur. Inclamat Navarchus voce qua potest maxima Cancelerum: enixe rogat, ne longius abcedat. At ille nec velle, nec si maxime vellet, posse, modo Navarchidis suae cursum (erat enim velocior) suo temperaret. Verum nescio quo casu Vilibeji navis, dum plenissimis velis fertur, tanta vi abrepta est, ut aliquot horarum spacio e conspectu penitus evolaverit. Tertia etiam pari eventu ablata comites amisit. Praetoriae certe celox in puppim illisa conspicientibus ex ipsa Eduardo nautis, fluctibus est obruta. Reliqui fati comitum suorum, qui incolumes nuper redierunt, penitus sunt ignari. Quod si acerbior aliquis casus infelices premit, si pelagi saevitia innoxios obsorbuit, aut si in aliena terra indegi oberrent, si in solitudine vagicum feris, discurrunt, digni certe meliori sorte viri, quibusque si vivant in patriam reditum, sin crudelior mortis fortuna insontes rapuit, mollem tumulum precemur. Ricardus Canceleus solus cum comitibus relictus, ac incerto reliquorum casu moestus, ad destinatum portum contendit, quae cum teneret ex composito reliquorum adventum (si salvi essent) expectat. Hic septem dierum mora interposita, cum se frustra expectatione torqueri videret, navigationem subire in animo habebat. Cum omnino certum illi esset, navem ex portu educere, forte cum Scotis quibusdam in congressum colloquiumque venit. Qui cum illius animum exploratum haberent, et ejus rationibus optime consultum cupientes, vehementer illum ab instituto consilio deterrere conantur, ac pericula in majus extollentes, ejus constantiam labefactare nituntur. At Cancelerus mobilitate ac levitate ingenii nihil turpius existimans, et persuasissimum habens fortem virum majus in se dedecus admittere non posse, quam si metu fractus et debilitatus, periculorum casus refugeret: Scotorum oratione nihil deterritus, in proposito susceptoque consilio permansit: statuens aut effieere, quod proposuerat, aut ut certae



Digitized by Google

morti occumberet. Qui in eadem nave cum Cancelero erant, etsi comitum discessu (quos avulserat tempestatis saevitia (plurimum angerentur, et ancipiti cursus ductu commoverentur, tanta tamen et tam secunda in Cancelerum voluntate reperiebantur, ut ejus ductu et auspiciis omnes casus tentare, ac certum capitis periculum adire non reformidarent. Hoc tam constans sodalium studium, solicitudinem Ducis non mediocriter auxit. Ille enim pari animo erga illos affectus, metuebat ne quo suo errore sociorum salute mali consultum videri possit. Breviter amissa reliquarum navium spe, rursus fortunam maris experitur, mundique inane ac naturae damnata petit, eo usque provectus, dum noctis caligine depulsa, continuus solis fulgor vastum mare illustraret. Itaque continua luce per aliquot dies usi, tandem divino numine fortunante, in ingentem quendam sinum deveniunt, qui circiter centum millia passuum latitudine collegit. In hunc penitus ingressi, nave ad anchoras deligata, dum circumcirca prospiciunt, forte haud procul cernunt navem piscatoriam: quam Cancelerus cum paucis comitibus adire voluit, sciscitaturus ex piscatoribus, quae terra, quis populus, qui mores. At illi novitate territi (neque enim illiusmodi naves in illo orbe videntur) quam maxime possunt, aufugiunt. Caeterum Dux Cancelerus fugientes assequitur, illi trepidi, ac metu semianimes ad genua Ducis provoluti, pedibus oscula offerunt. At dux pro sua singulari humanitate, gestu ac nutu miseros consolatur, supplicum officia recusat, prostratosque amplexus in pedes allevat. Mirum quantum favoris haec humanitas illi postea conciliarit. Hi, n. dimissi, rumorem dissipant de nova gente, de humanitate singulari. Haec fama ubique crebuit, accurrere vulgus, ac ultro viaticum offerre, nec commercium recusare, nisique non erat illis fas, inconsulto suo Principe, peregrinas merces emere. Mox docentur nostri, Terram esse Russiam atque Moscoviam, et in illis locis Ivan Vasilivitsch (hoc n, erat Principi nomen) plurimas nationes imperio ac ditione sua regere ae gubernare. Vicissim rogat Barbarus nostrates, unde genus ducunt, aut quid petunt in terra aliena. Ad haec nostri sese Angligenas, ab illustrissimo Rege Eduardo VI. in illum orbem missos, habere se ad illorum principem Regis sui mandata, nec quicque ultra quaerere, quae Principis sui amicitiam, ac cum popularibus suis commercia, qua quidem ex er maximas utilitates in utriusque regni populos collatas iri sperabant. Non invitis auribus audiunt haec Barbari, ac ultro operam suam pollicentur, ut tam aequa atque honesta postulatio ad Principis sui aures primo quoque tempore perferretur. Tum Cancelerus a toparchis, qui cum reliquis confluxerant commeatum petit, ac obsides poscit in navem in tutelam suae sociorumque salutis. Cui toparchae, sui arbitrii non esse quid statuat Princeps, quae in sua manu sit id velle praestare, quodque solum possunt commeatum pollicentur. Dum haec aguntur, veredarium clam dimittunt, qui Imp. renunciet de ignotae gentis appulsu, simul ut illius animum explorarent, quid ille statuat. Allatum nuncium pergratum fuit Principi, adeo quidem ut ultro etiam ad regiam invitaret. Aut si terrestris itineris longinquitas nimis molesta ipsis videretur, commerciorum copiam suis facit. Promittit praeterea, si libet ad se venire, veredariorum equorum impensam. Interea toparchae variis frustrationibus promissum differunt, dum nuncii reditum expectant, aliam rem super alia causando, nunc reliquorum toparcharum consensum, nunc negotia, nunc nescio quae alia. Postquam se frustrari sensit Cancelerus, serio instat, ut promissi fidem liberent, aut se ulterius navigaturum affirmat. At Moscovitae, tametsi adhuc regiae voluntatis incerti essent, et nostrorum discessum metuerent (habebant enim merces, quas illi magnopere expetebant) commeatu instruunt. Atque ita iter longissimum ac multo molestissimum ingressus est. Quod quidem trahis, quarum plurimus illi genti usus confecit. Trahis gestantur, trahis onera vehuntur, denique vix alia novere vehicula. Hujus rei causa est rigidissimum solum horrendo gelu hybernis mensibus concretum, de quo postea disseremus. Majori itineris parte jam peracta, supervenit veredarius, quem supra ostendimus clam ab Irenarchis dimissum: qui (quo casu, incertum) a via aberraverat, ac littora maris Tartaris vicina petiverat, ratus sese nostrorum navem ibi inventurum. Hic post longum errorem tandem ad nostros rediit Ducem in via assecutus, literas imperatorias illas quidem humanitatis plenissimas, Cancelero attulit. Quibus imperabatur ut veredi illi, comitibusque suis sine pretio suppeditarentur. Quod quidem tanta alacritate ab omnibus in reliquo itinere factitatum est, ut in via etiam compugnarent quidam, utri veredos suos trahae jungerent. Tandem post magnas longissimi itineris molestias (confecerat enim quindecies centena milia passum)

Digitized by Google

Moscuam regiam urbem delatus est: de qua ac de Moscovitarum Caesare, deque illustribus Moscoviae urbibus paulo post plura sumus scripturi.

## DE MOSCOVIA, QUAE ET RUSSIA DICITUR.

Moscovia, quae et Russia Alba nominatur, terra est amplissima, hinc inde variis gentibus conterminа, a Meridie atque Oriente Tartaris cingitur, septentrionale latus Oceanus Scythicus ambit. Ad Occidentem tenent Lapones gens sylvestris, nec ulli populo commercio linguae nota. Post hos austrum versus, incolunt Sueti: Deinde Finlandiae; ab hac Livonii: juxta hos Lithuani. Pluribus ac maximis fluminibus irrigua est, multisque in locis palustris. Nobilissima fluminum Rha, quod illi materno idiomate Volgam. Tanais quem Don Borysthenes, quem hodie Neper nominant. Horum Rha atque Borysthenes eodem lacu orti immensa terrae spacia peragrant. Rha amoenos amnes in se recipiens, ac ex ipso statim forte Orientem petens, post varios flexus ac cursus ambages, advenas aquas suasque in Caspium mare pluribus ostiis exonerat.

Tanais fonte haud spectabili, ab ipsa scatebra gandescens tandem in amplum lacum se diffundit, post evagantes aquas in arctum cogens, angustus labitur, ac post alipuot passuum millia iterum in lacum diffusus (quem Ivan appellant) flexuoso meatu vadit, donec in vicina Volgae pervenit. Deinde quasi comitem aversatus, transverso cursu flectens in meridiem contendit, ac Meoticam paludem petit.

Borysthenes, quem ex eodem fonte cum Rha ortum diximus. cognatas aquas in austrum defert, subinde auxiliares amnes recipiens. Hic maximas gentes praeterluens, tandem in Pontum Euxinum sese condit.

Habet et Moscovia lacus ac stagna. Lacus etiam deciduo syderum semine pisces generant. Inter hos principatum tenet lacus Bellii Jesera, vel ob hoc praecipue memorabilis, quod arx munitissima in eo sit extructa: quo Moscovitarum Princeps gazam suam confert, si quando bellorum terror premit.

Quod ad Riphea juga spectat perpetuis nivibus candentia, unde veteres Tanaim ortum habere somniarunt, reliquaque naturae portenta, quae Graecia olim finxit, nec nostri, qui nuper redierunt, videre, nec trimestri spacio illic versati, ac Moscovitarum alloquio utcumque imbuti, auditu cognoverunt: Terram esse planam ac campestrem illi, ac raro in montes assurgere. Et qua vergit in septentrionem latissimos saltus habere: plurima ibi abies, unde ad struendas aedes materia. Hii saltus feras aluut, uros, ursos, lupos nigros, aliamque feram nostro orbi non visam, quam illi Rossomacham nominant. Rarum ferae ingenium et spectabile. Satura enim et distenta, duorum stipitum angustias quaerit, per quas se transmittens, ventris onus (quod alias non egeritur) excolat. Uros equites ut plurimum venantur, ursos pedites ligneis furcis. Septentrionalis tractus tam horrendi frigoris esse dicitur, ut ex humidis lignis in foco structis distillans liquor in stiriam concrescat. Tanta diversitas tantillo spacio, ut hinc prunam, illinc glaciem in eadem face cernas. Postguam hyemare apud illos incipit, assidua gelu incrementa capit. Nec se prius remittit, quam solis radii nostrum orbem revisentes canescentem terram fulgore exhilerat, tristeque gelu tepore soluit Nautae certe nostri, qui in navi remanserant, ex inferiori stego, in foros scandentes tam subita hipothymia nonnunquam sunt correpti, ut intermortui subinde ruerent. Tanta erat illic rigentis coeli inclementia. Australiora illius aliquanto mitiora sunt.

## DE MOSCUA URBE REGIA.

Reliquum est, ut promissa opusculi pars a nobis dicatur, deque Moscua regia urbe, et de Moscovitarum Principe latius paulo disseramus. Cujus imperium amplisissimum est, opesque hoc tempore insignes. Et quoniam ipsa urbs facile inter caeteras principatum tenet, merito sibi primum locum vendicet. Urbis amplitudo, ut nostri affirmant, Londinum cum suburbio magnitudine aequat. Aedificia habet multa, sed cultu nequaquam nostris conferenda. Vicos plures habet, sed incompositos: viae lapide non sternuntur ut nostrae. Aedium parietes lignei sunt: tecta scandulis (ut plurimum) muniuntur. Iuncta oppido arx est, et elegans et munita. Huic a septentrione adnectitur urbs lateritio muro. Ipsius etiam arcis moenia lateribus struuntur, quorum crassities pedes 18 colligit. Ab altera parte sicca fossa munitur castellum, ab al-

Digitized by Google

tera flumine Vologda alluitur. Quod in Orientem tendens, sociales aquas suasque Occae adjungit. Sunt in castro 9 aedes sacrae, non invenustae, quas tenent coenobitae. Habent etiam Papam suum, ac quosdam alios praesules, qui omnes ut plurimum in arce degunt. Ipsius certe Principis regia minos culta, quadratae formae et structurae humilis, nostrorum polatiorum nitore longe superatur. Fenestrarum angustiae, nunc vitriis, nunc speculatibus, lumen admittunt. Attalica magnifica nostratium Principum aulis ornamenta illis deerant. Undique parietibus adhaerent scamna, neque id solum in Imperatoris regia, verum etiam ubique in privatorum aedibus. Exactis jam 12 ab ingressu in urbem diebus, adest nuncius, ad regias aedes nostros invitans. Angli moram pertaesi cupide parvere. Itaque in aulam ingressi honorandum centum aulicorum coetum aureo cultu ad talos usque demisso ornatum confidere conspiciunt. Exinde in salutatorium admissi (mirum quantum fulgor Imperatorius nostrorum oculos perstrinxerit) Russorum enim Imperatoris regio in solio sublimis, ac aureo diademate insigniter conspicuus, regalique paludamento aurificum opere spectabili ornatus sedet: aureum bacillum gemmis distinctum dextra tenet. Ac praeter caetera regalis opulentiae decora, inerat etiam in vultu majestas, tanto fastigio digna. Stant juxta hinc atque hinc Archigrammateus, ac Silentiarius, et ipsi regali auro vestiti. Deinde centum quinquaginta patrum consessus, aureo vestitu magnificus, undique subsellia praetexuit. Poterat tantae majestatis fulgor, poterat tam augustus venerandorum patrum conspectus insueto mentem excutere. At Cancelerus constanti vultu regia majestate, nostrati more salutata, Regis Eduardi literis pauca de Regis Eduardi incolumitate interrogat. Quibus Angli respondent (uti sperabant) et valere et vivere. Mox a nostris per Archigrammatea dono Imperatori oblato (quae ipse nudato capite obtulit) nam antea erat opertus) Moscovitarum Princeps Anglos in prandii tempus, ad quae ipsos invitavit, dimittit. Postquam horas duas in illius cubiculo, qui Principi est a supplicibus, morati sunt: Accersit nuncius ad epulas. In aureum palatium (ut ipsi nominabant, licet parum excultum) introducti, Russorum Caesarem alto thoro assidentem, argenteo amictu decoratum, atque altero jam diademate insignitum offendunt. Nostri ex adverso collocati, mensae acoumbunt. Stat ingens medio in palatio abacus ab imo quadratus, paulum assurgit. Huic orbis incubuit, unde in metam fastigiatur, latiori orbe (ordine quodam) contractiorem sustinente. Hunc gaza regia adornavit, tanta copia, ut pondere etiam gravaret. Melior certe pars vasorum ac potoriorum omnium, ex auro lectissimo fabricata. Quatuor ollae magnitudine conspicuae, reliquam aureorum vasculorum magnificentiam praecipue honestarunt. Tantae enim proceritatis extiterunt, ut quinos prope pedes altitudine colligerent. Fuerunt etiam argentea quaedam dolia, a notris minoribus capacitate non longe differentia, quibus Principis potum privatim servant. Verum crateras, pateras, malluvia, gutturina, lagenas, ampullas, caeteraque regiae magnificentiae ornamenta (cum fuerint innumera) quid attinet verbosius exequi. Quatuor mensae ad singula triclinii latera singulae dispositae, ac mundissimis mappis stratae, quibus ab humiliori solo ternis gradibus erat ascensus, celeberrimo convivarum coetu instruuntur. Hi foris lintheati, intusque pretiosissimis pellibus vestiti regalibus mensis accumbunt. Cum Princeps cultrum vel panem attrectat, signo crucis frontem prius munit. Qui in amicitia Prinsipis palmam tenent, consiliorumque participes fiunt, eidem thoro adhibiti, remotiori loco ab ipso sedent. Astabant abaco Principis pocillatores molissimis mantilibus ab humero pendentibus, tenebant manu baccata pocula. Quoties liberiores epulas sibi indulget, vel tetricas curas amplius remittit, haec uno haustu plena ebibit, ac amicis propinat. Ante prandium dum expectantur epulae, veteri ac quasi avito Moscovitarum Principum more, ipse Imperator singulos convivas pane primum donat, cum honorem suorum titulo ac elata voce, in hunc modum: Magnus Moscovitarum Dux, ac summus Russiae Imperator Joannes Vasilius (deinde qui perfert accipientem nominat) te isto pane donat. Sub hoc assurgunt convivae universi, ac adorantis quodam gestu corpora inclinantes, residunt. Peracto Principis donativo, celebri dapiferorum pompa, incedit Atriensis, ac salutato Principe cignellum aurea in lance mensae admovet, mox tollit, ac structori cum septem comitibus, in frusta discerpendum tradit. Hii in mensam paulo post illati pari celebritate convivis distribuuntur. Dum haec aguntur, et ipse Atriensis pane donatus delibat, ac honorato Principe mox recedit. De reliquorum ordine missuum, cum omnino incomposite sunt illati, nihil certi referre possunt nostri. Illud certe constat, universum esculentorum ac potoriorum omni-

Digitized by Google

um apparatum, quibus centum convivis ministratum est, lectissimi auri fuisse: mensasque ipsas aureis vasis adeo fuisse onustas, ut nonnullis etiam in mensa deesset locus. Neque vero silentio involvendum est, ministros centum quadraginta, aurea veste ornatos, ter ipso convivii tempore cultum mutavisse. Ministri quoque pane ac potu ab Imperatore simili, quo reliqui, modo donantur. Ad postremum finito prandio, ac illatis lucernis (erat enim nox) convivas ac familiares omnes nomine appellat, ut non immerito mirum videatur, tot ac tam varia cognomina viro alioqui occupatissimo memoria non excidere. Donativi ac nominum citandorum ratio est, ut Moscovitae referunt, cum ut familiam probe noscat, tum ut qui Principis amicitia exciderunt, hoc modo notentur.

## DE RE MILITARI MOSCOVITARUM.

Quoties finitimorum injuriae in bellum evocant, haud unquam infra norgenta virorum millia in hostem armat. Ex quorum numero trecenta millia in aciem secum educens, reliqua in tutelam imperii in praesidiis, aptis in locis disponit. Colonum nullum, nullum mercatorem in militiam legit. Tanta enim est populo multitudo, ut his relictis, bellis suis juventutem terra populosa abunde suppeditet. Quoscunque in expeditionem ducit, proprio sumptu se ipsos alunt. Pedestrem pegnam non noverunt, equites in proelium procedunt. Arma sunt his lorica et galea lorica foris auro tegitur, vel holoserico etiam gregario militi. Impense juvat opulentiam ostentare. Arcu ac sagittis utuntur, more Turcarum, lanceas etiam in bellum gerunt: stapeda adductiore equitant, idque ut Turcae. Genus est hominum, algoris ultra omnem fidem patiens, ac victus parcissimum. Nam cum tellus alta nive candet, cum terra horrendo gelu astricta riget, tamen hic Sarmata, sago, stipitibus, unde ventus ac nives saeviunt expasso, exiguum ignem sibi struit: atque aversus a vento jacet, sagum illi protecto est, sagum pro muro, in summa sagum instar omnium est. Hic incola nivium, aqua e gelido amne petita, ac similagine avenae admixta, convivium suum instruit. Ac his dapibus satur, ac laute pastus, ad ignem decumbit, lateraque hujusmodi lautitiarum crapula fessa, rigenti solo perurit. Huic rigens solum pro pluma, truncus seu silex pro cervicali. Equus etiam non lautiori prope pabulo nutritus quam herus, hero est contubernalis. Quam merito hic ignominis et obscurus Sarmata, effeminatam Ducibus nostris mollitiem exprobret, qui coelo longe clementiore, pellitis ocreis renonibusque utuntur. Hic est gregariorum militum apparatus. At qui illustririori dignitatis sunt loco, instructiores paulo in militiam proficiscuntur. Ipsius quidem Imperatoris apparatus, vel tum maxime insignis. Tentorii enim vela aurea sunt, spectabili etiamnum plumartorum opere, margaritisque ornata. Quoties cum hoste conserendum est, incomposito in hostile agmen procurrunt. Neque aciem dirigunt (ut mos est nostris) sed in insidiis collocati, udversarios adoriuntur. Ipsorum equi bidui inediam facile ferunt. In bello, ut plurimum, arborum cortices, ac virgultorum mollia, his sunt pro pabulo. Bimestri spacio hanc tantam penuriam etiam vegeti ac fortes et equus et eques non raro perferunt. Si cujus opera in bello strenua Princeps usus est, huno praedio aut fundo aliquo donat, in alimentum sui suorumque, qui tamen ad ipsum Imperatorem post ejus mortem redit, si nulla proles virilis sexus ipsi contingat. Nam si numerosam etiam feminarum sobolem genuerit, tamen hunc haereditarium agrum vendicat Princeps, nisi quod exiguam forte partem, ad dotandas puellas Princeps concedat. Porro qui Imperatoris munificentia illo modo munerantur, gravi pecunia astringuntur, tot milites in bello alere, cum necessitas postulat, quod illius fundi reditus Imperatoris censura abunde nutrire possit. Haud meliori sunt sorte, quibus haereditario jure agri contingunt. Nam si moriuntur, nec sobolem masculam reliquerint, decedentis praedia fisco Imperatorio statim cedunt. Super haec, si opimus aliquis bello inutilis ab aulicis Principi deferatur, quod rei militari inidoneus, amplas facultates habeat, quibus multi clari sanguinis viri bello apti nutriantur, mox arcessitur infelix, opibusque quas tanto cum sudore, tot laboribus per omnem vitam comparavit, tantillo temporis momenta exuitur. Nisi quod particulam aliquam a Principe recipit, ad se, conjugem, liberos, ac domesticos alendos. Haec autem a populo Imperotori suo tam alacriter fiunt, ut credas, illos aliena restituisse, non sua alieno dedisse. His bonis pro meritis singulorum aulicos suos donat Princeps. In bello etiam, quo quis saepius in expeditionem mittitur, eo propensiorem Principis favorem in se auguratur, etiam cum suis impensis se ipsum alat, sicuti ante a nobis di-

Digitized by Google

ctum est, tantum est apud omnes Ducis sui obsequium.

## DE LEGATIS DUCIS MOSCOVITARUM.

Non minori magnificentia, quam qua diximus, legatos suos in obeundis negotiis ad exteros Reges mittit Moscovita. Nam nostris Moscuae agentibus, Legatos duos ad Poloniae Regem iter suscipientes, vel ingressos, mille quingenti equites ornatissimi comitabantur, quorum melior pars veste aurea, ac sericis induebatur, et qui incultissime cymatili: Ut interim equorum strata, auro argentoque inducta, et spectabili phrygionum opere ornata silentio transeam. Habebant insuper centum sonipedes albos pulcherrimosque, in quos (si alicujus taedium ipsos in itinere cepisset) cum vellent, transcenderent. Sed nunc tempus exigit. ut ad quasdam alias Moscoviae urbes orationem convertamus, et merces, quibus abundant, breviter perstringamus.

## NOVOGARDIA.

Sequitur Moscuam celeberrima urbium Novogardia, quae ut illi dignitate est inferior, ita magnitudine non parum superat. Emporium est totius imperii longe nobilissimum: et licet regiam sedem sibi Princeps Moscuae constituit, fluminis tamen oportunus interlapsos, ac post in mare Sarmaticum exoneratus, facit mercatorum conventu, ipsa regia urbe celebratiorem. Huic ob summam optimi lini ac canabis abundantiam, inter reliquas regni urbes facile datur palma. Vendit etiam coria, mel, et ceram. Instituerunt ibi collegium mercatorum Flandri, qui pari perfidia usi apud illos, qua nuper apud nos, privilegia amiserunt: quae sibi ressitui nostris ibi morantibus enixe a Duce postularunt. Hi audito nostrorum accessu, literas expediunt ad Principem, nostros falsis criminibus onerant, et in suspicionem piraticae vocant. Itaque hortantur, ut detineat, et in vincula conjiciat. Haec cum nostris nunciata sunt, in summam desperationem adducuntur domum reditionis. Princeps tamen multo illustrissimus regiis scriptis confirmatus, fidem nequaquam mendacibus literis adhibuit.

## JEROSLAVIA.

Celebratur quoque Jeroslavia propter coria, sevum, ac fruges, quibus plurimum abundat. Cerarum etiam orbes ibi sunt venales, licet aliis in locis major sit copia. Sita haec est ab urbe regia ad lapidem ducentesimum. Totum intervallum plurimos habet vicos populosissimos, abundant agri frugibus, quas Moscuam tanta copia convehunt, ut aliquando antemeridiano videas, septingentenas vel octingentenas trahas, ultro citroque commeantes, fruges vel salsamenta vehentes. Veniunt a millesimo lapide Moscuam mercatum fruges, trahisque vehunt. Hii sunt aquilonis incolae: nam tanta est ibi frigoris inclementia, ut segetes non crescant, aut si crescant, non maturescunt. Hii salsamenta, pelles, coria, merces afferunt.

## VOLOGDA.

Vologda quingentis quinquaginta M. pass. interiectis, ab urbe Metropolitana distans, merces habet, sevum ac linum, tametsi lini major vis Novogardiae vaeneat.

## PLESCOVIA.

Propter mellis ceraeque praecipuam vim a mercatoribus frequentatur Plescovia.

## COLMOGORA.

Mittit Aquilonaris Russiae tractus, raras ac preciosas pelles. In his vel praecipue sunt Zabellinae dominarum nostrarum cervicibus inprimis expetitae. Habent etiam et pelles martias, vulpinas candidas, nigras et ruffas, leporinas, ac armelinas aliasque barbaris nominibus dictas beveres, mingas, miniveras. Gignit vicinum mare belvam Barbaris Mors nominatam; haec dentium adminiculo rupes scandens pabulum petit. Hanc capiunt Russi ob dentium insignem usum, qui non minor his est, quam elephantorum nostratibus. Haemerces cervorum dorsis ad oppidum lampas feruntur deinceps mercatores urbem Colmogoram petunt. Atque ibi hyberno tempore celeberrimae sunt illarum mercium nundinae. Affatim suppeditat haec urbs, undiquaque vicinae regioni, salem, ac salsamenta. Mittunt et aquilonares Russi oleum a Barbaris Train dictum, quod in quodam flumine Una dicto conficiunt, licet ibi non solum habeatur.

Digitized by Google

Coquunt etiam marinam aquam, unde ipsis constat vis magna salis.

## DE DISSIDENTIUM LITE

### ET QUIBUS ARBITRIS FINIUNTUR CERTAMINA.

Nunc quoniam de insignioribus urbibus ea diximus, quae locus postulavit, superest ut de juris forma qua utuntur Moscovitae, quatenus ea ad noticiam nostram pervenit, perscribamus. Si qua lis apud illos oritur, fundorum dominos, judices primum constituunt, hi si componere litem non possunt, superiori magistratui certamen deferunt. Accusator a magistratu petit, ut liceat sibi adversarium in jus vocare: mox facta *potestate*, satellitem vocat, ac reum sistit, et *in jus tapit*. Hujus tibias flagris caedit lictor, donec proferat qui legi satisdet. At reus si ejus fidei non sit, ut vadem inveniat manibus collo constrictis a lictore trahitur, verberibusque afficitur, donec ad dicendam causam coram judice *sistatur*. Reus itaque a magistratu interrogatus (*verbi* gratia in actione alieni aeris) an in illius aere alieno sit, a quo accusatur; ille it inficias. Tum judex, qui potes inficiari? Cui reus: jurejurando. Mox a magistratu prohibetur lictor amplius verberare, donec certiori fide de lite constet. Carent maximo reipublicae malo, *nam legulejos* non alunt. Quisque sibi advocatus est, *atq*; accusantis querela reique defensio, supplicum literarum forma principi traduntur, justam principis sententiam petentium. Ipse Imperator omnium litem, majorum praesertim controversiarum cognoscit, ac cognita lite sententiam fert. Ille summa aequitate certamina dirimit, quod in summae majestatis principe, praecipua laude dignum reor. Id licet sancto animi proposito faciat, mire tamen mali magistratus idem pervertunt quos quidem in crimine deprachensos severissime princeps vindicat. Ad postremum cum utraque pars quibus potuit argumentis causam suam confirmavit rogat judex accusatorem, an ulla causae suae argumenta adhuc supersint. Respondet se, vel pugilem suum, manustrenua etiam in hostem comprobaturum, ac mox postulat, ut singulari certamine congredi liceat, copiaque certandi utrique facta, ambo in monomachiam ruunt. Aut si alteruter vel uterque parum strenuus aut pugnae minus habilis sit, pugiles publicos substituunt. Habent enim pugiles, quibus solo hoc quaestu victus constat. Hi armati in arenam descendunt: tela sunt ut plurimum clava bellica, et venaculum: fit pugna pedestris. Cujus igitur pugil in certamine superatur, is absque mora in vincula conjicitur: Ubi indignissimis modis tractatur, donec cum adversario certamen finiat. Praeter haec si uterque claris ortus sit parentibus atque alter alterum privatum hostem deposcit, annuit judex: nec tum vicariis pugilibus fas est uti. Porro qui splendidiore loco natus est, hostem obscuriore ortum familia, in certamine respuit. Si quis pauper aere alieno astrictus creditori solvendo non sit, abduit illum creditor, atque eo usque in opere faciendo exercet, vel alteri operam obverati elocat, donec operando debitum persolvit. Sunt qui sponte, se conjugem, ac liberos opulentioribus per omnem vitam emancipabunt, ut in initio exiguam pecuniae summam accipiunt, ac post, pro reliqua vita alimenta capiunt: adeo illis vilescit libertas.

## DE FURUM SUPPLICIIS.

Si quis furto deprachensus sit, in carcerem conjiciunt, ac flagris subinde caedunt, neque ob primam noxam suspendunt, ut nos, atque hanc legem misericordiae appellant. Qui secundo delinquit, illi nasum praecidunt, ac stigmatis frontem signant. Tertia noxa crucem meretur. Multi et insignes sunt crumenisecae: quod si principis severitas illos non tolleret, non esset resistere illorum proventui.

## DE GENTIS RELIGIONE.

Graecae Ecclesiae dogma amplectuntur. Simulacra divorum in templis non admittunt. Tabulas tamen divorum imaginibus putas, in sacris aedibus frequentes habent. Has adorant, his dona offerunt, hos cereos accendunt. Has etiam sacro fonte aspergunt, alioqui illis nullus est honos. Simulacra nostra nullam divinitatis vim habere asserunt, quod in templis dicantur perinde ut a statuariis emuntur. Privatis in aedibus flatuas instar penatium colunt. Hae in obscurissima parte domus (ut plumirum) statuuntur. Si quis domum vicini intrat, primum omnium penates salutat, etiam cum non videat. Si scamnum aut sella stet in proximo,

Digitized by Google

subinde frontem illidens in sellam, ac crebro capite et corpore nutans, larem adorat. Sacrorum ac prophanorum virorum in vestitu nulla diversitas. Nulli nec sacro nec prophano interdicitur matrimonium. Caeterum si ecclesiastici uxore e vita decedat, secundas nuptias repetere non licet. Quocirca ex sacerdotibus (ut vocant) secularibus fiunt monachi: Quibus perpetua imperatur castitas Sacra officia in templis materno idiomate fiunt. Ex pane fermentato Eucharistiam consecrant, ac post consecrationem, lance in capite per templum circumferunt, nec participare volentem prohibent. Novum ac vetus testamentum in templis legunt lingua vernacula tam offensate, ut nec ipse qui legit, intelligat. Dum illa leguntur, garire, confabulari ac obstrepere licet, in reliquo officio, summam modestiam, ae sanctimoniam prae se ferunt. Orationem Dominicam decimus quisque haud novit At symbolum apostolicum aut Decalogum Mosis nemo aut admodum pauci. Ajunt enim rem tam arcanam ac sacram in vulgus enunciari non oportere, Decalogum etiam sanguine Christi antiquatum esse. Humaniores literas omnino respuunt. Cognitionis vel latinae, graecae, aut hebraicae linguae penitus sunt ignari. Singulis annis quaternae celebrant jejunia. Quae ab ipsis, divorum festis denominant. Primum cum nostro quadragesimali jejunio exordium habet. Secundum divi Petri jejunium dicitur. Tertio dat nomen diva Maria. Quartum a Philippo nomen capit. Ac sicuti nos quadragesimam nostram a die Mercurii auspiciamur, ita illi a die solis. Diebus sabbathi carne vescuntur. Hebdomadis has esuriales secius praecedentibus lacticiniis vivunt: vulgo appellant butyri jejunia. Hoc tempore mutuo sese invisunt vicini, ac pacis osculis vicissim excipiunt in signum mutui amoris ac concordiae Christianae. Nam sub illis jejunandi temporibus, frequentius quam alias sacrosanctam coenam adeunt. Post septem dies ab incepto jejunio, crebro invisunt templa, aut domi sese continent, ac orationi plurimum vacant. Nec illa septimana alio quam oleribus vescuntur. Ex acto septimanae hujus jejunio pristinum bibendi intemperiem repetunt (sunt enim bibones insignes). Districte servant jejunia sua, nec ullius rei esum nisi holerum, ac falsamentorum tunc temporis sibi indulgent. Die Mercurii ac Veneris quavis septimana jejunare solent. Aedes sacrae ligneis trabibus contexuntur, ac plerunque e media aede assurgit turris scandulis tecta. Foris adduntur aedi portuus. In coemiteriis fabricas aedificant ligneas, in quibus librantur campanae, nunc singulae, nunc binae, nunc ternae. Non omittenda, ut rara ita et ridicula gentis consuetudo. Defunctorum cadavera loculis condunt: ac manui cadaveris codicillos indunt, horum summa est: defunctum fuisse Russum, Russorum fidem amplexum, ac in eadem fide decessisse. Hae literae divo Petro mittuntur. Lectis literis mox (ut illi ajunt) admittitur, et ut sincerioris fidei sectatori, beatior etiam sedes quam Latinis Christianis conceditur. Nos enim semichristianos esse contendunt, sese autem sinceros ac genuinos. Haec sunt indoctae Barbariei puerilia deliramenta. Plurima ibi extruuntur Benedictinorum coenobia. His magni sunt agrorum reditus. Nam tertiam fundorum partem totius imperii tenent Monachi. His per omnem vitam esus carnium interdicitur. Alimenta sunt salsamenta, lac et butyrum. Nec ex instituto religionis recentes piscas edunt, quaternis tamen illis quae memoravimus jejuniis, ne piscibus quidem vivunt. Caulibus ac cucumeribus sale conditis (quae perennare facile faciunt) illis victus constat: Potus est his valde tenuis ac dilutus, quotidie in templis rem divinam faciunt. Sacrum officium antelucano adeunt, quod adventante jam die finitur. Circa nonam diei celebratur missa. Post hanc prandetur, a prandio sacrum officium repetunt: nec non a coena Prandentibus coenantibusve legitur evangeliorum interpretatio. Quoties alicujus monasterii antistes concedit fato, princeps coenobii bona invadit, armenta, greges, supellectilem, aurum, argentum, rapit. Aut is qui defuncto antisteti dignitate succedit, haec ab imperatore pecunia redimit.

## DE IDOLOLATRIS MOSCOVITIS TARTARIS CONTERMINIS.

Tartarorum confinia tenent Moscovitae idololatrae, percelebre est illis idolon aurea vitula dictum. Si qua gravior calamitas gentem premit, veluti fames, bellum, vel pestis, Idolum suum statim consulunt, quod hoc modo faciunt. Coram simulacro prostrati preces fundunt: mox tympanum in medio statuunt: Hoc, sorte lecti circumstant, argenteum bufonem tympano imponunt; dein bacillo concutitur tympanum. Ac cui

Digitized by Google

cirumjacentium accedit bufo protinus interficitur. Statim nescio quibus idoli praestigiis vitae restitutus malorum causas exponit. Itaque placato idoli numine, non ita multo post publica calamitate liberantur.

## DE AEDIUM PRIVATARUM FORMA ET DE CULTU POPULI.

Privatorum domus, ubivis truncis abignis contexuntur: Inferiori trabe quodam alveo, superiacentis rotunditatem ita excipiente, ut hac sola admissura omnem propemodum flatum excludant. Solent tamen juncturae muscari. Forma aedium quadrata est: fenestrae perangustae, per quas impage translucida pelle obducta, lumen admittunt. Domorum tecta tabulatis fiunt, arborum corricibus foris inductis. Intus ad parietes lata habent scamna. Haec vulgo pro accubitis, lectorum enim usus vulgo ignotus. Ignis in hypocaustis mane structus totam domum ipso modo, tepidam ac calidam reddit. Vulgi amictus ut plurimum foris laneus est. Pileis utuntur fastigiatis, in quibus etiam nobilitatis est insigne, quo enim porrectiori ac elatiori utuntur pileo, eo splendidiores vulgo habentur.

## AD SERENISSIMUM REGEM.

Haec sunt (ter maxime Philippe) quae tui Angli modo reduces, retulerunt. Quibus si per amplissimam majestatem tuam. ac serenissimae Reginae celsitudinem, liceat illuc denuo navigare: totum orientem, qui Libero Patri ac Alexandro magno folis patuit, amplitudini tuae aperire non dubitant. Ut tua majestas cujus majores occidentem patefecerunt, illam orbis partem penetret, quae olim duobus solum heroibus a condito mundo fine aemulo genitis patuit.

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

# VII.

# ALEXANDRI GVAGNINI
## VERONENSIS.

## OMNIUM REGIONUM MOSCOVIAE
### DESCRIPTIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

VII.

# ALEXANDRI GVAGNINI VERONENSIS.

# MOSCOVIAE DESCRIPTO.

## DE MOSCOVIA URBEQUE EJUSDEM NOMINIS PRAECIPUA.

### CAPUT I.

Moscovia, Moscva vulgo dicta, Urbs amplissima, caput et Metropolis totius Russiae albae, Magno Moscorum Duci subjectae, una cum Regione, sive Ducatu, a fluvio gentili Moscva, dicto, praeterlabente, nomen sortita est. Hic autem fluvius in Tverensi regione, juxta oppidum Olesco dictum, fontes suos habet, indeque octoginta verst (quorum quinque in Polonico miliari clauduntur,) emensis, ad Moscoviam civitatem decurrit, qua praeterlapsa receptis aliquot fluviis Orientem versus fertur, in regioneque Rezanense Occae, fluvio commiscetur.

Civitas Moscovia Orientem versus multum porrecta est, tota lignea, satisque ampla, quae procul spectantibus amplios, quam re ipsa sit, apparet. Nam horti, areaeque in qualibet domo, et platea spaciosae, magnam civitati amplitudinem, dilatationemque praebent. Insuper omnium opificum, igne utentium, extra civitatem longo ordine, aedes protensae amplas plateas, (inter quas sunt prata, et agri) habentes. Hocque modo civitas ingens, et supra modum ampla videtur. Denique trans fluvium, Basilius pater moderni Principis, pro satellitibus suis, caeterisque extraneis, Polonis videlicet, Germanis et Lithuanis (qui a natura Bacchum sequuntur,) oppidum Nelevki dictum, quod cognomen ab infundendis poculis habet, extruxit. Illic vero omnibus estraneis militibus et advenis, Satellitibusque Principis, inebriandi vario potus genere, facultas concessa est, quod Moscovitis gravi sub poena prohibetur. Exceptis aliquot diebus in anno videlicet tempore nativitatis, et resurrectionis Dominicae, pro festo Pentecostes, et in quibusdam solennioribus festis divorum, praecipue vero Nicolai, quem Divino fere cultu prosequuntur, et beatae virginis Mariae, Petri et Joannis festis, interea vero velut vinculis emissi, Bacchum, et nomen festum illius divi (cujus diem tunc temporis celebrant) advenisse gratulantur, et sacris nondum peractis, velut sues vario potus genere obruti, temulenti, ebriique idemtidem vociferantes, seque velut obsessi, mutuo caedentes, et contumeliis variis afficientes, vagantur. Si autem huic genti quotidie, inebriandi facultas concessa esset, sese mutuis caedibus funditus exterminarent. Ebrii etenim mentem, rationemque velut bruta animalia, prorsus amittunt, et in se vicissim cultellis, pugionibus, et id genus fraudulentis telis, saeviunt. Sed ad rem redeo. Hujus urbis praedicta tam vasta magnitudo facit, ut nullo certo termino, muro, fossa, propugnaculisve muniti possit, plateae tamen, quibusdam in locis, trabibu

Digitized by Google

transversim positis obstruuntur, adhibitisque custodibus ad primam noctis facem, ita obfirmantur, ut nemini aditus in eam pateat. Tamque admodum lutosa et caenosa est, ut in plateis pontes passim necessario extructi sint, nunc tamen vallo de terra, ut audivi, circumducitur.

Arces mutatae duae amplissimae, insimul civitatis formam referentes, quarum una Kitajgorod, altera Bolsigorod, gentiliter appellatur, quas ab una parte Moscva fluvius, ab altera Neglinna, in qua molendina plurima sunt, praeterfluit, ecclesiae divorum lapideae, et ligneae, aedesque nobilium et magnatum, in ea frequentes sunt. Ultra Neglinnam vero, in agro Nerbat dicto, ab arce ad sagittae jactum, modernus Princeps Joannes Basiliades, curiam amplissimam Anno Domini 1565 exstruxit, quae Opriczna, id est, seorsiva habitatio dicitur, ubi ipse Princeps cum Satellitum suorum, virorum, ex robustissimis electorum, numerosa manu miratur, quos ille ad tutelam sui, perinde ut Turca Janiczaros fovet, vigintique fere millia superant, ex hiis major pars scloppettariorum, cum bombardis longioribus: reliqui eum frameis arcubusque, lanceis et loricis armati incedunt. Nuperque eos modernus Princeps adinvenit pro explenda sua tirannide, prout inferius in gestis illius patebit.

Caeterum urbem ipsam Moscvam cum utraque arce Tartari Praecopenses funditus exusserunt, Anno Domini 1571 mense Majo ipso die Ascensionis Dominicae, ubi ingens et innumerabilis multitudo populi, in urbe et arce flamma fumoque suffocati, et combusta est, paucis fuga elapsis, et una duntaxat arx Kitajgorod vix defensa est, magnamque captivitatem Tartari inde abduxerunt. Sed ad rem redeo.

Omnes merces, quaecunque ab extraneis in Moscoviam afferuntur, continuo apud thaelonei praefectos profiteri, ac indicari coguntur, quae hora constituta conspiciantur, et aestimantur, aestimatas vero nemo nec emere, nec vendere audet, nisi prius fuerint magno Duci ostensae. Quo fit ut mercatores interdum diutius quam convenit, cum suo damno detineantur. Quando vero ex Lithuania in Moscoviam legati, a Rege Poloniae proficiscuntur, tum omnes cujuscunque nationis mercatores, in legatorum fidem, et clientelam suscepti, in Moscoviam sine thaeloneis ire possunt, et victum sufficientem, ex thesauro magni Moscoviae Ducis habent. Hae autem praecipuae sunt merces, quae ex Lithuania, Russia, et Polonia, et a caeterarum Regionum mercatoribus, in Moscoviam importantur, Pannum omnis generis, atque coloris, item Sericum, vestesque sericeas, et auro sive argento intertextas, lapides praetiosi, aurum filatum, gemmae, et id genus alia metalla praetiosa. Insuper, Piper, Crocus, zingiber et caetera. Interdumque viles quasdam res suo tempore illuc important, ex quibus aliquando lucrum afferunt. Saepe etiam evenit, ut rei alicujus desiderio omnes Moscovitae teneantur, quam qui mercatorum primus attulerit, plusiusto in ea lucratur. Dein cum plures mercatores earundem rerum magnam copiam advexerint, tanta nonnunquam vilitas earum consequitur, ut is qui res suas primo magno vendiderat, easdem rursus vilescente pretio redimat, magnoque suo commodo in patriam reducat. Merces vero quae inde asportantur sunt pelles variorum animalium diversae, caera quoque et id genus mercimoniorum. In Tartariam autem sellae equorum, frena, vestes, corrigia, arma autem et ferrum nonnisi furtim apportantur, cultellos tamen, secures, acus, specula, marsupia, et id genus alia ducere licitum est. Haec autem gens Moscovitica circa mercimonia fallacissime versatur, praecipue vero cum extraneis, nam dum aliquid vendunt, rem minoris constantem dimidio pretio (quod et Lithuanis nunc peculiare est) in fraudem emptoris auctam aestimant, et quamprimum jurare incipiunt, aut obtestari, scias ilico dolum ibi latere, animo etenim fallendi ac decipiendi jurant. Sed externi quoque in rerum permutatione, hoc maxime obscurant, ut dum Mosci pelles alioqui vili pretio constantes, plurimi aestimant, illi vicissim illorum exemplo merces suas parui constantes, carius indicant, sicque ars deluditur arte. Pellium magna est apud eos diversitas, Zebellinorum enim nigredo, longitudo et densitas pilorum, maturitatem significat. Haeque pretium augent. In Ustingiensi autem et Dvinensi, Peczoraeque provinciis, praestantiores reperiuntur. Madauricae pelles ex diversis partibus afferuntur. Ex Suetiae vero regno optimae advehuntur, circa Moscoviam vero major est eorum copia, Hermellinorum etiam pelliculae, ex pluribus pariter locis inversae, in fasciculis afferuntur, habentque signa quaedam circa caput et caudam, ex quibus cognoscuntur, an congruo vel incongruo tempore sint captae. Castorum quoque, et Vulpium nigrarum pelles, in magno pretio sunt.

Provincia ipsa Moscovitica, nec lata nimis nec fertilis est, cujus fertilitati ager ubique are-

Digitized by Google

nosus plurimum est. Accidit ad haec immoderata, asperaque nimis, aeris intemperies, nam ob hyemis rigorem, sata, ad maturitatem pervenire non possunt, etenim tam intensa ibi nonnunquam sunt frigora, ut quemadmodum apud nos aestatis tempore, prae nimio solis ardore, sic ibi prae frigore asperrimo, terra in hiatum disrumpatur. insuper etiam aqua in aerem effusa, sputumque ex ore projectum, antequam terram attingat congelatur, rami etiam fructiferarum arborum rigore hyemis, aliquando prorsus pereunt. Homines quoque gelu concreti, mortui sub dio, in vehiculis frequenter reperiuntur, quin et ursi etiam sylvestres, fame stimulati, relictis sylvis per vicinas villas passim discurrunt, et in domos colonorum irruunt, quorum impetum atque vim cum rustica turba fugit, frigore aspero foris misere perit. Atque tanto nimio frigori, aestus quoque torridus quandoque respondet, ut aliquando stagna et flumina aestu, nimioque ardore solis, prosus exsiccarentur. Prata quoque et caetera frumenta veluti flamma aliquando exuruntur. Hic autem nimius aestus solis, per septem dies tantum non plus durare solet. Haec provincia melle ferisque caret, leporibus tantum exceptis, quibus supra modum abundat. Frumento oleribusque communibus affluit, cerasa in tota regione nunquam reperiuntut, aliarum arborum quamvis fructus habeant, verum insuaves. Hujus Regionis coelum adeo salubre est, ut ibi ultra *Tanais fontes*, praesertim Septentrionem, ac etiam *Orientem*, magna ex parte versus, nulla pestis unquam saevierit, habent tamen interdum intestinorum, et capitis, omniumque membrorum morbum quendam, pesti haud dissimilem, quem nos febrim calidam sive acutam appellamus. Eorum fere idiomate hic morbus, Ognjova, quasi ignitus dicitur, quod homines velut ignis calefaciat, ut quemadmodum vicina domo igne ardente, et alia domus sibi adhaerens, eodem igne inflammatur, sic quoque hoc morbo infecti velut peste, caeteros nisi caveantur inficiunt, hoc morbo qui corripiuntur pauci sani evadunt. Haec gens Moscovitica, caeteris omnibus Ruthenis, astutior, et fallacior est. Si autem cum externis aliquando commercia habent, tunc se non Moscovitas quo majorem fidem obtineant, sed advenas, id est, Novogardenses, vel Plescovienses esse simulant.

Moneta in toto Moscorum Ducis imperio, est quandruplex, Moscovitica Novogardensis, Tverensis, et Plescoviensis Moscoviticus nummus non rotundus est, sed oblongus est ovali quodam modo formae similis idiomate eorum Dzienga dicitur: Duplici autem modo cuduntur, primus in una parte hominis nudi equo insidentis, et draconem hasta ferientis, imaginem habet, in altera vero parte nomen Magni Ducis exprimitur, Secundus ex utraque parte literis, nomen Magni Ducis et titulum exprimentibus insignitur. Horum autem sexaginta, unum Ducatum sive aureum Ungaricalem valent. Novogrodensis nummus in una parte principis, in solio sedentis imaginem, hominisque ex adverso, sese inclinatis habet, ex altera parte scriptura insignitur, vocaturque Nevogrodka, Moscoviticum nummum valore, in duplo superat. Tverensis nummus utrinque scripturam habet, valore Moscoviticum refert. Pscoviensis in una parte caput bovis coronatum, in altera vero scripturam habet. Est quoque in Moscovia cuprea, sive aerea moneta, quae propter pauperes tantum cuditur, et Pula vulgo vocatur, horum 40 dengam Moscoviticam efficiunt. Omnis autem moneta Moscovitica, ex puro et bono argento cuditur, et omnes fere aurifabri in Moscovia Novogardia, Tveria, et Pscovia nummos cudunt, et quicunque affert massas argenteas, puras, nummos ab aurifabro transmutare volens, tum nummi et argentum appenduntur, atque aequa lance librantur, mercedem autem laboris exiguam aurifabri reportant. Porro in omni Imperio Mosci, aurum et argentum nusquam reperitur, nisi adductitio, et importatorio, omnes earum Regionum incolae, et ipse Princeps utuntur. Qua de re Magnus Dux, aurum et argentum, gravi sub poena, ex suis Regionibus, efferre prohibet, atque ideo permutationem rerum facere, et alia ut pelles, quibus abundant, aut quid aliud ejusmodi pro aliis rebus dare jubet, quo argentum et aurum in suis Regionibus obtineat, atque ideo hunc Principem auri et argenti ditissimum esse dicunt. Vix autem centum anni elapsi sunt, cum Moscovitae moneta argentea, praesertim apud illos cusa utuntur. Primum etenim cum argentum, ab exteris ad eos, importari coeptum est, tum fundebantur portiunculae oblongae argenteae sine imagine et scriptura, valoris unius Rubli, Rubl autem Dengas Moscoviticas 100. totidemque grossos Polonicales habet. Ante usum vero monetae Aspreolorum aliorumque animalium pellibus utebantur, iisque vitae necessaria seu pecunia comparabantur.

Monetam quoque auream Moscorum Princeps non cudit, sed Hungaricis aureis et Rhenanis advectitiis abundat.

Digitized by Google

Moscovia, quae est caput, et metropolis, caeterarum Regionum, et Civitatum Moscoviae Duci subjectarum, loco principali descripta, reliquas Provincias et Civitates praecipuas, in Mosci Imperio sitas describere, contendemus, ordine primum Orientem versus servato, tandem ad Meridiem et Occidentem, atque Septentrionem procedendo in Orientem aequinoctialem deveniemus.

## DUCATUS VOLODIMIRIAE.

Volodimiria Civitas magna, cum suo Ducutu, cujus titulum Princeps Moscoviae sibi vendicat, primum occurrit, quae castrum ligneum sibi conjunctum habet, distatque 36 mil. Polonicis a Moscovia, Orientem versus. Hujus Provinciae ager adeo fertilis est, ut ex uno tritici modio, saepe 20 modii: interdum 25 proveniant. Haec Volodimiria a tempore Volodimiri, Monarchae totius Russiae, qui eam condidit, et a nomine suo appellavit, totius Russiae metropolis erat, ad Joannem usque Danielis filium, magnum Moscoviae Ducem, qui inde sedem in Moscoviam transtulit.

## DUCATUS NOVOGRODIAE
### INFERIORIS.

A Volodimiria in Orientem ulterius procedendo, Novogrodiae inferioris Ducatus incurrit, qui Volodimiria fertilitate rerumque copia ex altera nascentium aequatur. In hoc Ducatu est civitas ampla et lignea, Novogrodia inferior dicta, a qua et Regio ipsa nomen accepit. Sita autem est ad Wolgae et Occae fluviorum celeberrimorum confluxum, Castrum quoque huic Civitati adhaeret, quod Basilius Dux Moscoviae ex lapide in scopulo construxit, distat vero Novogrodia inferior a Moscovia 100 miliaribus Polonicis.

Haec autem Civitas terminum religionis Christianae facit. Nam licet Princeps Moscoviae ultra Novogrodiam hanc, castrum quod Sura a fluvio ejusdem nominis appellatur habeat, tamen intermixtae sunt gentes quae Caeremissi appellantur. Hi autem non Christianum sed Machometi dogma amplectuntur. Sunt ibi quoque aliae gentes, Mordva dictae Caeremissis intermixtae. Hujus Ducatus Novogrodiae inferioris Princeps Moscoviae titulo utitur.

## DUCATUS REZANENSIS.

A Novogrodiae inferioris Ducatu, ad Occidentem nonnihil reflectendo, Rezan Provincia inter Occam et Tanaim fluvios sita est. Hic Principatus, caeteris omnibus Moscoviae Provinciis fertilior est, in quo singula grana frumenti binas pluresve spicas proferre solent, quarum culmi tam dense accrescunt, ut nec equi facile transire, nec coturnices inde evolare possint, mellis, piscium, avium, ferarumque ibi magna copia, ac arborum fructus, longe Moscoviae fructibus nobiliores. Gens audacissima bellicosissimaque.

Civitas lignea, in hac Provincia ejusdem nominis, ad ripam Occae fluvii sita est, et non procul ab hac Civitate Occa, fluvius insulam facit, quae Strup dicitur, magnus Ducatus olim circa hanc insulam erat, cujus Princeps nemini obtenperabat, sed nunc hic Ducatus funditus extinctus est. Hic etiam Ducatus Rhezanensis titulum magni Moscoviae Ducis auget.

Corsira in ripa Occae fluminis, oppidum ligneum a Rezan 28 miliaribus distans, habebat olim dominum sui juris, sed nunc in ditionem magni Moscoviae Ducis redactum est.

Tula oppidum ligneum, 40 fere miliaribus Polonicis a Rezan distat, a Moscovia vero in meridiem 36 estque hoc ultimum oppidum a Campestria deserta, in quo Basilius Ioannis, castrum ex lepide construxit, quod fluvius ejusdem nominis praeterlabitur Uppa vero alius fluvius ab ortu castrum alluit, Tuleque fluvio junctus Occae, supra Vorotin 20 fero miliaribus commiscetur. Hoc autem oppidum Tula cum suo territorio ad Basilii usque tempora, patris moderni Ducis Moscoviae Joannis Basiliadis proprium Principem haereditarium habebat.

Odojow Castrum ad Tulae et Uppae fluviorum ostia, ubi in Occam exonerantur situm est. Tandem a Castro praedicto nonnihil in meridiem reflectendo Msczenek locus palustrosus est, in quo olim arx ejusdem nominis (cujus etiam nunc ruinae apparent) condita erat. Circa hanc arcem quidam homines in tugurio-lis habitant, qui a Tartaris infestati in illam aream palustrosam quasi ad asylum confugere

Digitized by Google

solent. Distat autem Msczenek a Moscovia 60 miliaribus Polonicis, a fontibus vero Occae fluvii ad partem sinistram reflectendo 18 miliar. Haecque oppida Occa fluvius praeterlabitur, Vorotiniam, Colugam, Cerpachum, Corsiram, Columnam, Rezaniam, Cazigorodiam, Murinamque. Et inde cursu ad Septentrionem nonnihil reflexo infra Novogrodiam inferiorem in Volgam exoneratur, Sylvis utrinque ripae hujus fluminis clauduntur, quae aspreolis, hermellis, castoribusque et melle plurimum abundat.

Campi etiam omnes quos praeterfluit irrigatione ejus, fertilissimi sunt. Piscium copiam qui caeteris fluminibus Moscoviae praeferuntur habet. Oriuntur quoque ex hujus Occae fontibus alii duo fluvii, Sem videlicet et Sosna, Semque recta in meridiem, et nonnihil tandem in Orientem cursum dirigens, Severensem Ducatum praeterfluit, Oppidumque Putivol alluens in Disnam fluvium illabitur, juxta Czernigow oppidum. Desna autem infra Kijoviam in Boristenem exoneratur. Porro Sosna cursu in Orientem directo per Campestria Tartarorum in Tanaim fluvium defertur.

Coluga oppidum, et castrum ligneum, ad Occam fluvium 36 miliaribus Polonicis a Moscovia abest, ibi quotannis praesidia contra incursiones Tartarorum statuere solet magnus Dux Moscoviae.

## VOROTINENSIS DUCATUS.

Ducatus Vorotinensis, tribus a Coluga miliaribus cum civitate et castro ejusdem nominis ad Occam fluvium sito, distat.

## DE TANAIS FLUVII FONTIBUS.

Tanais fluvii fontes, (qui Europam ab Asia disterminat), quidam sub Ripheis montibus falsa opinione ducti ponebant. Hic autem in Rezania Russiae regione magno Moscoviae Duci subjecta oritur: ex lacu quodam Ivanovo Jeziero gentili lingua dicto, qui in latitudinem ad 500 Verst secundum distantias Moscoviticas quae 100 miliaria Polonica efficiunt, extenditur. Ex hoc autem lacu alius fluvius magnus, minor tamen Tanai emergit, Schad dictus, qui in Occidentem cursu directo, Huppaque fluvio hausto, Occam influit. Tanais autem quam Mosci Don appellant, ex eodem lacu ortus, recta in Orientem fluit, atque inter Cazan et Astrachan Tartatorum Regna, quae Moschorum Dux Anno Domini 1554. suae ditioni subegit, sex vel septem miliaribus a Volga fluvio, cursu nonnihil Septentrionem versus incurvato labitur, demum in Meridiem cursu sinuoso reflectens, in paludes Meotidis exoneratur, ad cujus ostia Azoph civitas Turcis tributaria sita est. Azoph autem quinque dierum navigatione ab Isthmo Tauricae, quae nunc Praecop vocatur, distat. In ea multarum ex diversis partibus orbis gentium, celeberrimum est Emporium. In his autem partibus praecipue circa paludes Meotidis, non miliaria sed dierum itinera observantur.

Est etiam alter Tanais minor qui in Severiensi Ducatu fontes suos habet, (unde Donetz Severski vocatur) et supra Azoph, in Tanaim magnum exoneratur. Circa ostia autem hujus minoris Tanais, quatuor dietis ab Azoph civitate, in montibus quos sanctos appellant, dicunt statuas imaginesque quasdam antiquitatis signa, extare.

Columnas etiam Alexandri Magni Macedonum Regis, in his partibus quidam posuere. At nunc nullum vestigium earum apparere, illi qui ea loca saepius peragrarunt perhibent, atque ideo nihil certi de ruinis et situ earum assequi datur.

Haec igitur de Tanais fluvio breviter dicta sufficiant: Nunc rursus ad describendas caeteras Moscorum Ducis provincias, pergam atque a Moscovia meridiem versus, dextrorsum procedendo, Severiensem Ducatum attingam.

## DE MAGNO SEVERIENSI DUCATU.

Severiensis Ducatus est ingens, et rebus omnibus affluens, cujus latitudo a Boristene usque ad Msczenek castrum dirutum, supradictum extenditur, vastosque et desertos passim campos possidet. Primo Duces Severienses sui juris erant, sed postea magnis Lituaniae Ducibus permultos annos parebant. Tandem quoque (cum magnus Ducatus Jagielone baptisato ad Polonos pervenit) Regibus Poloniae tributa persolvebant. Deinde a Casimiro Rege Poloniae magnoque Duce Lithuaniae, Jagielonis filio, ad Joannem magnum Moscoviae Ducem, defecerunt. Sedes autem hujus Principatus in Novogrodek sita erat. Sed tandem hi Principes (prout aliis multis Moscoviae Duci subjectis



Digitized by Google

contingit) perfidiae innocenter accusati, a Basilio patre moderni Principis Ioannis Basiliadis, Principatu exuti sunt. Hi autem Severienses principes, genus suum a Demetrio magno Duce Moscoviae, duxerunt.

Arces et Civitates in hoc Ducatu complures sunt, inter quas Novogrod, Sievierski dictus, Starodub, Putivol, Czernigow, et Bransko, celebriores. Sylvae Hermelis, Aspreolis, melleque plurimum redundant, agros quoque haec Regio fertilissimos habet.

Novogrod Sievierski dictus, civitas et arx lignea, in qua olim sedes Ducum Severiensium erat, distat a Putivol et Starodub civitatibus ab una 18 ab altera 14 miliaribus: ad hanc civitatem, a Moscovia dextrorsum meridiem versus per Colugam, Vorotiniam, Serensko, et Bransko 150 miliaribus pervenitur.

Czernigow, arx et oppidum 30. miliaribus a Kijovia distat

Putivol, Arx et civitas lignea a Moscovia 140 miliaribus Polonicis a Kijovia vero 60 distat. Haec ultra Sylvam magnam, quae 24 miliaribus in latitudinem protenditur, sita est. Hujus Ducatus titulo Magnus Dux Moscoviae utitur, et Severiensem se Imperatorem appelat.

## DUCATUS SMOLENSCENSIS.

Smolensko civitas ingens, et insignis, ad Boristenem fluvium sita, arcem ex roboribus aedificatam in ulteriori fluminis ripa habet, in qua plurima aedificia lignea in formam civitatis extructa sunt. Hanc ex una parte Boristenes fluvius alluit, ex altera vero fossis profundis, stipitibusque acutis munitur, in medio autem arcis templum divae virginis, in scopulo conditum est. Hanc civitatem et arcem Basilius magnus Moscoviae Dux, saepius et gravissime oppugnabat, nunquam tamen vi eam capere potuit, donec Michael Glinski ex Principum Russiae nobili stemmate et familia ortus, qui quondam summam rerum, apud Alexandrum Regem Poloniae, in magno Ducatu tenebat, ad praedictum Basilium (seditione in Lithuania excitata, regnante Sigismundo Rege Poloniae) profugit, et arcem Smolensko denuo cum iugentibus Moscorum copiis, acerrime obsedit, quam tormentis bellicis obstinate, sed frustra oppugnabat, et cum eam vi capere non posset, praefectis militum largitionibus corruptis, per deditionem arce cum civitate potitus est, atque ab hoc tempore in potestate Magni Ducis Moscoviae perseverat.

Civitas ipsa in vallo sita est, collibus undique et sylvis vastissimis, quibus pellium diversarum multitudo provenit, cingitur: distat autem Smolensko a Moscovia 80 miliaribus Polonicis.

Drohobusch, a Moscovia 72 miliaribus a Smolensko 18 distat, ad Boristenem cum oppido ejusdem nominis sita est.

Hugra, fluvius profundus et lutosus, non longe a Drohobusch in sylva quadam oritur, et inter Colugam, et Vorotiniam Occam influit.

Hic autem fluvius Moscorum, et Lithuanorum dominum, quondam dislimitabat.

Viezma, castrum et oppidum ligneum, ad fluvium ejusdem nominis extructum est, qui haud procul inde in Boristenem ingreditur. Distat que a Moscovia 46 miliaribus: a Mosajsko 26 a Drohobusch 18. Sed quia hic frequenter Boristenis fluvii praeclari, mentio intercidit, pauca de fontibus ejus subjiciam.

Boristenes, Fluvius juxta pagum quendam, Dnepersko dictum fontes suos habet, unde ab incolis Moscovitis, et caeteris Ruthenis Dniepr sive Dneper appellatur. Sic autem cursum suum Boristenes dirigit. Primum Viezmam Meridiem versus alluit, indeque cursu in Orientem verso, Drohobusch, Smolensko, Orsa Dubrovna, et Mohilow praeterlabitur. Inde tandem in meridiem tendens, Kijoviam Russiae olim metropolim, Circassos, et tandem per Campestria deserta fluens Oczakow, castrum, et civitatem Tartarorum Praecopensium, 40 miliaribus a Circas, attingit, indeque in pontum Euxinum exoneratur, cujus tam vasta ostia sunt, ut procul spectantibus maris formam praeferant. An autem Dnepr fluvius praedictus, a Latinis congruo nomine Boristenes appellatur, absurdum mihi videtur: nam hic a fontibus suis Dnepersko dictis, Dnepr vulgo a Moscis, Ruthenis, Lithuanis, Polonis et caeteris omnibus Sauromatis vocatur. Vocabulum quoque Dnepr, a Borystene multum discrepat, sed mihi videtur Berezinam fluvium (qui Borisow arcem et alias plures alluens in fluvium supra dictum Dnepr exoneratur), Boristenem antiquitus appellatum esse. Nam id vocabuli sonus, et ipsa congruentia vocis indicet.

Mozajsko, Castrum et oppidum ligneum, a Moscovia 18 milia meridiem versus distat, a Viezma 26 ibi Princeps nonnunquam Oratores diversorum Principum excipere solet, venationemque ibidem quotannis exercet. Nam ibi supra

Digitized by Google

modum Leporum praecipue alborum, magna copia est. Olgerdus ille, et Vitoldus magni Duces Lithuaniae, (quibus non extitit ex Lithuaniae Ducibus bellicosior alter), fines Lithuaniae 6 miliaribus ultra Mozajsko posuerant.

## BIELSKIA DUCATUS.

Bielskia Principatus Russiae, quondam sui juris Principem habebat: qui magnis Ducibus Lithuaniae Jagielonis filiis, (a quibus Basilius Princeps Bielskiae, ad Basilium Ducem Moscoviae defecit, Ducatumque totum illi subdidit), tributarius erat. In hoc Principatu, Biela civitas cum castro ad fluvium Obseha in vastis Sylvis sita est, itaque a Moscovia 60 miliaribus Polonicis, a Smolensko vero 36. Hunc Ducatum Moscoviae Dux titulo suo adscribit, et se Ducem Bielski appellat.

## RSCHOVIAE DUCATUS.

In territorio Rschoviensi civitas et arx lignea ejusdem nominis Rscheva appellata, ad Volgae ripam sita est. Distat autem a Moscovia Occidentem versus 23 miliaribus ultra hanc civitatem aliquot milia Occidentem versus procedendo. est Sylva Volkovski les dicta, in qua est palus Vronow appellata, ex hac palude fluvius quidam emergit, qui 2 miliaribus Polonicis emensis, in lacum quendam Volgo dictum influit, unde rursus aquarum multitudine adauctus egreditur, Volgaque a lacu ex quo oritur, vocatur. Hic fluvius multis fluminibus in se receptis totam Moscorum Principis ditionem, Item Cazanense et Astrachanense Regnum, nonnullaque Tartarorum deserta Campestria perfluit, et tandem 70 ostiis in mare Caspium (Ruthenis Chvalinskoje mare dictum) exoneratur. Hunc fluvium Moscoviae Volgam, a Volgo lacu, ex quo emergit, appellant. Tartaris vero Edel, Ptolemaeo et Graecis Rha dicitur. Hic Ducatus Rschoviae, in quo praedictus fluvius, fontes suos habet, latissime extenditur, ab hocque Dux Moscoviae titulum sibi usurpat, et Ducem Rschoviae se appellat.

Voloczok, civitas et arx lignea, occidentem aequinoctialem versus 24 miliaribus a Moscovia distat, a Mozajsko 12 a Tveria 20. Leporibus albis haec provincia abundat, ibique magnus Dux saepe venationem exercere solet.

Vielikije Luki, arx et civitas magna lignea a Moscovia 140 miliaribus a Novogrodia magna 60 a Polotzko 36 distat, eam Lovat fluvius praefluit, indeque Septentrionem versus fluens, in Ilmen lacum juxta Novogrodiam magnam ingreditur.

Toropetz, arx, et civitas, a Vielikije Luki decem et octo miliaribus distat, ad confinia Lithuaniae Ducatum Smolensciensem attingens sita.

Haec autem arx Toropetz cum caeteris sibi adjacentibus, videlicet Drohobusch, Biela, et Brensko, cum bona Severiensis Ducatus parte, uno tempore per deditionem in magni Ducis Moscoviae potestatem Joannis Basilii devenerunt, sub Alexandro Rege Poloniae, magnoque Duce Lithuaniae, prout latius in descriptione Regni Polonici dictum est.

## DUCATUS TVERENSIS.

Tverensis Ducatus, cujus titulum magnus Dux Moscoviae sibi usurpat, amplissima olim ditio erat, una ex magnis Russiae Principatibus, ad Volgam fluvium sita, 36 miliaribus distat a Moscovia. In ea est civitas Occidentem aestivalem versos Tver dicta, quam Volga fluvius interlabitur. In altera autem Volgae ripa castrum ligneum sibi conjunctum habet, ex cujus opposito Tvertza fluvius Volgam influit. Haec civitas monetam argenteam propriam habet, quae valore Moscoviticae aequatur.

Torsok oppidum 10 miliaribus Polonicis a Tveria abest. Hujus olim pars dimidia Novogrodiensi, altera Tverensi Ducatui suhjacebat. Porro hic Ducatus Tverensis a Joanne Basilii, Moscoviae Principe, avo moderni Ducis occupatus est.

## DUCATUS PSCOVIENSIS.

Psokovia Principatus, olim amplissima sui juris ditio erat. Sed a Joanne Basilii, anno Dominii 1509 occupatus est. In eo est civitas celebris totius regionis metropolis, Pescovia, gentiliter Pskow dicta, ad lacum Pskova dictum sita, ex quo ejusdem nominis fluvius emergit, ac mediam civitatem interfluit, indeque sex miliaribus emensis in lacum Czudsko, vel Czudzin dictum ingreditur. Sola autem Pscovia in toto Mosci imperio muro cincta est, quae in quatuor partes dividitur, et earum singulae suis moenibus clauduntur. Distatque haec civitas

Digitized by Google

Occidentem versus a Novogrodia magna 36 miliaribus a Vielikije Luki, et a regia Livoniae metropoli 60. Facilis ex Pscovia in mare Balticum esset navigatio, sed scopuli quidam non longe ab Ivanow Gorod, et Nerva castris, in finibus Livoniae impedimento sunt, ubi 2 miliaribus emensis Nerva fluvius pluribus fluviis haustis in mare exoneratur. Hanc civitatem anno supra dicto Moscoviae Dux proditione sacerdotum occupavit, civibusque in Moscoviam abductis, et in eorum locum Moscovitis substitutis libertatem Pscoviensium, quam strenue multis annis propugnabant, prorsus diminuit, ejusque titulum sibi usurpat.

## DUCATUS NOVOGRODIAE MAGNAE.

Novogrodiae magnae Principatus amplissimus olim, ex totius Russiae Ducatibus erat. Cujus imperium Rurik Varegus sorte sibi oblatum, inprimis administrabat, et tandem post eum successores ejus latissime ad Graeciam usque imperium suum extendebant. Et tunc temporis amplissimam ditionem in quinque partes distributam habebat. Imperiumque suum Orientem, Meridiem, et Septentrionem versus, magna ex parte extendens, Lithuaniam Finlandiam, Suetiam, et Nordvegiam ipsam attingebat.

Est autem in hoc principatu civitas ingens et ampla Novogrodia magna appellata, gentiliter Novogrod vieliki dicitur. Eam Volchow fluvius navigabilis interfluit, qui ex Ilmen lacu duobus verst supra civitatem emergens in alium locum, (Novogrodia magna interlapsa) Ladoga dictum, exoneratur: triginta sex Polonicis miliriaribus emensis.

Porro Ilmen lacus supra Novogrodiam duobus verst situs, in longitudinem decem et octo miliriaribus Polonicis, in latitudinem vero duodecim patet, duosque praeter alios celebriores fluvios excipit, Lovat, et Scholona dictos, unum vero emittit, Volchow dictum, qui Novogrodiam interfluit. Distat autem Novogrodia Occidentem aestivalem versus a Moscovia centum viginti miliaribus, a Pscovia triginta sex, ab Ivanow Gorod, et Vielikije, Luki quadraginta. In hac civitate erat olim quoddam idolum Perun appellatum, hoc in loco, quo nunc est monasterium, Perunski monastyr ab idolo eodem dictum. Hoc idolum a Novogrodensibus praecipue cultu latriae adorabatur: habebat autem formam hominis lapidem ignitum manu tenentis, similem fulmini. Nam Perun Ruthenis et Polonis fulmen significat. In hujus laudem et honorem ignis ex quercubus, qui perpetuo die nocteque arderet, construebatur. Quod si negligentia ministrorum, ad hoc officium obeundum designatorum, ignem extingui contingeret, tunc capitis poena plectebantur.

Currente anno Domini 1470 cum Theophilus Archiepiscopus Novogrodiae, sua auctoritate totam ditionem Novogrodiensem gubernaret, Regi Poloniae Casimiro tunc temporis magno Duci Lithuaniae persolvens, Joannes Basilii Moscorum Dux Novogrodiensem principatum, gravi acerrimoque bello per septem perpetuos annos pressit, ipsamque civitatem Novogrodiam saepius obstinate oppugnabat. Tandem anno Domini 1477 ad fluvium Scholona dictum Novogrodenses bello superavit, eosque ad deditionem civitatis et totius regionis compulit, et locum tenentem suum illis constituit. Cum autem nondum absolutum se imperium in Novogardiensis habere intellexisset, auxilio praedicti Theophili Archiepiscopi, in Novogardiam armata manu venit, sub praetextu religionis conservandae, quasi cives quosdam a Ruthenico ritu, ad Romanam Ecclesiam deficere volentes, cohibere proposuisset, hacque simulationn Novogrodiam ingressus, incolas ad miserrimam servitutem redegit, cives, mercatoresque omnes, bonis omnibus, (parte unicuique quarta relicta,) spoliavit, ipsumque Archiepiscopum proventibus omnique auro et argento privavit, et alium Episcopum. (parva duntaxat redditiuum portione illi concessa,) in locum ejus constituit.

Russa, oppidulum vetustissimum olim antiqua Russia dictum, a Novogrodia 12 miliaribus distat, quod fluvius salsus praeterfluit, quem incolae fossa ampla in modum lacus coercent, indeque aquam per cannales nusquisque ad suas aedes deducunt, et ex ea sal coquunt.

Ivanow Gorod ars, quam Joannes Basiliades Moscoviae Dux, a quo et nomen accepit, ad ripam Nervae fluvii ex lapidibus sectis extruxit, distat a Novogardia magna 40 miliaribus a Pscovia totidem. Juxta hanc arcem est civitas lignea Nerva a fluvio appellata, ubi Novogrodenses, et Pscovienses merces suas deponere solent. Est ibi quoque ex adverso in altera ripa Livoniensium castrum et civitas, quod etiam ab eodem fluvio Nerva appellatur, atque haec duo castra Nerva fluvius interfluens, Moscoviae olim imperium a Livoniensi dislimitabat: Sed nunc Joannes Basiliades modernus Princeps Mosco-

Digitized by Google

viae, Nerva arce Livoniensium cum caeteris potitus, ulterius fines suos promovit. Nerva autem fluvius ex lacu Czudsko dicto oritur, duobusque in se receptis fluviis, Pscova, et Vielika Reka dictis, ex Meridie venientibus Ivanow Gorod, et Nervam civitatem interfluit, indeque in mare Livonicum exoneratur. Hoc fluvio ex Moscovia merces in mare deportantur. praecipue ex Pscoviae et Novogrodiae magnae regionibus.

Jamma Castrum, 12 miliaribus ab Ivanow Gorod, et Nerva situm est, ad Plussae fluvii ostia Septentrionem versus. Deinde spacio 4 miliaribus a Jamma, castrum et civitas Coporogia dicta, ad fluvium ejusdem nominis occurrit. Hinc Septentrionem versus, 25 miliaribus per Oreszek, et Corelam civitates, ad fluvium Polna pervenitur, qui imperium Moscorum a Finlandia Suetiae Regi subjecta dislimitat.

## VODZKA REGIO.

Haec regio a Novogrodia magna, triginta miliaribus distans, inter Occidentem et Septentrionem sita est. cujus incolae proprium idioma habent, aliquantulum a Ruthenico differens, in eam animalia cujuscunque generis, si aliende inducta fuerint, colorem suum in albedinem mutare perhibentur.

## CORELA PROVINCIA.

Haec provincia suum proprium idioma habet, a Novogrodia Septentrionem versus, sexaginta miliaribus Polonicis distat, cujus incole Moscorum Duci et Suetensium Regi propter utriusque vicinitatem tributa pendunt. Hujus provinciae fines ad mare usque glaciale protenduntur.

Solovki Insula Septentrionem versus, inter Dvinam et Corelam provincias octo miliaribus Polonicis a terra in mari sita est, Moscoviae Duci subjecta. Estque ibi monasterium Ruthenicum insigne, in quod mulieribus ingressus gravi sub poena prohibetur. Distat autem haec Insula a Moscovia trecentis miliiaribus a Bielojezioro 200 miliaribus Polonicis. Sal ibi copiosius decoquitur. Solem illic in aestivali Solstitio perpetuo, duabus tantum horis exceptis, splendere affirmant.

## DVINA PROVINCIA.

Haec provincia in ipso Septentrione sita est, Novogardensiumque olim ditionis erat, et a fluvio praeterlabente Dvina dicto nomen sortita est. Fluvius autem ipse ab Jug, et Suchana fluviorum duorum confluxu Dvinae nomen accepit. Dvina enim Ruthenis binos significat. Hic fluvius postquam Jug, et Suchana confluxerunt, Dvinae nomine assumpto, emensis centum miliaribus, Oceanum Septentrionalem qui Suetiam et Nordvegiam alluit, sex ostiis ingreditur. Numerantur autem a Moscovia civitate, trecenta miliaria Polonica ad ostia ejus. Haec provincia, quamvis centum miliaribus pateat, praeter Colmogoram, tamen Castrum, et Dvinam civitatem, quae in medio regionis sita est castrumque Pinega in ipsis Dvinae ostiis conditum, oppidis et castris prorsus vacua est. Pagis tamen compluribus abundat, qui propter terrae sterilitatem magno tractu longe lateque ab invicem distant. Incolae vero ex piscibus ferisque omnis generis victum, ex pellibus vero amictum acquirunt, panis enim usum prorsus ignorant. In maritimis hujus regionis locis, ursi albi majori ex parte in mari degentes reperiuntur, quorum pelles cum caeteris varii generis, animalium pellibus incolae magno Duci pro tributo dant, atque ita in Moscoviam saepius deferuntur. Regio ipsa toto falsifera est, ex qua caeterarum regionum circumadjacentium incolae, sal habere solent.

## USTJUGA REGIO.

A Dvina ex Septentrione in Meridiem procedendo Ustjug civitas et arx, a qua et regio nomen accepit, occurrit, ad fluvium Suchana condita. Distatque a Vologda civitate centum miliarium a Bielojesero centum quadraginta. Dicitur autem Ustjug, ab Ustie, quod ostium Latinis sonat, et Jug fluvio ex Meridie in Septentrionem currente, ad cujus ostia primo sita erat sed postea propter loci oportunitatem, ad dimidium miliare supra ostia ejus, ubi in Suchanam ingreditur, translata est, et antiquo nomine Ustjug hucusque appellatur. Haec regio olim Novogardensibus tributaria erat, in qua nullus propemodum panis usus habetur. Qua propter incolae ex piscibus et feris victum quaeritant. Idioma proprium, quamvis Ruthenico magis utan-

Digitized by Google

tur, habent. Sal ex Dvina regione supradicta eis advehitur. Omnis generis ferarum pellibus abundant, praecipue vulpinis nigris, quae interdum zebellinis aequiparantur, Zebellinorum pelles illic nec multae, nec admodum bonae reperiuntur.

## VOLOGDA PROVINCIA.

Haec provincia inter Orientem et Septentrionem sita est, habetque civitatem ejusdem nominis et arcem, natura loci munitissimam, in qua magnus Dux Moscoviae thesauri sui partem temporis necessitatis condere solet. Abest autem a Jaroslaw 50 miliaribus Polonicis, a Bieloosero 40 eam fluvius Vologda in Septentrionem ex Occidente fluens, praeterlabitur, a quo civitas ipsa et provincia denominata est. In hac regione viatores certam itineris rationem, propter crebras paludes et fluviorum anfractus observare non possunt, tota enim palustrosa et sylvestris est, et quo ulterius progreditur, eo plures et inviae paludes fluviique occurrunt, quondam sub Novogardiae magnae ditione erat.

Vaga fluvius, piscibus omnis generis abundans, inter Bieloosero et Vologdam in paludibus, densissimisque sylvis oritur, ac in Dvinam fluvium illabitur. Accolae autem hujus fluvii panis usum penitus ignorant, ferisque venatione partim victitant, pellibus vulpinis nigris et coloris cinericei abundant.

## BIELOOSERO DUCATUS.

Bieloosero, quasi dicas albus lacus, est regio ampla, una ex Ducatibus Russiae in Septentrione sita juxta lacum ingentem, a quo nomen ipsa regio et arx, civitasque traxit. Hujus Ducatus titulo magnus Dux Moscoviae utitur. Hic autem lacus 13 miliaribus Polonicis in longitudinem, totidemque in latitudinem stagnat, et triginta sex fluvios excipit, unum vero duntaxat Sosna emittit, qui 15 miliaria supra Jaroslaw, et 4 miliaria infra Mologam civitates emensis, fluvio Volgae celebri commiscetur. In hoc lacu est arx natura loci munitissima, inexpugnabilisque, in qua Princeps Moscoviae thesaurum suum recondere solet, illicque tempore necessitatis hostibus urgentibus, velut ad asylum quoddam confugit. Abest autem Bieloosero a Moscovia centum miliaribus a Novogardia magna totidem. Regio pene toto palustrosa sylvosaque est, ideo viatoribus difficilem transitum praebet et haud commode ad eam, nisi stratis pontibus, concretisque glacie aquis pervenitur. Hujus loci incolae proprio idiomate utuntur, sed nunc fere omnes Ruthenice loquuntur. A lacu Bieloosero ad sagittae jactum est alius lacus sulphur copiose proferens, quod fluvius quidam ex eo emergens, seu spumas supranatantes secum defert. In hoc Ducatu, Sinaus Varegus sorte sibi e Rutheuis concesso, primus consederat, cujus etiam fratres, unus in Pscovia Truvor nomine, alter in Novogardia magna Rurik dictus, (de *quibus* supra,) imperabant.

## JAROSLAVIAE DUCATUS.

Jaroslaw civitas et arx lignea ampla, ad Volgam fluvium sita, 46 miliaribus a Moscovia distat. Regio ei adjacens fertilissima est, praesertim ea parte, qua ad Volgam vergit. Haec olim secundo genitis magnorum Ducum Moscoviae attributa erat, quos Joannes Basiliades Moscoviae monarcha, principatu expulsos in servitutem redegit, ex quorum progenie adhuc supersunt, qui Knesi (id est, Duces) Jaroslavsci dicuntur, sed parvam in regione redditnum partem retinent. Ipse enim Dux Moscoviae et titulum et Ducatum sibi vendicat.

## ROSTOVIAE DUCATUS.

Hic Ducatus inter praecipuos et antiquiores Russiae principatus, post Novogardiam magnam olim habebatur, et secundo genitis magnorum Ducem Russiae attributus erat, quorum posteri per Joannem Basilii, avum moderni Ducis Joannis Basiliadis eo exuti sunt. In hoc Ducatu est civitas et arx lignea Rostow dicta, regionis caput, in qua Archiepiscopus sedem suam habet, a Moscovia 34 miliaribus distat. Sita autem est ad lacum quendam, ex quo Cotorea fluvius emergit, et Jaroslavia civitate praeterlapsa in Volgam illabitur. Hujus Ducatus titulo Moscoviae Dux utitur, novissimumque hujus regionis haeredem, ex progenie Ducum Russiae, anno Domini 1565 Joannes Basiliades Moscoviae Dux tyrannice trucidavit, progeniemque ejus funditus delevit.

Uglicz civitas cum castro, ad Volgam fluvium condita, distat a Moscovia 24 miliaribus a Jaroslavia triginta.

Digitized by Google

Chlopigrod civitas 2 miliaribus distat ab Uglicz, in ea celeberrimae frequenter fiunt nundinae, ad quas Suetenses, Livonienses, Rutheni, Lithuani, Tartari, et aliae quamplurimae gentes confluunt, omnes vero tantum permutatione rerum utuntur.

Pereaslaw, civitas et castrum, ad lacum quendam a Septentrione in Orientem reflectendo sita est, a Moscovia 24 a Rostow 10 miliaribus distat. Juxta hanc est lacus quidam, ex quo sal copiose decoquitur.

## SUSDALIENSIS DUCATUS.

Ducatus Susdali, cum ejusdem nominis castro et civitate, in qua sedes Episcopalis est, Rostoviae et Volodimeriae adjacet, inter praecipuos olim Russiae Principatus numerabatur, ac reliquarum Russiae partium metropolis erat. Hunc Ducatum secundo geniti Ducum Moscoviae jure haereditario possidebant, quorum tandem posteri per Joannem Basilii avum moderni Ducis Moscoviae, eo expulsi et spoliati sunt.

Castromowgorod civitas cum castro, in confluxu Costromae et Volgae fluviorum sita est, 20 miliaribus a Jaroslavia Orientem aestivalem versus distat.

Galicz Provincia cum civitate et castro ejusdem nominis ex Moscovia in Orientem, per Castromowgorod euntibus occurrit. In ea propter crebras paludes, fluvios et sylvas densissimas ratio vera itinerum observari non potest.

## VJATKA REGIO.

Haec regio ab ejusdem nominis fluvio denominata est, in cujus littore hae civitates sitae sunt: Chilinova, Orlo, Cotelnicz, et Sloboda. Orlo 4 miliar. infra Chilinovam sita est. Deinde 6 miliar. Occidentem versus procedendo. Sloboda et Cotelnicz civitates, ad Reczitza fluvium sitae, qui ex Oriente fluens in Vjatkam influit, occurrunt. Haec regio in Orientem aestivalem porrecta, 150 miliar. a Moscovia distat. Tota fere palustris et sterilis est, melle, feris piscibus, aspreolisque abundans, in ea Ceremissae populi passim vagantes latrocinantur. Haec olim sub Tartarorum imperio erat, sed monarcha Moscoviae Basilius, Tartaris expulsis eam sibi subjugavit, tituloque ejus (Ducem se Vjatkae appellans) utitur. Attamen Tartari ultra citraque, Vjatkam fluvium, adhuc in campestribus habitant, maxime vero in ostiis Vjatke, ubi in Camam fluvium ingentem exoneratur.

## PERMIA REGIO.

Permia magna et ampla regio, a Moscovia 250. mil. distat. In ea est civitas ejusdem nominis ad Vischoram fluvium sita, qui 10 mil. inde emensis in Camam fluvium exoneratur. Incolae hujus regionis pane rarissime utuntur, et cervina plerunque carne, aliarumque ferarum victitant. Idioma proprium, literas quoque a Rutenicis differentes habent, quas Stephanus Episcopus, (qui eos ad fidem Christi rebelles convertit) adinvenit qui postea apud Ruthenos catalogo Sanctorum adscriptus est. Quendam vero Episcopum, Stephani hujus antecessorem, Permiani, cum eos ad fidem Christi convertero nitebatur, exoriaverunt. Supersunt adhuc plurimi ex iis idolatrae, passim in sylvis degentes. Hyeme per nives traheis itinera faciunt, quas vel canes vel cervi albi (quos in hunc usum pro jumentis habent) trahere solent. Pedites autem in Nartis (quemadmodum in plurimis Russiae locis mos est) celeriter per nivem iter conficiunt. Hae autem nartae sunt ligneae quaedam, et oblongae duorum trium ve cubituum longitudine, quibus in pedes inductis baculo cum cuspide suffulti, celerrime feruntur, adeo ut nullo modo equi, quamvis agilissimi cursu insequi possint, nam equo currenti asperitas nivis montes, caeteraque viae obstacula impedimento sunt. in nartarum autem instrumentis currentes, colles, truncos foveasque, facillime transiliunt, hocque modo feras omnis generis apprehendere et capere telis transfigendo solent. Huic regioni Tumen regnum, cujus Princeps Tartarus, conterminum est.

## SIBIR PROVINCIA.

Haec provincia ad Camam fluvium inter Permiam et Vjatkam regiones sita est, quae castris et civitatibus vacua prorsus est. In ea Jaik fluvius ingens oritur, qui Tartarorum campestribus praeterlapsis, in Caspium mare influit. Incolae ejus proprio idiomate utuntur, panis usum nesciunt, sed ferina carne victitant. Mercimonia ex aspreolorum pellibus (qui apud eos praestantissimi reperiuntur) exercent, pro

Digitized by Google

tributoque easdem magno Moscoviae Duci pendunt.

Regio ipsa tota fere palustris et silvestris est, et propter Tartarorum vicinitatem magna ex parte deserta dicitur.

## JUGRA REGIO.

Jugra sive Juhra regio, cujus incolae Juhri vel Jugrici appelantur, ad Oceanum Septentrionalem sita est, ex ea Hungaros sterilitate regionis causata olim prodiisse, et Pannoniam occupasse ferunt, ajunt que eos patriis locis egressos, primo ad paludes Meotidis consedisse. Deinde ad Danubium fluvium Pannoniam versus concessisse, a suique denominatione Pannoniam Juhariam, deinde Ungariam nominasse, et Duce Atila multas provincias Asiae et Europae debellasse Hinc ergo Moscovitae plurimum gloriantur, dicentes subditos suos quondam Germaniae, Italiae, Graeciacque fines vastasse, totoque mundo terribiles esse. Indigenae hujus regionis vectigal magno Moscorum Principi solvunt, eodemque idiomate eum Ungaris utuntur.

## PECZORA REGIO.

Peczora magni Ducis Moscorum ditio, longo tractu in Septentrionalem et orientalem plagam fines suos juxta mare glaciale extendit. Denominata est a fluvio ejusdem nominis Peczora dicto, qui a meridie fluens in Oceanum glacialem juxta oppidum et castrum Pusteosiero dictum, sex amplis ostiis exoneratur. Circa hunc fluvium sunt montes, rupesque in altum prominentes, Ziemnojpojas Ruthenis, id est, cingulus terrae dicti, quorum vertices ob continuos ventorum flatus nudi absque gramine sunt, nivibus frequenter rigentes. Crescunt autem illic arbores Cedri, circa quas nigerrimi zebelli reperiuntur, aves etiam rapaces varii generis in his montibus nidificant, praecipue vero Falcones albi ad venandas aves promptissimi, qui inde in Moscoviam afferuntur, eisque magnus Dux in venatione uti solet. Atque in Principis Moscoviae imperio hi montes, quos veteres Riphaeos sive Hyperboreos (variis in locis situm eorum ponentes) vocabant, existunt. Hi autem montes perpetuis nivibus gelu concretis albent, difficilem que transitum iter carpentibus praebent. Tantae enim altitudinis dicuntur, ut quidam a Moscorum Principe ad id destinati, decem septem dies in ascendendo quodam monte transigerint, attamen nequaquam verticem montis attingere potuerunt. Qui autem ex Moscovia ad Peczoram proficisci volunt, per Ustjugam et Dvinam provincias transeuntes, recta in Permiam regionem, quae a Moscovia ducentis quinquaginta miliaribus distat, perveniunt, indeque usitato magis itinere Peczoram attingunt. Incolae hujus regionis simplicissimi sunt, idioma proprium habent, panis apud eos nullus usus habetur. Anno Domini supra millesimum quingentesimum decimo octavo, Ruthenico ritu sacro baptismi fonte abluti sunt. Pelles ferarum varias magno Moscorum Duci pro tributo pendunt. In ostiis Peczorae fluvii est castrum et oppidum Pusteoziero dictum, ultra quod in littore Oceani Septentrionalis variae gentes sunt, quae communiter Ruthenis Samojedy (id est, se ipsos comedentes) appellantur. Hae gentes in Moscoviam non veniunt, aliorum enim hominum coetum, vitaeque societatem maxime refugiunt. Avium diversarumque ferarum copia supra modum abundant, ut pote zebelibus, castoribus, hermelis, aspreolis, ursibus albis, lupis, leporibus et id genus aliis animalibus. Praeterea in Oceano eis adjacenti pisces diversi generis et equi marini crescunt, in eodem Oceano varia magnaque animalia dicuntur esse, inter alia autem belua quaedam magnitudine bovis, quam Moscoviae Mors appellant. Haec belua in mari, aliquando vero in terra degit, boatus terrificos edit. Breves instar castoris pedes habet, pectore prominenti latoque dentibus superioribus in longum prominentibus. Dumque Oceano relicto in terram praedae capiendae gratia exire cupit, tum dentibus (quos longos habet) per promontoria mari impendentia affixa vertices montium ascendit. Tandem posterioribus pedibus, dentibus admotis summa cum celeritate in terram delabitur, omniaque obvia aliquando per decem vel amplius miliaria, devorans, maetansque grassatur, et tandem in Oceanum revertitur, multoties autem ab incolis superiora montium occupantibus, telis et lapidibus priusquam montes ascendat prohibetur, hocque modo frequenter opprimitur. Ex harum autem beluarum dentibus, Moscoviae, Turcae, Tartarique, manubria pugionum, cultellorumque, praestantiores etiam framearum subtiliter conficiunt, solum autem propter dentes capiuntur, magno enim pretio apud Turcas et Tartaros veneunt. Ad eundem

Digitized by Google

Peczoram fluvium est castrum et oppidum Papinovgorod dictum, hujus accolae Papini dicuntur, diversumque a Ruthenico idioma habent, et Duci Moscorum tributa solvunt.

## OBDORJA REGIO.

Obdorja a fluvio praeterlabente Obbi dicto denominationem accepit, qui ex lacu quodam amplissimo Kitajsko nominato emergit, ab Orienteque in Septentrionem fluens, sex ostiis in Oceanum Septentrionalem exoneratur, ad oppidum autem Obbi dictum est tam vastae amplitudinis ut sedecim miliarium Polonicorum, octoginta autem verst Moscovitarum in latitudinem pateat, vixque duobus diebus navigio quamvis ventis *vela* impellentibus tranatur, sicque abundat *piscibus*, ut navigantium remigiis premantur. *Huic* quoque fluvio Voguliczi et Hugriczi populi accoluut, multa ibi variique generis animalia capiuntur, quibus regionis incolae, (Panis enim usum nesciunt) victitant, pellibusque Moscorum Principi tributa persolvunt.

## DE IDOLO AUREAE ANUS.

In hac Obdorjae regione ad ostia Obbi fluvii, est quoddam antiquissimum idolum de lapide excisum, quod Moscovitis Zolota baba, id est, aurea anus dicitur. Est autem similitudo mulieris vetulae infantem in gremio tenentis, et alterum juxta se infantem habentis, quem nepotem illius esse incolae dicunt. Hoc idolum ab Obdorianis, Juhriscis, et Vohuliscis, aliisque conterminis gentibus cultu latriae veneratur, praestantissimasque et maximi pretii pelles zebellinas idolo offerunt, una cum reliquarum ferarum pretiosis pellibus, cervos quoque selectiores ad sacrificium peragendum mactant, quorum sanguine os, oculos et reliqua simulacri membra perungunt. Intestina autem cruda sacrificii devorant, et inter sacrificandum sacer idolum consulit, quid ipsis faciendum, quove migrandum sit. Ipsum autem (dictu mirum) certa consulentibus responsa dare, certosque rerum eventus praedicere solet. Dicuntur etiam in montibus vicinis huic idolo sonitus boatusque quidam audiri, qui perpetuo sonitum in modum clangoris tubarum edunt. Hoc autem nihil aliud esse dicerem, nisi instrumenta quaedam illic antiquitus posita, vel canales subterraneos, sic natura ipsa effectos, qui ventorum perpetuo flatu sonum, boatumque et clangorem continuo efficiunt.

Ab Obbi fluvio a parte sinistra ascendendo, Calami populi dicti in campestribus degentes occurrunt, Moscorum Ducis tributarii.

Infra Obbi fluvii ostia et auream anum sunt complures ingentes fluvii, Irtischae, Beresva, Sosa, Tachnim, Danadim et caeteri multi ex montibus cingulus terrae dictis emergentes. Horum fluviorum accolae ad auream anum usque et Oceanum Septentrionalem habitantes, magno Moscorum Duci tributa persolvere dicuntur.

## CONDORA REGIO.

Haec regio ad Oceanum Septentrionalem sita, Obdorjae regioni vicina est, tota fere sylvis fluminibusque obsita, ejus indigenae proprio idiomate utuntur, et aureae anus idolum cum Obdorianis colunt, ferarum carnibus, quibus omnis generis copiose affluunt, pro cibo utuntur, pelles vero varias Moscorum Principi pro tributo pendunt. Regio civitatibus, castris, pagisque prorsus vacua est. Hujus titulo Moscorum Dux, (Ducem se appellans Condoriae) utitur.

## LUCOMORIA REGIO.

Lucomoria regio longo tractu juxta mare Septentrionale extenditur, ab incolisque sine ullis aedibus in sylvis et campis habitantur. Huic regioni confines sunt Grustintzi, et Serponovtzi populi a castro Grustina ad lacum Kitajsko sito dicti, ubi Obbi fluvius supradictus fontes suos habet. Ab hoc lacu homines nigri, communis sermonis expertes, ad Grustinam arcem venire solent, secum adferentes varias merces, praecipue autem uniones, gemmas, lapidesque pretiosos, quas Grustintzi et Serponovtzi, rerum transmutatione facta ab eis mercantur. Hae autem gentes Lucomoriae, item Grustintzi, et Serponovtzi, et quaecunque infra Obbi fluvium et calum Kitajsko dictum, juxtaque flumina Sosa, Beresva, Danadim, et Tachmin habitantes, ad Oceanum glacialem usque magno Moscorum Duci, vectigales dicuntur. Porro de quibusdam populis in Lucomoria habitantibus, portentosum et dictu incredibile quiddam refertur, quasi illi quotannis 27 mensis Novembris



Digitized by Google

die, velut hirundines et ranae, prae intenso frigore brumali moriantur. Postea redeunte vere 21 Aprilis die, eos denuo reviviscere ajunt. Hi autem hoc modo commercia cum Grustentziis et Serponovtziis populis sibi vicinis habere dicuntur, cum jam futuram mortem sibi imminere sentiunt, tunc merces suas certis in locis deponunt, quas Grustintzi et Serponovtzi suis mercibus interim aequivalentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi autem reviviscentes, illas merces, si aequa commutatione sibi placuerint, pro suis uccipiunt: sin minus justae fuerint, a Grustintziis et Serponovtziis suas repetunt, unde lites et bella hac de causa inter eos saepissime oriri dicuntur. Ex Lucomoriae montibus Cossin fluvius dictus, ingens oritur, qui Lucomoria praeterlapsa, in magnum fluvium Tachmin dictum exoneratur. In Tachmin autem fluvio pisces quidam nasci dicuntur, qui capite, oculis, naso, ore, manibus, pedibusque hominem referunt, sed absque ullae vocis expressione. Ajunt quoque ultra hanc fluvium prodigiosae formae homines habitare, quorum alii ferarum more pilis rigent, alii caninis cum capitibus in speluncis subterraneis victitant.

## LOPPIA REGIO.

A Lucumoria ulterius ad Oceanum glacialem procedendo Loppi populi, barbarie et feritate rigentes in campestribus et sylvis degentes occurrunt. Hi nusquam certas sedes habent, sed uuo in loco feris piscibusque, quibus victitant (panis enim usum nesciunt) depastis alio commigrant. Tuguriola sua, in quibus habitant, corticibus arborum cespitibusque tegunt, vestibus ex diversis ferarum pellibus zebellinis, hermelinis, cervinis, et id genus aliis insimul consutis utuntur, eorumque hujusmodi vestitus interdum in Moscoviam a mercatoribus defertur, pileis etiam et caligis ex cervinis pellibus confectis utuntur. Tributi autem loco pelles et pisces, quorum copia affluunt, magno Moscorum Duci pendunt. Idioma suum proprium habent, quod ab aliis non intelligitur, ideo apud exteros propemodum muti esse videntur. Sagittarii autem omnes sunt peritissimi, adeo ut si quas in venatione praestantiores feras nanciscantur, eas (ut pelles eorum integrae et intactae sint) missa sagitta in nasum oculosve interficiunt. Hi etiam feras in nartis hyeme per nives insequuntur, insecutasque sagittis confi-

eiunt, mercatores ad se ex variis regionibus quaestus gratia venientes, libenter excipiunt, quos in tuguriolis suis cum uxoribus relinquunt, ipsi vero interim venatum abeunt, reversi, si uxores hospitum concubitu consuetudineque laetiores et hilariores invenerint, munere aliquo hospitem donant, sin minus, turpiter convitiis lacessitum expellunt.

Monetae pecuniariae nullus apud eos usus, sed cum mercatoribus adventitiis rerum permutatione utuntur, et pro panno crasso vilosoque, item pro securibus, acubus, cochlearibus, cultris, poculis, speculis, et id genus aliis rebus pelles ferarum varii generis mercatoribus dant. Regio quam inhabitant, frigidissima est, solem ibi aestivalis solstitii tempore, quadraginta diebus perpetuo splendere (tribus noctis horis exceptis) perhibent, quibus sol velut quadam caligine obducitur, ut radii illius non appareant. Nihilominus tamen laborantes ab opere suo excluduntur. In his quoque partibus montes in altum eminentissimi dicuntur esse, qui ad Aethnae (montis in Sicilia) similitudinem, flammas semper eructant, in quibus Salamandrae animalia quaedam, lacertarum similitudine, quae in igne non secus ac pisces in aquis vivunt, crescere perhibentur.

Ultra Oceanum etiam glacialem regionem quandam Engroneland dictam, quasi incognitam ajunt esse. Haec tum ob altos montes, qui perpetuis semper nivibus rigent, tum etiam ob perpetuam glaciem mari innatantem (quae periculosam navigationem facit) a commercio, conversationeque caeterarum gentium aliena sejunctaque est, ideo incognita dicitur.

Moscovitae se plurimum jactant, quod Princeps eorum ex hac quoque remotissima, et fere ultima orbis regione tributa exigat. Hoc quamvis verisimile non sit, tolerari tamen aliquo modo potest, cum alios vicinos Principes, qui ab ipsis tributa exigerent, non habeant.

Atque hic finis regionum Septentrionalium, glacialique mari adjacentium (quae Moscorum principis sunt tributariae) esto. Nunc ad caeteras regiones describendas, Meridiem Orientemque versus sitas. Moscovitis confines revertar.

## CZEREMISSI POPULI.

Czeremissi, Mordovotes, et Vachines, inter Vjatkam et Vologdam provincias, quarum supra mentionem fecimus, longe lateque in vastis syl-

Digitized by Google

vis, sine ullis aedibus habitant. Proprium idioma habent, Mahometisque sectam amplectuntur, quidam etiam gentiliter, (nullam Dei notitiam habentes) vivunt. Omnes autem furtis et latrociniis intenti, et carminibus magicis exorcismisque maxime dediti sunt. Adversus sagittarum telorumque jactus intrepidi. Ferina carne et melle (cujus alveariis abundant) magna ex parte victitant. Pane enim raro utuntur. Omnes tam viri quam feminae cursu velocissimi sunt, sagittariisque peritissimi, arcum nunquam de manibus deponunt, quo adeo oblectantur, ut etiam filiis cibum obstinatissime prohibeant, nisi prius signum praesignatum ex arcu sagitta ferirent. Artificium laborque eorum feras venari, et sagittis figere, quorum carne vescuntur, pellibusque vestiuntur, ac easdem pro tributo magno Duci Moscorum pendunt. Inter venandum autem, nartarum instrumento pedibus inducto, (cujus in Permiae descriptione supra memoravimus), utuntur: in quo agilissime velocissimeque feras insequendo feruntur. Quia vero harum nartarum instrumento velocissimi cursus, omnes fere septentrionales gentes, et ipsi Moscovitae, Ruthenique communiter utuntur, imaginem usus earum subjiciemus. Sunt autem longae quaedam ligneae soleae longitudinem trium cubitorum adaequantes, in anteriori parte in modum trahearum erectae, quidam vero hoc instrumentum ad suae proportionis staturam in longitudinem conficiunt, quo in utrumque pedem inducto velocissime feruntur.

## MORDVA POPULI.

A Novogrodia inferiore, quam superius descripsimus, Orientem et Meridiem versus, vastae ingentesque occurrunt sylvae, quas Mordva populi sic dicti, magno juxta Volgam fluvium insignem tractu inhabitant. Idioma proprium habent, in pagis passim degunt, agriculturamque exercent. Melle, diversisque animalium pellibus pretiosis abundant. Homines sunt duri et bellicosi, Tartarosque latrocinantes (quos in vicinio habent,) a finibus suis fortiter propulsant omnes fere pedites incedunt, arcubus oblongis utuntur, sagitandique peritia pollent, feras praestantiores, ut pellibus eorum integris et intactis potirentur, in nasum sagitta missa interficiunt. Eorum quidam Machometi sectam amplectuntur, quidam vero in idololatria perseverant. Vectigal annuum magno Moscorum Principi pellibus diversicrum ferarum solvunt. Mulieres eorum decoris causa ungues nigro colore artificialiter inficiunt, apertoque capite et crinibus passis semper incedunt. His aliae gentes Czeremissi intermixtae sunt, qui ad differentiam Czeremissorum Septentrionalium, de quibus supra superiores Czeremissi, sive montani, a collibus quos inhabitant, appellantur. Hic de vicinis conterminisque Moscovitico imperio, Tartaris Cazanensibus, caeterisque campestribus in ordas distributis nobis dicendum esset: sed ne orto rei interrumperetur, de moribus, religione, et vitae consuetudine Moscovitarum pauca subjicienda nobis, non abs re videntur. His autem absolutis, Tartarorum fines gentisque mores breviter attingemus.

## DE RELIGIONE MOSCOVITARUM,

OMNIUMQUE RUTHENORUM.

### CAPUT II.

Rutheni omnes postquam semel fidem Christianam Graecorum ritu, anno restitutae per Christum salutis 942. susceperunt, sub Olga Ducissa et Volodimiro filio ejus Monarcha Russiae in ea ad hunc usque diem unanimiter fortiterque perseverant. Quamvis quidam proceres Russiae Polono Regi subjectae, doctrinam Lutheranam et Zvinglianam sequantur, sed vulgus omne, majorque pars magnatum et nobilium, fidem antiquitus Graecorum ritu susceptam, firmiter retinent. Sic quoque omnes regiones Russiae, quae alba dicitur, Moscorum Principi subjectae, Christianae fidei, quam a Graecis susceperunt, vestigiis firmiter unanimiterque insistunt. Unus autem totius Russiae metropolitanus olim erat tam Moscorum, Lithuanorumque Ducibus, Regique Polonorum tributarius, qui sedem suam primo in Kijovia Russiae Lithuanorum Metropoli civitate retinebat, tandem in Volodimiriam, postremo in Moscoviam translata est. Cum autem Metropolitanem Moscoviae septimo uno quoque anno Russiam Lithuanis subjacentem, causa exigendarum pecuniarum inviseret, oblataque magna pecuniarum summa discederet. Vitoldus magnus Lithuaniae Dux re considerata, provinciis suis, ne thesaurexhaurirentur, consulere volens, Episcopis, Abbatibusque Russiae convocatis, judicio eorum Metropolitam in sua Russia elegit, qui sede)s suam Vilnae (quae est Lituaniae metropolism habet, in basilica D. virginis, quae Ruthenis

Digitized by Google

Preczista, id est, castissima dicitur. Hic autem metropolita raro Vilnae commoratur. Est vero Episcopus Vilnensis praecipuus, secundum ordinem Ecclesiae Romanae, ipsa enim Vilna Romanum ritum sequitur: sed media pars Ruthenorum eam incolit, pluresque Ecclesiae in ea Ruthenicae, quam Romanae conspiciuntur. Porro omnes Metropolitae Ruthenorum a patriarcha Constantinopolitano auctoritatem suam habent, et primo omnium Episcoporum, Abbatum, et totius ordinis spiritualis judicio, et consensu Metropolita eligebatur, sed nunc hanc auctoritatem magnus Dux Moscovitarum sibi asscivit, suoque judicio Metropolitam in Moscovia constituit.

A sancto Andrea Apostolo Rutheni se fidem Christianam suscepisse jactant, adhuc ante Olgam et Volodimirum, quem ex Graecia per pontum Euxinum ad ostia Boristenis fluvii, gentiliter Dnepr dicti, appulisse annales eorum testantur, et inde ad Kijoviam, tunc temporis metropolim Russiae, adverso fluvio pervenisse, atque ibi omnem terram Russiae benedixisse et baptisasse, signumque crucis cum illic constituisse. Ex Kijovia tandem ajunt, cum ad fontes Boristenis Dneprisko dictos, pervenisse. Indeque in Novogrodiam magnam, deinde per mare Germanicum Romam usque navigasse Postremo in Peloponeso Graeciae, sub Ago hujus nominis Rege, propter Christum crucifixum fuisse. Archiepiscopi in toto imperio Moscorum duo sunt, unus in Novogardia magna, qui habet praerogativam, infulam albam bicornem nostrorum Episcoporum more gestandi. Secundus in Rostovia. Episcopi sunt multi, videlicet Permiae, Susdaliae, Tverensis, Columniae, Czernigoviae, Resanensis, Smolenscensis, Plescoviensis, etc. Vestes eorum sunt sicut aliorum Monachorum nigrae, nisi quod aliquando sericeas ferunt, et praesertim pallium nigrum, quod habet a pectore tres fimbrias albas, ad similitudinem rivuli fluentis influxas, quod significat ex cordibus eorum rivulos doctrinae, fidei, et bonorum exemplorum scatere. Metrodolita autem, Archiepiscopi, et Episcopi, Abbates, Monachi, carnibus perpetuo abstinent. Proventus necessarios ex praediis, et aliis extraordinariis accidentibus, et beneficiis habent. Arces vero vel civitates, et omnes administrationes seculares, eis ademptae sunt. Sed metropolita Russiae Polono Regi subjectae, et alii Episcopi villas civitatesque possident.

Abbates qui Igonomei, priores qui Archimendritae dicuntur, et omnes Monachi durissimas, molestissimasque leges, et regulas praescriptas habent, nullo solatii genere recreari eis conceditur. Omnes non solum Principis, sed caeterorum nobilium mandatis parent: plures eorum ex monasteriis in heremum se conferunt, ibique in arctis tuguriolis, aut soli, aut cum sociis manent, victum de radicibus arborum et variis terrae herbis acquirunt.

In sacerdotii gradus hi tantum promoventur, qui diu apud Ecclesias servierunt. In Diaconum autem nemo consecratur, nisi uxorem habuerit, unde interdum et matrimonio copulantur, et in diaconatum consectantur. Praeterea qui virgini stuprum aliquando obtulerit, aut uxorem suam primo concubitu viciatam animadverterit, in diaconatum non ordinatur. Mortua uxore sacerdos a sacris prorsus suspenditur, nisi monasterium ingressus juxta regulam vivat, officiis etiam divinis peragendis, si caste viduus vixerit, velut minister cum caeteris Ecclesiae ministris choro interesse potest. Si autem viduus sacerdos aliam uxorem (quod eis liberum est) duxerit, is munere sacerdotali privatur, nihilque commune cum clero habet. Nullus sacerdotum monachorumve horas canonicas dicit, nisi habeat imaginem alicujus Divi praesentem, quam etiam nemo nisi cum magna veneratione attingit. Qui autem eam in publicum profert, manu eam in altum extollit, quam omnes praetereuntes cruce se signantes inclinando plurimum venerantur. Libros Evangelii maxima veneratione prosequuntur, neque eos manibus tangunt, nisi prius caput multoties inclinando, cruce se munierint. Omnes sacerdotes ex contributione quadam certa sustentantur. Assignantur etiam eis domunculae cum agris et pratis, unde victum suis vel famulorum manibus, more agricolarum acquirunt.

Sacerdotes Romanos confundunt, qui coelibem vitam ducere sese juramento obstringunt, cum sancta Synodus, quae fuit in Gangra, scribat in quarto canone: qui spernit sacerdotem secundum legem uxorem habentem, discens quod non liceat de manibus ejus sacramentum sumere, anathema sit. Id eadem Synodus dicit, Omnis sacerdos et diaconus propriam uxorem dimittens, sacerdotio privetur.

Habitu haud dissimili a secularibus vestiuntur, solummodo pileolum nigrum rotundum, quo rasuram tegunt, gestant. Comam ad brachia potensam nutriunt, omnes baculos Posoch dictos, quibus innituntur, cum manubriis incurvatis gestant.

Digitized by Google

Rutheni secundum Calendarium suum plurima festa divorum, non his diebus, quibus Romani celebrant. Trinitatis festum celebrant feria secunda Pentecostes, in octava autem Pentecostes festum omnium sanctorum obeunt. Festum vero corporis Christi more Romanae Ecclesiae non venerantur. Viri praestantiores peractis sacris, ebrietate, et commessationibus festos dies consumunt. Cives artificesque divinis peragendis interesse solent, quibus peractis laboribus domesticis, caeterisque negotiis incumbunt, dicentes feriari et a labore abstinere, dominorum esse.

Nicolaum sanctum inter caeteros divos praecipue venerantur, eumque divino fere cultu prosequuntur, templaque praecipua nomini ejus dicata erigunt, de cujus plurimis miraculis frequenter praedicant.

*Habent* etiam in Catalogo sanctorum Romanos quosdam Pontifices, quos inter sanctos venerantur. Caeteros vero, qui post eorum schisma fuerunt (quando a Romanis disjuncti sunt) execrantur, et pro haereticis gravissimis eos habent, eosque schismaticos appellant.

*In* septimo enim generali concilio, quod sub Adriano Papa celebratum est, conclusum esse dicunt, ut ea, quae in praecedentibus Synodis constituta conclusaque fuerint, in posterum quoque solida, rata, acceptaque et perpetua teneantur, nec post hac cuiquam sub gravi anathematis poena aliud concilium celebrare, aut accedere *licere*. *In his* autem septem conciliis hos Pontifices Romanos fuisse constat, quos Rutheni inter sanctos venerantur, dignosque cathedra St. Petri dicunt, ideo quod secum senirent *in prima* Synodo, Papam Sylvestrum, in secunda Damasum, in tertia Celestinum, in quarta Leonem, in quinta Vigilium, in sexta Orphanium, in septima Adrianum, omniaque Concilia et Synodos, post has septem praedictas Synodos celebrata, maledicta, perversa, et haeresi turpiter depravata esse, dicunt. Erat quidam Metropolitanus Russiae Isidorus nomine, qui sedem suam in Kijovia retinebat, is ad concilium Florentinum, quod celebratum est sub Eugenio Papa, venerat, ubi Ecclesias Ruthenicas abjectis Graecorum ritibus, cum Romana Ecclesia univerat; tandem in Russiam reversus, cum propositum suum et rem jam conclusam Ruthenis proponeret, illosque ex verbo Dei ad unitatem et concordiam fidei instrueret; omnibusque bonis spoliatus in carceres conjectus est.

Doctores, quorum dogmata Rutheni sequuntur, sunt hi, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, et Johannes Chrysostomus, quem illi Zlotousti, id est, aureum os habentem, appellant. Gregorii etiam Pontificis Romani libros de moralibus scriptos habent.

Sacrum, sive Missa Sclavonica lingua apud illos peragitur, intermixtis etiam aliquando cantionibus Graecis, Epistola et Evangelium, quo magis a populo percipiantur, extra chorum in medio Ecclesiae astanti populo, clara voce recitantur. Concionatoribus carent, satis enim esse putant sacris interfuisse, ac Evangelii Epistolarumque verba, quae vernacula lingua recitat sacrificulus, adivisse. Concionarique in suis Ecclesiis obstinatissime prohibent, dicunt enim, se hoc modo varias haereses et diversas de fide opiniones effugere, quae ex concionibus et subtilibus argumentis sophisticisque quaestionibus oriuntur.

Panem ad sacrificandum hoc modo sacrificant, unus eorum praeparatum panem ad sacrificandum in patena super capite, per minorem portam de sacrario egressus portat, alter vero coopertum calicem vino repletum, caeteris diaconis vel sacerdotibus imagines sanctorum, Petri, Pauli, Nicolai, vel Michaelis archangeli, magna populi circumstantis acclamatione et veneratione praeferunt, quidam ex circumstantibus acclamant vulgari oratione, Domine miserere, alii fronte terram gentili more percutiunt, quidam se signo crucis frequentius caput inclinando muniunt, varia denique veneratione ac cultu circumlata signa venerantur. Postea finito circuitu per mediam chori portam sacerdotes in sacrarium ingrediuntur, sacrumque peragunt. Quoties se signo crucis muniunt, id manu dextra sic faciunt, ut frontem primum, deinde pectus, mox dextram, ac demum sinistram pectoris partem punctis in formam crucis tangant. Quod si quis aliter se signo crucis munierit, hunc velut haereticum objurgant.

Gloriantur Rutheni, se solos cum Graecis veros Christianos esse, Romanos vero et alios Christianos damnant et execrantur, tanquam primitivae Ecclesiae desertores, et septem sanctarum Synodorum praevaricatores.

Baptismi sacramento Rutheni hoc modo utuntur: nato infante, sacerdos statim accersitur, qui ante fores puerperae habitationis certas orationes dicere solent, infantique nomine imposito domum revertitur. Postea puer in templum defertur, hocque modo baptisatur: in aquam immersus, chrismate quod in hebdomada, feria

Digitized by Google

sexta paschan praecedente, consecratum est, ungitur, deinde myrrha: Postea capillos infanti sacerdos abscindit, eosque cerae intricatos in ecclesia certo loco deponit. Sal autem et salivam Romano more cum pulvero mixtam inter baptisandum non adhibent, aquam vero baptismatis pro singulis infantibus consecrant, et continuo post baptismum in foveam ad id praeparatam, eam effundunt. Fidejussores vero vel susceptores infantis, quoties circa baptismum sacerdoti interroganti, an diabolo infans renunciaret, correspondent, toties in terram expuunt.

Confirmationis, seu inunctionis sacramentum maxime abhorrent, hoc que argumento vanam et damnabilem confirmationem esse approbant, quod in Synodis omnibus fere dictum sit, praecipue vero in Nicena, confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, cum autem unum sit baptisma, unum etiam esse chrisma, et virtutem eandem sacerdotis et Episcopi circa sacramenta distribuenda dicunt esse.

Purgatorium Graeci et Rutheni negant, sed dicunt unum quemque secundum opera sua post mortem locum designatum habere, ubi diem judicii extremi expectaret, pios quidem cum Angelis placidis, in lucidis et amoenissimis elysii viridiferis campis recumbere, impiis autem in obscuris, caecis, nigrisque caligine obductis voraginibus, cum angelis terribilibus destinatam esse mansionem, ad expectandam judicii diem, unde illae animae, quae in locis amoenissimis et splendidis, cum angelis placidis benignisque collocatae sunt, gratiam Dei sibi futuram cognoscunt, assidueque judicium extremum fieri petunt. Aliae contra condemnationem sibi imminere, et poenas terribiles in caliginosis voraginibus sitae praesagiunt, idque eo maxime allegant, quod animae post mortem in coelum statim non ascendunt, neque in infernum. Quibus enim illud verbum a Christo in novissimo die diceretur. Venite benedicti patris mei, possidere regnum coelorum etc. cum jam omnes antea in coelo sint, et contra, ite maledicti in ignem aeternum, cum jam olim in inferno condemnati fuerint. Neque etiam animam a corpore separatam poenis obnoxiam esse credunt. Nam cum anima se vitiis cum corpore simul contaminaverit, cum corpore etiam expiandam putant quod ego Theologis discutiendum relinquo.

Funebre autem sacrum pro defunctis ideo faciunt, quod iis suffragiis tolerabiliorem animabus locum impetrari sperant, ubi facilius extremum diem judicii expectare possint. Imo etiam, cum aliquis magnae auctoritatis vir moritur, tunc Metropolitanus sive Episcopus epistolam ad St. Petrum scribit, sigillo suo et manu subscriptione munitam, quam super pectus defuncti ponit, dans testimonium de bonis piisque operibus ejus. Utque in coelum facilius post diem judicii admitteretur, et Christianae religionis catholicae agnoscatur, subscribunt. Praeterea agreste vulgus circa mortuorum sepulturam variis caeremoniis et superstitiosis plerumque utitur. Sepulturae eorum in sylvis et agris, ubi tumulos aggestis lapidibus muniunt, signumque crucis super imponunt. Loca pro sepeliendis defunctis non consecrant, ajunt enim corporibus baptisatis sacramentisque Christi dicatis, et consecratis terram ipsam et non corpora terra consecrari.

Spiritum quoque sanctum a patre tantum, et non a filio procedere confitentur, ac Romanos dicentes, credo in Spiritum sanctum, qui a patre et filio procedit, confundunt, eosque conformes haeresi Macedoniae et Arianae dicunt; hac de causa quod duo principia duasque voluntates de Spiritu sancto et duas virtutes adducerent, et honori Spiritus sancti detraherent. Hic autem Rutheni non intelligunt unam esse Divinitatis voluntatem, potestatem, gloriam et honorem. Sicque secundum Concilium Nicaenum, contra Arium et Constantinopolitanum, contra Macedonium celebratum dicunt: Credo in Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum Dominum verum et vivificantem, qui cum Patre et filio simul adoratur et conglorificatur.

## JEJUNANDI MOS APUD RUTHENOS.

Rutheni in Jejunio, prout in caeteris caeremoniis, a Romanis discrepant, quatuorque jejunia magna, quibus carnibus abstinent habent. Primum in quadragesima septem integris hebdomadis ab esu carnium abstinent. In prima autem hebdomada quam nos ultimam Bacchanalium dicimus, illi lactariis et butiraceis cibis utuntur, eamque Maslna, quasi butiraceam appellant, reliquis vero septem integris septimanis ad Pascha usque etiam piscibus abstinent, oleribus, cauliculis, raphano, fungisque contenti. Quidam etiam devotiores Dominicis tantum et Sabbativis diebus (quibus jejunare peccatum putant) cibum sumant, reliquis diebus nisi frustulo panis in meridie confortati ab omni cibo abstinent. Alii die Dominico, feria tertia, quinta et

Digitized by Google

septima; cibis coctis vescuntur, reliquis frustulo panis, cum aqua fermentata, sunto, totis diebus inaediam tollerant.

Secundo jejunant post octavam Pentecostes usque ad ferias Petri et Pauli Apostolorum, appellantque hoc jejunium Divi Petri.

Tertio a prima Augusti usque ad assumptionem Beatissimae virginis Mariae jejunio se macerant. Quarto sex septimanis in adventu Domini carnem et butirum abhorrent, vocaturque hoc jejunium Philippi, inchoatur enim sub festum Philippi secundum Ruthenicum Calendarium. Omnibus vero diebus sabbativis (exceptis temporibus jejunii) carne vescuntur. Sed feria quarta et feria sexta grande peccatum carnibus uti credunt, ita ut si Petri et Pauli, Assumptionisque Mariae festum feria quarta vel sexta contigerit, tum ea quoque die carnibus non vesci peccatum putant, Romanosque hac de causa maxime redarguunt, argumento Clementis Pontificis Romani id comprobantes, qui dicit in Statutis Apostolorum Canone 64. Si Ecclesiasticus die Sabbato vel dominico jejunans inventus fuerit, exceptis jejunii Sabbatis ab Ecclesia praescriptis, Sacerdotio degradetur, si autem saecularis homo fuerit, excommunicetur, et ab Ecclesia sejungatur. Nullius sancti vigiliam jejunio venerantur, praeter sancti Joannis Baptistae, quam vigesima nona Augusti die, (ex praescripto Calendarii sui) celebrant.

Monachi gravioribus jejuniis prae caeteris onerantur, qui aqua fermentata cum frustulo panis semel in die sumpta, contenti esse coguntur.

## CONFICIENDI MOS.

Circa Paschatis festum Rutheni praecipue confiteri solent, hoc modo: Confessor una cum confitente, in medio templi stat magna cordis cum devotione, contritioneque ad imaginem alicujus divi vultu reverenter converso postea confitenti secundum peccati gravitatem injuncta poenitentia, ante ipsam imaginem confessor et confitens magna cum devotione reverenter sese inclinant, signoque crucis frequentius frontem pectusque et brachia munientes, alto cum gemitu consuetam orationem proferunt. Jesu Christe Fili Dei vivi miserere nostri. Quosdam etiam qui gravius aliquid deliquerint, aquata sacrata ablaut, quam in Epiphania Domini toto fluvio vel stagno (secundum morem) consecrato hauriunt, et pro abstergendis noxialibus delictis, per integrum annum in templo reservant. Quibusdam vero pro poenitentia jejunia et breves facilesque orationes, injunguntur. Dominicam enim orationem perpauci ex vulgo sciunt, dicuntque orationem Dominicam scire, Dominorum et Sacerdotum qui nullis laboribus occupantur opus esse, Confessionem etiam quamvis ex praescripto habeant, eam tamen ad dominos pertinere agrestes dicunt, sibi autem in Deum et filium ejus Jesum Christum et Spiritum sanctum simpliciter credere satis esse. Hacque oratione omnes Rutheni promiscue, et peculiariter utuntur, Jesu Christe fili Dei vivi miserere nobis.

## SACROSANCTAE EUCHARISTIAE

### USUS.

Sacramento Eucharistiae Rutheni sub utraque specie utuntur, aliud autem pro infirmis, et aliud pro communicantibus secundum consuetudinem habent. Pro infirmis sacramentum, in hebdomada magna ante Pascha, die Jovis consecratum, in vase mundo per integrum annum servatur. Dum autem id Sacerdos pro infirmo daturus est, tum parum vini et aquae tepidae addit, portiunculamque bene humectatam aegroto cocleari de calice porrigit. Si autem puer infirmus fuerit, adeo ut non possit de pane sumere, tunc infunditur ei gutta vini consecrati in os de calice. Pro communicantibus vero secundum consuetudinem, Sacramentum dum Sacrum sive Lyturgia peragitur consecratur, quod sacerdos cocleari ex calice in portiunculas minutas redactum, et vino commixtum communicantibus distribuit. Praescriptum communicandi tempus ante festum paschae (vel quotiescunque aliquis volverit modo confessus sit) habent. Pueros qui septem annos transegerint, ad Sacramenta admittunt, dicuntque hominem septennio transacto contra Deum peccare incipere.

Porro omnes Rutheni pane fermentato et non azymo (prout Romanae Ecclesiae mos est) utuntur, idque hac ratione approbant, quia Judaei in memoriam liberationis suae ex Aegypto, secundum mandatum Divinum azymis utuntur, se vero semel Christianos factos nunquam in labore Aegyptiorum fuisse, ideo de hujusmodi Judaeorum azymis, Sabbato et circumcisione observandis, se liberos esse dicunt, si enim aliquis sequatur unum ex illis (Paulo attestante) totam legem adimplere tenetur. Eundemque Apostolum dicentem, fratres: ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quia Dominus

Digitized by Google

in qua nocte tradebatur accepit panem, benedixit, etc. de pane fermentato, et non azymo dixisse intelligunt; eo enim tempore nec azyma nec Pascha esse, cum Dominus coenaret, dicunt. Idque hoc argumento maxime approbant, quia Judaeorum Pascha stando fit, et comeditur secundum legis praescriptum, hoc autem Coena Christi non erat (ut Evangelista dicit) recumbentibus eis duodecim, etc.

Item et discipulus recubuit super pectus ipsius in coena, etc. Quod est Christus dicit ibidem: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, non de Judaeorum Pascha, eum dixisse sentiunt, quod antea semper comedebat cum Apostolis. Neque azyma Christum Apostolis dedisse, sed panem fermentatum credunt, cum dicit, Ecce panis quem ego do vobis. Similiter ad Judam, cui ego dabo panem intinctum ipse traditurus est me.

Romanos autem in azymis communicantes confundunt, dicentes eos Judaicos ritus observare, in haeresique Juliani Apolinaris Laodicensis, et Pauli Syrii Samosatensis, Machometi, Aeuthichii, et Diasterii ambulare, qui erant in sexta Synodo depravatissimi haeretici, et spiritu Diabolico repleti.

Mulieres autem apud Ruthenos panem ad sacrificandum Proskura dictum conficere solent. Seliguntur autem ad id mulieres provectae aetatis, quae mensibus patiendis amplius non sunt obnoxiae, praecipue vero viduae sacerdotum relictae, id muneris obire solent.

## DE MATRIMONIO.

Ita Rutheni Matrimonium contrahunt, ut quartum consangvinitatis gradum non attingant. Tertiam ducere uxorem viro vix concedunt, et non admodum legitimum matrimonium esse putant. Quartam vero nec concedunt, neque etiam Christianum esse judicant. Pro adulterio non computant, si vir habens uxorem cum soluta concubuerit, excepta uxore alterius.

Divortia inter se frequenter celebrant Episcopis permittentibus, literasque repudii dantibus.

Quidam etiam agrestium, quibus ad Episcopos propter longam itineris distantiam aditus difficilis est, Divortium tali modo (more gentili antiquitus observato) peragunt, cum sibi vir et uxor utrinque displicent, tunc extra pagum in trivium ambo prodire solent, mantili accepto quod inter se manibus utrinque tenendo per medium discindunt, hocque inter se diviso matrimonium etiam inter se divisum esse putant, et uxori repudiatae vir dicere solet, vade tu hac, ego illac pergam. Sed hic perversus Divortii modus nunc prorsus abolitus est.

Hoc autem ritu Matrimonium inter sponsam et sponsum contrahitur. Inprimis mensa in medio templi adornatur, ingredientibusque templum sacerdos praecedens certas recitat orationes, deinde pro Patriarcha, Metropolitano, Episcopis, et toto clero, pro monarchaque suo, et omni ordine equestri, et plebejo, qui ritus suae fidei sequuntur, sigillatim sacerdos cum Diacono clara voce orant. His peractis sponsus et sponsa mensam praeparatam accedunt, in linteoque secundum morem pedibus substrato uterque stat. Postea sacerdos ex praescripto, an alicui olim non spoponderent, interrogat, stolaque manus utriusque annulos commutans colligat. Deinde coronas ligneas vel ex tiliae libro pictas ad id muneris in Ecclesia reservatas capiti utriusque imponit, dicens: Posuisti Domine coronam super caput ejus de lapide pretioso, etc. Evangeliumque de nuptiis in Chana Galileae celebratis recitat. Deinde panem et cervisiam consecratam desponsatis ad praegustandum porrigit, postea stolam (qua sacerdotes collo appensa uti videmus) sponsus et sponsa ab una parte, et sacerdos ab altera parte tenent, sacerdotemque praeeuntem sequuntur, haec verba dicentem. Circuito populi Sion et date gloriam nomini Dei altissimi, terque mensam circumeuntes loca sua occupant, et Sacerdos Psalmum Miserere nostri Domine secundum magnam misericordiam tuam, etc. recitat, Suffragiisque pro omnibus, tam spiritualibus quam saecularibus Deo persolutis de templo regrediuntur.

## DE EXPEDITIONE BELLICA

### CAPUT III.

Magnus Moscorum Dux ingentem exercitum longo tempore sustentare potest, neque enim militibus suis stipendia largitur, sed agros illis exiguo pretio elocat, quo beneficio operam militum demeretur. Conscripti autem milites coram magno Duce singuli comparent, et nummum unum quem patrio nomine Denga vocant, aestimatione unius grosi Polonici Prin-

Digitized by Google

cipi dant, reversique ex bello eundem nummum repetunt, occisorum vero nummismata Princeps retinere solet, atque ita occisorum numerum cognoscit.

Nobiles autem omnes, Magnates et Consiliarii adeo dura servitute premuntur, ut quemcunque apud se in aula esse velit, vel in bellum ire, aut legationem aliquam obire jusserit, id sumptibus suis facere cogitur. Quando autem aliquem magni nominis virum ad bellum proficiscere jubet, literas suas ad illum mandatorias mittit, si autem vel prandens, vel coenans, dormiensne praeventus fuerit a tabellatore magni Ducis, litterasque quibus ad bellum proficiscere jubetur acceperit, continuo a prandio lectove surgens, equum tabellatore inspiciente armatus ascendit, mandatumque Principis se executurum praebet, atque sic omnes qui per facultates rei familiaris possunt sumptibus propriis militant.

Per singulas quoque Provincias magnus Dux filos nobilium tenujoris fortunae conscribere solet, ut numerum illorum, et quot quisque equos ac servitores habeat cognoscere possit, is singulis exiguum stipendium annuum concedit, et in bellum proficiscere jubet.

Omnibus autem nobilibus propriis sumptibus militantibus raro quies datur, nam frequenter bella aut cum Lithuanis, Livonibus, Suetensibus, vel Tartaris Praecopensibus, Turcis, aliisque finitimis gentibus gerit, in arcibus quoque campestribus Tartaris finitimis qui Crimsci, Praecopsci, Noheyscique dicuntur viginti millia hominum vel plus singulis annis locare solet. Omnes denique et singuli tam stipendiarii quam Principis gratiam expectantes in bellum propriis sumptibus ire coguntur. Non hujusmodi autem sumptibus prout apud nos Moscovitae in bellum expediuntur, nam quicunque nobilium habet sex equos et totidem servos, unum equum qui vitae necessaria fert ex iis habet, inprimis vero millum sive pultes contritas in sacculo habet deinde suillae carnis aliquot frusta, et sal in sacculo si vero ditior fuerit, sal commixtum pipere solet habere, hos autem sacculos cum leguminibus super equum ad id delectum circum ligat, praeterea unusquisque secum fert lebetes, ollas cupreas sive aereas, cistellasque ephippio alligatas, cumque necesse est iguem accendunt, ollamque magnam aqua replent, in quam milii tantum unum coclear, vel pultium imponunt, saleque conditum coquunt. Aliquando autem cum lautius aliquis eorum epulari vult, tum frustulum parvum carnis suillae injicit, hocque cibo dominus interdum cum sex servis contentus vivit, quod si dominus famelicus nimium fuerit, totum consumit, servi autem aliquando ad totum bidum triduumve jejunant. Farinam etiam de avena subtiliter commolitam habere solent, cujus aliquot coclearia pransuri in cistellam imponunt, modicoque aquae distillatam comedunt. Cum autem habent allium aut cepas, tum facile caeteris leguminibus carere possunt. Duces vero exercitus et caeteri militiae praefecti lautius aepulantur, tenujorisque fortunae nobiles ad prandium invitare solent.

Moscovitae tormentis bellicis, et bombardis peditatuque nunquam olim ante annos 40 utebantur nunc autem frequentissime et peritissime bombardis et tormentis utuntur, a profugis quibusdam Italis, Germanis, Lithuanisque instructi, arcesque egregie (dictu mirum) propugnant. Campestri vero certamine cum Polonis et Lithuanis raro confligunt, semper enim ab eis funduntur, solaque agilitate et industria externi Moscovitas vincere solent, nam omnes fere dimicare armisque artificialiter decertare imperiti sunt, exceptis quibusdam magnatibus, iisque perpaucis. Cavendum autem est cum Mosco congredienti, ut armis scite utatur, ne in manus ejus incidat, brachiis enim, lacertis, et toto corpore robustissimi sunt, sed arte dimicandi plurimum vincuntur. Tam autem robusti sunt, ut cum ursis indomitis et efferis absque ullo genere armorum, solis viribus confisi saepius congredi audeant, ursumque per aures arreptum tamdiu fatigant, donec prorsus debilitatum prosternant.

Haec praecipua arma sunt quibus Moscovitae in bello utuntur, pharetra sagittis referta, arcus, securis, framea, caestus, cultelli oblongi, quibus frequenter pro pugionibus utuntur. Multi quoque lanceis praecipue pedites, equites autem aliqui hostilibus brevioribus utuntur, ab Ungaricis et Polonicis dissimilibus. Armantur autem loricis oblongis, aliquando duplicibus, armillis, toraceis, galeisque. Equos parvos castratos soleis carentes habent, frena levissima, ephippiis quoque in eum usum accommodatis utuntur, ut se in omnes partes absque impedimento vertere, arcumque intendere facile possint. Pedibus curte attractis equis insidere solent, adeo ut nullum hastae, lanceaeve impetum sustinere queant. Flagello plerique et communiter, calcaribus vero paucissimi utuntur. Communiter



Digitized by Google

vestibus oblongis ad talos usque protractis, bombice lanave suffertis utuntur. Collocandis castris amplissimum locum eligunt, ubi forte locus natura sit munitus, ea non curribus, sed vepribus, sentibus arbustisque circumtexunt, in muri similitudinem praestantiores in medio tentoria sua erigunt, reliquae vero multitudinis vulgus ex arbustis casas conficiunt, quidam etiam arbusculas sive arborum frondes, in modum arcus incurvant, desuperque pennulis tegunt, equos ad pascua pellunt, quorum causatam late disjuncta castra collocant. Tempore conflictus tubicines multos habent, ii dum gentili more omnes insimul dissonante melodia tubas inflant, mirus ac inusitatus quidam clangor auditur, commissuri cum hostibus certamen plus spei in multitudine quam robore militum ponunt, semperque minus hostes a tergo adorire et circumvenire student, sed campestre certamen rarissime eis prosperatur, plurimis enim et diversis armis se verius onerant, quam armant, externi vero consilio magis, quam armis recti parvis copiis cum eis congrediuntur. Arces et omnes munitiones strenue et obstinacissime propugnant.

# DE CONSUETUDINE MORIBUS QUE MOSCOVITARUM.

## CAPUT IV.

Haec omnis gens Moscovitica sive Ruthena, magis servitute quam libertate gaudet, cujus egregium executorem Principem proprium habent. Omnes enim passim cujuscunque conditionis sint (nullo respectu personarum habito) gravissima servitute premuntur, prout inferius in gestis Moderni Principis dicetur. Nobiles, Magnates, Praefecti, Primoresque et Consiliarii omnes Chlopos se, id est abjectissimos et vilissimos servos magni Ducis fatentur, et bona sua omnia mobilia et immobilia, quae proprie possident, non sui sed magni Ducis esse dicunt. Ut autem equester ordo a magno Duce, sic etiam plebejus civilisque a Nobilibus et Magnatibus gravissime premitur, colonorum, n. bona et civium, militum et Nobilium praedae exposita sunt, et per contemptum nigri homines, sive Christiani communiter appellantur. Sex dies coloni in septimana dominis suis laborant, septimo vero dies privato labori conceditur, neque hi strenue laborant nisi bene verberati. Habent autem a dominis suis certos attributos agros et prata, ex quibus vivunt, tributaque annua solvunt. Artifices secundum praescriptum parvo laborem suum vendunt. Cumque annonae caritas in precium concedit, tunc artifices exiliori tenujorique in pretio sunt, adeo ut vix panem ipsum pro labore unius diei (quamvis strenuo) acquirere possint. Cives quoque et mercatores gravissimis et intolerabilibus tributis, et exactionibus adinventitiis onerantur, quas hic recensere longum esset: Quod si magnus Dux aliquem mercatorum argenti aurive paulo ditiorem a delatoribus (quorum plena curia est) resciverit, tunc eum sibi praesentari jubet, et crimine falso commentito dicit, delatum est ad nos tuum scelesto facinus, ideo ut criminosus punieris, si autem accusatus obtestaretur se innocenter accusatum, tum Magnus Dux respondere solet: animae testium, qui te accusaverunt sciant, mea vero nihil refert. Confestim ergo jussu Principis arripitur, et tamdiu verberatur, donec praescriptam summam monetae argenteae magno Duci numeret.

Est autem hic mos apud Moscovitas receptus, quo omnes debitores, qui alienum aes conflaverunt, non habentes unde creditoribus suis redderent, ex legis praescripto in locum certum et publicum, ad id ordinatum ducuntur, ibique a servis Praetorianis flagris baculisque per suras et crura pedum, graviter absque ulla misericordia caeduntur, tam diu donec undecunque accipiendum sit, creditoribus sua reddere cogantur, quod si solvendo non sufficerent, tunc verberibus multoties exagitati creditoribus secundum valorem debiti servire coguntur. In hunc quoque locum omnes coram magno Duce, per contumeliam acusati ducuntur, et si ditiores fuerint, cujuscunque conditionis, tamdiu verberantur, donec imperatam pecuniam (quamvis nunquam debitam) magno Duci solvant. Omnes communiter servos emptos aut captivos habere solent, quos morituri frequenter manumittunt. Illi tamen continuo servituti assuoti, aliis dominis pecunia accepta in servitutem se vendunt.

Liberi etiam servi qui dominis suis pro pretio serviunt, non possunt quando velint a Dominis se abdicare, si enim absque domini voluntate aliquis abierit, ab alio domino in famulatum non assumitur, nisi fuerit a domino cui primo servit, vel ab amicis se pro fidelitate ejus obstringentibus commendatus.

Pater etiam habet potestatem filium quatev

Digitized by Google

vendendi, ita ut semel venditum quocunque tandem modo liberatum, vel manumissum, rursus atque iterum jure paterno eum vendere possit. Post quartam autem venditionem nihil juris amplius in filium habet.

Servitores in dominos suos plerunque conqueruntur, quod ab eis probe non essent verberati, credunt enim se dominis displicere, signumque indignationis esse, si non frequentius verberentur, objurgarenturque.

Prout autem viri a magno Principe servitute aggravantur, sic etiam apud viros suos mulierum conditio miserrima est, nulla enim honesta et pudica creditur, nisi domi conclusa vivat, adeo ut nusquam exeat, domi autem manentes telam fabricant, et fila nent, nihil prorsus juris auctoritati suae in aedibus habent, omnes enim labores domesticos servi absolvunt, non verberatae a maritis plerunque conqueruntur et odiose prosecutas dicunt, verberaque signum amoris putant. Basilicas raro, rarius etiam ad amicorum colloquia, commessationesque nisi omni suspicione carerent, ut pote effectae admittuntur. Certis tamen et festivis aestate diebus, hanc praerogativam exhilarandi animi gratia habent: Omnes communiter cum filiabus in campis viridiferis deambulant, ibique super quadam trabe duabus fines trabis occupantibus, alternatim sursum ac deorsum moventur, aut frequentius funem in medii circuli modum duobus stipitibus appendunt, desuperque insidentes hinc et *inde impulsae* feruntur. Postea quibusdam certis *cantilenis* manibus pedibusque complodentes, capitibusque frequentius moventes sese oblectant, vel manibus se invicem tenentes et simili modo canentes choreas in gyrum ducunt. Haec autem consuetudo praecipue circa festum Petri et Pauli Apostolorum aliquot hebdomadis, ab omnibus Ruthenis promiscue observatur.

Aedes fere omnes apud Moscovitas, tam in pagis, quam in civitatibus insubaedificatis promptuariis cellariisque superne locantur, ad quas per gradus ascenditur. Quamvis autem vestibula aedium satis ampla et alta habeant, fores tamen habitationum humillimas faciunt. Ita ut ingressurus quispiam inclinare et demittere se cogatur. In singulis habitationibus imagines Divorum in tabulis pictas loco honorificentiore sitas habent, praecipue autem D. Nicolai, passionis Christi, Mariae virginis, et S. Petri: hasque maximo honore prosequuntur, et pro Penatibus venerantur, cum autem unus alium accedit, ingressus habitaculum non statim Dominum domus salutat, sed continuo caput aperiens, ubi imago sit diligenter circumspicit, qua visa cum magna reverentia, ter se crucis signo caput inclinando munit, dicens: Jesu Christe fili Dei vivi miserere nostri, Postea porrectis sibi manibus alterutrum sese invicem salutantes deosculantur, capitaque more patrio frequentius inclinant, id autem tam viris quam mulieribus peculiare est, in congressu de omni consanguinitatis familia alterutrum percontari, an recte pater, mater, uxor, filii, fratres, etc. valeant, post unam quamque interrogationem, et responsionem caput multoties inclinantes, maximeque mutuo se inspicientes observant, uter magis se inclinaret, et ita frequentius caput alternatim inclinando de honore concertant, hospes tandem discessurus ter se signat cruce priora verba reverenter proferens, salute alterutrum data abit. In honore captando venandoque mirabilibus et superstitiosis ceremoniis utuntur. Tenuioris etiam fortunae hominibus, intra portam alicujus praestantioris viri equitare non licet. Insigniores domini et consiliarii, vulgares etiam nobiles intra privatos parietes quotidie delitescunt, et in publicum rarius prodeunt, eo quo majorem auctoritatem suique observantiam, apud populum captarent, nullusque nobilium ad quartam vel quintam domum pedes progreditur, (quod et Lithuani quidam assuescere coeperunt) nisi equus subsequatur, idque non propter usum, sed ostentationis causa faciunt. Nobilis quamvis egenus et pauper fuerit, tamen ignominiosum sibi putat, si manu laboraret.

Praefectorum pauci auctoritatem habent, ultimo supplicio reos plectendi, omnes enim causae et controversiae in Moscoviam ad magnum Ducem consiliariosque suos deferuntur. Ex subditis nemo aliquem torquere audet, cujusvis enim conditionis malefactores magnus Dux vel Consiliarii principales morti adjudicare solent. Pauperibus non semper patet ad magnum Ducem aditus, sed ad Consiliarios, isque difficilimus, unde omnis justitia magna ex parte tenuioribus venalis fit.

Consul sive Praetor, qui personam judicis obtinet, a magno Principe in unaquaque principali civitate ordinatur, gentiliter Ocolnik dictus.

Vestibus omnes oblongis absque plicis ad talos demissis utuntur, praecipue vero lazurini vel albi coloris. Pileos albos apicatos crustatosque ex lana coacta gestant, ocreis omnes fere rubeis, iisque brevioribus, quae genua non attingunt utuntur, quarum soleas in digitis pau-

Digitized by Google

lulum erectas claviculis ferreis muniunt, indusia variis coloribus sericeis circa collum exornata apud praecipuos, auro intertexta gestant, eaque monilibus, gemmis, unionibus seu globulis argenteis aut cupreis deauratis exornant. Cruces argenteas vel aureas lapidibus pretiosis exornatas praestantiores,. vulgus vera ferreas, vel cupreas, pro sacramento quodam collo appensas gestant.

Omnes autem et singuli suae conditioni vestibus convenientibus ex praescripto mandatoque magni Ducis utuntur, nam tenuioris fortunae, vulgarisque familiae hominibus vestes pretiosiores elegantioresque, sub gravi poena prohtbentur. Si autem aliquem humilioris familiae virum elegantius vestitum conspiciunt, proditorem perfidumque eum appellant, et suspicionis notam ei injurunt, dicentes: perfide unde tibi talis vestitus more dominorum (Polonos n. et Lithuanos dominos appellant) vestiris, et ad eos deficere. perfidiose moliris? tu enim pro hujus vestis pretio non sufficis. Statim ergo accusatus gravissime ut suspiciosus punitur. Alius itaque tenuioribus nobilibus, alius consiliariis et magnatibus, alius civibus et colonis habitus est praescriptus, secundum uniuscujusque dignitatem, conditionem et rei familiaris opulentiam.

In thesauro etiam magni Ducis vestes plurimae elegantes, ad id sunt repositae et confectae, ut cum aliquando triumphus celebratur, vel cum legatus alicujus Principis excipitur, tunc omnibus et singulis aulicis suis magnus Dux illas vestes ad tempus accommodat. Caeteri quoque nobiles ad convivia amicorum nuptiasve celebrandas profecturi, vel si alicujus divi festum solenne occurrerit, tunc volentes solennius elegantiusque vestiri, de magni Ducis thesauro vestes sibi accommodant, certo precio secundum temporis spatium pro usura vestis attributo, et deinde easdem absque detrimento cum usura praescripta Thesaurario restituunt, quod si aliquantulum vestis commaculata fuerit, tunc usurpator secundum aestimationem pecuniam pro ea numerare cogitur, verberibusque ne id in posterum admitteret, corrigitur. Ad Regem Poloniae etiam, vel ad alios exteros Principes, Moscoviae Princeps Oratores missurus, omnibus aulicis et nobilibus cum legatis proficiscentibus, vestes solenniores, arma, et id genus ornamentorum ex thesauro suo ad usurpandum sub praetextu solvendae usurae accommodare solet, administratorque horum substituitur, qui omnia ornamenta unicuique secundum ordinem quotiens opus fuerit disfribuit, rursusque ea ab eisdem recipit et reservat, ex legatione tandem reversi certam pecuniam pro usurpatione vestium et caeterorum ornamentorum secundum pactum magno Duci numerant, vestesque restituunt, quod si aliquis ornamentum accommodatum commaculaverit, tunc verberibus emendatus, illud solvere cogitur.

Hic mos apud omnes Ruthenos et Moscovitas, quotannis certis diebus observatur, adolescentes pueri plurimique viri uxorati, extra civitatum pagumve in locum amplum et eminentiorem confluunt, unde ab hominum congregatione videantur, ibique quibusdam sibilis et vociferationibus (secundum gentis morem) *signo* dato concurrunt, manusque absque ullo armorum genere conferunt, certamen, pugnis, pedibus, magno cum impetu faciem, pectus, ventrem, et genitalia utrinque quatientes, ineunt, saepeque inde semivivi plerumque etiam mortui exportantur. Hoc autem certaminis genus ideo institutum dicunt, ut adolescentes assuescant verbera pati, et quoscunque impetus perferre.

# DE MAGNI MOSCOVIAE DUCIS,

## JOANNIS BASILIADIS TYRANNIDE.

## CAPUT V.

Absoluto breviter situ Regionum Russiae, magno Moscoviae Principi subjectarum, Religione, moribus denique, et consuetudine gentis, de moderno Principe Moscoviae Joanne Basiliade ejusque Tyrannide quaedam dicenda nobis restant. Sed antequam rem ipsam aggrediemur, pauca de titulo illius quo utitur, lectori haud aspernanda praeponemus.

A tempore Rurik primi Novogrodiae magnae Ducis, de quo superius dictum est, omnes fere Principes Russiae non alio titulo quam magnorum Ducatuum, Volodimiriae vel Novogrodiae magnae, vel Moscoviae utebantur, usque ad Basilium Joannis Magni, patrem moderni Principis Joannis Basiliadis, de quo hoc nostrum propositum est. Hic enim Basilius rebus suis feliciter procedentibus, et filius ejus post eum modernus Princeps titulum et nomen Regium plurimorumque magnorum Ducatuum sibi vendicare coeperunt in hunc modum. Nos Magnus Dominus, Rex et magnus Dux totius Russiae, Joannes Basiliades, magnus Dux Volo-

Digitized by Google

dimiriae, Novogrodiae magnae, Moscoviae, Pscoviae, Smolenskiae, Tveriae, Jugariae Permiae Vjatkiae, Bulgariae, Rex Casaniae, Astrachaniae, dominus et magnus Dux Novogrodiae inferioris, Czernihoviae, Rezaniae, Vologdiae, Rsoviae Biellojae, Rostoviae, Jaroslaviae, Polotzkiae, Biellozieriae, Udoriae, Obdoriae, Condimiae, Dominus Severiae, Livoniaeque, et maguarum Regionum Orientem, Meridiem, Septentrionem et Occidentem versus, Dominus legitimus haeres et successor.

Nunc autem multi cum Imperatoris titulo, praecipue vero Germani venerantur, qui deductionem verbi Czar Slavonicae linguae ignorantes, pro Rege Imperatorem ponunt. Quid igitur hoc nomen Czar in Slavonico sonaret, breviter exponemus. Czar, hoc verbum in Ruthenico idiomate, Regem, Czarstvo vero, Regnum significat, et hoc nomine Moscovitae Principem suum, Regem totius Russiae appellant. Caeteri autem Slavones utpote Poloni, Bohemi, Lithuani, et caeteri, qui ab idiomate Ruthenico diversi sunt, alio nomine Regem appellant, scilicet Krol, alii Korol, et Kral, hoc vero nomine Czar solum Imperatorem appellari existimant, unde et Rutheni ipsi Moscovitaeque, audientes ab externis nationibus hoc nomine Imperatorem significari, et ipsi Principem suum Imperatorem Russiae appellare coeperunt, nomen Czar dignius esse quam Regis (licet idem sonet) putantes. Sed in omnibus Ruthenorum tam sacris quam prophanis literis, Czar Regis, Kessar vero Imperatoris nomen repraesentat. Sic quoque Rex Thauricae Tartarus, Praecopensis Czar, id est, Rex nuncupatur, et omnes Reges Tartarorum hoc nomine efferuntur, sed plurimi ignorantia hujus vocis decepti, omnes Reges hoc nomine Czar vocatos, Caesares, hoc est, Imperatores esse putant. Alii quoque Principem Moscoviae album Caesarem, praecipue vero subditi sui appellant, id est, Regem vel Imperatorem Russiae albae. Russia etenim ut supra dictum est, Moscorum Duci subjecta. Alba dicitur, ea vero cui Polonorum Rex praeest (quamvis et Albae partem possideat) nigra appellatur Russia. Vel etiam ideo dictum esse Regem Album Moscorum Principem existimo, quod incolae omnium Regionum ipsius imperio subjectarum, vestibus albis et pileis plerumque utantur. Porro Basilius moderni Principis parens, ad Romanum Pontificem et Imperatorem, ad Reges itidem Daniae et Suetiae, Magistrumque Livoniae, et ad Turcam scribens, Regis tituio utebatur. Ad Regem autem Poloniae nunquam Regis, nisi magni Ducis titulum praesumebat. Nunc vero praesens magnus Dux Moscoviae, et ad Regem Poloniae (quod pater non faciebat) Regis titulo utitur, sed a Polono nunquam nisi magni Ducis titulo honoratur.

Hic Princeps Moscoviae Joannes Basiliades imperio quod in suos exercet, omnes facile universi orbis Monarchas superat, nam auctoritate sua (vel potius tyrannide) tam in spirituales quam in seculares et cujusvis conditionis homines utitur, libere et ex voluntate sua de omnium et vita et bonis (nemine obstrepente) constituit, consiliariorum enim nullus est apud eum tantae auctoritatis, qui dissuadere aut sibi in re aliqua quamvis injustissima resistere audeat. Omnes denique tam proceres quam consiliarii, et totus equestris et spiritualis ordo, fatentur publice voluntatem sui Principis, voluntatem Dei esse, et quicquid Princeps quamvis perperam egerit, ex voluntate Dei agere. Ob id etiam clavigerum et cubicularium executoremque voluntalis Divinae eum credunt esse. Unde et Princeps ipse si quando preces consiliariorum interponuntur ad se pro re aliqua idonea, respondere solet, cum Deo placuerit, vel si Deus jusserit, faciam. Ita quoque si de re aliqua incerta et dubia Moscovitas interrogaveris, communiter secundum consuetudinem respondent, Deus novit et magnus Dux, vel Deus sic voluit et magnus Princeps. Denique in compotationibus unus ad alium praebibens, primo salutem magno Duci, omniaque fausta et felicia nomine proprio eum appellantes, et titulos Regionum enumerantes exoptant, idem ante et post prandium omnes et singuli optare solent. Etsi aliquid perverse pessimeque et cum Reipublica dispendio Princeps fecerit, ab omnibus tanquam res felicissimas et utilissimas gesserit laudatur. Affinibus cognatisque suis nec arces ad legitime possidendum permittit, nec confidit, solummodo aliquos secundum arbitrium suum qui sibi placuerint arcibus et possessionibus certis proponit, et tandem illis qualibet de causa infensus, omnia ut sua adimit. Ex plebejis equites, Palatinos et Consiliarios plerumque secundum voluntatem suam nullo repugnante facit, ex consiliariis deinde sive equestris ordinis hominibus plebejos, omnibus bonis illis ademptis et publicatis reddit. Eodem modo Metropolitas, Episcopos, Abbates, Prioresque Monasteriorum suo judicio eligit et deponit, omnes juxta durissima servitute premit,

Digitized by Google

prout supra in expeditione bellica, consuetudineque gentis latius diximus.

Sed cum haec tota gens Moscorum Duci subjecta magis servitute quam libertate gaudeat, incertum est an suis moribus conformem tantum Tyrannum exigant, a quo insolentia eorum domaretur. Nam hoc plerunque in illis Regionibus observatur, quod servi apud Dominos et uxores apud viros gratiam, si ab eis frequentius verberentur habere, et amore se prosecutos dicunt. Contra si eos non animadvertitur, ullum signum amoris in se exhibitum conqueruntur, et non solum servi, sed et plerique nobiles, magni viri et consiliarii, frequenter a magno Duce absque ulla dedecoris nota publice sive privatim baculis verberantur. Illi vero tunc temporis amoris signum Principem in se exhibuisse gloriantur, verberatique gratias Principi agunt, dicentes: Sanus tu sis et incolumis Domine, Rex et Dux magne, quod me servum rusticumque tuum verberibus emendare dignatus sis. Qua ratione probatur, eos suis moribus conformem Dominum (velut quondam Ranae Regem Ciconiam) necessario exigere. Sed his Moscorum Princeps Joannes Basiliades leges hujus Tyrannidis supra modum (justitia judice) excedere videtur, qua non solum praedecessores suos (qui id secundum morem et consuetudinem gentis faciebant) superavit, sed illos omnes Tyrannos, qui ante et post Christum ad haec usque tempora fuerunt, utpote Neronem, Valerianum, Dionysium, Decium, Maximinum, Julianumque et caeteros omnes.

Hi etenim quamvis etiam saepius Tyrannidem nefandam exercuerint, attamen aliquando tollerabiliorem, sed in hoc Principe tantam Tyrannidem dictu miram, brevique temporis intervallo crudeliter perpetratam videre licebit, quam nos bona fide conscriptam Lectori benigno offerimus.

## INITIUM TYRANNIDIS,

### MOSCORUM PRINCIPIS JOANNIS BASILIADIS.

Anno partae humano generi per Christum salutis, supra Millesimum Quingentesimum Sexagesimo: Joannes Basiliades magnus Moscorum Dux, postquam Polotzko Arcem et civitatem celebrem Lithuanis ademisset, rei prospere gestae successu elatus, in quandam insolentiam prolapsus est. Imprimisque ad ea quae pater, avusque suus inceperant continuanda, et perficienda, animum apposuit: omnes nimirum Principes et alios quosvis Magnates castris, possessionibus et munitionibus exuere, Postea omnes magnarum et antiquarum familiarum viros, quos suae tyrannidi contrarios cernebat trucidare, de medioque tollere coepit. Hujus igitur caedis et tyrannidis a magno viro Ovzcinino, Demetrio nomine (filio illius Ovczinae olim tutoris sui, qui in Starodub arce captus, Vilnae Lithuaniae Metropoli in vinculis mortuus est) exordium sumpsit, hoc modo. Invitavit eum sub amicitiae praetexte ad coenandum secum, ibique inter compotandum ipse magnus Dux vas quoddam ingentis capedinis impletum mellis liquore, illi Ovczinino pro sanitate sua, (prout gentis mos est) uno haustu jam temulento ebibendum obtulit, qui jam fere potu oppressus, ne medium quidem ebibere potuit, qua de causa magnus Dux perfidiam ei exprobavit, dicens: Siccine mihi domino tuo cuncta bona exoptas? Siccine me Principem tuum clementem diligis? Sed quia hic praebibere pro salute mea noluisti: ad cellarium meum ubi varii potus reconduntur vade, illicque pro incolumitate mea praebibes. Ille miser jam ebrius, verbis placidis magni Ducis, quasi fidelibus deceptus, ad cellarium cum his qui ad eum occidendum erant subornati perrexit, a quibus ibidem crudeliter suffocatus est. Postridie vero ad domum praedicti Ovczinini magnus Dux (quasi rei ignarus) misit, mandans ut ad se veniret, uxor vero sua respondit, maritum hesterna die ad magnum Ducem coenatum profectum esse, et ab hoc tempore adhuc domum non rediisse, sic igitur res ubi fuerit, vel quo abierit praedictus Demetrius Ovczininus in dubio stabat. Haec autem praecipua causa necis ejus erat: Fovebat quendam juvenem magnus Dux Theodorum nomine, Bosmani cujusdam nobilis filium, cum quo Sodomiam contra opus naturae (dictu nefandam) explebat, cum isto praedictus Ovczininus quadam die ad jurgia devenit, inter jurgandum autem (ut fit) hoc nefandum facinus ei exprobavit, dicens: tu Sodomia turpi Principi inservis, ego vero ex magna prosapia ortus, semper cum praedecessoribus magna cum laude et Reip. utilitate Principi servio. Ille igitur juvenis tali ignominia affectus, ad magnum Ducem flens venit, Ovczininumque talia sibi exprobrasse accusavit. Et ab hoc tempore magnus Dux insidias struere coepit, quo modo Ovczininus de vita tolleretur, donec voti compos effectus est.

Porro hoc clanculario furtivoque mortis ge-

Digitized by Google

nere, plurimos magni nominis viros jugulare suffocareque procuravit, nemine contra talia ne quidem mussitare audente, donec Metropolitanus ipse re considerata, Episcopique et omnes equestres viri, ad eum convenerunt, expostulantes et interrogantes, quamobrem sic innocenter populum suum, insignesque viros, absque ulla criminis nota de medio tolleret, quorum conventu et persuasionibus per semestre anni spatium humanior et quasi mansuetior effectus erat. Interea tamen cogitare et moliri coepit, quo pacto suae Tyrannidi conformes servos et aulicos, quorum opera in explenda crudelitate uteretur conduceret et conscriberet. Finxit igitur se jam velle imperium abdicaturum, et Monasticam vitam religiose in pace transacturum, filiosque imperio praepositurum. Conventu itaque generali celebrato, nobilibus et proceribus imperii dixit: Ecce habetis duos filios meos legitimos haeredes, qui universo imperio nostro praecrunt. Vos vero omnes obedientiam suam et operam illis in juvando Regimine, et defendendis finitibus imperii praestabitis, si autem aliquid gravius acciderit, ad me concilium deferte, cum non longe a vobis in Monasterio abfuerim. Confestim ergo peramplam aream extra civitatem Moscoviam delegit, et curiam in ea amplissimam cum innumeris aedificiis muro cinctam erigere fecit. Qua extructa arces praestantiores cum opimis annuis redditibus, ex universo imperio delectu habito sibi specialiter (sub praetextu monasticae vitae ducendae) appropriavit. Cum itaque in curia praedicta omnibus necessariis munita et provisa, quasi imperio abdicato *filiisque* concesso, seorsive maneret lugentem facinorosorum manum qui suas partes sequerentur, satellitumque coegit, et ad pristinum propositum quod nuper statuerat de excidendis, de medio antiquarum familiarum principibus viris rediit, ad omnesque et singulas arces, quarum praefectus magni nominis viros occidere proposuit. Sexaginta plusve aliquando ex suae factionis satellibus, equites, quasi praesidiarios cum literis misit, qui in arce tamdiu suo praetextu praesidii manebant, donec ejus praefectum a Principe neci designatum inopinate opprimerent, et membratim dissecarent. Et cum jam aliquem ex iis Principibus viris occidit, tunc et omnes cognatos affines, fratres, et omnem denique progeniem, occidere et funditus extirpare facit. Et hoc modo plurimas Principales familias, monasticam vitam ducens, exterminavit, et postea imperium ut et prius administrare coepit.

## DE ROSTOVIENSIS DUCIS NECE.

Ducatus Rostoviensis, cujus superius mentionem fecimus, secundo genitis magnorum Ducum Russiae attributus erat. Hunc etiam Basilius magnus Dux ut et caeteros sibi appropriavit, haeredibus subjugatis parva redituum portione concessa. Ex his Ducibus ultimus erat relictus haeres Petrus nomine, Praefectus Novogrodiae inferioris, quem modernus magnus Moscorum Dux cum progenie sua de medio sustulit hoc modo. Quadraginta equites factionis suae in Novogrodiam inferiorem destinavit, quibus ut sibi caput praefecti praedicti Ducis Rostoviensis abscissum attulerint, mandavit. Illi igitur equites praedictum Ducem in Ecclesia orantem praevenientes, sic allocuti sunt: Domine Rostovski mandato magni Ducis a nobis nunc capieris. Ille confestim mandato audito baculum quem manu gestabat in terram abjecit, innuens se officium cui praepositus erat jam abdicare, nam Princeps Moscoviae cum aliquem nobilium in officio praeponit, tunc illi in manum baculum dare solet, qua significatur, ut ei in omnibus velut Principi obtemperaretur, tandem cum aliquis officio degradatur, tum baculum illum in manus Principis vel ejus vices gerentis reddere solet. Cum itaque in Ecclesia praedictus Dux Rostoviensis caperetur, vestibus spoliatus est, ut nudus velut matris alvo egressus staret, postea in trahaeas vinctus positus et alligatus est. Cumque iam tribus miliaribus a Novogrodia auctus esset illi qui cum vehebant ad flumen Volgam substiterunt, Dux vero vinctus quare starent causam percontabatur, qui se equos velle adaquasse dicunt, ille contra, non equis hanc aquam sed mihi (quasi mortis praescius) bibere, et nunquam ebibere respondit. Confestim ergo praefectus equitum ei jacenti caput securi amputavit, cadaver vero in flumen gelu concretum mersum est. Cum autem caput illius Principi allatum est, ipse Princeps manu et capite nutans dixit, ah caput caput, multum sanguinis vivum existens effudisti, (bellicosissimus enim extitit) et nunc mortuum eundem effundes, his dictis fremens pede illud trusit, et in profluentem abjicere jussit, postea omnes amicos et totam progeniem quinquaginta hominum funditus eradicare excidiereque (possessionibus omnibus eorum publicatis) fecit, servosque ejus praecipuos quaterdenos vinctos in carcerem intrusit.

Digitized by Google

Haec tota gens Moscovitica id a natura ipsa inditum habet, ut sese alterutrum qualibet de causa per phas sive nephas accusarent, contumeliisque variis se invicem afficiunt, et res suas unus in alterius domum clanculum frequenter iniit sive importat, easdemque furto sibi ablatas dicit. Magnus vero Dux cum unus alium qualibet de re accusat, libenter audit, jam etenim occasionem occidendi illius qui accusatur habet. In curia autem illius quando conventum, vel aliquid tale celebrat, vel morti aliquem adjudicat destinatve, neque submissa neque clara voce aliquid cum socio mussites, nec rideas, nec festivum hilaremque vultum praeseferas, confestim enim interrogaberis, cur rides? cur hilaris es? etc. sentis tu aliquid cum inimicis magni Principis? continuo igitur a delatoribus coram magno Duce accusatur, accusatus vero jussu Principis, nulla purgatione criminis objecti concessa a satellitibus arripitur, atque membratim dissecatur, aut in aquas capite avulso projicitur.

## DE JOANNIS PIETROVICZ,

PALATINI SUPREMI MOSCOVIAE FALSO ACCUSATI, CRUDELI NECE.

Anno virginei salutiferi partus supra Millesimum Quingentesimum Sexagesimo octavo. Cum Rex Poloniae Sigismundus Augustus Magnus Dux Lithuaniae, ad campos Radoscovicenses cum universis Lithuaniae viribus in castris esset, fines Moscoviticos invasurus: Magnus Moscoviae Dux in Vielikije Luki civitate cum praesidiariis copiis tunc temporis excubabat, postea cum Rex Poloniae ex castris re infecta et intentata discessisset, Magnus Dux in Moscoviam civitatem reversus est, et ibi progressum quendam nobilium suorum sibi contrarium offendit. Praecipue vero quidam magni nominis vir Joannes Pietrovicz, Palatinus principalis, et vices gerens Moscoviae apud eum, per delatores falso et contumeliose accusatus est, quasi ille magnum Ducatum ambiret, quem magnus Dux confestim nulla purgatione criminis objecti audita omnibus bonis, mobilibus et immobilibus spoliare fecit, ipsumque in bellum contra Tartaros proficiscere jussit. Ille miser omni suppellectili spoliatus ne equum quidem, in quo ad id praescriptum bellum proficisceretur relictum habuit, Monachus tamen quidam ejus miseriae condolens, equum ei accommodavit, in quo contra Tartaros mandatum Principes adimplens, solus tantum (qui nuper caterva servorum comitabatur) profectus est. Ex bello tandem reversus, ad Magnum Ducem citatur, omnesque nobiles et caeteri magnates ad tempus designatum in Moscoviam convocantur. Praedictus igitur Joannes Pietrovicz ad tribunal citatus, uxori, liberis, caeterisque affinibus, valedicens, necis futurae praescius, Magno Duci se praesentavit. Statim ergo ab ipso Principe ornamentis Ducalibus, Diademade, et Sceptro, solenniter insignitus in sede sive Majestate Regia ad id erecta collocatur, cumque iam sic insignitus et ornatus sederet, omni conventu nobilium et magnatum circumstante, ipse magnus Dux coram eo stans, capite adaperto, quasi honorem exhibens, caput et genua (secundum morem gentis) inclinabat, dicens, Ave magne Dux et Monarcha Russiae, en obtinuisti quod affectabas, en habes quod ambiebas, voluisti enim in locum meum magnum Monarchatum Russiae (sic enim falso accusatus erat) succedere, en ego ipse te jam magnum Ducem solenniter creavi, sed sicut habui potestatem, te magnum Ducem creandi, ita etiam potens sum te hac de sede et dignitate degradandi, his dictis cultellum oblongum, sive pugionem ipse in cor ejus aliquoties infixit, omnisque turba nobilium circumstantium in eum sic crudeliter pugionibus et cultellis saeviebat, quoadusque omnia viscera et praecordia ex eo in terram profluerent. Cadaver tandem crudeliter vulneribus confectum, ex arce in forum extractum est. Deinde omnes servos ejus praecipuos laqueis jugulare, trucidare, et aquis obruere mandavit. Tandem in arcem Columna, quam praedicto Joanni cum omnibus proventibus, olim concesserat, profectus, omnes quotquot in ea arce et civitate ad trecenta plusve hominum invenit, aquis immergere, trucidareque fecit, dicens: Occidite, jugulate, aquis obruite hos malefactores, sentiebant enim cum inimico meo perjuro et perfido. Postea per integrum fere anni spatium possessionis praedicti Joannis civitates, et villas, vastabundus igne et ferro peragrabat, ubi vero nobiles subditos hujus Joannis, sive Bojarones, (erat enim magnus homo habens sub sua ditione alios nobiles) offendit, hos omnes in unam habitationem coactos et occlusos succendere jussit, pulveribus, tormentariis subpositis, omnesque vi accensi pulveris in aerem velut aves volantes ejiciebantur. Jumenta, insuper omnis generis ad canem et felem usque in frusta membratim dis-

Digitized by Google

secare, proterere et in nihilum convertere, villas et praedia, igne succedere cineribusque commiscere fecit, uxores vero horum nobilium, et virgines coram se turpiter coostuprandas satellitibus exposuit, postea easdem in frusta dissecare mandavit. Colonorum autem et infimae conditionis conjuges vestibus spoliatas, in sylvam nudas perinde ut matris alvo egressas, vel ut brutum pecus agere jussit, in sylvis autem satellites latentes subordinati erant. Cumque illae miserrimae mulierculae sylvae appropinquarent satellites, cum impetu in eas irruerunt, caedentes et variis plagis afficientes: illae timidae per campos et sylvas pallantes, et identidem discurrentes omnia fletibus et ejulatu complebant. Sic itaque omnibus possessionibus praedicti Joannis Pietrovicz olim Palatini Moscoviae devastatis. et funditus extirpatis uxorem ejus in monasterium intrusit, progeniem autem ejus, totam denique familiam a parvo ad minimum eradicavit.

## CANCELLARIO SUO QUID FECERIT.

Eodem supradicto anno trucidato tam insigni viro cum tota familia sua, cancellarium suum Kozarin Dubrowski dictum, falso accusatum (quasi ille subditis nobilium sive Bojaronum largitionibus corruptus, tormenta bellica in suis curribus et equis ducere non juberet, prout mos est, et quod solummodo magni Ducis id munus obirent) crudeliter hoc modo trucidavit: Satellitibus suis mandavit, ut in domum praedicti cancellarii impetum facerent, ipsumque membratim (quamvis crimiuis non convictum) dissecarent, quod et dictu ocius executum est. Nam satellites inopinate ipsum cancellarium cum filiis duobus membratim securibus ad mensam sedentem crudeliter dissecarunt, dissecatosque in puteum, qui in medio ejusdem curiae erat, projecerunt. Superfuit autem adhuc hujus cancellarii filius tertius, qui hoc die, quo pater suus occisus est, ad convivium quoddam invitatus profectus erat, cumque de patris tam crudeli fratrumque nece audiisset, in domum amplius redire non audebat, sed per integrum fere annum, identidem prae timore vagabundus circumambulabat. Cum vero nunciatum esset magno Duci, adhuc unum filium cancellarii Kozarini superesse, jussit eum per omnes regiones et civitates tam diu inquirere, donec inveniretur, quem captum, et in Moscoviam adductum, magnus Dux quatuor ingentibus rotis ad id excogitatis, in quatuor partes disrumpere fecit. Est autem hoc instrumentum quatuor rotarum ab hoc magno Duce moderno pro cruciandis hominibus adinventum, ad primam rotam una manus, ad secundam altera, eodem modo uterque pes ad caeteras duas rotas alligatur. Singulas vero rotas quindecim viri trahunt, tunc ibi, etsi ferreus vel adamantinus homo fuerit, a sexaginta viris transversim crudeliter tractus disrumpitur, et membratim dilaceratur. Ipse autem praesens ad hoc supplicii genus spectare solet, cumque iam aliquis eo inspiciente sic disrumpitur, gentili voce saltando hoyda, hoyda, proferens vociferare solet, quasi aliquod opus egregium perfecerit Omnis quoque nobilium et plebejum circumstans turba eadem voce Principi suo correspondere manibus complaudendo solent. Nam si aliquem lugubri tristique vultu sub id temporis conspexerit, vel si aliquis illi hoyda hoyda vociferanti exhilarandi particula non corresponderet, statim satellitibus eum arripere et dissecare mandat, dicens: perfide et tu sentiebas cum hoc inimico meo? cur ei condoles? quare de nece ejus contristaris? etc.

## SALES ET JOCI MAGNI DUCIS

CIRCA MENSAM.

Quicunque nobilium vel magnatum apud magnum Ducem inter prandendum turpius spurciusque jocatur, ille egregius peroptimusque et facundissimus aulicus censetur. Tales jocatores duo praecipui in aula ejus germani fratres Knesi Gvozdovic dicti erant, qui semper sales nefandos circa mensem exercebant, unus erat Andreas nomine Marschalcus, sive palatii magister, qui peste infectus, vitam exhalanit. Alter vero minor natu cubicularii munus obibat, hic quadam die turpissime cum magno Duce inter prandendum jocabatur, adeo ut magnus Dux nefandis dictis exacerbatus, a mensa ei discedere jusserit, interdum vero eo discedente caulis calidissima peneque bullicns de coquina ad mensam allata est, vocans igitur praedictum cubicularium, jussit se ei inclinari, et caulem illam calidam inclinato a collo post tergum infusit, qui pene combustus dolore urgente vociferare coepit, dicens: Miserere, miserere celel errime Imperator. Postea discedere volentem, magnus Dux arripuit, cultelloque quo ad mensam utebatur, cum crudeliter in collum transfixit, a quo vulnere continuo ni terram prolapsus, ex-



Digitized by Google

tractus est in atrium. Postea ei candolens magnus Dux, Italum Doctorem medicinae ocius accersiri jubet, eique venienti assurgens dixit: Dilecto Arnolpho Doctor (hoc enim nomen habebat) vade, auxiliare aliquid huic cubiculario meo, quem in jocando laesi. Doctor egressus exanimatum offendit, reversusque dixit: Rex et Dux magne, utinam tu sanus sis, ille vero jam de vita ad mortem translatus est, Deus autem, et tu magne Domine potens animam ei eripere, ego autem eam restituere nequaquam possum. Ad haec magnus Dux manu convivens dixit, vaeat ergo canis, cum vivere noluit.

## QUALI MUNERE MAGNUS DUX SUOS HONORAVIT.

Qmodam tempore Boris Titow magni nominis vir, Palatinus Stariciensis, ad magnum Ducem post prandium mensae cubito innixum assidentem venit, honoremque secundum morem caput inclinando exhibuit, cui magnus Dux quasi congratulans dixit: Salve charissime Tite, salve mi fidelissime serve, dignus es o Tite aliquo munere a nobis honorari, accede propius, accedentique caput inclinare jussit, et cultello evaginato auriculam ei manu propria abscidit. Ille vero auricula privatus minime contradixit, sed humiliter magno Duci gratias egit, dicens: Salvus tu sis celeberrime Rex, Dux et Domine magne, quod me servum tuum secundum placitum tuum castigare digneris. Cui magnus Dux, accipe nunc hoc exiguum munusculum libenter, donec tibi aliud melius offeretur.

## SOMNIORUM EGREGIUS INTERPRES

MAGNUS DUX.

Quidam nobilis Moscoviae in carcere aliquot annis detinebatur, carcerisque durissimi pertaesus, somnium sibi falso finxit, quasi Regem Poloniae captum vinctumque ad magnum Ducem adductum in somnis videret, hocque somnio se liberaturum fore (spe eum fallente) arbitrabatur. Supplicationem igitur ad consiliarios scriptam misit, dicens: Se rem quandam magno Duci necessariam et utilem gratamque scire. Quem consiliarii eductum magno Duci confestim praesentant: cui magnus Dux, dic ea nunc quae direnda nobis habuisti. Ille vero celeberrime Rex et Imperator, magne Dux et Domine, hac nocte in somniis vidi Regem Poloniae captivum misere compedibus vinctum, ad te a tuis militibus adductum. Ad haec magnus Dux respondit, rectissime narrasti, statim ego tibi hoc somnium, quid sibi velit, exponam. Carnificibus igitur eum confestim examinandum torquendumque tradidit, inquirendo ab eo, qua de causa hoc somnium sibi finxisset. Ille tormentis adactus fassus est, id causa liberandi ex duro carcere fecisse. Tunc magnus Dux eum in carcerem duriorem pristino intrudere jussit, dicens, expecta hic somnii tui veram efficaciam tam diu, donec adimplebitur. Ille miser postea acerbissimo carcere consumptus, miserrime e vita decessit.

## TURPIS MATRONARUM NOBILIUM

APUD MAGNUM DUCEM ABUSUS.

Habet magnus Dux supplantatores, adulatores plurimos ad id subordinatos, qui identidem circumambulantes, quid mulieres civium matronaeque nobilium de se loquerentur, subaudiunt, raptaque verba dicto ocius ad eum deferunt, qui satellitibus suis ad domum illius matronae accusatae destinatis, eam de lectulo a marito proprio violenter abstrahere, et sibi praesentari jubet. Hanc si ibi complacuerit per aliquot hebdomadas pro explenda libidine detinet, sin minus, satellitibus eam turpiter stuprandam exponit, et tandem ad maritum suum eam ablegat. Si vero virum illius matronae occidere, e medioque tollere proposuerit, tunc eam non ablegando jugulare, vel aquis obruere jubet, prout hoc pluribus contigit. Praecipue vero cuidam magni nominis viro Miessojedovski dicto quo inferius dicetur) supremo notario suo uxorem cum pedissequa violenter abstractam, et per aliquot hebdomadas detentam, in porta domus mariti sui eam una cum pedissequa laqueo suspendere jussit, sicque in porta suspensae duabus hebdomadis pendebant, donec jussu Principis deponerentur. Maritus vero suus subtus uxorem suspensam per illam portam, quo opus fuerat, exire et intrare cogebatur. Hoc quoque vel atrociori modo cuidam notario suo fecit, cui uxorem abstractam et stupratam postea remisit, eamque in habitatione propria, ubi solitus erat, cibum capere, super mensam suspendere fecit, in illaque mensa desuper uxore strangulata pendente, tamdiu ille notarius cibum amarissimum

Digitized by Google

capere cogebatur, donec jussu Principis illud cadaver asportaretur. Cum autem aliquo magnus Dux proficiscitur, et forte obviam sibi (ut fit) aliquam viderit matronam, quamvis magni viri uxor ea esset, sciscitare jubet, cujas sit, vel unde proficisceretur? Quod si eam illius viri, cui offensus est, uxorem esse intellexerit, tunc eam ex curru descendere et collotenus pudenda detegere jubet, et tam diu stare cogitur, donec omnes satellites, equites et aulici, ipseque magnus Dux praetereant.

## DE INJURIA EXPOSTULANTIBUS, QUID ACCIDERIT.

Anno a Christo nato millesimo quingentesimo sexagesimo sexto convenerunt ad magnum Ducem nobiles, magnates, et consiliarii, quasi trecenti viri expostulantes cum eo de injuriis, homicidiis, spoliationibus, et inaudita crudelitate, his verbis: Celeberrime Rex, magne Dux, et Domine noster, quae causa est, quod nos innocenter tantis detrimentis, tantisque malis et injuriis affligis, fratres nostros, consanguineos, insontes morti adjudicas, trucidas, aquis obruis, bonis spolias? In super satellites tuos in nostrum exitium convertisti, qui nos intolerabilibus oneribus injuste affligunt, et an tuo mandato nobis haec faciant, penitus ignoramus. Nos etenim tibi Domino nostro et Imperatori legitimo, prout fideles subditos decet, in fide sincera et veritate servimus, sanguinemque nostrum tui causa strenue profundimus. His dictis magnus Dux ira exandescens in carceres omnes et singulos vinctos extrusit, postea quinque diebus exactis de carceribus eductis, quibusdam linguas abscindere, aliis pedes et manus obtruncare, quinquaginta vero insigniores viros in foro publice virgis et baculis caedere jussit, reliquos liberos dimisit, quibus quamvis tunc temporis pepercerit, postea tamen in manus ejus crudeles et truculentas devenerunt, prout inferius dicetur.

## QUALEM GRATIAM MAGNUS DUX SOCERO SUO EXHIBUERIT.

Michael Temrucovicz cognomine, clarae familiae vir, magni Ducis socer, tali amore prosequitur, quae interdum per duas ampliusve hebdomadas magnus Dux gratiam amicitiamque ei exhibet. Postea cum eidem qualibet levi de causa infensus fuerit, tunc ad singulas portas januasque curiae illius, ursos indomitos horribilesque tres vel quatuor alligare mandat, qui omnes e curia exire volentes unguibus confestim dilacerarent. Interdum ergo Dominus socer in aedibus clausus sedit, et si quid habet, comedit, bibit, et hi ursi aliquando per duas, tresve hebdomadas a foribus curiae non abducuntur. Quando etiam eundem socerum suum supradictum magnus Dux pecuniis abundare intelligit, tunc eum jubet arripere crimine ei falso objecto, et in locum, ubi debitores secundum morem gentis baculis virgisque caeduntur, ducere, ibique tam diu jussu Principis virgis verberatur, donec omnem thesaurum indicare cogatur. Quando autem in eo magnus Dux nihil potest verberibus extorquere, tunc ei ipse ex thesauro suo certam summam pecuniae numerare solet. Hoc itaque modo magnus Dux socerum suum tractat, aliquando cum thesauro spoliat, aliquando ditat. Interdum vero cum se huic socero suo benigniorem exhibet, tunc ipsi soli parcit, sed praecipuum ejus et intimum ervum (qui vices Domini suppleret) arripere et tam diu verberare jubet, donec thesaurum Domini sui indicaret, aliquando etiam Dominus servo innocenter caeso condolens, tantum pecuniae pro eo numerare solet, quantum magnus Dux imperaverit. Quadam etiam vice evenit, quod vector praedicti Michaelis cum vectore magni Ducis in via forte congressus, ibi ambo inter se litem excitaverunt, ac inter jurgia ad pugnam devenerunt. Vector igitur magni Ducis gravius percussus, ad Marschalcum, sive palatii Magistrum veniens, a vectore soceri magni Ducis se verberatum conquestus est. Magister palatii causam ad magnum Ducem detulit, qui continuo re audita, absque partis accusatae purgatione satellites suos in curiam praedicti soceri sui misit, eisque ut tres servos illius praecipuos in foribus laqueis suspenderent mandavit. Sic ergo illi servi suspensi in foribus pendebant, et omnes ex domo exire, et in domum intrare volentes, per illas fores subter suspensos ambulare duabus hebdomadis cogebuntur, donec jussu Principis deponerentur.

## DE CRUDELI MAGNI DUCIS MOSCORUM TYRANNIDE, QUAM IN NOVOGRODIA MAGNA, PSCOVIA TVERIA, ET NERVA CIVITATIBUS PERPETRAVIT, ANNO DOMINI 1569.

Ano per Christum salutis partae supra millesimum quingentesimum sexagesimo nono, cum Princeps Moscoviae rescivit Novogrodenses,

Digitized by Google

Pscovienses, et Tverenses ad Regis Poloniae magnique Ducis Lithuaniae partes aliquantulum propensiores esse, statim quomodo id ulciscerctur cogitare coepit, et ut inopinatos eos, et praeter spem securos opprimeret, hoc modo inprimis progressus est. Omnibus et singulis utriusque sexus hominibus, tam viris, quam feminis, senibus et pueris, sub poena capitali interdixit, ne quisquam ea via, quae ex Moscovia in magnam Novogrodiam ducit, ire proficiscive praesumeret. Deinde cum jam numeroso accinctus exercitu de curia Alexandrova Sloboda dicta, ad Novogrodenses ulciscendos, et funditus exterminandos egressus esset, praesidiariorum satellitum ante se septingentos praemisit, totidemque a tergo et in omnibus circumquaque locis praesidiarios subordinavit, qui omnes, quoscunque ea via interdicta euntes invenerunt, securibus membratim cum jumentis, curribus, et id genus aliis rebus dissecabant, ita ut nec ex Moscovia in Novogrodiam, nec ex Novogrodia in Moscoviam quisquam viventium transire potuerit, nemoque propositum Principis, quo contenderet excepto uno Secretario Ophanasio Viaziemski, scire potuit, nam haec omnia tam caute et callide peragebantur, ut inopinati et undequaque inclusi Novogrodenses citius opprimerentur, et nusquam evadere possint. Cumque jam a Novogrodia magna quasi per medium miliaris cum exercitu abesset, tum demum miseri Novogrodenses diem judicii sibi immißere cognoverunt, etenim satellites emissarii equitesque tractum Novogrodensem igne et ferro hostiliter vastabant, omnes homines cujuscunque conditionis fuerint, nobiles et plebejos caedebant, ingulabant, membratimque dissecabant. Insuper jumenta omnia, vicos et pagos flamma absumebant, satellites etiam praesidiarii, qui viarum transitus ubique custodiebant, neminem post Principem transire (quamvis servum ipsius proprium) sinebant, sed omnes quoscunque offenderint, membratim dissecant. Verebatur enim magnus Dux subditorum suorum, nobilium et magnatum quorundam erga se conspirationem et insidias. Tandem in ipsam Novogrodiam magnam, satellitorum, aliquot millia, cum equitibus Tartaris praemisit, ad spoliandos et depraedandos omnibus bonis cives, quos ipse statim cum toto exercitu secutus est, et omnes obvios trucidare, membratimque dissecare, equis proterere, lanceis induere jussit. Ipse quoque manu propria cum filio natu majore plurimos lancea transfigebat. Postea duas vastas areas septis ligneis circumdare, et trabibus obstruere, illicque omnes cives praestantiores vinctos cogere et implere fecit, quos ipse cum filio hastis tam diu crudeliter, equis calcaribus adactis, magno impetu transfigebat, et trucidabat, donec uterque anhelans defatigaretur. Tandem ad satellites circumstantes, fremebundus dixit: Irruite in hos perfidos, secate, dissecate, trucidate, neminemque vivum relinquite. Illi confestim dicto ocius in eam multitudinem civium vinctorum turmatim stantem, impetu facto, omnes ad unum membratim dissecarunt, et in aquas projecerunt. Deinde aliquot centena hominum in flumen gelu concretum, quod mediam civitatem interfluit, implere, glaciemque in circuitu eorum circumcidere jussit, qui omnes glacie circumcisa fundum petente, aquis immersi et obruti sunt.

Tantam igitur in Novogrodia magna civitate celebri, et totius Russiae primaria magnus Dux tyrannidem perpetravit, ut 2770 civium, excepto paupere vulgo, sexuque femineo trucidati, et aquis obruti fuerint. Monasteria quoque in toto Novogrodiensi tractu 175 spoliare, depraedare, quaedam hostiliter flammis comburere, monachosque trucidare, et aquis obruere fecit. Vestimenta sericea, et id genus ornamentorum civilium satellitibus in praedam concessit, auro et argento (cujus ineffabile pondus de Ecclesiis et mercatorum thesauris compilavit) sibi relicto, domos etiam civium spoliatas diripere, evertere, et destruere fecit. Tantaque damna mercatoribus, caeterisque civibus in hac celebri urbe edidit, ut nequaquam resarciri, et justa computatione aestimari possint. Cerae quoque innumerabiles massas ab annis viginti plusve apud mercatores repositas in flammas projicere, et in nihilum convertere jussit; cera enim Novogrodensium, pellesque ferarum, praecipuae merces erant. Cumque praedictam civitatem funditus jam devastasset, et totum fere tractum ejus crudeliter depopulasset, quingentos equites in Nerviam civitatem Livoniae finitimam, ubi Novogardenses merces suas deponere solebant, destinavit, et per totam civitatem proclamare jussit, ne aliquis merces Novogrodensium sub poena capitis et omnium bonorum privatione emere, aut sibi quolibet modo appropriare audeat. Omnes vero cives Nervienses, qui a Novogrodensibus aliquid mercium clanculario emerunt, membratim dissecati, et in lacum projecti, possessiones vero eorum una cum domibus igne combustae sunt. Pauperes etiam omnes et mendicos, qui prae nimia fame (tunc temporis grassante) caesorum

Digitized by Google

cadavera coquebant et manducabant, illi satellites jussu Principis trucidaverunt, trucidatosque in profluentem abjecerunt, et omnes merces Novogrodensium varii generis, quas illic repositas invenerunt, in unum locum congestas succenderunt.

## ARCHIEPISCOPO NOVOGRODENSI

QUID CONTIGERIT.

Cum ita crudeliter Moscorum Princeps Novogrodiam magnam vastaret, ab Archiepiscopo ejusdem civitatis (qui Ruthenico idiomate Vladika dicitur) ad cibum capiendum invitatus est. Ille nulla excusatione interjecta, hora prandendi statua in aedes Archiepiscopi satellitum armata manu stipatus venit. Inter prandendum autem Ecclesiam S. Sophiae, auri et argenti ditissimam (ad quam omnes fere cives thesauros suos, quasi in locum tutissimum comportarant) spoliare et funditus depraedare jussit. Postea prandio peracto, Archiepiscopum (a quo ad cibum capiendum invitatus erat) omnibus ornamentis, vestibusque Archiepiscopalibus denudavit, dicens: minime tibi convenit Archiepiscopum esse, sed potius tibicinem et utricularium, ursorumque ad choreas peritorum, ductorem. Ideo melius tibi est uxorem ducere, quam ego tibi delegi. Caeteris autem abbatibus, et monasteriorum Prioribus, qui prandio intererant, dixit, vos omnes ad nuptias Archiepiscopi vestri celebrandas invito, sed ut etiam ad hujus convivii necessaria compranda singuli symbola daretis oportet. Omnes igitur Abbates Prioresque imperatam et praescriptam summam pecuniae magno Duci numerare coacti sint, ut ad minimum nummulum omnes penitus spoliati et excoriati fuerint, metu etenim tormentorum territi, omne argentum quantum quisque habebat Principis impulsu exhibuerunt. Cum igitur ab eis haec symbola exegisset, minisque et tormentis extorsisset, equam albam praegnantem adducere jussit, eamque Archiepiscopo digito indicans dixit: En uxorem habes suam, aseende super illam, et in Moscoviam proficiscere, illicque te in numerum sive contubernium tibicinarum et citharaedorum, qui ursos saltatrices ducunt inscribere da. Ille miser invitus super equam praegnantem viloso panno vestitus ascendere compulsus est, jamque desuper sedenti jussu Principis pedes sub ventrem equae alligati sunt, deinde ipse magnus Dux instrumenta musices, videlicet lyram, fistulam, tibiam, et citharam illi Archiepiscopo jam sic equae insidenti porrexit, dicens: En habes artificii tui instrumenta, plus enim tibi citharistae quam archiepiscopatus officium arridet. Iam igitur haec instrumenta musices exerce, et ad contubernium citharistarum in Moscoviam proficiscere, qui per totam civitatem in equa pedibus subtus alligatis sedens, utricularios inflare, stridentibusque et discrepantibus fistulis (nunquam licet in hoc genere musicis exercitatus) miserum perstrepere carmen compulsus est. Hoc igitur modo praedictus Antistes Novogrodensis archiepiscopatus dignitate spoliatus, exutus, omnibusque bonis privatus, et nefanda ignominia turpiter affectus extitit.

His peractis Monachos, Abbatesque, et priores monasteriorum, caeterosque ecclesiasticos omnibus bonis spoliatos, vario mortis genere trucidare, securibus dissecare, lanceisque induere, et aquis obruere fecit. Postea quendam magni nominis virum Theodorum Sirconii dictum captum, ad se in castra medio miliari a Novogrodia sita adducere jussit, eumque fune longo per medium alligare, et in fluvium Volchow dictum demergere fecit. Cumque jam aquispene obrueretur, rursus extractus est, extractumque ipse magnus Dux interrogavit, dicens: Dic mihi, quid in fundo hujus fluvii vidisti? At ille respondit: Omnes daemones, magne Dux qui in hoc flumine et in lacubus Ladoga, Sladoga, Varminaque degunt, ad tuam animam eripiendam, et in Tartaro demergendam congregatos vidi. Ad haec magnus Dux, recte inquisti, ait, ego vero pro hujus visionis declaratione et expositione gratiam tibi praestabo. Confestum igitur eum arripere, et pedes in aheno aqua bulliente repleto, genuatenus coquere jussit, tamdiu donec omnem thesaurum indicaret, erat enim auri et argenti ditissimus, duodecimque monasteria suo sumptu fundaverat et erexerat. Cum vero sic crudeliter absque ulla misericordia concoqueretur, triginta millia florenorum monetae argenteae indicavit. Tandem cum fratre Alexio, jussu Principis membratim dissecatus, et in proximum fluvium injectus est.

Haec insigni urbe antiquissima, et celeberrima omnium civitatum Russiae crudeliter devastata ad Pscoviam civitatem amplissimam, Novogrodiae haud dissimilem, eodem modo hostiliter depopulandam profectus est. Cumque jam civitati armato cum exercitu appropinquasset,

Digitized by Google

cives extrema sibi imminere videntes, singuli mensas unusquisque ante aedes suas adornaverunt, salque et panem super posuerunt. Nam apud Moscos pane gratia, sale vero amor significatur. His itaque dispositis, obviam magno Duci exeuntes, ad panem cum sale comedendum humiliter cum (ut gentis mos est) invitarunt, dicentes: Magne Rex et Dux celeberrime, Domine noster, nos servuli tui fideles, humilibus et submissis votis, te ad panem cum sale comedendum invitamus, nobisque omnibus et bonis nostris universis secundum placitum utere; nam omnia bona, quae possidemus non nostra, sed tua pariter nobiscum sunt. Hac igitur humili Pscoviensium oblatione nonnihil sedatus placatusque extitit, morti destinatis pepercit. Sed cives mercatoresque ditiores auro et argento depraedavit, Monachos etiam quosdam trucidare, membratim dissecare, aquis obruere, et duas basilicas praecipuas thesauri ditissimas spoliavit, denique campanas de omnibus Ecclesiis abduxit.

His in Pscovia exactis in Tveriam civitatem insignem olim Ducum Tverensium sedem profectus, tantam in ea tyrannidem, quantam in Novogrodia magna exercuit, incolas trucidavit, aquis obruit, bonisque omnibus mobilibus et immobilibus spoliavit. Divorum templa auro et argento depraedavit, Lithuanos etiam et Ruthenos numero quingentos, qui in Polotzko arce capti in carceribus ibidem detinebantur, omnes jugulare trucidareque fecit. Tartarorum quoque decemnovem magnates in bello captos, et in eadem civitate carceribus detentos trucidare jussit, ad idque exequendum praefectum satellitum Malutam Scuratow dictum destinavit. Tartari vero re animadversa, cum nihil aliud, nisi praesens ante oculos exitium, et miserabile mortis genus conspicerent, in desperationem adacti inter se obstinate et firmiter statuerunt, sese pariter, quoad possint, defendere, cultellos itaque in manicis absconditos singuli habebant, et cum praedictus Maluta cum caeteris satellitibus in eos cum impetu irrueret, Tartari unanimiter ut leones rugientes strenue sese defendere coeperunt, unusquisque eorum Ducem satellitorum Malutam cultello appetiit, ventremque ei, quamvis lorica induto, ad intestinorum usque profluxum transfodit. Dum sic res atrociter Tartaris sese obstinate defendentibus agitur, ex satellitibus quatuor desiderati ceciderunt, vicemque enormiter vulnerati, caeterique fugati re infecta discesserunt. Cumque magno Duci processus rei nunciaretur, statim quingentos Scloppetarios cum bombardis et arcubus in subsidium illis satellitibus, contra decemnovem Tartaros misit, sicque undique circumventi sagittis, bombardarumque glandibus confecti, et membratim dissecati, in profluentem abjecti sunt.

## DE TYRANNIDE QUAM SUPER INTIMUM SECRETARIUM CONSILIARIUMQUE SUUM MAGNUS DUX EXERCUIT.

Cum proposuerat magnus Dux has supradictas civitates funditus devastare, tum id tam caute, callide et occulte peragebat, ut propositum suum nemini, nisi cuidam Ophanasio Viaziemski (quem unice diligebat) revelaverit, et aliquando bis per noctem de lectulo surgens, ad praedictum Ophanasium consultandi disceptandique de progressu rei gratia, ambulare non gravabatur, et quamvis etiam Italum Arnolphum Doctorem medicinae singulari gratia prosequebatur, attamen nunquam nisi per manus hujus Ophanasii medicinas sumebat, eumque pro unico alumno habebat. Hic autem Ophanasius Gregorum quendam Lovczik dictum, magno Duci commendaverat, et jam in gratia apud magnum Ducem habebatur. Qui beneficii ingratus praedictum Ophanasium benefactorem suum, ad magnum Ducem per contumeliam criminaliter detulit, quasi ille arcanum sibi creditum de vastandis Novogrodensibus et Tverensibus quibusdam revelasset. Cujus falsis dictis magnus Dux persuasus fidem adhibuit, sed non statim se accusato iratum exhibuit; sub praetextu enim pristinae gratiae et amicitiae seorsim cum eo arcana consilia, ut solitus erat, variis de rebus conferebat, aliud simulando fingendoque, aliud animo occultando, malumque et exitium ei sub dolo amoris specie machinando. Postea quadam die magnus Dux cum praedicto Ophanasio simili modo consilia conferens, satellitibus suis servos ejus praecipuos interea trucidare jussit, quod et factum est, egressusque ille Ophanasius a magno Duce, servos suos misere trucidatos videns, quasi non videret oculis aversis praeteriit. Deinde jussu Principis bonis omnibus spoliatus, et funditus depraedatus, ex familiaque ejus decemseptem viri insigniores occisi sunt. Ipsum autem magnus Dux bonis omnibus spoliatum, in locum publicum ubi debitores baculis caeduntur (prout gentis mos est) ducere jussit, et tamdiu crudeliter verberare.

Digitized by Google

donec omne argentum et aurum, quo adhuc secreto reconditum habuit indicare conpulsus fuerit, nihilominus tamen qualibet die bis terve per crura baculis crudeliter verberabatur, jamque cutis in eo prae duris verberibus, perinde ut tympana intumescebat, attamen adhuc eo gravius torquebatur, donec tormentis crudelissimis eo adactus esset, ut contumelia aliquot cives Moscovienses, quos ditiores sciebat, afficeret, quasi sibi magnam summam pecuniarum debiti fuerint, et quantam apud aliquem summam pecuniarum indicavit, tantam illi Principi numerare et rependere (quamvis nihil debiti, sed per contumeliam accusati) compulsi sunt. Neque hac quidem effera tyrannide, tantaeque summae argenti a nihil debentibus exactione sibi temperavit, ut explendae crudelitati satisfecerit, sed ipsum adhuc eo crudelius torquere jussit, crura pedum baculis tendendo, donec prae nimis verberibus spiritum exhalaret. Postea servos ejus reliquos (quibusdam fuga dilapsis) trucidavit, virgines quoque uxoris ejus pedissequas, quadragenas numero, quae acu pingere peritissime, filoque aureo intexere, et opus Phrygianum conficere noverant: ex quibus forma praestantiores et pulchriores selegit ad suam explendam libidinem.

## MAGNUS DUX SE PRAESTANTES

### VIROS PROPTER LORICAM INAURATAM CRUDELISSIME NECARI JUSSIT.

Cum Timotheus Masalski Lithuanus nobilis illustri genere natus, captus in bello, tetro diuturnoque carcere detineretur a magno Duce, et idem magnus Dux jussisset crudeliter tolli e medio, Palatinus urbis Moscoviae Joannem Pietrovicium, ut supra dictum est, tum quidam ex famulis Palatini animadvertens fortunas domini sui, et bona omnia misere perdi ac diripi, neve omnia perirent, et nihil haberet, occulte accepit elegantem loricam inauratam, eamque sociis suis servandam tradidit, qui eodem in carcere erant, ubi et Timotheus Masalski. Postea factum est ut illi eam oppignorarint Timotheo, qui eam servandam dedit famulo, is autem liber erat, et suo domino in vinculis serviebat. Itaque famulus, dum defert loricam in hospitium suum, incidit in vigiles, capitur et statim offertur praefecto carceris, qui cum videret esse pretiosam loricam, illam sibi vindicavit et occultavit. Erant autem et in eodem carcere duo ex sagittariis sclopetariisve magni Ducis, qui istud viderant. Quare consiliarii Principis hanc rem detegunt et referunt praefectum carceris, seu commentariensem, accepisse loricam inavratam a Timotheo Masalski, quae olim fuerat Joannis Pietrovicii Palatini Moscoviae, hanc occultasse, penesque se habere, e vestigio consiliarii rem totam deferunt magno Duci, qui confestim jubet extrahi e carceribus Timotheum Masalski et ante se sisti, sic et Commentariensem, et illos duos Moscovitas, qui pignori illi dederant hanc loricam. At denique illos duos sclopetarios, qui istud detexerant, tum ibi omnes jussu Ducis immanissime torquebantur, et tandem enecati sunt, quatuor quidem illorum aquis submersi. Ipse autem Timotheus Masalski, et Commentariensis simul vincti in urbem Moscoviam missi sunt, ibique die Sabbati in vigilia festi diei Pascati, ambo sunt publice capite truncati, et in aquas conjecti. Sic ob hanc loricam sex supplicio affecti, et e medio sublati.

## QUID ACCIDERIT ISTIS,

### QUI INQUIRERE VOLUERUNT, QUIDNAM AGERET MAGNUS DUX.

Quidam secretarius magni Ducis sanguine ipsi junctus, semel ad epulas invitarat aliquot aulicos sibi familiares, quos sane splendide ac laute excipiebat: oblitus est autem, dum ita hilaris esset inter amicos (sicut saepius evenire solet) adire Principem magnum Ducem: misit unum ex suis pueris in palatium Principis, qui prospiceret, quidnam ageretur in basilica apud magnum Ducem. Puer autem cum ascenderet per gradus palatii, vidit magnum Ducem, alloquentem quendam consiliarium, quo conspecto famulus revertitur domum, ad herum id ei relatum. Deinde vero cum magnus Dux amandasset illum consiliarium, cum quo conferebat, interrogavit cujusnam famulus venisset in aulam, et quam ob causam. Evocatur ille famulus ex itinere, et respondet, se eo missum, visum quidnam ageretur in palatio magni Ducis: derepente Princeps, ubi causam intellexisset, retinuit penes se famulum, et accersi jubet tam ipsum secretarium, quam ejus convivas: qui ubi venissent, variis tormentis discruciari jussit eos, volens ab illis extorquere, cur misissent famulum in regiam, percunctatum de eo: curve ad tam splendidum convenissent convivium, pariter rescire cupiebat, quos de

Digitized by Google

ipso sermones secretos tenerent. Itaque excruciati tam diris tormentis allii expirarunt, alios vero facultatibus exutos omnibus, semimortuos reliquit. Itaque ab illo tempore, et tam atroci ac tristi facinore, nemo ausus est mittere aliquem famulum, visum quid agatur in palatio Principis: immo potius hora statuta ipsi consiliarii penitus adsunt, et proceres praesentes veniunt.

Quidam etiam Vlodimirus Morozow cognominatus, vir celebritate famae insignis et maturae aetatis, gravitateque plenus Palatinus, semel quadam misericordia motus contere fecit humi miserum hominem, qui magni Ducis imperio interfectus fuerat. Is autem homo fuerat famulus Ducis Curpiski, qui ad Regem Poloniae defecerat. Hanc itaque ob causam magnus Dux arguebat hunc Vlodimirum perfidiae, ac si a partibus fugitivi Curpski staret, et in Lithuaniam ad ipsum litteras dedisset. Itaque subito conjectus est in carceres, ubi cum longissimo temporis intervallo haesisset, extractus et oblatus et magno Duci, cum esset in suo palatio et aula regia, Alexandrova dicta, discruciatusque est maximis tormentis, cum ab eo nihil extorquere potuissent, tandem mortuus, et cadaver in aquas conjectum est.

Basilius Dimitrovicius, vir summus et celebris in re militari, affecerat injuriis aliquot praefectos tormentorum bellicorum, cum Moscovitas, tum et Germanos: quorum duo cum vellent fuga sibi consulere, capti sunt a viarum custodibus in finibus Lithuaniae, illi statim deducti sunt ad magnum Ducem, qui tum erat in arce fortissima, vulgo Vologda appellata, et miseri illi quaestionibus adhibiti, fassi sunt, at falso, quod scilicet missi fuissent in Lithuaniam a suo illo praefecto Basilio. Itaque magnus Dux Basilium Dimitrovicium ad se accersit ex ipsa Moscovia, variisque tormentorum generibus affligi jussit: in mediis illis cruciatibus constanter fassus est, se nihil istorum molitum fuisse, de quibus accusabatur, nec istud unquam in animo habuisse. At magnus Dux repente jussit adduci quandam equam oculis captam, et jungi currui, et tum Basilius equae impositus est, eique alligatus. Deinde ambo conjici jubet in rapidissimum fluvium, utens hac oratione: En tibi equam egregiam dedi, instigueras abire ad Regem Poloniae, eum adito. Haec itaque equa caecitate percussa, natabat in alto istius rapidi fluminis et velocissimi: ipse autem Dux erat spectator cum suis satellitibus stans ad ripam fluminis, ut istius rei euntem intueretur: ac post longam natationem haec misera et caeca equa adnavigabat ripae. Verum praefectus satellitum regiorum, vocabatur Malyta Scuratow, ut gratificaretur magno Duci: conto abegit equam a ripa et sessorem: sic vi aquae rapitur iterum equa. Tum magnus Dux exultabundus inquit: O facinus egregium et valde lepidum. Quare haec misera equa defatigata, vi aquarum rapidissimarum submersa est, una cum isto Basilio Dimitrovicio.

Aliquando cum versus Novogrodiam regionem proficisceretur magnus Dux, accidit quendam equitem, famulum cujusdam magni *viri* forte praecessisse illum: et Dux ad latus sinistrum jubet deflectere hominem, ita percitus jussit istum frustulatim dissecari, et segmina membrorum luto et altissimo coeno misceri.

## QUALI VENATIONE MAGNUS DUX PLURIMUM OBLECTETUR.

Quotiescunque magnus Dux cum filio tempore hyemis respicit ex sua arce, *videtque* homines turmatim incedentes *in lacubus* et fluminibus gelu concretis ac praecipue diebus *festis*, tum jubet, ut in illam confertam hominum multitudinem tres aut quatuor ursi immanes immittantur, et irruant ex improviso. Ibi qui sibi fuga consulere possunt, aufugiunt: alii crudelissime a feris illis dilaniantur. Sic hoc pulcherrimo spectaculo pater et filius delectantur vehementer, et rident affatim ac si pulchrum esset facinus. Deinde cum accedit miser pater lamentatum se, quod amiserit filium, et etiam uxor maritum, qui ab ursis sic mactati sunt, tunc jubet istis numerari aureum nummum, vel duos, quia sic interfecti sint ejus subditi. Addit deinde ipse Dux, se magno beneficio afficere ipsos, quod eis permittit instituere querimoniam coram se. At si subjiciunt, rem esse *infamem* et nephariam hoc genus crudelitatis exercere. Iterum respondent consiliarii magni Ducis: Magnum Ducem et ejus filium magnam ex hac re voluptatem percepisse, et istud vidisse, sic nullum peccatum esse hic commissum. Ad extremum, si ad ipsum Ducem venit mater miserrima lamentando se de easde filii, aut ipsa uxor ob amissum sic inhumaniter maritum. Breviter excipiunt illi: perbene satis factum esse ipsis, ubi nummos argenteos monetae Moscoviticae centum aut ducenti numerati illis fuerint.

Digitized by Google

Saepenumero accidit, cum magnus Dux est in suo palatio Alexandrova, et cogitat de aliquo summo viro sumere supplicium, tum delectationis causa jubet istum obvolui pelle ursi, et deinde ad spectaculum educi: tunc incidat in ipsum aliquot Molossos, et canes Britannicos efferos: Canes putantes hunc indutum pelle ursina esse ursum, illum morsibus et unguibus dilacerant, et crudeliter laniant eosque quo membratim sic discerptum relinquunt: ita inhumaniter iste vitam finit.

## DE TRUCULENTO FACINORE,

### ET CRUDELITATE SUMMA, QUAM ILLE SUMMUS DUX EXERCUIT IN CAPTIVOS, LITHUANOS, RUTHENOS, ET POLONOS.

Anno Domini 1569, die Januar. 9, cum Lithuani copias militum non valde magnas conscripsissent, quarum Dux et Imperator erat quidam Polubiensius strenuus vir: coeperunt inopinato urbem et arcem vulgo Izborg dictam, quae sane natura loci est satis fortis. Haec urbs jampridem parebat Moscovitis: at quia non erat bene nec milite nec annona haec arx munita, iterum recepta est a Mosco, et a nostris amissa. Magnus itaque Dux, cum videret se amisisse tam munitam arcem, statim furore et rabie quadam plenus, jubet ut omnes Lithuani, Rutheni, ac Poloni, qui erant in vinculis, crudeliter mactentur. Verum quorundam consilio, qui certas causas ei proferebant, ne id scelus committeret, factum ut hic ejus furor interciderit, nec quod impie cogitaverit, perfecit. Atque licet tunc eis pepercerit, tamen postea omnes internecioni dedit, ut suo loco explicabimus. Quamobrem illi captivi, qui in ergastulis in urbe Moscovia asservabantur, ad lanienam et macellum ab eo constitutum: nihilominus tamen quo suum sanguinolentum animum pasceret, sic ipsi placuit, ut ejus satellites passim captivos per arces in vinculis dispositos, adducerunt, maxime vero eos, qui erant in carceribus, Pereaslavia, Rostovia, Uglicia, Costroma: isti autem omnes erant Poloni, Lithuani et Rutheni, una cum uxoribus et liberis, quos ad unum crudeliter perdidit, aquisque obrui jussit. Sic itaque hoc diro mandato instructi satellites magni Ducis, ad illas arces venerunt, hacque insidiosa oratione erga illos miseros vinctos usi sunt: Nunc magno beneficio magnus Dux et Imperator vos afficere cupit, et etiam Regi Poloniae hunc favorem declarabit quod vos liberos dimittet in Lithuaniam. Id circo vos deducemus ad consiliarios Principis, interea uxores et liberi vestri usque ad triduum hic vos expectabunt. Atque cum a conspectu carissimarum uxorum et liberorum abduxissent illos procul, tunc vinctos manibus pedibusque projiciebant in rapidissimum fluvium Volga appellatum. Verum exacto triduo, quidam Moscovita misertus vicem istarum mulierum frustra maritos expectantium, inquit: O miserae animae, et infelices mulieres, vos eadem sors manet, quam jam passi sunt mariti vestri, qui sunt projecti in Volgam fluvium. At cum affaretur istas mulieres homo ille, satellites interveniunt, quorum manus de caede maritorum erant adhuc cruentatae et spirantes necem, venerunt in carcerem, unde abducunt gregem illum mulierum captivarum cum liberis ad submergendum aquis. Tum illae calamitosae feminae et infortunatissimae, sibi proponentes ob oculos vicinam mortem adeo horrendam et terribilem, multis effusis lacrimis petunt ab istis administris Principis ut aliquid temporis concedant, quo sua peccata Deo Optimo Maximoque confiteri possint, et ejus misericordiam implorent, velitque pro sua clementia omnibus eorum erratis clementer ignoscere: id quod a satellitibus eis concessum est. Idcirco horas duas versabantur in piis orationibus et deprecationibus, ardentissimis votis petentes a Deo, ut illis pro sua divina bonitate ac clementia parceret, et ad se reciperet: ac cantatis divinis hymnis, animas suas Christo redemptori, ad supplicium mortis subeundem se pararant, mutuisque oculis sibi datis, mirifice se consolabantur, ut forti patientique animo omnia perferrent. Istis rebus omnibus absolutis, ducuntur ad flumen, quarum aliae liberos manu trahunt, aliae vero infantes suos uberibus admovent. Sed cum jam ad ripam rapidissimi illius fluvii venerunt: tunc pro ingenio et natura muliebri, partim ob insuitatum genus mortis in tam horrendum ejulatum, fletumque erumpunt, ut et coelum ipsum penetrarint. Satellites autem inhumani minari eis coeperunt, urgentes eas, quo illae sua sponte se aquis traderent. A quo indigno facinore cum abhorrerent, statim illi satellites in eas impetum faciunt, et eas cum liberis in aquas illius fluvii, cujus glacies confracta erat, abjiciunt. Et sane ob tristissimi et crudelissimi istius facinoris aspectum, vulgus Moscovitarum cum non possent se continere, in lacrimas effundebatur, commiseratione summa perculsus: quod tam indignissime istae insontes feminae cum libe-



Digitized by Google

ris tam detestanda morte affectae fuissent, execrantes in universum carnificum istorum immanitatem. Quapropter cum has voces lugubres populi audirent satellites, quodque aegerrime ferrent hoc genus supplicii, tunc minis utentes ac ferientes populum baculis, abigunt, haecque verba addunt: O rebelles magni Ducis, aperte videmus, quod propter istos captivos supplicio affectos fletis, at propediem, credite, vos eadem fata sequentur.

## DE FRATRICIDIO PERPETRATO

A MAGNO DUCE 1570.

Frater germanus magni Ducis immerito ac perfide delatus fuerat a quodam consiliario, cui nomen orat Trzeciak Viskovaty. Audita hac injusta accusatione Princeps, nullam fecit potestatem fratri falsum crimen diluendi, atque quam ingentes cruciatus excogitare potest, illos adhiberi jubet ad excarnificandum et torquendum fratrem. Dumque est in mediis cruciatibus, exegit ac extorsit ab eo omnes illius thesauros, et bona omnia tam mobilia, quam immobilia sibi vendicat, atque cum prae magnitudine tormentorum vix semivivus esset, tum jussu Principis scuri illum ferit carnifex. Deinde fratriam suam, quae ante conspectum ejus procumbebat in terram, facie demissa, implorans misericordiam, arripi jubet a satellitibus omnibus, vestimentis exui, et turpissime nudam constitui. Ita diutissime illa miserrima femina nuda omnium oculis exposita fuit. Deinde quidam miles jubente Principe eam funi alligat, et conscenso equo, velocissimo cursu sine ulla misericordia pertrahit illam in flumen, et aquis submergit ac perdit. Sic iste magnus Dux tam astorgos et impius extitit in fratrem et fratriam.

## QUO AMORE MUTUO SE PROSEQUI

SOLENT MOSCOVITAE.

Hoc genus hominum, Moscovitae, est adeo barbarum et perfidum, ut nihil synceri sit apud eos, nec se unquam vero ac naturali amore prosequuntur, alter alterum impudentissime et confidentissime, sic sunt perfrictae frontis, criminis alicujus insimulare non veretur, sive palam sive clam: aut aperte, aut per insidias invicem perniciem sibi machinantur: mutuisque convitiis lacessere se soliti sunt. Familiare est apud eos, patrem filio insultare, et filium in patrem irruere, ac fratrem perfide deferre, sic ut nulla apud eos fides, et sanguinis reverentia sit, etiam in conspectu magni Ducis se proscindunt contumeliose. Itaque accidit semel ante Principem, anno 1570 quosdam duos fratres germanos et nobiles istius rei luculentum documentum edidisse, horum unus vocabatur Mikita Obolinski, qui malo genio praeditus, familiae gentisque nomen patrium suum commutaverat: idque audiente ipso Duce, excogitaverat aliud cognomen, nempe Povrozovski, ac si diceres funigerum aut furciferum, et patibulo dignum hominem. Alter autem frater suae nobilitatis haud immemor, gentileque nomen retinens, cum fratrem alloqueretur, compellare coepit nomine gentili Obolinski, qui velut furens et atroci injuria a fratre affectus, magnum Ducem adit, et ad eum sic fratrem defert. Princeps serenissime, peto abs te, ut jus mihi administres de fratre, qui infami nomine me contaminavit. Vocor Povrozovski, et me contemptim appellavit Obolinski. Idcirco supplex te oro, ut meritas ille luat poenas; non enim levem ab eo mihi factam injuriam censeo. Tum magnus Dux evocat consiliarios, quasi de re maximi ponderis consultandum fuisset, inquiens: Necesse est, ut vos hanc contentionem et gravem controversiam inter istos duos fratres exortam adhibito summo judicio, et magna cum aequitate dijudicetis. Frater itaque ille, qui ita turpiter abnegaverat suam nobilitatem, accessit ipsos consiliarios, ut rem totam enarret, et sibi jus reddi postulet adversus fratrem: atque cum jam venisset frater alter, qui merito suam nobilitatem intuebatur, en in caput illius involat, iste perfidus, et objicit urso, qui eum unguibus dilaniare incipit, crudeliterque dilacerat. Et cum immanis iste frater videret quodammodo feram bestiam lassari, ense ferit alterum fratrem in pede, et statim magna vis sanguinis profluxit, quo ille inunxit os ursi, qui cum primum lambendo cruorem humanum iterum degustavit: et sic animatus ursus secundo apprehendit illum miserum nobilem, et horribiliter deformem reddidit. Quare jam iste impius frater, videns sibi pro injuria scilicet esse satisfactum, voluit feram abstrahere et arcere, ne amplius saeviret, neve fratrem mactaret: at ursus ita aestuabat et ad mactandum accensus erat, ut nec ab illo, neque a multis aliis posset difficulter ab illo dilaniando abstrahi, tandem ex faucibus ursi, et carnificina illa ereptus est ille nobilis

Simile quoddam facinus huic accidit, tum

Digitized by Google

magnus Dux Novogrodiam depopularetur, ferro, inquam, et igne omnia perderet, ut supra dictum est, ducti sunt captivi aliquot nobiles in Moscoviam urbem, inter etiam illos fuit quidam cum uxore et liberis, quem nobilis commendavit cuidam aulico regio amico suo. Iste cum detineretur captivus diu ab isto aulico, semel conqueri coepit, idque gravissime de inaudita illa tyrannide, qua usus est magnus Dux in Novogrodiensibus internecioni dandis: deque injuriis, quibus ille et tota nobilitas affecta fuerat: et plane jugum istius tyranni esse intolerabile. hisce verbis: Deus qui solus justus est, haud dubie suo tempore vindictam sumet de illo sanguine innocentum tam inhumaniter et crudeliter sparso, in ipsum Ducem et totam ejus posteritatem: dignis pro meritis poenis ipsum castigabit. Deinde paucis post diebus, cum in animo suo volueret, se nimis temere ista effutivisse: et hunc nobilem, apud quem erat in captivitate haec delaturum ad Principem. Itaque fraudulenter excogitare coepit, nihil esse melius, quam si potius in hospitem suum hoc crimen transferret. Scribit supplicem libellum ad Principem, in quo indicabat magno Duci, hunc aulicum Principis haec verba in dedecus ipsius protulisse: tradidit eundem libellum deferendum aulico, qui inscius erat omnium, quae scripta fuerant. Magnus Dux quamprimum perlegit supplicem libellum, jubet ad se accersi illum Novogrodiensem nobilem, qui erat captivus apud hunc aulicum. Iste oblatus Principi, ferrea fronte praeditus, statim confert crimen, quo erat reus in ipsum aulicum impudentissime, et ita se rem habere asserit, inquiens: Serenissime Domine et magne Dux, tu nos subditos et servos fideles affligis, miris modis interfici, membratimque dissecari jubes: facultates et fortunas nostras nobis rapis, proditores nos appellas, rebelles et perjuros, et alia horrenda nobis objiciuntur, et ob oculos ponuntur, quae omnia immerito patimur, nec istorum rei sumus. At si scires, quo odio vel plusquam vatiniano, te prosequantur tui domestici, et quanta sit perfidia illorum, quibus plurimum fidis erga te, quos quotidie maximis accumulas beneficiis: profecto egregie eos exciperes, ex quorum numero est iste aulicus tuus, cujus carceri me tradidisti. Nam heri vesperi, me praesente et audiente, jactabundus haec verba pronunciabat: O utinam Deus citissime innocentes vindicet a crudelitate istius tyranni magni Ducis; nam ille diris tormentis suos afflicit, mactat et trucidat insontes, eorum bona et opes sibi ascribit, contra omnem aequitatem. De quibus rebus et iniquitatibus Deus brevi sumet supplicium, istum Principem et tyrannum conteret et evertet cum tota ejus familia, nec patietur ejus successorem regnare. Tum magnus Dux irrumpit in iram, et sic infit ad hunc miserum aulicum injuste ab isto captivo accusatum: o perfide, percipisne ea, quae iste contra te profert? nec data illi potestate respondendi et diluendi falsam criminationem, variis quaestionum generibus torquetur: qui cum nihil fateretur, et confictum crimen diceret, jussit hominem membratim dissecari, et postea in profluentem jaci: sic ille nobilis, ignobilis plane et belluini ingenii falso detulerat ad Principem insontem, lingua sua mendaci accersivit necem innocenti, et ipse ex alterius interitu vitam et libertatem sibi comparavit.

## MISERABILIS ET INDIGNISSIMA

LANIENA, CUM DUORUM PROCERUM MOSCOVITARUM, TUM ETIAM RELIQUORUM LITHUANORUM, AC POLONORUM CAPTIVORUM, QUIBUS PAULO ANTE PEPERCERAT MAGNUS DUX.

Anno Domini 1570 cum ex Moscovia internuncii Regis Poloniae, Proceres Poloni et Lithuani discessissent die Eliae Prophetae, qui dies festus apud Ruthenos est celeberrimus, et Magnus Dux accumberet mensae, et ei apponerentur secunda fercula, velut quodam oestro correptus. surgit, a mensa, et sic alloquitur sibi astantes satellites, sequimini me, quod faciunt ipsi, et mille quingenti catapultarii equites: ille vero Princeps pernicissimo cursu pergit ad arcem, ibique omnes ordine se collocant ante Palatium Ducis, tum etiam in hac arce cum habitaret vir summus et ex proceribus non postremus, Petrus Serebrinus, et rei bellicae peritissimus, jubet magnus Dux ipsius domum more hostili impeti et invadi ab istis militibus, ipsum autem capite diminui et truncari: dicto Principis parentes irruunt in domum illam, statim capiunt et miserum illum Serebrinum extrahunt ex aedibus, ac offerunt magno Duci, qui sine alia inquisitione, ne facta ullius facinoris admissi ab eo mentione, confestim ille satellitum praefectus Sevator, arrepta securi caput illi amputat. Ad extremum cum Magnus Dux, quicquid illi visum fuerat, rapuit et ex fortunis istius Petri Serebrini, reliquum permisit praedae militum: et ne quid superesset bonorum illius jussit reliquias flammis

Digitized by Google

et igne perdi. Ubi istud perpetrasset, convertit se ad alium locum arcis: (est autem haec arx amplissima et valde spaciosa: ubi complures Magnates et Nobiles habent aedes suas) et jubet magnus Dux cuidam nomine Bulato Magistro equitum, ut cum non parva manu militum aedes adeat clarissimi ei magni nominis viri Miessojedi. Huic magno viro Princeps vix ante annum rapuerat uxorem elegantis formae feminam et ancillam, qua turpissime abusus, et illas ubi violasset fecerat suspendi ac strangulari in superiori limine januae aedium istius viri: ut supra diximus. Iste praefectus equitum, aggreditur illas aedes, et expugnat facilime, hunc Miessojedi in medium forum trahunt: et ipse praefectus caput illi acinace obtruncat: Qui cum jam commisisset istud sceleratum homicidium ense et manibus cruore madentibus procedit ad magnum Ducem, et velut re maximi momenti praeclare gesta, ait: Serenissime Domine et magne Dux, iam summo cum honore perfeci quod tu mihi in mandatis dederas. Ibi Magnus Dux pro suo more, vociferari coepit suum Hoyda, Hoyda, cujus clamorem tota turba secuta est, eadem felici acclamatione utentes. Ex arce deinde magnus Dux deflexit ad carceres, ubi erant multi captivi Poloni et Lithuani: suis satellitibus armatis comitatus. Ubi quidam mercator civis Moscoviticus, quid ageretur ignarus, ubi eminus conspicimagnum Ducem cum tanto satellitio, retrogreditur prae metu tyranni, quem statim apprehendi jubet et frustulatim dissecari, inquiens, ne unquam fugias ante conspectum tui supremi Domini. Atque cum propius ad carcerum veniret, ipse Commentariensis qui ibat petitum panem pro captivis, adspiciendo Principem adventare, prae timore etiam reversus est, et eundem magnus Dux raptum, minutim secari jubet, dicens; alia vice non timebis. Itaque cum jam appropinquaret portas primi carceris, dicit custodi, ut citissime fores aperiat, qui metu correptus et tremebundis manibus vix aperuit: aperto carcere indicit primo educendos nobiles captivos Polonos et Lithuanos, quorum primus fuit Petrus Biekovski Eques Polonus strenuus miles, illius pectus transfodit Magnus Dux lancea, at tam generosi fuit animi ille Biekovski, ut lanceam arripuerit manibus, et intorquere voluerit in ipsum Magnum Ducem, ut hoc pacto perpetuam nominis famam sibi conciliaret, quod tam infensum generi humano tyrannum sustulisset. At Magnus Dux hoc animadverso, coepit exclamare in filium: Ivan Ivan, id est, Joannes fili fer opem, qui celeriter accurrit, et interum illum Biekovski hasta transfodit, et sic mortuus in terram cecidit. Secundo productus ad lanienam alter nobilis Polonus Albertus Bugaski, hunc etiam ipse Dux sarissa sua transverberavit. Tertius fuit Besus, nobilis, et magnae familiae, gente Silesius, qui eodem mortis genere periit. Quare cum istos strenuos viros et nobiles Polonos manibus suis interfecisset, coepit suo acclamationis genere uti, velut magnam victoriam adeptus fuisset: Hoyda Hoyda: quem ita ovantem omnes clamantes et usurpantes hanc vocem persecuti sunt. Tum sic affatur suos satellites: Mactate mihi juvenes, irruite in carcerem et obvios quosque captivos, sine discrimine et ulla misericordia membratim dissecate omnes. Isti dicto parentes, in primo carcere quinquaginta occidunt vinctos: Postea accidit secundos carceres, et similiter manibus suis occidit tres Nobiles, quorum unus erat Ruthenus, aetatis maturae, Polocensis Jacobus Molski, alter erat gener illius, eques Polonus Jacobus Molski, sic et tertium similiter Nobilem Polonum, quibus omnibus ita trucidatis erumpit in suam vocem laetitiae solitam, et omnes ei accinunt ac respondent: et statim reliquos jubet a suis satellitibus dissecari, quod factum est. erant autem quinquaginta quinque, exceptis multis infantibus, qui vix nati erant dies septem. Tertio cum accessisset carceres, ibi et manibus suis edidit crudelitatis suae exempla, tres mactando Nobiles Polonos, alios fere quinquaginta quinque, cum securibus et ensibus satellites membratim trucidarunt. Sic perpetrata hac immani strage et inaudita tyrannide, sic sparsa dissectaque illa corpora jacere permisit supra terram, quae jam epota et imbuta erat, et mollissima reddita ex effusione sanguinis illius humani. Quamobrem rediit triumphans et ovans in palatium, et totum illum diem in hymnis et tripudiis, et omni sonitu instrumentorum musicarum consumpsit: non aliter ac si magnam victoriam de hostibus adeptus fuisset: Sub vesperum praecepit frustula membrorum istorum occisorum colligi, et extra urbem poni: qui in tres cumulos sunt collocati, et aspersi arena et terra: sic mandati sunt sepulturae. Erat inter cadaverum frustra mulier nobilis uxor illius Molski, quae cum fuisset graviter sauciata, nondum mortua, haec orabat pollinctores qui fossam faciebant, ut eam dimitterent libere et parcerent ipsi: at illi nulla moti misericordia sepelierunt eam vivam cum illis foetidis cadaveribus.

Duo Nobiles captivi ex ista immani laniena

Digitized by Google

remanserant, quos tamen postridie iste tyrannus capite plecti jussit, et extra urbem projici, vixque aliquid terrae illis injectum. Ubi erant illa cadavera tot Nobilium et strenuorum virorum, vix arena superjecta fuerat, id quod haud dubie ex composito fieri jusserat Magnus Dux ille, ut essent alitibus, et feris praeda. Tertio deinde die, quidam Germanus tormentorum bellicorum praefectus, misertus hanc projectionem cadaverum, quibusdam tres taleros dedit, ut fossa profunda facta, vel maxime terrae tumulo injecto, hasce cadaverum reliquias sepelirent et tumularent.

## DE TRUCI CARNIFICINA,

### QUAM EXERCUIT, MAGNUS DUX IN CLARISSIMOS QUOSQUE SUOS CONSILIARIOS, ET OPTIMATES.

Die sancti Jacobi in Julio anno 1570 in ipsa urbe Moscovia Magnus Dux jussit affligi octodecim palos grandes et supra illos totidem trabes in transversum apponi in formam furcarum. Cives cum primum animadvertunt tale theatrum parari et instrui, ingenti metu correpti se in fugam proripiunt, etiam mercibus et tabernis meritoriis relictis, praedaeque expositis: nemo sane prae metu in forum prodire audebat. Nam isti rumores in vulgus sparsi fuerant, ipsum magnum Ducem instituisse omnes cives urbis Moscoviae extremo afficere supplicio, crucique complures affixos *iri*. Satellites ad majorem terrorem incutiendum, in medium forum adferebant varia genera tormentorum et quaestionum ad homines *torquendos*, quae admovebant istis trabibus. Deinde excitato luculento igne, vas ingens aheneum apponebant aqua plenum, ut bulliret et ferveret per multas horas. Quibus rebus ita comparatis venit Magnus ille Tyrannus, stipatus ampla et copiosa suorum satellitum caterva: et ita instructus, quasi vellet in aciem et pugnam exire: sequebantur eum velut a triariis mille e quingenti catapultarii: Duxque ipse se collocavit penes ahenum, exercitus vero militum in circuli et coronae formam dispositus. Tum adducti sunt in proscenium trecenti nobiles Moscovitae, antiquissimarum et nobilissimarum familiarum homines, qui paulo ante prae nimio quaestionum cruciatu ita mutilati et pessime tractati fuerant, ut vix semivivi viderentur, vixque pedibus stare poterant, sed a militibus trudebantur turmatim, ut pecudes, ante Principis conspectum.

Is cum perspiceret omnes prae pavore et ingenti timore sese abdidisse in latebras et domos suas, ipse tunc obequitare coepit per omnes urbis plateas, clara voce evocabat cives, inquiens: venite absque ullo metu, securi estote, prodite spectatum, nihil gravius in vos constituam, hoc vobis polliceor, quamvis is meus fuisset paulo ante animus, vos omnes funditus delere et perdere, sed jam mihi haec mens mutata est tuto egredi potestis et in forum venire intuitum quid agetur. Tum miserrimus ille populus egressus turmatim et confertim, forum replevit, imo erat tanta multitudo spectatorum, ut multi ascenderint domorum tecta, qno quis istius tragoediae futurus esset exitus, viderent. Atque postea affatur sic illam promiscuam hominum multitudinem: An num, o subditi, justissime ago, quod ita poenas luant perfidi et scelerati proditores mei? tum populus statim uno ore acclamare coepit: Vivat diu felix, et incolumis Princeps et Rex noster: at improbi et flagitiosi suis meritis dent dignas poenas. Deinde Magnus Dux jubet produci centum et octoginta ex illo damnatorum numero: postea sic alloquitur Nobiles, qui ad illud spectaculum venerant. En vobis istos liberaliter dono, doque eis vitam, accipite illos, liberos a noxa dimitto, eisque pro mea clementia, gratia ac favore ignosco hoc pacto isti libere dimissi, et ex praesenti morte divino beneficio erepti. Tandem prodit Magni Ducis primas Secretarius, qui damnatorum album et catalogum habebat: et tum jubet educi quendam Moscovitam antiquissimo genere cretum, praecipuus inter eos, qui ab intimis consiliis Ducis sunt, erat: appellabatur Joannes Michaelovicz Viskovaty. Ibi ille Secretarius Principis, longa ferie referre incipit crimina, quibus falso iste vir praestantissimus accusatus fuerat hisce verbis: Joannes Michaelovicz Viskovaty, Cancellarius Magni Ducis, perfidissime et impie se gessit in Principem. Imprimis scripsit Regi Poloniae se ei velle tradere civitatem et arcem munitam sui supremi Domini, quae est in magna Novogrodia: et haec est prima in te accusatio: at tum scutica illum in caput percussit, addendo haec verba: Perfidus es et ingratus, quod usus sis hac improbitate adversus tuum supremum Dominum. Altera perfidia est ista, quod literas dederis ad Imperatorem Turcarum, ut cum exercitu potentissimo veniat occupatum et debellatum Regna Scythica, Casanense, et Astraense, ut erat illi in votis: quo dicto, similiter flagello caesus est in caput,

Digitized by Google

subjecitque, et secundo tuum Principem fraude doloque prodere voluisti. Tertium facinus quod admisisti est, quod ad Scytharum Caesarem literas dedisti: quibus ipsum hortatus es, ut cum suo copiosissimo exercitu irrumperet in Moscoviam, eamque devastaret et depopularetur, atque occuparet, unde factum est, ut ingens damnum et irreparabile dederint Tartari in Moscovia: tam ipsius Ducis arces igne perdendo, quam etiam longe lateque miserum populum ferro interficiendo, et vinctos multos catenis in durissimam servitutem, innumerabilem inquam utriusque sexus turbam abigendo: quorum cum sis auctor tantorum malorum, merito ultimo es afficiendus supplicio, atque ut antea fecerat, flagro asperrime eum caecidit Regis Secretarius. Tum miser Cancellarius istis falsis criminationibus insimulatus, et cum se innocentem esse sciret, sic respondit. Testor Deum Optimum Maximumque qui solus est scrutator cordium et renum, in cujus conspectu profiteor me esse peccatorem, sed confido eum pro sua Divina clementia, propter sanguinem effusum carissimi sui filii, mei misertum iri. Testor, inquam, Deum, me semper fidum et diligentem fuisse in munere publico mihi commisso a Magno Duce, ut fas est: ideo a falsis istis accusatoribus provoco ad Tribunal Dei, quod injuste sum accusatus et traductus apud Principem, atque haec impostura detegetur in extremo die judicii. Princeps cum stabis ad conspectum Divinae majestatis mea innocentia apparebit: nunc vero apud te nulla ratio et aequitas locum habet, nec me a criminibus falso mihi impositis licet purgare. Adeo est tua avaricia inexplebilis et pertinacia ulciscendique libido, ut sitias sanguinem meum: ebibe igitur illum pro lubito, et jam satisfacias tuae improbitati, ut constituisti: nunc quidem tua figmenta et importuna commenta, videntur habere speciem veri: quia omnia per vim agis. Itaque Satellites excipiunt, en videmus te esse reum, cum tam dura oratione insurgis in Principem, turpiter lapsus es, et tuos sermones optime expendimus. At ille Cancellarius ait: Vos o infelices homines cum magno Duce, estis praedones et omnis improbitatis illius administri: effunditis immerito cruorem innocentem: tyrannice omnia agitis, per fas et nefas ruitis in caedes mortalium. Haec omnia quae mihi objiciuntur, falsissima sunt, nihil vobis facilius, quam tollere e medio insontem: At Deus aliquando, et veniet hora, quae non speratur, cum vos punlet et pro meritis in vos graviter animadvertet: quae cum tam libere protulisset, conspuit in faciem illorum. Quare Magnus Dux jubet carnificibus hominem rapere: quem statim raptum, exuunt et ligant ad furcas illas sic dispositas: et suspendunt prono capite et ore in terram. Praefectus satellitum sic affatur ipsum Magnum Ducem: quo genere supplicii istum affici jubes? Tum respondet, vos omnes aulici mei suo ordine istum excarnificare debetis et dilaniare: Quare accingit se operi iste Praefectus Maluta dictus: et ex equo descendens, accepto cultro auriculam dextram illi abscidit, alter aulicus sinistram excidit, tertius labra amputat, et sic ordine omnes illum membris mutilarunt, ut omnes se tam nefando homicidio contaminarent, et caede istius innocentis essent rei. Ad extremum quidam secretarius Principis, ne quid deesset ad cumulum crudelitatis, conscidit illi pudenda, et tum statim exalavit animam miser Cancellarius. Quare Magnus Dux videns ob abscissum membrum genitale statim obiisse Cancellarium, indignissime tulit, atque dira imprecatus huic secretario, sic in eum invectus est. O scelerate, expectes paululum, istud totum est tibi exedendum, quod iste excedere debuit. Nam penitus credebat, quod commiseratione motus, cruentas manus ita illi intulisset, ut cito e vivis discederet: Constituerat sane istum secretarium morta truculenta punire, sed Deus antevertit tyrannidem Principis, quia paulo post lue infectus, mortuus est. Satellites deinde demortui Joannis Viskovaty corpus deponunt ex furcis, et sic saevire incipiunt in illud cadaver, frustulatim illud concidendo, prius tamen absciso illi capite. Iste est exitus istius praestantissimi ingenio et virtutibus multis, excellentissimi viri Cancellarii Magni Ducis, cui parem nunquam habuit imperium Moscoviticum.

Jussit secundo loco produci in Theatrum, suum Thesaurarium, cui nomen erat Michael Funichow, vir magni nominis et ingenii acerrimi, socius fidusque amicus illius Cancellarii. Iste non longis verborum ambagibus usus est in sua defensione, sed breviter sic loquitur: Appello ad Deum qui omnium rerum est conscius, et cujus oculus omnia intruetur, quia nunquam quicquam in te Dominum meum commisi, semper bona fide et sine fraude in administratione mei muneris me gessi et cum accuser abs te, impie et inique jam tibi dicam scribo, et anima tua in altero seculo se sistat

Digitized by Google

coram Divina Majestate, ut mihi satisfaciat. Haec verba ubi protulisset, jubet Magnus Dux arripi miserum, et exui, atque furcis alligari eo modo quo et Cancellarius. Tum postea ille Maluta praefectus satellitum, haurit ex vase aeneo, ubi erat aqua fervidissima, et deinde alter equorum magister, accepit vas plenum aqua frigidissima, iste primo illa aqua caput abluere coepit, postea calidam et fervidissimam aquam infundebat, sic ille infortunatus vim fervoris et ardoris illius aquae sentiens, ob atrocem fervorem, vociferabatur mirifice: at ille minister Tyrannidis Maluta magis ac magis infundebat illam calidissimam aquam, ita ut tandem pellis capitis contraheretur in modum serpentis, cum se in spiras contorquet: ita hoc crudelissimo supplicii genere confectus, expiravit. Tertio jubet adduci in medium suum Cocum, iste cocus infinitis falsis testimoniis reus erat peractus, eoque genere supplicii est affectus quo et Joannes Viskovaty, nempe membratim est dissectus, amputatis illi pudendis. Deinde jussit adduci quendam Georgium Czapkin cum uxore et liberis, qui inter amanuenses et secretarios non postremum locum tenuit, cumque ex equo descenderet Magnus Dux, Basilius Temkin jussu Principis caput illi abscidit, sic et uxori ac liberis: Iste Temkin erat proscriptus ex Lithuania, ob necem Palatini Plocensis, et in Moscoviam aufugerat, tanquam ad asylum, primumque locum ac praecipuum inter aulicos Principis tenebat.

Deinde productus est alter secretarius, cui nomen Joannes Bulhakow, qui fuit una cum uxore, et liberis etiam capite truncatus a Palatino Chirnoviensi, is vocabatur Pietrovicius.

Tunc jubet educi et secretarium suum Basilium Stepanow, quem et indicta causa aulicus e vestigio capitali poena afficit mandato Principis.

Ad extremum. ut ad hoc tragicum ac crudele spectaculum nihil praetermitteret, praecipit Magnus Dux ducentos Nobiles captivos extrahi in arenam, quos nominatim jubens sisti ante se, damnat morti, et singuli aulici ordine eos capite truncant, qua caede confecta, prodeunt in conspectum Principis manibus et gladiis cruentatis cum hac voce laetitiae Hoyda, Hoyda: Sic se turpissime aulici Magni Ducis sanguine innoxio contaminarunt. Tum eodem tempore mandat Magnus Dux e vinculis venerandum quendam senem adduci: quem statim in equo ille arrepta hasta transfixit: et quamvis sic transfossus miser senex obierit: ut impleret suam crudelitatem illum plusquam sedecim vulneribus sauciavit. Haec crudelitatis et tyrannidis horrenda facinora perpetravit intra horas quatuor. Illa cadavera nuda ita jacebant in terra, quorum non parvus erat numerus: et cum lustraret illa cadavera quidam ex Principis satellitibus, caputque Michaelis Thesaurarii intueretur, exerto ense caput in duas dissecuit partes. hisce verbis additis: recorderis quid mecum egeris. Sub vesperum cadavera illa sunt in unum cumulum collecta, et extra urbis portam elata, ibique ingenti fossa facta injecta et terra obruta. Sic crudelissime tot caedibus perpetratis jam in palatium Princeps rediens, deflectit ad aedes Michaelis Thesaurarii, ubi invenit uxorem illius, eleganti forma praeditam, et vere honestam, valde luctu et dolore magno plenam atque suspirantem, ob mariti necem, Ducis Ophanasi Viaziemsci soror erat, de quo supra mentionem fecimus. Magnus Dux spirans suam immanitatem, apprehendi jubet, et extendi funem asperrimum, qui ab una parte muri ad alteram extendebatur, et cum natibus nudis assidere huic funi, qui plurimum carnem et cutem excoriabat, utque detegeret mariti thesauros, ab una parte usque ad alteram extrahebatur cum summo cruciatu. Filia ejus, quae erat quindecim annorum, hoc crudele genus tormenti videns, non potuit se continere, quin ejulatu testaretur dolorem suum. Dux jubet illam rapi in medium, at filius Ducis major natu, commiseratione motus accurrit, et vestem ejus tenens sic affatur patrem: Pater carissime, dona me hac puella, ego carceribus illam occludam: tum pater, accipe tu quidem, sed postea matri illam reddas. Denique cum istis magnis cruciatibus et tanto dedecore honestam illam matronam affecisset, et filiam ejus in monasterium relegavit: ubi illa ob magnitudinem vulnerum et cruciatuum quae passa fuerat dum traheretur per funem, non diu superstes extitit. Filium etiam istius Thesaurii in vincula conjecit, et omnes fortunas ejus cujuscunque essent generis, ei accepit: sicque distribuit ut meliorem partem sibi vindicarit et attribuerit, quod erat vilius praedae suorum militum exposuerit.

Eadem die venit in aedes Joannis Viskovaty summi olim ejus Consiliarii, qui ante truculente mactatus fuerat, uxorem in quoddam coenobium deportari jubet: filium autem ejus damnat perpetuis carceribus, et relegat in arcem munitissimam: quae Bialejezioro dicitur, ac si dicas lacum album: acceptis omnibus ejus bonis. Postquam sic tam horribilem et truculentissimam

Digitized by Google

edidisset crudelitatem, exactis tribus diebus, jubet produci in forum ex carceribus aliquot egregios Nobiles, qui statim capite truncati sunt, ab ipso Maluta praefecto satellitum: et ita diu jacuerunt humi, quos ipse aliquot vulneribus, ut suam saciaret tyrannidem feriebat, utens securi. Cadavera illorum ita nuda in medio foro jacebant, ubi venales prostant merces, septem dierum spacio: ubi tandem a canibus devorati, ossa vero hinc inde asportata ab iisdem canibus. Postridie jubet octoginta feminas generosas istorum Nobilium, qui ita immaniter trucidati fuerant, ad flumen deduci, ibique aquis submergi: ille autem innocentes frustra ejulari et lamentari. Satellites enim, crudele hominum genus, ipsas in aquas injiciebant et perdebant.

Anno Domini 1569, missi sunt centum et quinquaginta coloni, aedificandam arcem, quae vulgo Orlo dicitur, et cum cibo destituerentur, quia tum in illis locis ingens fames grassabatur: coacti sunt miseri, ob annonae penuriam, ex suis novem mactare, et illorum carnibus vesci et sic diram compescere famem.

Eodem anno cum ipse Dux esset in arce Vologda, quam extrui et muniri jubebat, ipsi artifices nimis dura fame pressi, emerunt vitulum, et eum mactarunt, famem hoc pacto expleverant. Quam rem ubi audivisset Magnus Dux jussit omnes comprehendi et flammis tradi: cum tamen ipsa necessitas, durum telum, eos excusare potuisset. Superstitio enim hac a multis seculis recepta inter Ruthenos et Moscovitas, ut sit grande nefas, morteque piandum, qui vitulum mactarit, et eo vesci ausus fuerit. Inter Moscovitas centum et quinquaginta egregii viri, pertaesi tyrannidem Magni Ducis, et ferociam satellitum: constituerant se recipere ad Regem Poloniae. Quam rem ubi accepisset Magnus Dux, jussit omnes in quondam profundam lacunam valde coenosam injici, et ibi in modum pontis substerni: quos tamdiu calcari fecit, donec profundissime in luto perirent ac submergerentur, et plane luto aequarentur.

Eadem die venit colonus ad Secretarium Magni Ducis ei offerens lucium piscem lepidissimum. Quidam Monachus istud animadverterat, qui simultates alebat cum isto Secretario, idcirco statim accedit Principem, et hisce verbis illum alloquitur- Secretarius tuus, o Princeps, nunquam minutioribus vescitur piscibus, sed majoribus: quos piscatur in tuis lacubus, et solet lautissima suis congeronibus celebrare convivia. Itaque Magnus Dux jubt ipsum Secretarium ad se evocari, et nulla data facultate se defendendi, sic eum damnat: jubet manibus pedibusque vinciri, et in lacum profundissimum conjici: hisce verbis utens. O nebulo, qui tot pisces minores et majores solebas tibi piscari, abi nunc, et quibuscunque volueris, vescitor.

## QUO PACTO MAGNUS DUX SUOS

### EXERCET, ET INSTITUIT IN RATIONE PUGNAE, ADVERSUS INIMICOS.

Cum Lithuani ex improviso coepissent arcem munitissimam, vulgo dictam Borsko: coeperat ibi Palatinum et uxorem ejus, quos captivos ad Regem Poloniae miserant. At magnus Dux paulo post eum redemerat, dato in ejus locum magno viro Nobile Polono, qui cum rediisset in Moscoviam cum aliis duobus Nobilibus Moscovitis, tum jussu Principis arrepti sunt ad supplicium, nimirum tria ligna sunt affixa in medio foro, ubi funibus per mediam corporis partem appensi, ipse cum filio sagittis eos ejaculabatur, et transfigebat, inquiens. O strenui defensores, sic oportet vos me et meas arces defendere: postea ad exemplum Principis, et turba illa satellitum sic sagittis frequentissimis illos impetierunt, ut jam prae multitudine sagittarum non videtentur eorum corpora.

## QUO PRAEMIO ET MERCEDE

### AMPLA SOLEAT MAGNUS DUX SUOS ADULATORES AFFICERE,

Illustres ac clari viri, Ossiphas Sczerbaty, et Georgius Boratinski, qui munere Palatinatus fungebantur: cum missi fuissent ad defendendam et tuendam arcem Susa: intercepti sunt ab illo bellicoso Lithuanicarum copiarum imperatore a Duce Romano et ab ejus exercitu, in quo conflictu magna strages Moscorum est edita, et inter alios illi praecipui viri duo capti, qui postea per permutationem captivorum redempti sunt Qui cum primum venerunt in Moscoviam, hilari fronte a Magno Duce excepti, et ad ejus mensam invitati. Tandem absoluto prandio, muneribus lautis et pretiosis eos afficit: nimirum unicuique illorum dedit vestem ex holoserico suffultam Zebelinis pellibus raris et elegantissimis, dedit et singulis preciosos pileos albos. Atque inter alia, quae cum illis conferebat, sciscitatus est ab eis quid age-

Digitized by Google

retur in Polonia et Lithuania. Tum Ossiphas ille retulit ea omnia quae viderat ac intellexerat candide et bona fide. At Georgius Boratinski rogatus, contra protulit ea quae putabat grata fore Magno Duci, ipsi palpum faciendo et adulando: quae plane absona erant a rei veritate, et absurda. Ac inter alia sic ausus proloqui: Inclite et invictissime Moscorum Caesar, sic tibi persuadeas, cum Rex Poloniae audit, tuos milites jam adesse in finibus, et ibi grassari, maximo metu perculsus, quaerit latebras, et loca abdita. Magnus Dux statim fucum sibi fieri intellexit, et subjunxit: Rex Poloniae igitur me timet? At ille, procul dubio: clarissime Dux, ita se res habet, et si oopci sus exercitus irruerit in Lithuaniam, ille non est tam animosus, ut velit tecum in aciem descendere: aufugiet procul in aliquam munitissimam arcem, neque etiam viribus par, aut arcibus munitis est tecum conferendus. Denique nunquam tui exercitus impetum et vires sustinere poterit: succumbet protinus et terga dabit. Qua conficta verba, eum in ipsius gratiam ac favorem excogitatam et comparatam orationem esse vidisset: detestatus adulatorium et leve hominis ingenium, coepit nutare caput, inquiens: O Rex miserrime, tui plane misereor, qui ita me times: adeoque sum tibi terrori, ut ad mei mentionem, cogites de fuga, ubi in Lithuaniam venero. Hac oratione finita, tam contumeliosa oratione sic istum Boratinski est allocutus: O perfide et scelerate homo, jam tua perfidia et mendacia mihi optime sunt perspecta. Quocirca baculo quo uti solet, ferit illi caput, et caedit tergum, ac denique totum corpus, nulla ratione habita illius preciosae vestis, qua eum induerat: At miser Boratinski hinc inde se vertebat: hacque oratione utebatur. O Princeps Serenissime, Deus te diu sospitem servet, quodque ab te verberor gratum est mihi, et sic me plane hominem obscurum et ignobilem castigare dignaris: nunquam ego potuissem eripi ex captivitate, nisi tua ope: sed quamprimum liberatus sum ex viuculis Lithuanicis, citissime me ad te contuli. Verum Magnus Dux non desinebat hominem crudelius tractare: saepius repetens haec verba, o perfide et scelerate te esse turpissimum et mendacem adulatorem novi. Quare sic est ab eo tam diu verberatus, donec suum baculum Princeps confregerit in minutissimas partes.

## RELIGIO ET PIETAS MAGNI DUCIS MOSCOVIAE.

Quando Magnus Dux in suum palatium Alexandrova, olim antequam pulcherrime extrueretur, Slobodam dictum, venire solet animi recreandi gratia, tum ibi quandam novam religionem simulare solet et effingere. Primum se novo quodam Monachi nigri vestitu induit, cujus etiam imitatores sunt omnes ejus aulici, simul eodem vestitu jam parato utentes. Satellites vero illius armati adsunt, qui ad omnia officia prompti paratique sunt. Ille autem Magnus Dux ita vestitus cum suis aulicis ingreditur fanum, ad preces matutinas, et alias ceremonias peragendas, quibus utuntur Rutheni. Sunt autem succincti loro, cui adjunctus cultellus, manibus tenentes lucernam, in qua est accensa candela: quod si aliquis aulicorum refugerit uti hoc vestitu et ceremonia, gravissime caeditur virgis a satellitibus Principis. Hosce omnes vocat Princeps fratres, et se eodem nomine appellari jubet, haec est sancta aulicorum Moscovitarum fraternitas. At cum jam est tempus prandii, porrigitur cibus, Magno Duci primum, quem habet in sua cistella, tanquam primario fratri, et sic deinceps reliqui fratres ex suis cistellis accipiunt suum cibum: Quod ad potum, singulis datur ad certam mensuram. Tandem absoluto prandio, omnes cum suis cultellis et cistellis se recipiunt in suas cellulas. Nam hoc palatium est aedificatum plane in formam Monasterii. Quare cum secundum suum ritum absolvit: Magnus Dux suas preces et horas Canonicas: tanquam major natu frater egreditur ex illo Coenobio, ac jubet aliquot capitvos, jam morti destinatos produci ex carceribus, ibi omnes variis mortis generibus afficiuntur: alii ad palum et rotam alligantur, alii securi percutiuntur, aliisus penduntur: alii miserrime cruciantur, et frustulatim dissecantur: denique multi aquis obruuntur. Ita quamdiu ibi degit, singulis diebus decem aut viginti insontes ab eo suppliciis gravissimis tolluntur e medio: ita ut prae foetore cadaverum illac nemo incedere possit. En fructu religionis Magni Principis Moscorum: sic suam religionem sanctificat. Et quia patrem sequitur sua proles, ille Magnus Dux filium habet sibi suisque truculentissimis moribus persimilem. Nam ille voluptatis gratia



Digitized by Google

solet per illa mortua corpora obambulare, illa calcando, et baculo suo capita iliorum confringit, vel in illorum cerebra aciem baculi ferrati infigit, inquiens: vos o scelerati in surrexeratis in vestrum Imperatorem ac Principem, et me etiam.

Quotiescunque Magnus Dux ad illud palatium Alexandrova, aliquem ex suis invitat Consiliariis, nemo est illorum qui non credat se ad praesentem mortem accersi, nec unquam inde domum incolumem reversurum, idcirco discessurus, primum domi suae disponit, ac uxori et liberis valedicit, et amicis sua committit: ac ita est; ni enim Deus ipse, vel mirabilis fortunae casus illum hominem conservarit, de illo actum est. Quod si impune et libere suos a se amandat: tamen postea non evadunt manus Principis, vel quidpiam deterius eos manet. Sicut sane accidit cuidam viro rarae sane virtutis, Theodoro illi nomen fuit, Iste non ita pridem functus erat legatione apud Regem Poloniae, et ubi rediisset a legatione, invitatus est ad Principem una cum suis Nobilibus, ad Alexandrovam arcem. Qui licet invitus, tamen se sistit ad diem dictam una cum suis. Sane lautissime et oppipare ille Theodorus et omnes ejus excepti sunt ac donati ab ipso Principe, multis preciosis vestibus, subductis pellibus Zibellinis. At via qua illi fuit transeundum, satellites per insidias erant collocati. Cum autem essent securi et nihil sibi metuerent, en irruunt in eos satellites Principis, et illos spoliant Nobiles, et potissimum ipsum legatum: eosque sic nudos relinquunt, ut ex utero matrum exierunt. Atque eo tempore maxima erat vis hyemis, quod ad augendam calamitatis eorum gravitatem pertinebat, exuti spoliatique sunt currubus et equis. Itaque sic misere et crudeliter tractati, coacti sunt, pedes ire usque ad urbem Moscoviam. Unde factum est, ut alii propter vehementiam frigoris intonsissimi auriculas amiserint, alii digitos manuum, et articulos pedum, et nasum. Plurimi qui frigus ita horridum ferre non poterant, interierunt in ipsa via. Ipse orator Theodorus forte fortuna a quodam rustico nactus est vestem pellium caprinarum, qui hac usus, arcuit a se vim frigoris, ut potuit. Ita iste legatus cum suis splendide exceptus a Magno Duce, et honorifice donatus, postea crudeliter illusus, rediit in urbem Moscoviam. Pulcherrimum scilicet exemplum istius Neronis, et ejus humanitatis, qua erga de se bene meritos uti solitus est.

FINIS.

Digitized by Google

# VIII.

# MATHIAS A MICHOVIA

## DE MOSCOVIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# VIII.

# MATHIAS A MICHOVIA.

## DE MOSCOVIA.

Moscovia est regio longissima, latissimaque: nam a Smolensko usque ad Moscvam civitatem sunt centum milliaria, a Moscva ad Vologda centum milliaria. Et Vologda est provincia, et fluvius per ipsam labens eodem nomine vocatur, a Vologda ad Ustjuga centum milliaria ab Ustjuga ad Vjatka centum milliaria: et ista quadringenta milliaria sunt de regione Moscoviae, et sermo per totum est Ruthenicus seu Sclavonicus. Ultra praedicta ad Vjatka ad regionem Permsca centum milliaria, inde ad terram Vahalczka triginta milliaria, et haec Scythiae confinis est. Et istae provinciae subjectae sunt Duci Moscoviae, additisque terris ad Septentrionem et Orientem ab eodem Duce Moscoviae possessis, Juhra et Corela quae sunt in Scythia erunt quingenta milliaria Germanica magna. Verum Moscovitae non per milliaria nostra computant, sed per verst: et verst est quinta pars milliaris Germanici. Numerant itaque a civitate Moscva ad Vlodimiriam civitatem decem et septem milliaria Germanica: ab inde ad Ustjuga quingenta verst. Iterum ab Ustjuga ad Juhram quingenta verst. Intra Moscoviam autem sunt multi ducatus. Est ducatus seu terra Moscoviae, de qua triginta millia pugnatorum nobilium ad bellum egrediuntur, agrestium vero sexaginta millia. Est et Ducatus seu terra Tuczka, de qua quadraginta millia armatorum nobilium duntaxat ad bellum prodeunt. In hoc ducatu capitalis civitas Tverd nuncupatur, et est civitas grandis lignea de lignis aedificata: in ea sunt Ecclesiae ligneae centum et sexaginta: castrum etiam ligneum est, et sunt in ipso novem oracula seu Ecclesiae: principalis est Sancti salvatoris, et illa duntaxat est murata: sub hac civitate et castro amplissimus fluvius Volha labitur. Ducatus Chelmsci, de quo septem millia pugnatorum exeunt. Ducatus Zubsczovski, de quo quatuor millia armatorum. Ducatus Klinski, de quo duo millia bellatorum prodeunt, ad terram Tverdensem annumerantur. Item ducatus Kubensis triginta milliaria in longum continens, Ducatus Jaroslaviensis quadraginta milliaria de terra habens. Ducatus Szuhersiensis viginti milliaria in longum continens: omnes sunt in milliariis Moscoviae in longum computatis. Insuper ducatus Rzezensis, de quo quindecim millia baronum seu nobilium armatorum evadunt, et fluvius nominatissimus Tanais de ipso oritur. Item ducatus Susdalorum, et plures ei adjacentes desolati et destructi sunt per Tartaros. Est et terra Tartarorum Cozanska, Horda nominata, triginta millia pugnatorum producens, Principi Mosco-

Digitized by Google

rum subjecta, in campis juxta castrum Cozan, quod dux Moscoviae possidet: et alluitur magno flumini Volha, degens. Moscva est civitas principalis satis magna, bis major quam Florentia Thusciae, aut bis major quam Praga Bohemiae urbs. Praga dico quae exstat, et quam tu vidisti: non Praga, quam quidam novus historicus ficte astruit longissimam trium dierum itinere civitatem, quod fabula est: verum Moscva lignea est, non murata, plurimas habens plateas, et ubi una platea finitur, altera non statim incipit, sed campus mediat. Inter domos quoque sepes mediant, ita ut domus sibi invicem non cohaereant. Nobilium domus sunt majores, plebejorum vero humiles. Fluit per medium civitatis, et sub castro ipsius fluvius ejusdem nominis cum civitate, Moscva appellatus, et est tantus, quantus Multava in Praga, aut Arnus in Florentia. Castrum autem quod est in medio civitatis, in plano, est castrum bonum muratum tantae amplitudinis, ut Buda in Hungaria, habet tria propugnacula: et cum his turres magnae simul computatae sunt decem et septem, tegulis latericiis tectae, sed unus murus: in eo castro ecclesiae sunt sedecim, tres muratae, scilicet sanctae Mariae, sancti Michaelis, et sancti Nicolai, reliquae sunt de ligno. Palatium ducis in praefato castro est muratum ad instar Italicum novum, non amplum, nec magnum: tres curiae nobilium sunt muratae, aliae domus ligno constructae, stubae omnes nigrae. Aliae civitates Moscorum sunt minores, et castra minora omnia de lignis fabrefacta. Praeterea terra Moscoviae plena est boscis ac sylvis, aquis quoque fluminibus, piscibus et feris, quemadmodum Lithuania referta, sed frigidior et Septentrionalior, unde pecudes et pecora parva sunt, et mutila absque cornibus, quasi semper propter frigus: homines vero procerae, altae, et robustae staturae sunt, bibunt aquam medonem, et quassetz, id est, fermentatos liquores. Arant et sulcant ligno sine ferramento, et arpicant frondibus arborum supra seminata ab equis tractis, raroque propter intensa et longa gelua segetes maturescunt, ideo messes sectis frugibus in stubis desiccant, maturant, et triturant. Saepenumero autem utuntur calefacientibus aromatibus, saepe et sublimatis, de aromatibus, de melle, vel alio calefactorio, ita ut et de avena aquam ardentem sive sublimatum faciant et bibant ad effugandum et repellendum algorem et frigus: alioquin ex frigore congelarent. Carent vino et oleo, et ne inebrientur, princeps terrae prohibet ne medo aut liquor inebrians in aliqua domo reperiatur sub privatione vitae, nisi bis aut ter in anno ex admissione principis. Monetam habent argenteam puri argenti, dzingis nominatam, majorem et minorem, formae, oblongae, quadrangularem, non orbicularem, non politam, nec bene planatam. Estque terra dives argento, et custodia undique clausa, ut nedum servi et captivi, sed et liberi, indigenae et advenae exire absque literis ducis nequeant: et haec hactenus. Flumina in Moscovia sunt plurima, aliqua autem majora scitu digna enumerabo. Tanais nominatissimus fluvius a Tartaris et Moscovitis Don nuncupatus, fontes et originem habet in Moscovia prope in ducatu Rezensi. Consurgit de terra plana, sterili, limosa, paludinosa et nemorosa. Quumque ad orientem solis processisset usque ad metas Scythiae et Tartariae, declinat ad meridiem, et perveniens ad paludes Maeotidas, illic ostia tenet et ingreditur. Est tantus Tanais, quantum dicerem triplatum Tyberim post Romam in mare Tyrrhenum decurrentem, aut quantum Danubium in duplo circa Budam. Et doctrina astrologorum tenet, quod Tanais sit ejus longitudinis cujus et Nilus fluvius Aegypti, puta circa sexaginta gradus longitudinis. Et sicut Nilus a meridie ad mare Alexandriae descendit, sic Tanais a septentrione in Maeotidas et mare Ponti defluit. Nec piget repetere quod supra dixi, alia magna flumina ex Moscovia esse orta, videlicet Ezvina, Volha, et Dniepr seu Borysthenem. Et quum Moscovia sit regio plana, non montosa, praedicta flumina in distantia non valde longinqua a se invicem ex terra plana, nemorosa et paludinosa oriuntur, maximusque fluminum ille Volha, in Tartarico dictus Edel, tendens in septentrionem, procedit ducentis milliariis usque ad Nisninovigrod, quod sonat inferius novum castrum, et est in terra Moscoviae: et illic accurrit et ei conjungitur magnus fluvius ex media Moscovia procedens, Occa cognominatus. Deinde octoginta milliariis germanicis Volha sub castrum Casan, quod dux Moscoviae possidet, tandem sub castrum Sardi, quod Tartari tenent, fluit deinceps versus meridiem vigintiquinque fluminibus tantis ut est Tyberis Romae, et aliis multo majoribus influit in mare Euxinum. Accipiat itaque lector tua humanitas, et contra omnes adversantes tueatur, et dicat quod praelibata flumina non de montibus, nec de radicibus montium, quoniam ibi montes sunt nulli, oriuntur et fluunt. Accipiat secundo, quod montes Hiperborei et Ryphaei, de quibus emanasse

Digitized by Google

illa flumina ab aliquibus fabulose scriptum est, nec in Moscovia, neque in aliis partibus septentrionis sunt: recteque dicetur confictos esse, et nusquam existere, nisi forte in libro scripti aut picti, et non in terra reperiri affirmarentur. Accipiat tertio, quod in dominio Moscorum, quemadmodum et in terris Turcarum, homines de loco in locum, et de territorio in territorium ad incolendum transferuntur, et alii pro his commutati mittuntur et locantur. Accipiat quarto, in Moscovia unam linguam et unum sermonem esse, scilicet Ruthenicum seu Sclavonicum in omnibus satrapiis et principatibus, sic quod etiam Ohulici et qui in Vjatka degunt Rutheni sunt, et Ruthenicum loquuntur, unamque sectam et religionem instar Graecorum tenent, omnesque Vladicae, id est, episcopi, qui plurimi sunt, patriarchae Constantinopolitano subsunt, et confirmationem ab ipso postulantes obedientiam promittunt, praeter Tartaros Cosanenses, qui ducem Moscorum recognoscentes, Mahumetum una cum Saracenis venerantur, et linguagium Tartarorum loquuntur, etiam praeter alienigenas ad septentrionem in Scythia commorantes, qui sermone et linguis propriis loquuntur, et idola colunt, prout in sequente capitulo dicetur. Accipiat quinto, quod post terram Vjatka nuncupatam in Scythiam penetrando, jacet magnum idolum Zlotababa, quod interpretatum sonat aurea anus seu vetula, quod gentes vicinae colunt et venerantur, nec aliquis in proximo gradiens aut feras agitando et in venatione sectando vacuus et sine oblatione pertransit, quinimo si munus nobile deest, pellem aut saltem de veste extractum pilum in offertorium idolo projicit, et inclinante se cum reverentia pertransit.

## DE REGIONIBUS SCYTHIAE

### PERM, BASKIRD, JUHRA ET CORELA, PER DUCEM MOSCOVIAE SUBJUGATIS.

Post Moscoviam sunt gentes et regiones inter Septentrionem et Orientem in fine Asiae Septentrionalis, quae proprie Scythia dicitur, Principi Moscoviae subjectae, per Ivan ducem Moscoviae principaliter subjugatae, scilicet Perm, Baskird, Czirmeissa, Juhra, Corela. Perm monosyllabum est, inde terra Permsce, bissyllabe Permska pronunciando: et fuit regio idola colens, quam Ivan dux Moscorum citra annos viginti baptisma percipere coegit, more Ruthenorum seu Graecorum: et posuit eis Vladic am id est, episcopum, nomine Stephanum, quem barbari post discessum ducis vivum excoriaverunt et necaverunt, reversusque dux afflixit eos, et alium denuo praesulem constituit, sub quo tanquam novi Christicolae Ruthenorum schisma et ritum profitentes permanent. Aliae vero regiones praeexpressae in fidelitate et idolatria persistunt. Colunt solem, lunam, stellas, bestias sylvarum, et quod eis occurrit: habent propria linguagia et idiomata. In terra Permsca proprium idioma, in terra Baskirdorum proprium, in Juhra proprium et in Corela etiam proprium. In his regionibus non arant, non seminant, panes non habent, nec pecunias: feris sylvarum, quae apud eos abundant, vescuntur, et non nisi aquam bibunt: morantur in densis sylvis, in tuguriis ex virgultis factis. Et quia sylvae illas terras contexerunt, homines sylvestres et ferinos effecerunt. Sunt velut bestiae ratione non utentes, vestimenta de lana non habent: pellibus teguntur rude et grosse, consuentes varias pelles in simul, ex lupo, cervo, urso, sabellis et scismis et caeteris, prout sors obtulerit. Et quia ipsorum terrae mineras non noverunt, pro homagio duci Moscoviae mineras non pendunt, sed pelles animalium sylvestrium quibus abundant. Proximiores oceano septentrionis, ut Juctri et Coreli, piscantur et capiunt balenas seu vitulos et canes marinos, quos ipsi vor vol appellant, et ex cute eorum parant redas, bursas et caletas, axungiam autem pro imaginatione servant et vendunt. In Juhra et Corela: sunt aliqui montes mediocris tumoris, non altissimae elationis, prout quidam putaverunt et scripserunt. Supra montes autem oceani qui mediocres sunt per totum septentrionem oceano adjacentes, scandunt ex mari pisces mors nuncupati, dente se supra montem continendo, fricando, et ascensum promovendo: dumque ad summitatem montis pervenerint, ad ulteriora gressum promovendo, ad alteram partem montium volitando decidunt. Hos illae gentes colligendo dentes eorum satis magnos, latos et albos pondere gravissimos capiunt: et Moscovitis pendunt atque vendunt: Moscoviae vero his utuntur: ad Tartariam quoque et Turciam mittunt, ad parandum manubria gladiorum, framearum et cultrorum, quoniam gravitate sui majorem ac fortiorem impressionem impingunt, et praebent impellentibus, laborantibus, praeliantibus, et occidentibus. Et memineris quod supra dixi hanc esse illam Juhram regionem Scythiae, de qua egressi sunt Juhri, a posterioribus Huni et

Digitized by Google

Hungari dicti, qui ad Gothiam ascendentes vehementer multiplicati transierunt maxima flumina circa paludes Macotidas, intraveruntque in Pannoniam, et secundo regressu eam occupaverunt, possederunt, et in hanc diem tenuerunt, suntque ejusdem sermonis et loquelae praecisae, nisi quod addiderunt nostri Hungari aliqua vocabula ex Sclavonico idiomate, earum rerum quae in Scythia et Juhra non reperiuntur. Verum in Pannonia Juhri sunt Christicolae: in Juhra vero patres eorum idololatrae, politioresque et cultiores sunt Hungari in Pannonia, omnibus delictis pleni, quamvis in tote sylvestres sunt, bestiales, et in frigidissima regione miserrime degentes. Insuper memineris in his regionibus Scythiae ad oceanum septentrionis non esse magna flumina, sed esse quasdam rupes et montes mediocris molis, et non excellentissimae celsitudinis inaccessibilesque, velut aliqui historici antiquiores protulerunt et scripserunt. Potius itaque secundum experientiam dixissent, de nemoribus et densis sylvis eos exivisse, quam de inaccessibilibus montibus.

FINIS.

Digitized by Google

# IX.

# TILEMANNI BREDENBACHII

ET

# PHILIPPI OLMENI,

## BELLI LIVONICI

## HISTORIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# IX.

# TILEMANNI BREDENBACHII

ET

# PHILIPPI OLMENI,

# BELLI LIVONICI

# HISTORIA.

## PROEMIUM.

Funestissimi belli historiam scripturus, unde primordia ducenda sint, equidem vix satis perspicio, et si perspiciam, decernere vix ausim: magnum enim fuit, et atrox, et varium, tum utrinque talis exercitus, tales copiae, in quibus an truculentam et plus quam ferinam barbariem, an humanae bilis acrimoniam, an demum numinis iram et vindicandi propositum praevaluisse dicendum sit, in quaestionem venire potest. Nam et utraque acies, uterque populus, hi exuta, illi, quam nunquam fere induerant, neglecta humanitate, et sibi invicem et diis hominibusque universis erant exosi. Odii autem una fere et aequalis undequaque fuit causa. Numinis quidem ira justa fuit in barbaros homines, quorum hi, Livones dico, prisca et a majoribus accepta religione profligata, impio schismati, impios nefariosque mores copulantes, ab universa Ecclesia, ab omnibus circumjacentibus populis, denique a seipsis dissidebant: illi Moscovii, retento mutilo et schismatico Dei cultu, vagos ac leves, tum in mutata religione, tum in dissoluta vivendi consuetudine, Livonum animos, seu vero, seu simulato pietatis zelo, detestabantur. Sic quod utrinque Deo, veritati, et rectae rationi repugnabat, alterique in alteris damnabant, in eo utrique sibi sapere, secundum Deum, naturam, et rectae rationis praescriptum vivere videbantur. Factumque ita est, ut et Dei clementiam, caeterarumque gentium animos a se averterent, et sibi praeter inveteratam invidiam, nova odia, ex odiis bella conflarent. Sed priusquam hujus rei initium expedio, pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia sint illustria, magisque in aperto.

Livonia ultimus pene Christiani nominis terminus, ad orientem Ruthenis jungitur: ad Septentrionem Suedis: ab Occidente mari Baltheo: a Meridie Ruthenis et Polonis. Variae sunt in hac provincia multarum gentium linguae, quae diversitas populi illius incivilitatem et barbariem haud obscure coarguit. Nam si vitae communio, aut rerum pace belloque gestarum extitisset societas, varietas illa morum et linguarum in unum sermonem et consonantiam coaluisset, aut certe major esset affinitas et conjunctio; Graeci et Romani plagarum Septentrionalium minus exactam habuerunt notitiam: unde factum, ut Livoniae provincia una cum vicinis ad Aquilonem vergentibus populis, Christianae religionis ignata, vano idolorum cultu diu subjuga fuerit. Demum temporibus Imperatoris Frederici primi, mercatores rem familiarem ex commerciis hominum augere cupientes, in Livoniam

Digitized by Google

concesserunt, et gentis animos ad mutua mercimonia pellexerunt. Porro succedente quaestu, et mercatoribus subinde eo loci confluentibus, sacerdotes paulatim se illis adjungere coeperunt, ut illis Livonum pecunias sibi acquirentibus, ipsi animas eorum Christo et Ecclesiae lucrifacerent. Erat enim populus mirae simplicitatis, opum parandarum, et rei divinae justo negligentior. Fertur expresso melle ceram velut quisquilias et purgamenta domibus everrisse. Contigit ea tempestate, Minardum pietate et vitae sanctimonia insignem Lubeco proficisci, et una cum negotiatoribus conscensa navi, in Livoniam trajicere. Factum id circiter annum restauratae salutis 1200. Hic in tam insigni messe nullos operarios conspiciens, continuo manendum ratus, casam extruit, et unico unius famuli convictu contentus, aetatem inibi agere constituit. Paulatim deinde hominum familiaritatem captare, et peregrinae gentis ignoto sermoni assuescere. Quo labore simul et taedio superato, habita jam contractae notitiae, et mutui convictûs opportunitate, religionis et rerum divinarum eos admonere coepit, sensimque a vano et superstitioso idolorum cultu, ad Christianae fidei observantiam adducere. Secundant pium viri conatum Superi, nec inviti complures in agnitam veritatis doctrinam concedunt. Quorum crescente numero, multorumque animis, ut fit, rei novae et incompertae religionis studio incalescentibus basilica instauratur. Nec multo post Meinhardus a Bremensi Archiepiscopo, in Livoniensem Episcopum consecratur, rem ecclesiasticam non parum adaugens. Successit illi Bertholdus Cisterciensium Abbas, qui contra irruentes fidei hostes, una cum peregrinis militibus, qui pietatis ergo ad militiam concesserant, pugnare instituit. Ubi ad pugnam ventum est, equo infreni in mediam barbarorum aciem projectus, confoditur. Interim crescente multorum pietate, plurimi sacrae se militiae devoverunt, novoque religionis habitu adinvento, Ensiferos fratres sese nuncupaverunt. Sed cum rebus gerendis superesse non possent, hostiumque vis undique invalesceret, magno Teutonicorum ordini per Prussiam se conjunxerunt, qui gravissimis variorum bellorum laboribus fortiter exantlatis, hactenus rerum in Livonia potiti sunt, habentes ordinis magistrum, qui una cum commendatoribus seu praefectis gubernavit universam provinciam.

Sunt et praeter hunc, Episcopi in Livonia quatuor: Archiepiscopus Rigensis, Episcopus Torpatensis, Episcopus Habselensis, et Oselensis, et Episcopus Rivaliensis. Civitates prae caeteris insignes sunt, Riga, Rivalia, haec maritima, illa ad Dünam fluvium sita: et civitas Tarbata sive Torpatum, Ruthenis finitima. Minora Livoniae oppida sunt Venden, Volmer, Velin, Vitkenstein, Perno, Veseberch, Nervia, Overpael. Haec oppida arcibus etiam instructa sunt et munita, caeterum universa a catholicismo ad Lutherana dogmata defecerant, praeter oppidum Habsel et Osel, ubi Metropolitanarum Ecclesiarum Canonici, nulla majore vi pertentati, sollicitati, aut profligati erant, sed illaesi et inconcussi ecclesiastica munia obibant.

Ordinis Teutonici magister una cum suis commendatoribus, plurima oppida et arces possidebant. Et primo quidem ordinis magister et Episcopus Rigensis simul et conjunctim occupabant civitatem Rigensem, verum ordinis magister praeter dominii et possessionis consortium, arcem quoque inibi habebat, et alteram duobus miliaribus a civitate dissitam, Dünemond appellatam: siquidem Riga non plane adjacet mari, sed duobus miliaribus distat. Praeterfluit eam fluvius Düna, ac duobus miliaribus emensis in Oceanum se exonerat. Per hunc naves ad civitatem Rigensem appellunt. Habet praeterea ordinis magister alia oppida complura, videlicet Rivaliam, Perno, Venden, Volmer, Nerviam. Sunt et Rigensi Episcopo arces munitissimae, scilicet Kokenhusen, Marienhusen, etc. Episcopus Torpatensis unam habet civitatem Torpatum, arces vero plurimas munitionibus et magnificentia praestantes, videlicet arcem juxta cathedralem Ecclesiam Torpatensem, et alteram cui nomen Nienhujs, 18 milliaribus a Torpato, Ruthenis conterminam. Tertiam Verbeke. Quartam Oltenthorn, etc. Episcopus Habselensis possidebat oppidum Habsel, et Osel, arcem quoque insignem Arnsborch. Rivaliensis quoque Episcopus arces aliquot sibi subjectas habebat, sed nullum in civitatem et Rempublicam Rivaliensem dominium aut imperium.

Siliginis et frumenti dives est Livonia, adeo ut exterae quoque nationes, Hollandia, Lubecum, etc; ejus ubertatem persentiant, ad quas frumentum e Livonia grandi copia advehitur. Pecoribus quoque et venatione abundat, ut refert Munsterus. Habet enim ursos, alces, vulpes, linces, marturos, zabellos, hermelinos, castores, etc; lepores in Livonia nati, mutant aestate et hyeme colorem, haud secus, quam apud Helvetios in alpibus, hyeme sunt albi, et ae-

Digitized by Google

stato cinericii coloris. Inferunt et Rutheni pelles ursorum albas in Livoniam, quas ex frigidissimis Septentrionis partibus advehunt.

## EXEMPLAR EPISTOLAE

DENUNCIATORIAE BELLI, QUAM MAGNUS MOSCOVIAE PRINCEPS AD LIVONIAE PROCERES MISIT.

Vilhelme Livonum Magister, Archiepiscope Rigensis, Episcope Torpatensis, caeterique Episcopi, et universi Livones, misistis ad nos legatos vestros, viros bonos, Ivanum Bockhorst, Othonem Grothuiss, et Volmarium Vrangel, cum reliquis adjunctis, ut capite coram nobis inclinato, peterent Teutonico Magistro, Archiepiscopo Rigensi, Episcopo Torpatensi, cunctisque Livoniae populis hanc a nobis gratiam fieri, ut dato ad praefectos nostros Neugardiae et Plescoviae mandato, pax cum Livonibus juxta veterem morem sanciretur. Nos vero praefectis nostris mandavimus, nullam vobiscum propter vestram injustitiam, pacem firmandam, volentes hanc vestram injustitiam vindicare. Caeterum legati vestri Ivanus Bockhorst cum suis collegis eam pacem a nobis exorarunt, iis conditionibus, ut Magister Teutonicus, Archiepiscopus Rigensis, et Episcopus Torpatensis, cunctique Livones, quidquid injuste contra nos moliti sunt, id restituant et resarciant. Praeterea ilico nostris negotiatoribus concedant cum suis mercatoribus negotiari, omnisque mercium generis, utpote cerae, sevi, loricarum, et armorum permutationes facere. Item ut Episcopus Torpatensis conquirat tributum omnium praeteritorum annorum, et universa debita ex tota dioecesi Torpatensi, de unoquoque capite marcam Germanicam, tertio pacis firmatae anno mittendam. Atque hoc nostrum tributum deinceps singulis annis dare debeat Episcopus sine dilatione, omnibus quoque servitium aut ministerium uobis praestare volentibus, ex quacunque natione veniant, citra ullum impedimentum, liberum in nostras regiones accessum et commeatum concedant. Regi quoque Poloniae, et magno Duci Lithuaniae, aut si alius quis in Regem Poloniae aut magnum Ducem Lithuaniae surrogetur, nullas suppetias et auxilia ulla in referant. Quidquid praeterea literae super pace firmata confectae, quae multoties descriptae sunt, et quarum nomine crucem coram omnibus vobis osculati sunt, continent, ea omnia rite legitimeque praestetis. Insuper et praefecti nostri magnae Naugardiae et Plescoviae has de pace inita literas ad vos per nuncium suum Melardum Torpiko miserunt: Teutonicus quoque Magister, Archiepiscopus Rigensis, Episcopus Torpatensis, caeterique Episcopi loco et vice omnium Livonum super his literis, crucem exosculati sunt, et dextras porrexerunt: octo etiam sigillis easdem coram Melardo Torpiko communiverunt, et per eundem Melardum nuncium ad nostros praefectos ita communitas transmiserunt, eum in finem, quod juxta literarum tenorem omnia nos et praefectos nostros concernentia, juste et legitime exequi velletis, prout in literis scriptum continetur, in hunc usque diem. Horum omnium nihil adhuc praestitisti. Interea nos ne Christianus sanguis temere effunderetur, saepenumero per literas vos monuimus, ut haec pacta juxta contextum literarum de pace conscriptarum, juste et recte exequeremini. Similiter per legatum vestrum Gerhardum Flemminck, et nuncium Valentinum, item per Melchiorem cum suis adjunctis, itemque per Henricum Vinter vobis nunciavimus, ut a verbis injustis et minime veracibus temperaretis, utque probos et integros vos praestaretis in omnibus causis, juxta literas pacis et crucis osculum, vestramque culpam agnosceretis, ne sanguis innoxius effunderetur. Vos vero nostram clementiam sprevistis, et literas liberi commeatus a nobis postulatis, ea solum de causa, ut res longius protelaretur. Et quoniam legem divinam, omnemque veritatem postposuistis, nec de crucis osculo quidquam cogitatis, nostramque gratiam et clementiam aspernamini, ea propter meditamur invocato divino auxilio, justitiae nostrae ergo, et vestrae injustitiae, quam in crucem altissimi designastis, vos ulcisci, et vestram praevaricationem vindicare. Deo igitur nobis auxilium praestante, et alterutrorum sanguinem profundente, certum erit, cum non nostram ob culpam, sed vestram injustitiam profundi. Hoc scitote, nos non minus ac vos esse Christianum Principem, nec unquam gratum nobis fore spectaculum, si ullius sanginem innocentem a nobis profundi videamus, sive Christianus ille sit, sive gentilis. Ut autem injustitiam vestram agnoscatis, decrevimus nunc magnificam et praepotentem nostram virtutem hac epistola, qua bellum vobis indicimus, ad effectum deducere, quam epistolam per hunc nostrum ministrum ad vos destinamus, jubentes ne invitum illum detineatis, sed liberum ad nos regressum concedatis. Datum in nostro de-

Digitized by Google

minio, aula et urbe nostra Mosco anno 1527 mense Novembri.

## ORIGO ET PRINCIPIUM BELLI.

Anno 1558 civitas Episcopalis Torpatum Livoniensis provinciae a magno Principe Moscovitarum, sive a Ruthenis (ipse enim magnus Moscoviae Dux in armis non erat, sed ingentem Ruthenorum exercitum ad civitatem expugnandam miserat) gravissime obsessa est, pertinacissime oppugnata, et tandem die 18 Julii ejusdem anni lamentabiliter expugnata: cujus originem et causam haud obscure licebit animadvertere, si eorum, quae superioribus annis ibidem contigerunt, exactam rationem habeamus.

Anno Domini 1527 ipso die venerabilis Sacramenti, pellio quidam Vitembergensis, in civitate Torpato clancularias conciones in aedibus quorundam incolarum habere coepit, plurimos e junioribus mercatoribus, novis dogmatibus a catholicismo seducens, usque adeo, ut vehementer adaucto factiosorum numero, dominica die proxime subsequenti, seditiose ac magno cum tumultu in basilicam divae Virgini sacram irruerent, suumque illum concionatorem violenter in suggestum collocarent, sacerdotibus et cantoribus omnibus e templo profligatis. Hinc altaria, et divorum statuas invadunt, diruunt: imagines ipsas in forum allatas accumulant, et substructa pyra comburunt. Consimili modo in aedem D. Joannis velut homines phanatici se proripiunt, aras subvertunt, imagines confringiunt, organa demoliuntur, omnemque templi ornatum in foro congestum, ignibus et flammis subjiciunt. Nondum his exsatiatus impius eorum furor et caeca temeritas, Dominicanorum monasterium invadunt, monachos universos exturbant, adeo ut salvo corpore difficulter evaderent. Praefectus monachorum hortatur fratres, ut patienti et infracto animo sustineant, quidquid ob Christianae fidei professionem obveniat, paratum esse brabaeum et coronam, quam omnibus strenue certantibus summus ille Agonothetes cumulate soleat elargiri: nullam esse tantam crucem, nulla tormenta, quae illi triumpho valeant aequiparari. Hujusmodi dictis, ubi suorum animos obfirmavit Praefectus, omnibus alacri animo dimissis et abdicatis, cum fratrum sodalitio e monasterio secedit, nec quidquam e monasticis bonis secum aufert universa societas, praeter horariarum preum codices. Atque ita Dominicanis e monasterio suo ejectis, pergit Lutherana factio ad aedem Minoritarum, eosque simili modo explodit. Horum praefectus, quem Guardianum vocant, itidem fratres, si qui erant animi dejectioris, confirmat: ac non multo post cum importunius urgeret factio, singuli acceptis psalmodiis horariis, praeeunte Guardiano, voluntarium exilium libenter amplectuntur, parati omnia derelinquere, propter illum, quem noverant animam suam posuisse pro ipsis. Ubi hanc in monasticae professionis viros crudelitatem exercuerunt, femineum insuper sexum aggredi instituunt virgines ex antiquissimo Ecclesiae more, Deo dicatas invadere parant. Erat ibidem monasterium virginum, instituti Divi Francisci. Hae cum irruentes conspicerent Lutheranae factionis conjuratos, in genua provolvuntur, et ut fieri solet, lacrimis et precibus orant, propter communem nominis Christiani professionem, permittant ipsis antiquae, et a majoribus acceptae religioni, cui mancipatae sint, pacifice et tranquille vacare, innoxium se et imbecillem esse coetum, quae mundanas et βιωτικὰς curas resignaverint, voluntariam paupertatem et pudicitiam profiteantur, obsecrare se, ne cultum divinum, et susceptum vitae institutum deserere, atque e monasterio profugere, aut voto contraria compellant. Hoc tam miserabili planctu nihil emolliti Lutherani, velis et peplis e virginum capitibus excussis, truculentas manus in crines earum mittunt, ex cellis et latibulis inclementer extrahunt, et monasterio extrudunt, quasdam etiam conjugium amplecti compellunt. Miserandum hoc erat, et flebile spectaculum, quod vel saxeum pectus in gemitus et lacrimas solueret. Porro ex monachis nuper ejectis, quotquot parati erant exuto et abdicato habitu monastico, matrimonio se dedere, et Lutheranam doctrinam suscipere, eos ab exilio revocatos, jure civitatis donabant: qualis venerandus vir Dominus Philippus Olmen, qui horum fere omnium spectator, et ut historice ea conscriberem, mihi auctor fuit, plerosque novit. Hi conjugibus assumptis, liberos educabant, familiam alebant, omniumque pertinacissime Catholicos persequebantur. Hoc igitur modo Monachis, virginibus coenobiticis, et sacerdotibus pene omnibus, paucis exceptis, profligatis, Senatus et cives Torpatenses, Monachorum, Parochorum, et Vicariorum exuvias, et redditus ad se transferebant. Habebat id temporis magnus Moscoviae Dux, Torpati, Rigae, et Rivaliae templum, ubi Moscoviticae gentis negotiatores, diebus Dominicis, suo more cultum divinum pe-

Digitized by Google

ragere consueverant. Non tulit Lutherana factio, ut Ruthenorum et Moscovitarum templum illaesum evaderet, sed in eodem fervore, immo furore in illud se proripiunt, et pene a fundamentis universam aedificii molem subvertunt. Porro ne dirutarum basilicarum nullus omnino usus esset, Dominicanorum Ecclesiam tormentis bellicis asservandis destinant, et in publicum armarium convertunt. Franciscanam aedem calci coquendae deputant. Ruthenorum templum in foricam conversum, excipiendis foetoribus, sordibus, et excrementis humanis mancipant. Atque hoc modo, ubi Torpati in Catholicorum et Moscovitarum delubra saevitum est, Rigae et Rivaliae itidem Ruthenorum phana demoliuntur, quod resciscens magnus Moscoviae Dux, et Livones tam noxiam, impiam, et execrabilem haeresin suscepisse intelligens, rei indignitate commotus, si, inquit, Pontifex Romanus, et Romanorum Imperator sustinent suos sacerdotes, et monachos, profligari, templaque et sacraria dirui, sacra profanaque omnia pollui, nobis non est animus sectam adeo pernicialem in nostris provinciis impune grassari permittere, sed evoluto pacis termino, bellum illis indicemus, eo quod nostras basilicas tam profane et impie violaverint, ac destruxerint.

Eodem fere tempore Torpati, Lutheranae factionis, primates in Ecclesiae Cathedralis Torpatensis Canonicos conspiraverant, captantes vel dolo, vel armis Ecclesiam invadere, ea autem in edito monte sita est. Pellio qui universae factionis Princeps erat, ducentos e suis convocat, consilium de invadenda cathedrali Ecclesia proponit. Illi spe praedae avidi, alacres et parati in sacrilegium consentiunt. Ubi ad primariam basilicam ventum est, conspiciunt ibidem praestolantem Satrapam virum nobilem, generosi animi, et magnae virtutis, tredecim satellitibus stipatum. Hic eos compellans, quaerit quid moliantur, qua de causa armati accedant? Respondet pellio, se Canonicos profligaturum. Satrapa jubet, ne plus imperii et jurisdictionis sibi vendicent, quam delegatum habeant, sed suos intra limites se contineant, eam auctoritatem ipsis nondum demandatam. Quo audito, confestim ipsum Satrapam invadere parant. Ille quantumvis armis et satellibus parum instructus ad pugnam, numeroque et copia Lutherana factio longe praevaleret, nihilo secius, ut erat animi excelsi, una cum stipatoribus, quos tredecim duntaxat habebat petulantem et seditiosum eorum conatum avertere et impedire aggreditur, exertoque gladio, factiosam ducentorum armatorum cohortem universam, in pedes agit. Illi e summo montis vertice praecipites ruere, et velut fulmine consternati, fuga salutem quaerere. Quinque ad necem usque caesi, viginti vulneribus saucii et plagis contusi, cum reliquo seditiosorum manipulo vix effugiunt. Satrapa cum satellitibus omnibus illaesis, praeclaram victoriam, omnium pacis amantium applausu domum reportat. Tum illi in civitatem se abripiunt, et publico campanarum signo dato, classicum canunt, quo audito, universa confluxit Respublica. Satrapa ne in manifestum se periculum conjiceret, intractabilis et jam tum insanae saevientis vulgi oculis se subducit, et in Episcopi arcem se recipit. Pellio tametsi antea infeliciter pugnarat, et magno cum dedecore, ipse cum ducentis a quatuordecim fugatus erat, aucto tamen suorum numero, propositum redintegrat, ac denuo cathedralem Ecclesiam oppugnaturus, cum ingenti turma procedit. Postquam ad basilicam ventum, in valuas ingentibus machinis irruunt, quarum vim ubi nec claustra, nec omnis portarum vis ferre valet, labat ariete crebro janua, et emoti procumbunt cardine postes, fit via vi, rumpunt aditus, et prima trucidant divorum simulacra, et saxea numina templo disjiciunt. Neque in divorum statuas tantum saevitum est, sed et crucifixi imagines gladiis et lanceis transfigunt, quod olim Judaeos factitasse legimus, apud Damascenum, et scriptores historiae Ecclesiasticae. Erat in eadem Torpatensi basilica baptisterium, summo artificio et magnis impensis extructum. Inter caetera ornamenta, sculpta erant Salvatoris, et duodecim Apostolorum imagines, has magno impetu invadit sacrilega iconoclastarum cohors, quippe qui antea ducenti a tredecim stipendiariis turpissime fugati, sauciati, ac demum omnes profligati, latebras quaeritabant, nunc confirmato numero, tredecim simulacra invadunt, ne nullam omnino victoriam referrent. Egregiam vero laudem ea meretur fortitudo, cum facile sit vincere non repugnantem, et de statuis debellatis triumphum agere. Saeviunt igitur in aeneos, saxeos, et ligneos hostes, alios capite plectunt, alios manibus naribusque truncant, loedoriis et ludibriis non statuas tantum, sed et ipsos prototypos et sanctos calumniantes, qui capitis, manuum, nariumque periculo catholicam fidem asservissent. Hinc in quorundam Canonicorum (nam hos, quia de nobili erant prosapia, metu retracti, nondum aedibus et urbe

Digitized by Google

submoverant) aedes procurrunt, omnibusque esculentis et poculentis per vim conquisitis, admirabili inverecundia et gastrimargia, uti in ejusmodi tumultibus fieri solet, famelicam ingluviem suffarciunt. Dum haec magnis seditionibus et vulgi clamoribus in urbe Torpatensi geruntur, Proceres et nobiles provinciae, quibus adhuc cordi erat catholica religio, Torpatum conveniunt, et propositis conditionibus rem ita componunt, ut metropolitanae Ecclesiae Canonici, in Ecclesia sua, solennia sacrificia, et reliqua ad cultum divinum spectantia, nullo turbante aut molestante, securi peragant. Re ita composita, Senatus universae Reipublicae mandat, ne quisquam civium Missas aut conciones in templo cathedrali audire tentet, senatoriam jussionem violantes, decem marcarum poena plectendos. Atque hoc modo catholicus Dei cultus triginta annis salvus et incolumis in metropolitana Ecclesia permansit. Saepe tamen minitabantur, se ex urbe ascensuros, universosque sacerdotes trucidaturos unde patet, illos extremo periculo continenter expositos, et veluti mures in decipula, hostium metu undique conclusos et circunseptos fuisse. Praeter Canonicos, erat ibidem virginum nobilium, Deo dicatarum monasterium, quas metu potentiorum procerum, qui in catholica religione etiamnum constantes erant, prohibente, necdum e monasterio ejecerant.

Dum hic tumultus per Lutheranae factionis concionatores Torpati excitatur, praeerat episcopatui Torpatensi R. D. Joannes a Blankefeld, vir magnae pietatis et virtutis, qui ea tempestate forte in Rigensem provinciam concesserat, cujus etiam agebat Episcopum. Hic ubi seditiones et turbas per haeresin excitatas invalescere animadvertit, easque sua auctoritate non posse tranquillari, e Livonia in Hispaniam ad Carolum V. Imperatorem proficiscitur, quem ubi propediem jam, emense adhuc duorum dierum itinere, convenire posset mobro correptus, in Hispania moritur, non sine veneni suspicione. Ferebatur enim in Livonia, ministrum ejus a Lutheranis subornatum, ut toxico eum sustolleret. Imperator ubi rescivit tanta pietate ac virtute praesulem, tanta locorum spacia peragrasse, longissimique itineris molustias et pericula sui causa suscepisse, indoluit de viri obitu, quodque adventus causam, quam omnino arduam conjiciebat, nondum ex eo cognoscere licuisset. Quam ut intelligeret emissarium quendam repente ablegat, qui Episcopi scripta et literas conquirat, inventasque ad Imperatorem deferat. Ex iis Imperator universam Livoniae tempestatem liquido cognoscit, turbari omnia et everti a Lutheranis, templa dissipari, monasteria dirui, monachos profligari, sursum deorsumque omnia agi et ferri. Mittit igitur legatum in Livoniam, una cum literis et mandatis Imperialibus, ne quisquam in posterum basilicas aut monasteria invadere aut spoliare attentet, sed unumquenque suam religionem observare et profiteri sinant, ad decretum et determinationem futuri concilii Livones Imperiali mandato accepto respondent, se in religionis negotio ne flocci quidem facere Imperatorem Romanum, quinimo priusquam equitatus ipsius in Livoniam perveniat, lassum fore et fatigatum. Si magno cum exercitu veniat, fame et inedia eos consumendos: sin cum exiguo, facile posse superari et caedi.

Torpatenses cognita Episcopi sui morte, alium Episcopatui praeficiunt, D. Joannem Bie, incolae et civis Torpatensis filium. Hic ad Lutheranorum facinora connivebat et provinciam grandi aere alieno gravabat. Eo defuncto, ex consilio amplissimi Teutonicorum ordinis magistri D. Ioannis a Reck, qui catholicus adhuc, et summe laudabilis erat Princeps, eligitur in Episcopum D. Jodocus a Reck, magnae nobilitatis vir ex Vestphalia e comitatu Markensi oriundus. Hic Torpatensem dioecesin, contracto per antecessorem aere alieno, liberabat, et praeclare universam provinciam administrabat, quem etiam Rutheni reverebantur et suspiciebant, justitiae et strenuitatis ergo. Caeterum anno 1551 propter civitatis Torpatensis rebellionem, et plerorumque nobilium, qui magno numero ad Lutherana dogmata defecerant, inobedientiam gubernationis pertaesus, abdicavit se Episcopatu, et ex provincia secessit. Surrogatur in locum ejus Hermannus a Vesalia, unus e Monachis Dominicanis, quos Torpatenses monasterio submoverant: hic vero nec habitum, nec religionem deserverat, sed in monasterium Valkena ordinis Bernardini, quod duobus miliaribus Torpato distabat, profugerat. Erat abbatia, humili et palustri in loco sita, turribus et muris undique munitissima, propugnaculum adversus Moscovitam inexpugnabile. In hac abbatia idem D. Hermannus a Vesalia aliquot annis egerat Archimandritam, sedulo ac diligenter functionem administrans et monachos in officio continens. Quo nomine cum bonis omnibus commendaretur. Epis-

Digitized by Google

copus Torpatensis constituitur, anno 1553. Verum equestris ordinis plerique animum ejus a recto transversum egerunt. Paulo enim post quam solenniter esset inauguratus, nobiles quidam Lutheranae factionis, et civitas Torpatensis, tres ei articulos proponebant, petentes, ut eos admitteret. Primo, quandoquidem nunc in Imperii Romani Principem electus esset, monastico habitu deposito, alium ei functioni decentiorem convenientioremque assumeret, cui articulo consensit. Secundo, ut utramque speciem in St. Eucharistia omnibus indistincte et publice permitteret: Huic quoque articulo subscripsit: caeterum quia Missarum usus adhuc manebat incolumis, nolebant Livones Eucharistiam sub Missae sacrificio percipere, atque ita hic articulus nullum effectum sortitus est. Tertio deberet Episcopus sacramento affirmare et universo nobilium ordini ac civitati Torpatensi polliceri, se nec factis nec consiliis aut scriptis Lutheranae doctrinae adversaturum. Hunc quoque articulum servare promisit, et paulatim pristinae suae constantiae ita oblitus est, ut cum Lutheranis adesset, in omnibus eorum arbitrio serviret, et cuncta ad gratiam loqueretur, frequenter etiam ad se invitaret, convivia et symposia cum illis communia haberet. Paroeciis quoque et Ecclesiis passim homines, non sacerdotes, nec legitime sacris initiatos praeficiebat. Quinquennio Episcopatum pacifice occupavit, nullum interea Missae sacrificium peragens, ne equestres et proceres offenderet.

Dum haec geruntur, strenuum agit Lutheranae doctrinae praeconem pellio Wittenbergensis, jactans se Apostolicam simplicitatem imitaturum, et una tunica contentum fore. Docet praeterea, calices et vasa Ecclesiae aurea pauperibus elargienda. Contigit autem biennio post, quam e suggestu publice docere coeperat, ut consul civitatis Torpatensis sacram Euchartstiae thecam e templo abreptam, in catenam auream pro uxore et filia formari curaret, affirmans se auri pretium et aestimationem pauperibus elargitum. Non multo post praecone concionem habente, consulis filia templum ingreditur, aurea catena exornata, quam dum e suggestu concionator Lutheranus conspicit, repente exclamans, jubet ut quotquot praesentes essent mulieres et virgines, assurgerent, et in genua provolverentur: adferri enim flavam Christi tunicam, quam dum Papistae Christo suo circumdedissent, eas omnem reverentiam et venerationem eidem exhibuisse: nunc autem consulis filiam eadem tunica catenatam, profundo eadem reverentia et honore prosequantur. Soluta concione citatur praeco ad senatum, interrogatur cur consulem publica contumelia affecisset, qui sacrarium seu hierothecam praestita aestimatione legitime emisset. Respondet se suosque qui verbum Dei doceant, ejusmodi praedarum participes esse debere, ac tunc demum silentio sacrilegium dissimulare velle: Senatus ne hujusmodi contumelias et exprobrationes audiret crebrius, pretio hominem induxerunt, ut Rivaliam concederet. Porro alii Lutheranae factionis concionatores, immensas pene divitias accumulant, aedes, praedia, redditus magno numero coementes, purpura et pellibus pretiosis sumptuosiores ipsis consulibus et senatoribus. Si quidem unde antea decem aut plures honeste et frugaliter alebantur, ea omnia duo Lutherani praecones ad se transtulerant, nondum interea tanta opum affluentia contenti, ut manifestum evaderet, ipsos nihil praeter quaestum, opes, desidem et voluptuariam vitam sectari.

Paucis ab annis posteaquam Torpatenses in Lutheranam doctrinam concesserant, feria sexta solenne Paschae festum proxime praecedente, finita Lutherani Ecclesiastae concione, civibus e templo D. Virgini matri sacro revertentibus, quidam alium concivem et familiarem invitat ad prandium, rogat una domum comitetur, habere se paratum insignem petasonem Vestphalicum. Alter parum abhorrens, respondet sibi esse gallum opipare elixum, quem cupiat in symbolum adferre. Dum ad mensam accumbitur, alteros quoddam galli ambedere volens, imprudens ipsum pene deglutit, quod cum neque transmittere, neque eximere valeret, eo ipso die suffocatur. Alter postridie Paschae malo spiritu corripitur, et non multo post rabie et furore exagitatus animam una cum daemone exhalat.

Equestrium autem plerique in provincia Torpatensi, Lutherana haeresi usque adeo dementati erant, ut diebus, quibus jejunium indicere consuevit Ecclesia, tum etiam tempore jejunii quadragesimalis, binas mensas instruerent, unam Papisticam, alteram Evangelicam appellantes. Priori viliorem et vulgariorem panem imponebant, quem illi vulgo panem rusticum vocitabant huc addebant legumina et cervisiam tenuissimam. Evangelicae mensae imponebant panem selectissimum et purissimum, quem sua lingua vocabant panem Teutonicum, cervisiam praestantem, et carnes assas et elixas affluenter. Faciebant hoc, ut villicos et agricolas a catholi-



Digitized by Google

cismo ad Lutheranismum pollicerent. Illi vero maledulces epulas facile respuebant, vilissima edulia exquisitissimis ferculis praeferentes, ut in catholica religione constantes perseverarent. Quidam etiam nobilium cum plebejos et agricolas a Lutheranismo aversos conspicerent, diebus quibus jejunium catholica indicebat Ecclesia, eos accersebant, carnes et cibos vetitos violenter illis in ora ingerentes. Haec tyrannis et summa in Deum pariter et homines impietas, gravem vindictam supremo numini extorquebat. Quibus accedebat immanis crudelitas et inclementia in subditos, prodigalitas, superbia, et luxus omnium ordinum, Dominorum, inquam, Teutonicorum, deinde equestrium et nobilium, denique civium et plebejorum.

Priusquam Teutonici ordinis Domini, ordinisque magister ad Lutheranismum descisceret, religiosa pietas, suspicienda gravitas, moderata sobrietas, diligens religionis observatio, decentissimus in moribus et habitu cultus, conspiciebatur. Precum horariarum pensum, religiosissime persolvebant. Deorum delubra pietate, domos suas gloria et fortitudine decorabant. Ubi Lutherana dogmata amplecti coeperunt, haec omnia semel et simul excutere, luxuria cum superbia animos eorum invadere, rapere, consumere, sua parvi pendere, habitu et moribus summam ferociam, fastum ac dominandi libidinem ostendere: pudorem, pudicitiam, divina humanaque promiscua, nil pensi neque moderati habere: subditorum miseriis et egestate crudeliter abuti, perinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti. Ab eo tempore plebis conditio misera, longe misserrima esse coepit. Siquidem ubi Teutonicus ordo sua per luxum et libidinem prodegerat, et familiares opes defecerant, ad summam crudelitatem et avaritiam ipsa inopia eos stimulabat. Coepere igitur plebem deglubere, tributis et exactionibus emungere, et quos extrema premebat egestas, ab iis divitias, et luxus instrumenta conquirere. Animus sane malis imbutus artibus, et quotidianis voluptatum illecebris delibutus, haud facile libidinibus carebat, eoque profusius Venere et luxu aestuabat. Augebat eorum audaciam usurpatum hactenus in miseram plebem imperium, utpote quae ita servire ei subjici videbatur, ut non sui, sed alieni juris: non liberi, sed servi haberentur. Si quid criminis designabant, pro rei atrocitate flagellis et fustuario mulctabantur a Germanis, quorum fortunae, ubi per luxum et intemperantiam collaberentur, eo impotentius in miserum vulgus saeviebant, ut flagris et verberibus, si quid habebant frumentorum, ovium, gallinarum, mellis, et id genus extorquerent. Interea servilis et inops plebecula, allia et arborum radices et cortices famelico ore privatim arrodere, aquam farina commixtam potare, in extrema miseria et egestate vitam trahere. Equester etiam ordo Lutherana doctrina jam assumpta, quantum a pristina virtute degeneraverit, morum et vitae mutatio declaravit. Antea siquidem domi militiae que intenti libertatem, religionem, patriam, parentesque armis protegere. Non illis labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non barbarus hostis formidolosus, magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis libidinem habebant. Summa erga plebejos benevolentia et humanitate praestabant, dandisque potius, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. Caeterum ubi prisca religione spreta, prurientes auribus ea quae ventri adlubescebant dogmata amplecti coepere, pristina illa integritas et constantia a stirpe interiit, virtus hebescere, pietas languescere, per luxum et licentiam bona patria dissipare, aliena rapere, sua prodigere delubra spoliare, sacra profanaque omnia contaminare, dormire prius, quam somni cupido esset, non famem, non sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Haec eos, ubi privatae opes defecerant, ad sacrilegia rapinas, direptiones, et violentas exactiones incendebant. Igitur in plebem et agricolas supra omnem modum saevire, tyrannice et barbare, intolerandam in eos crudelitatem exercere, donec quod habebant commeatus aut pecuniae penitus exterquerent Nec equester duntaxat ordo his vitiis subjacebat, sed contagio quasi pestilentia universam Rempublicam et cives pervasit, ut omnia luxum, libidinem, fastum et superbiam repraesentarent. Adeo fascinaverat eos nova illa doctrina, ut mentem simul et rationem excantasse videretur: et quae divinis humanisque legibus essent contraria, ea Christianae vitae et Evangelio consentanea censerent, quodque summa erat injuria, id demum jure se facere existimabant, quia Lutheranae doctrinae praeconum exemplo faciebant. Itaque ubi in deos divorumque templa et simulacra saevitum est, sacerdotes et inferioris fortunae homines, pauperes, debiles, et eleemosynarii contumelia et invidia gravabantur. Erat juxta civitatem (ut fit) leprosorium, eidemque adjuncta Ecclesia D. Georgio martyri sacra. Hanc quondam in tro-

Digitized by Google

phaeum et gratiarum actionem, obtenta adversus Ruthenos insigni quatuor praeliorum victoria, majores religiosissimi mortales ibidem extruxerant. Verum anno 1554 ubi Lutherana contagio Torpatensium animos pervascrat, ut sacrilegia et rapinae licitae et concessae putarentur, leprosorium una cum delubro demoliuntur: hinc aras, simulacra, divinum cultum, et sacerdotes illinc miserabili morbo et squalore afflictos, inopes et laceros ejiciunt, leprosorium in tabernam, templum in stabulum convertunt. Facinus sane tali Evangelio dignum. Sacerdotes quibus contumelis, qua invidia privatim et publice premebantur, longum esset recensere, usque adeo omnia profanata erant. Unum prae caeteris tunc memorabile exemplum contigit, dignum quod nulla oblivione obliteretur. Anno 1556 ipso assumptae virginis matris die, Torpati sacerdotes ex recepto Ecclesiae more diem illum solennem habebant, et magno, ut solet, cum apparatu, et crebro campanarum pulsu, divinum cultum peragebant. Eam celebritatem et reverentiam Virgini matri ad summi numinis honorem exhibitam, cum matrona quaedam impendio invideret, mandat pedissequae, uti balneum apparet, caminum instruat, se cum marito lavari decrevisse. Ilia solennis festi dominam submonere, utque alium in diem transferat, rogare. Matrona repente excandescens, quid, inquit, de Maria narras, fuit illa mulier similis mihi, nec ullius potentiae, aut gratiae, praerogativam habet, tu jussa mea exequere. Famula ne dominam gravius exacerbaret, imperata perficit. Ubi ad caminum ventum est, arida ligna, quae alioqui haud difficulter flammam excipiunt, nulla ope, nullis nutrimentis accendi potuere. Illa ubi se undique vertit, laboris frustranei pertaesa, tectum omne ardere conspicit, nec ulla vi flammam restinguere valet. Ignis primo ipsum balneum vastat, mox duas contiguas aedes ingenti civium omnium terrore populatur. Confluit ex templo universum vulgus, et vix tandem latius serpere incendium prohibent. Postero die lignorum fasciculus camino ingestus, omnino incombustus comperitur. Haec et horum similia erant gravis Dei indignationis et venturae vindictae praenuntia, de qua priusquam dicere aggrediar, pauca de Lutheranorum ritibus, caeremoniis, et levi inconstantia praemittemus.

Ordinis sacramentum prorsus rejiciebant, ipsi ordinandorum sacerdotum, et Ecclesiastarum facultatem sibi vendicabant: modum autem ordinandi saepius immutarunt. Principio ordinandus coram Senatu in genua provolvebatur singuli Senatores in eum sufflabant, quo denotabant, se Spiritum sanctum in eum profundere. Deinde consul ordinatum ad suggestum deducebat. Postea hoc ordinandi ritu abolito, concionatoribus insufflandi potestatem contulerunt. Tandem et hic modus abrogatur, supremo concionatori tribuitur, ut suo suffragio quempiam pastoris munere vel dignum vel indignum censeat. Qua facultate supremo Lutheranorum praeconi collata, accessit eum textor quidam in suburbio Torpatensi degens, impetrat potestatem in vicinis pagis publice e suggestu docendi, qua obtenta, concionatur, baptisat, absolvit, Eucharistiam dispensat. Cum autem forte panis ei deficeret, ille coenam instituturus, protinus accepto raphano, in orbiculos illum conscindit, atque ita Missam una cum coena peragit, haud simpliciter contra receptam Ecclesiae consuetudinem delinquens, et augustissimum sacramentum ludificans, contigit hoc anno 1555.

In poenitentiae sacramento diversum variumque modum observabant. Principio ex praescripto Lutheranae doctrinae soli Deo delicta confitebantur. Postea hoc ritu abrogato decem vel circiter conjunctim in genua coram concionatore provolvebantur: quo facto ille eos Deo confiteri jubere, et absolutionem veniamque promittere. Hic confitendi modus ubi inolesceret, res non indigna memoratu in pago tribus miliaribus ab urbe Torpatensi dissito contigit. Lutheranus quidam ecclesiastes, triginta agricolas ad genua provolutos habebat, quos confessione facta Sacramentali absolutione a peccatis exolvere debebat. Mandat igitur, omnes Deo confiteantur, soli, solidam sive nummulum (quem confitentes parocho dare consueverant) altari imponere jubet, deinde certam absolutionem promittit, poenitentiam et satisfactionem commentum esse Papisticum, hanc neutiquam requiri. Erat autem inter confitentes quidam prae aliis simplici ingenio, qui Domino suo juvencum furto abegerat. Hic absolutionem consecutus, domum laetabundus revertitur, gaudium ex felici confessionis successu conceptum, protinus in uxoris sinum effundit Metuebam, inquit, cum Parochum confessurus accederem, ne juberet abductum taurum restituere, aut gehennae incendio me furtum luiturum minaretur: jam autem uno recepto solido, omnes mihi noxas ignovit. Non multo post idem alium bovem furatur, et in ipso facinore deprehensus, fatetur neutiquam se illud

Digitized by Google

admissurum fuisse, si non tam facilem se praebuisset parochus in delictis ignoscendis, eaque res plurimos ad gravissima facinora stimulabat, adeo ut summam in domestica familia perfidiam patres familias persentiscerent, ac tam exitiales istius Evangelii fructus graviter abominarentur.

Eodem fere tempore horrendum et memorabile factum contigit. Erat Torpati quidam Lutheranae doctrinae praeco, Hermannus, mire versutus et facundus in abducendis hominibus a Catholicismo ad Lutheranismum, annisque triginta summum egerat illius doctrinae praeconem. Hic pellione Wittembergensi Lutherana dogmata primum docente, monachus erat Minorita, juvenis, at pro aetate in concionibus non exercitatus, accedit pellionem, offert illi suam in propagandis Lutheranis dogmatibus opem, monasticum cucullum in publica concione abjecturum. Pellio eum in cooperarium suscipit, negotiatores novo habitu eum donant, virginem monasticam in uxorem adjungunt, praeficitur vasis argenteis Ecclesiae, in usum pauperum custodiendis. Pellione ex urbe secedente, cujus causam supra retulimus, paulatim magnam auctoritatem apud omnes sibi conciliat, ut solus nobilium infantes baptisaret. Magnam opum divitiarumque vim congerit, mercatur praedia, domos, agros, in liberorum subsidium: primaque atque itidem secunda uxore demortua, tertiam ducit. Verum anno 1554 gravi morbo corripitur, et sex diebus elapsis horrenda voce exclamat, se damnatum, nullam salutis consequendae spem reliquam, et quotquot isti voluptariae Lutheranorum sectae sese dederent, damnationi obnoxios, atque ita torvo aspectu, et oculis horribiliter flammarum in modum lucentibus, desperabundus extremum spiritum exhalat, omnibus Christianis exemplum ac documentum relinquens, quam periculosum sit ab Ecclesiae unitate ad novas doctrinas deficere.

## DE PUBLICA EAQUE TERRIBILI LIVONUM VINDICTA, QUAE RELIGIONIS MUTATIONEM ET VITAM IN OMNE FLAGITIORUM GENUS PROJECTISSIMAM SECUTA EST.

Posteaquam Livones spreto et profligato Catholicismo et Religione a majoribus accepta, Lutherana dogmata susceperant, variis diversisque plagis gravissime afflicti sunt, adeo ut universa elementa in vindictam et perniciem eorum conspirasse viderentur, juxta illud Regii Prophetae. Accipiat armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. In primis terra, quae omnis frumenti copia abundare consueverat, nihil pene frugum et fructuum proferebat, ut gravis annonae caritas subsequeretur. Aqua quae prius piscosa, deinceps nihil fere piscium dabat. Aer hominum saluti a Deo tributus, nunc venenatus et contagiosus innumeros morbos et gravem pestilentiam generabat. Igne Rutheni et Moscovitae universam Torpatensem provinciam miserabiliter populabantur, Nerviam et Velinam oppida cum plurimis vicis et pagis prorsus vastabant. Gravis quidem haec erat vindicta, sed magna supremi numinis erat clementia tam diu immania gentis pertinacissimae facinora dissimulasse, et ultionis gladium suspendisse, si forte mansuescerent, et resipiscentiam meditarentur. Quae cum non sequeretur, et tertii jam haeredes in Lutheranorum possessiones succederent, ne de male partis diu gauderent, principio durissimo caritatis et penuriae flagello afflicti sunt. Siliginis n. mensura, quae apud Germanos 12 modios conficit, vulgariter *een last* appellatur, prius viginti marcis emebatur, anno vero 1557. Torpati nonaginta marcis comparabatur. Marcae autem septem duos daleros conficiunt. Unde factum, ut agricolae crescente penuria et famis necessitate cogente, lini baccas hordeo aut siligini commixtas molerent. Abundabant et piscibus Livonia, priusquam ad Lutherana dogmata deficeret. Praeterlabitur Torpatum fluviolus quidam, *die beke* appellatus. Per hunc Moscovii Plescoviam (civitas ea est Moscoviae) navigabant sex miliaribus emensis exonerabat se fluviolus in mare quoddam, *die Peuss* vocatum piscium mire ferax 12 miliaribus longitudine, septem fluminibus in illud profluentibus. Mare illud in Oceanum uno alveo fertur, qui de alto scopuli vertice rapidissimo cursu torrentis in morem praeceps ruit, tanto cum sonitu ut accolae propinquiores, hebescente paulatim ex terribili et continuo fragore auditu, surdi reddantur. Ex hoc mari, quod *Peussam* diximus, tanta piscium affluentia proveniebat, ut in Hollandiam, Lubecum, aliasque finitimas regiones eos aveherent, pisces illi lupi Torpatenses vocitabantur. Caeterum antiqua religione profligata, et Lutheranismo invalescente, quantumvis spretis jejuniis, carnibus victitarent, summa tamen piscium inopia laborabant.

Insuper et pestilentia tam atrociter saevie-

Digitized by Google

bat, ut anno 1551 Torpati trimestri spatio 14 milia hominum morerentur. Tanta erat aegrotantium multitudo, ut in coemeteriis, in campis, in propatulo passim et juxta sepes plurimi miserabiliter decumberent. Cadavera linteis involuta, in una scrobe accumulabantur. Dignum animadversione erat, quod in commune hac lue, quae universam civitatem pervadebat, Catholicorum sacerdotum, quorum tredecim quotidie horas canonicas in cathedrali Ecclesia decantabant, nemo corripiebatur. Lutherani vero concionatores universi, excepto uno Hermanno, qui postmodum, ut supra retulimus, horribiliter expiravit, e medio sublati sunt. Sed nec hoc flagello emendari sustinuerunt. Proceres enim civitatis qui grassante contagie secesserant, revectentes, alios novae doctrinae praecones constituunt, prioribus longe nocentiores. Quin et pestilentiae culpam et numinis offensam Papistis imputabant.

Tertium igitur flagellum Livoniensibus supervenit, bellum et exterminium, et immanis barbari populi crudelitas, et praeter hanc intestina praelia et mutuae lancinationes. Si quidem biennii spatio, tria gravissima, cruentissimaque bella sustinuerunt, quorum tertium extremam illis perniciem et excidium attulit. Primum inter Archiepiscopum Rigensem et Ordinis Teutonici magistrum, oriebatur anno 1558. Belli causa erat, quod cives Rigenses post assumptum Lutheranismum, aras, delubra et monasteria diruerant, Canonicos et sacerdotes urbe moverant, in Ecclesia Cathedrali Lutheranum dogmatistam constituerant. Hujus injuriae et violentiae memor Archiepiscopus, certam pecuniarum summam a Rigensibus mulctae loco exigebat. Caeterum Ordinis Teutonici Magister Lutheranae factioni consentiens, Rigenses defendere et excusare parabat, asserens, jure id patratum, nullamque poenam commereri: Nec multo post publicum comitiorum diem indicit Magister in civitate sua Vendensi, universos Ordinis milites per Livoniam convocans. Verum quia indicendorum comitiorum jus Ordinis Magistro non competebat, sed Archiepiscopo Rigensi, ea propter Archiepiscopus ad comitia non accedebat. Concludebat ibidem universus Teutonicorum militum ordo, bello appetendum esse Archiepiscopum. In quod ubi communibus suffragiis totus ordo consenserat unus Ordinis Mareschallus, secundus a Magistro, nonnihil reclamabat, non iniquum affirmans, si Archiepiscopus illatam injuriam et damnum exactione sarciri peteret. His dictis universus Teutonicorum Ordo Mareschallo indignatur, arces et praesidia ei eripiunt. Ille in Poloniam secedit. Rex Polonus intellecta causa, liberum illi commeatum per universum regnum Poloniae concedit. Episcopus Torpatensis Hermannus, ut erat inconstantis animi, facile ad oppugnandum Archiepiscopum Rigensem inducitur. Itidem et Rivaliensis et Habselensis Episcopi, Ordinis magistrum metuentes, facile in ejus castra concedunt, atque ita universa Livonia in Rigensem Archiepiscopum hostiliter conspirat. Eodem igitur anno, paulo post natalem D. Joannis Baptistae, Ordinis Teutonici Magister universos Praefectos, Commendatores vocant, conscribit, quibus copias suas tres conjungunt Episcopi. Instructissimo exercitu et magno cum apparatu Rigensem provinciam hostiliter invadunt. Archiepiscopus Rigensis tametsi defensionem meditaretur, et plurimos nobilium sibi adjunctos haberet, infirmior tamen erat, et viribus impar, ut tanti exercitus vim sustinere et propulsare neutiquam posset. Quibusdam ergo equestris ordinis ab hostibus captis, quibusdam etiam interfectis, inter quos et Satrapa, profugit Archiepiscopus in arcem Kokenhusen, persequitur eum Ordinis Magister, arcem cum omnibus copiis suis obsidet, tormentis ac machinis bellicis muros invadit. Erat arx natura loci munita, in edita rupe constructa, inexpugnabile propugnaculum. Sed cum neque valida hostium manus, obsessos fatigare, nec crebra bombardarum tormentorumque tonitrua muros laxare quidquam possent, sola fames et penuria profugos ad deditionem compulit. Igitur omni commeatu destituti, languentibus prae inedia nervis, et viribus non lassitudine sed fame consumptis progreditur ad suos commilitones Archiepiscopus, et quam deploratus sit rerum status exponit. Indecorum quidem et ignominiosum esse hosti se dedere, sed omnia vitae posthabenda. Turpitudinem illam temporis injuria rerum asperitate, et summa necessitate facile excusari, ac demum secundis rebus, et prospero fortunae statu oblato, pristina virtute prorsus aboleri, amissamque gloriam cum foenore recuperari posse. Nunc quia nullus exercendae virtuti et praeclaro facinori locus, stultum esse inedia ac taedio se conficere, omnemque melioris fortunae et rei praeclare gerendae spem una cum vita a stirpe resecare. Suadere se ut positis armis spontaneam deditionem voluntariae acerbissimaeque morti praeferant. His dictis, ubi nullum commilitones viderent effu-

Digitized by Google

gium, portis adapertis hostibus sese dedunt, octavo obsidionis die. Ordinis Teutonici Magister Archiepiscopum, non ut unius Provinciae ac civitatis consortem et concivem, non ut antiquae Brandemburgiorum prosapiae Principem, non ut Praesulem et Primatem, sed veluti barbarum hostem tractat, contumeliis et probris ludificatur, ac demum carceri mancipatum, toto pene anno vinctum continet. Omnibus praeterea oppidis, arcibus et pagis mulctat, ut nihil jam pene a privato differret, nisi quod Principis conditio praeter ablatas exuvias, carcere etiam gravabatur.

## SECUNDI BELLI HISTORIA

### INTER ORDINIS TEUTONICI MAGISTRUM ET REGEM POLONIAE.

Rex Polonus tanti Principis servilem captivitatem intelligens, rei indignitate commotus, Episcopum quendam in Livoniam ac Ordinis magistrum ablegat. Qui ubi Vendam venit, hujusmodi oratione Magistrum alloquitur: Graviter et iniquo animo serenissimus Rex sustinet, Amplissime Magister, nepotem suum Archiepiscopum Rigensem, tam duro et illiberali carcere vinctum detineri, qui viro Principi ex illustrissima Brandeburgensium Marchionum familia progenito, et Archiepiscopali dignitate praefulgenti, nulla ex parte nec conveniat nec deceatur. Belli quoque causam et originem, quo clarissimum principem, non minus hostiliter, quam unanimiter obruistis, verius quam superastis, neutiquam justam satis existimamus. Proinde haec Regis mandata ad te deferimus, serenissimum Regem vel pace et mutua amicitia salva, Illustrissimum Archiepiscopum indignissimo carcere exoneraturum, vel regia manu et militaribus copiis id effecturum. Sane si homini libero gravis est servitus, utique viro principi gravis est captivitas. Mandavit etiam regia majestas, ut aequis conditionibus omne dissidium inter Reverendissimum Archiepiscopum et Ordinem vestrum amanter componamus, pristinamque amicitiam vobis vestrae autem provinciae tranquillitatem et pacem restituamus. Hac legatione perlata, Ordinis Teutonici magister, neque exonerandi principis, nec componendorum dissidiorum spem praebuit. Itaque re infecta legatus ad Regem revertitur. Rex ut operam suam irritam cognovit, Ordinis Magistro, omnibusque ejus auxiliariis bellum denuntiat. Quo nuntio accepto, confestim Ordinis Magister ingentem thesaurum in Germaniam mittit, ad exercitum ibidem conscribendum. Adducuntur aliquot equites et sex peditum manipuli seu vexilla in Livoniam. Rex Polonus haud diu moram trahens, infestis signis in Livoniam tendit. Equitum simul et peditum centena millia in armis procedunt. Ordinis Magister, universos quos habebat Praefectos et Commendatores, Regi obviam producit, quibus copias suas conjungunt tres Episcopi, Torpatensis, Rivaliensis et Habselensis. Torpatensis Episcopus, quoniam grandaevus erat, et bello inidoneus, ipse in aciem non prodit: sed Cathedralis Ecclesiae Praepositum una cum omnibus Provinciae suae nobilibus ablegat. Habebat Ordinis Teutonici Magister, equitum Germanorum septem millia, et aliquot millia Rusticorum et agricolarum. Praeterea sex peditum Germanorum vexilla. Ingens hic et numerosus erat exercitus, sed Polonico longe inferior, quae res Teutonici magistri animum facile consternabat, ut infestis signis cum hoste confligere temerarium arbitraretur. Tanta igitur Polonorum manu conspecta, victoriae spem abjicit, legatum ad Regem, qui praesens in armis erat, mittit, praelium deprecatur, et pacem efflagitat. Rex clementer et benigne respondet, nisi viduas, pupillos, orphanos et inopes miseraretur, nullo pacto pacem se cum Magistro initurum: sed ut Ordinis Magister agnoscat, inquit, me sanguinis aut belli sitientem non esse, ipse, si pacem expetit, huc intra octodecim horarum spatium ad nos accedat, Principemque et Archiepiscopum Rigensem una adducat, dein pacis et concordiae rationem inibimus. Et ne metum inanem praetendat, liberum illi per universum exercitum nostrum, accessum damus. Teutonicus Magister hoc responso accepto, confestim Archiepiscopum qui non longe aberat, custodia liberari et a vinculis educi jubet. Quo adventante, uterque ad Regem concedit, trecentis equitibus stipati. Ibi cum ultro citroque de pace agitaretur, tandem concluditur, Ordinis Magistrum debere Archiepiscopum in pristinum statum restituere, omneque damnum ac detrimentum eidem illatum rependere. Praeterea Regi Polono stipendia in milites erogata refundere. Graves hae erant Ordini Teutonico pactiones, attamen metu gravioris mali urgente, consensit Magister Teutonicus, et praestitit. Pace his conditionibus impetrata, mussitabant Livones, Ordinis Magistrum omnem provinciae thesaurum, quem suo idiomate, *den tresel* vocant, praepostere, temere, et nullo cum fructu

Digitized by Google

aut civium utilitate, imo gravi cum damno prodegisse, videlicet, exercitu e Germania conscripto, eoque praemiis et stipendiis anno integro sustentato, Archiepiscopo in integrum restituendo, et Regi Poloniae bellicos sumptus resarciendo. Porro thesaurus hic ex dominorum Teutonicorum, et Canonicorum Cathedralium Rigensium bonis in civitate Vendensi, quae in provinciae meditullio sita erat, colligebatur, ita ut quotiescunque Domino alicui Teutonico aut Canonico humanitus aliquid contingeret, de bonis suis testamenti factionem non haberet, nec facultates suas cognatis, amicis aliisve haeredipetis legare posset, sed ad thesaurum omnia referebantur. cum in finem, ut si Moscovita bello Livones appeteret, haberent unde externis et auxiliariis militibus stipendia persolverent.

## TERTII BELLI DESCRIPTIO

QUOD MAGNUS RUTHENORUM IMPERATOR CONTRA LIVONES GESSIT ANNO 1558 QUO CIVITAS ET PROVINCIA TORPATENSIS A PRINCIPE MOSCOVITARUM EXPUGNATA, VICTA ET SUBJUGATA EST.

Atrox et memorabile praelium gesserunt Livones contra Ruthenos anno domini 1500; sub Ordinis Teutonici Magistro D. Valtero a Plettemburg, excelsi animi, et magnae industriae viro. Nondum Lutherana doctrina aut ulla haeresis eos a Catholicismo transversos egerat, sed priscam avitamque religionem summa pietate et fide colebant. Igitur cum Teutonicus Magister cum Ruthenis confligere statuisset, publica jejunia et solennes Litanias triduo servandas incidit paulo post Natalem virginis matris, ut communibus votis divinam opem et prosperum praelii eventum obtinerent. Conscribit deinde Magister Praefectos et commendatores universos cum nobilibus totius Provinciae, quibus copias et auxilia sua conjungunt quatuor Livoniae Episcopi, Rigensis, Torpatensis, Rivaliensis et Habselensis. Rigensis mille Germanos equites adducit, Torpatensis quingentos. Rivaliensis et Habselensis, itidem quingentos simul, ita ut Magister Teutonicus septem haberet Germanorum equitum millia, et quinque millia Curonum, qui populi sunt Livoniae. Hoc exercitu Magister Ruthenorum fines invadit, arcesque et oppida quaedam expugnat. Inde ipso exaltationis Crucis die ad urbem Plescoviam tendunt. Juxta hanc sita est planicies duorum milliarium amplitudine, in quam ubi devenere, obviam illis procedit Ruthenorum Imperator, cum centenis millibus armatorum qui in duodecim acies distributi erant. His adjuncta erat ingens Tartarorum manus triginta millia conficiens. Itaque Teutonicus Magister, ubi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo adversus tantum exercitum barbarie et armis formidabilem, procedendum videt, nequidquam de victoriae spe remittens, fortunam belli tentare statuit, et paucis suorum animos confirmat. Praeclaram sane victoriam, inquit, o milites hodie nobis obventuram de numinis benignitate et vestra omnium fortitudine facile mihi promitto. In causa justissima, dii non possunt non esse propitii. Vos tantum modo pristinae strenuitatis et constantiae memores, existimate vos, decus, gloriam, patriam, libertatem, et religionem in dextris vestris portare. Alios fortasse ingens barbarae gentis multitudo animo dejiceret. Vos vero milites dum considero, et cum vestra facta aestimo, quibus parentes, patriam, aras, et focos, avitamque adversus haereditarios Catholicae pietatis hostes, fidem saepenumero tutati estis, eandemque ad extremum vitae, armis et sanguine vestro vindicare cupitis, magna me spes victoriae tenet, animus, aetas, virtus vestra hortantur. Haec ubi dixit non multo post utrinque signa canuntur, Teutonicus Magister glandes ferreas et globos tormentarios velut crebra continuaque tonitrua in Tartaros contorquet, inde maximo clamore infestis signis utrique concurrunt, gladiis, lanceis omnique telorum genere res geritur. Tartari, et Moscovii arcubus et sagittis assueti, densissimo creberrimoque telorum jactu aethera obumbrant, quae tamen universa pene irrita aerem verberant, donec ultro in terram decidunt. Ingens ibi sonitus, ad caelum attollitur, bombardarum fulmina, armorum fragor, vulneratorum gemitus pereuntium clamor. tympanorum sonitus, equorum hinnitus, omnia et Martem et mortem referebant. Tartari ubi praelio fusi fugatique, succedunt duodecim Moscoviorum acies, animis et virtute recentes. Teutonici caesis Tartaris ubi bellum recrudescere sentiunt, quanto majorem hostium vim prioribus succedere conspiciunt, tanto majoribus animis in hostes irruere, et velut ab integro nova virtute resumpta, ingenti cum fremitu caesim punctimque confligere, sauciare, confodere; vergente jam ad vesperam die qui ex Moscoviis supererant, furtim se Plescoviam subducunt. Praelio ita dirempto, compertum est ex Teutonicorum agmine unum duntaxat interemptum, Moscoviorum vero et Tartarorum

Digitized by Google

circiter centena millia trucidatos, ut duobus miliaribus cadavera passim dispersa jacerent. Memorabilis hic erat triumphus et singulare virtutis et fortitudinis exemplum, ac dignum quod sempiterna memoria donatum, nunquam aboleatur. Moscoviorum Imperator (qui ipse in aciem non prodierat) cum summo stupore admiratur tantum exercitum tam exigua manu jam turpiter caesum et prostratum, atque ilico pacem quinquaginta annis cum Teutonibus firmat. Qua inita omnique bellico tumultu composito. legatum magnus Moscoviae Dux ad Ordinis magistrum ablegat, rogans, uti unum quempiam ex ferreis illis militibus (Rutheni Teutones ferreos vocabant) qui tantam Moscoviorum multitudinem fuderant, ad se mittat, se una cum legato obsidem mittere, ferreum illum virum non inhonoratum indonatumque ad suos reversurum. Magister Teutonicus haud invite unum e militibus cataphractum equitem Moscoviam versus destinat, quem ubi Moscoviae Princeps adventare accipit confestim universis Ducibus, nobilibus, et Praefectis suis denuntiat, uti praescripto die Moscoviam conveniant, novum visuque dignum spectaculum eos habituros. Destinato die cataphractus in apertam planiciem juxta aulam Principis, numerosa (ut fit) populi corona circumstante procedit, et huc illucque obequitans, petasum e capite cujuspiam circumstantis abripit, eumque in Hippodromi centrum projicit. Ilico pleno cursu lanceam in petasum dirigit, eumque dicto citius cuspide arreptum terra sublevat. Moscovius Imperator eam equitis agilitatem conspiciens, ursi in morem (solent id facere Moscovii admirantes) barrit. Rursum Cataphractus demissa paululum lancea, in oppositum parietem pernicissimo cursu fertur. Ac tametsi parietem invasurus videretur, ille tamen protinus intacto muro hastam reducit, et equum retrahit. Illud spectaculum denuo Principis omniumque circumstantium admiratio subsequitur. Resumpta iterato lancea plenissimo impetu in parietem fertur, hastamque, circumvolitantibus undique fragmentis, confringit. Haec ubi omnia dexteritate expedire gessit cataphractus, vocatur ad Principem, et accepto insigni munere ad Teutonicum Magistrum remittitur. Saepenumero idem D. Philippus, qui haec omnia mihi communicavit, Torpati cum praestantibus equestris Ordinis viris jam grandaevis sermones contulit, qui haec se vidisse et praelio interfuisse referebant.

Ubi jam quinquagesimus a pace firmata ageretur annus, videlicet anno 1550 ut pactae induciae propediem essent expiraturae, Reverendissimus D. Jodocus a Reck, Episcopus Torpatensis magnae virtutis, et pietatis vir, magnis impendiis et sumptibus denuo quinquennalis inducias a Ruthenorum Imperatore impetrat, talibus conditionibus, si templa Moscoviorum Rigae, Rivaliae et Torpati diruta restaurarentur: Praeterea si e provincia Torpatensi, tributa quae exigebat, penderentur, et aliis, si quae essent, querelis satisfieret. Quae omnia si praestarent, pollicetur Moscovius quinque annorum pacem deinde concessurum. Igitur anno 1555; hac quinquennali pace iterum expirante, Teutonicus Magister, et Episcopus Torpatensis Hermannus rursum legatos ad Moscoviae Principem ablegant, pacis expetendae causa. Quibus Moscovius Dux respondet, nullam se pacem Germanis indulturum, quandoquidem basilicas suas non reaedificassent, nec tributum persolvissent. Caeterum intercedentibus Moscovii Ducis Consiliariis, triennales inducias promittit, modo spondeant, proximo triennio eversa phana restauraturos, et ex provincia Torpatensi, singulos homines quotannis singulas marcas tributi loco persoluturos, exceptis Catholicae religionis sacerdotibus, quos ab hac praestatione eximebat. Haec si facturos se promitterent et sigillo testarentur, triennalem pacem in gratiam Consiliariorum ac Ducum suorum concessurum pollicetur. Subsignant legati, maxime quoniam Episcopus Torpatensis mandarat, ut saltem quovis modo pacem referrent. Erat autem consuetudinis, ut et Moscoviae Princeps legatum ad Episcopum mitteret, qui firmandae et stabiliendae pacis causa crucem quandam osculabatur. Legatus ubi Torpatum venit, recusat crucis osculum, nisi Episcopus et civitas Torpatensis idem quod legati Torpatenses subsignaverant, suo quoque sigillo communirent. Habebat id temporis Episcopus Torpatensis Cancellarium Lutheranis dogmatibus impense faventem, qui et postea anno 1558; expugnata civitate Torpatensi Habseliae in carcerem conjectus, tandem ut facinorosus ignominiosa morte vitam clausit. Is Episcopo suadet, ut secure quod petebatur, subsignaret, ac postea spem Moscoviorum eluderet, Livones ejus esse roboris et potentiae, ut Moscovius Princeps haud facile eos bello esset appeturus. His ita peractis, Moscovii legatus ad Principem suum revertitur. Interea nihil eorum quae postulata et pacta erant, praestant Livones. Elapso igitur triennio, bellum

Digitized by Google

hunc in modum exoritur anno 1558; circa Epiphaniam.

Habebat id temporis Teutonicus Magister sex militum Germanorum vexilla, quos adversus Regem Poloniae in aciem produxerat. Igitur anno 1557; circa ferias Michaelis veredarium ablegat Teutonicus Magister ad Magnum Moscoviae Ducem, sciscitatur an legatos ad se mittere debeat pacis diuturnioris firmandae causa, an vero pace recusata bellum eligat. Respondet Moscovius, Magistrum adhuc sex militum habere vexilla, quos servare proponat, nihil opus esse legatis, nolle se ad inducias compelli: sin eos dimittere paratus sit, mittendos esse legatos, et de pace sancienda tractandum. Hoc responso accepto, omnes Livoniae proceres congregantur, et quid faciendum consultant. Quidam aetate grandiores suadent retinendum esse militem, facile animadverti Moscovium Principem bellum meditari, quandoquidem conventiones initas Livones non praestitissent: nequaquam igitur dimittendum exercitum, sed totidem signa denuo conscribenda, eaque in finibus Ruthenorum collocanda. Teutonicus vero Magister cum Lutheranis quibusdam respondent, non esse dandam Moscovio belli occasionem, dimittendos esse milites. Si quid deinde moliatur Moscovius, superesse, adhuc viros, et vires, quibus illi anversum iri possit. Haec sententia praevaluit, et ilico exercitu dimisso paulo post Martini ferias Teutonicus Magister legatos cum centum equitibus magno cum fastu, splendore et apparatu ad Moscovium mittit, quibus Satrapam suum conjungit Episcopus Torpatensis. Assumunt praeterea Lutheranae factionis Ecclesiasten. Ubi ad magnum Moscoviae Principem ventum, Princeps atrium suum auro undique resplendens ingreditur, aureum solium occupat, corona regia et sceptro insignitus. Apponitur mensa deaurata, seniores Consiliarii numero 12 lateri sinistro assident, qui universi ex recepto more, quoties consilium agitari contingit, vestes Leviticas aureas induti: Magnus vero Dux palla chorali seu sacerdotali circundatus. Assumit praeterea Magnus Dux duos interpretes, qui Germanicam simul et Ruthenicam linguam callebant. Interrogat Moscovius an pacem expeterent. Asserunt illud Livones, simulque scyphos deauratos a Torpatensi Episcopo et Ordinis Teutonici Magistro Principi Moscovio missos, offerrunt. Recipit eos Moscovius et in proximum triclinium deferri jubet. Moscovius principio recenset eorum perfidiam, qui toties pactas conventiones elusissent, nec quidquam eorum quae spoponderant, et sigillis confirmaverant, praestitissent. Majorum praeterea pietatem, fidem et heroicas virtutes refert, a qua ipsos plane degenerasse ait, cultum divinum a majoribus acceptum abrogasse, basilicas evertisse, sacerdotes et monachos profligasse denique nullum pristinae pietatis, et virtutis vestigium retinuisse, non illos esse Ecclesiasticos Principes, sed quovis barbaro magis profanos, qui tam in omne vitiorum flagitiorumque genus propendeant, eoque pacem nullo pacto illis concedendam. Ad haec Teutonici respondent, se ex majorum dationibus et computu bene subductis, deprehendere, nullum tributum Moscovio deberi, quod autem pacem deneget, id Romano Imperatori se questuros Respondet Moscovius, quas illi querelas Imperatori offerre instituant, qui mandatis ejus Imperialibus, quibus praeceperat, ne templa aut monasteria demolirentur, tam procaciter obstrepentes derogassent. His ita peractis legati discedunt ad pandochium, equos instruunt, Moscovium Principem rogant, ducem itineris concedat, qui in Livoniam eos reducat. Caeterum dati a Moscovio Duces, per ambages ac devia legatos fraudulenter circunducunt, ita ut in patriam terram non reverterentur ante principium Quadragesimae. Interea Magnus Moscoviae Dux missa ad Livones epistola, bellum indicit. Nec multo post Epiphaniam anno 1558; trecentena millia militum conscribit, atque in Livoniam mittit, ut ferro et incidendo universam provinciam Torpatensem hostiliter vastent.

Moscovius ingentem exercitum longo tempore sustentare potest. Neque enim militibus suis stipendia largitur, sed agros exiguo illis pretio elocat, quo beneficio operam ipsorum demeretur. Conscripti autem milites coram magno principe comparent, et nummum quem vocant *ein denninck*, aestimationis unius stuferi Brabantici Principi numerant. Reversi ex bello eundem nummum repetunt. Occisorum autem numismata retinet Princeps, atque ita cognoscit interfectorum numerum. Hic igitur tam vastus et barbarus exercitus, octavo post Epiphaniam die Torpatensem dioecesin invadit, duorumque miliarium latitudine incedentes omnia vastant, diripiunt, despoliant, depraedantur, aedes, et pagos, et cuncta obvia incendio, homines et pecudes gladio sustollere, jugulare, trucidare, evertere, sursum deorsumque omnia jactare, non aetati non sexui parcere, non gemitu, non luctu



Digitized by Google

non clamore et ululatu percuntium emolliri, omnia ibi caedibus, sanguine et incendio inundare, confligere et conflagrare. Pueros infra annum decimum necant, qui intra decimum et vigesimum annum constituti, Tartaris velut mancipia venduntur: qui vigesimum superabant, universi nulla miseratione trucidantur. Greges, armenta et jumenta, quae nec assumi nec abduci in Moscoviam poterant, universa mactantur: pagos, vicos, ac domos priusquam incendio vastant, praedatoria manu despoliant, omniaque usibus suis accommoda diripiunt, ita ut ingentem frumentorum, pecorum, aliarumque rerum praedam avehereut. Quadraginta dies hanc tam immanem truculentiam barbarus ille populus exercet, universam Torpatensem provinciam misere et crudeliter foedans, diripiens ac devastans, paucis arcibus et una Torpatensi civitate exceptis, in qua quotquot erant undique nihil praeter flammam et fumum conspiciunt, luctu, clamore et ejulatu campi et sylvae reboant. Ac tantum aberat, ut Moscovii Livones restituros metuerent, ut juxta ipsam civitatem Torpatensem aedificia pene contigua succenderent.

Maxime autem Moscovius exercitus in Germanos saeviebat, quos ubi deprehendissent, misere et immaniter afflictabant. Viros brachiis truncant. Mulieribus ubera abscindunt, alios in frusta dissecant, et membra trementia, huc illucque disseminant. Crudele profecto et plusquam belluinum spectaculum. Heu cadit in quenquam tantum scelus? Igitur Moscoviis tam inhumaniter et supra omnem modum desaevientibus, et cuncta obvia depopulantibus, immensa nobilium et plebejorum multitudo in civitatem Torpatensem cum uxoribus, liberis, et quas habebant facultatulis, veluti ad asylum confugiunt: non e vicinis duntaxat pagis, sed qui ultra decem et viginti milliaria degebant, quorum omnium numerus exiguo temporis momento in tantam excrevit multitudinem, ut plateae, coemeteria, et pomoeria undique et ubique scaterent. Et cum civitas tam immensam hominum copiam ambitu suo capere non posset ultra 10 millia cum mulieribus et liberis in fossas civitatis confugiunt. Magna ibi calamitas et miseria conspicitur, inopes, nudi et inermes sub dio passim sternuntur, cum gelu, glacie, frigore et nivibus omnia horrerent, asperrima erat hyems et frigus intensissimum, ut plurimi intoleranda frigoris asperitate et horrore stupentes enecarentur. Alii fame, siti et inedia consumpti, vix ossibus haerentes, afflictam animam exhalant: Alii frigoris et inediae paulo patientiores, omni miseriarum genere cooperti, omnibusque vitae adminiculis destituti, quoad possunt aegre vitam protrahunt: sed nec tantis aerumnis ac doloribus superatis, sperato potiantur effugio. Superveniens n, Moscoviorum exercitus, in ipsas fossas, ubi infelix haec plebecula duriter et misere latitabat, praecipites ruunt, gladiis, lanceis, sagittis, omnique armorum genere eos invadunt sauciant, jugulant, confodiunt, plagis et vulneribus opplent, ibi nova calamitas, luctus clamor, ululatus, miseriae miseriis accumulantur. Oppidani tantam hostium vim ac truculentiam conspicientes, metu et formidine praesentanei discriminis anxii, nullas iis qui foris erant suppetias ferre audent, sed intra vallum et moenia se continent. Quando igitur prodire, et cominus cum hoste confligere formidant, tormentis et machinis bellicis instructis, glandes et globos tormentarios in hostes jaculantur, ita ut Moscovii tandem a civitate recederent. Igitur provincia Torpatensi funditus devastata, in ditionem Teutonici Magistri per territorium Leidense proficiscuntur, ibidemqae uti antea fecerant, universa depopulantur, ut ne tugurium quidem unum incolume permaneret. Inde in ditionem Nerviensem, Teutonici quoque magistri dominio subjectam progrediuntur, itidem omnia depraedantes et evertentes, ut res non belli, sed rapinae potius et latrocinii speciem haberet. Ingressus erat exercitus Livoniam ea parte, qua Episcopus Torpatensis arcem habet Ni enhusen, rursumque circa Qnadragesimae principium per territorium Nerviense ingentibus spoliis in Rutheniam regrediuntur, quae ab invicem plusquam quadraginta miliaribus distant. Interea per universam illam Livoniae provinciam grassantes, sedecim miliarium latitudinem peragrarunt, nihil salvum et incolume relinquentes. Prima haec fuit id temporis Moscoviorum in Livoniam irruptio; in qua nec Teutonicus Magister nec Episcoporum ullus, hostilibus illorum vastationibus, rapinis et incendiis quidquam restiterunt.

Tanta clade accepta, universi Livoniae proceres circa dominicam Oculi, in Quadragesima, in civitatem Vendensem conveniunt, quid in rebus tam deploratis consilii captandum sit, consultant. Eodem tempore Torpati ingens ac terribilis cometa conspicitur, oblongo et formidabili radio universis suspicientibus horrorem incutiens. Proceres dum consilia inter se conferunt, principio discordare, alii conscribendum milites sua-

Digitized by Google

dent, et post ferias Paschales finitima quaeque Moscoviorum, ferro incendio depopulanda, suorumque innoxium sanguinem pari crudelitate vindicandum toties barbarum illum tyrannum, fusum fugatumque a majoribus, non tantum virium aut roboris illi accessisse, quin et nunc vinci superarique possit. Alii bellicas impensas et hostis potentiam considerantes, consulunt, sexaginta aut septuaginta dalerorum millia ad Magnum Moscoviae Ducem mittenda, pacemque redimendam, injustam, emptamque pacem legitimo bello, hac tempestate praeferendam, pecuniam eam haud multis magnisve stipendiis erogandis sufficere, qua non difficulter pacem sint impetraturi. Qua sententia tandem communibus suffragiis recepta. Teutonicus Magister illico circa medium Quadragesimae veredarium ad Moscovium Principem ablegat, petens quadrimestres inducias, liberum accessum in Moscoviam pro firmanda pace. Moscovius petitas inducias, caeteraque omnia concedit. Igitur circa octavam Paschae diem Teutonicus Magister quosdam deligit qui legationem ad Moscoviae Principem obeant. Itidem Episcopus Torpatensis suos legatos adornat. Et quoniam compertum habebat Moscovium Lutheranis, propter cognitam eorum in rebus novis moliendis audaciam, plus satis infestum, destinat legationi perferendae D. Volfgangum Zager, Metropolitanae Ecclesiae Torpatensis Decanum virum antiqua pietate, doctrina, et virtute praestantem qui et novennio, publico Ecclesiastae munere perfunctus erat, priusquam D. Philippus Olmen hujus historiae spectator ad idem munus adsciscerctur. Erat strenuus Catholicae religionis vindex, et collegium cui praecrat pro sua virili pene viginti annis optime gubernarat, ita ut Lutheranae factionis sectatores eum Livoniae Papam apellitarent. Verum quinquaginta Ruthenicae ditionis miliaribus emensis, morbo correptus, vitam morte commutat. Erat praeterea duobus a Torpato miliaribus quidam equestris Ordinis vir, primae apud Livones nobilitatis, qui itidem cum familia et subditis in Catholica Religione perstabat. Hic Decano in legatione perferenda adjungitur. Legati postquam ad Magnum Moscoviae Ducem perveniunt, pecuniam paci redimendae destinatam adferentes, perturbatum infestumque Ducis animum comperiunt, nec ullam pacem, ullasve inducias impetrant. Causa haec fuit. Habebat Teutonicus Magister oppidum in Ruthenorum confinio situm, cui nomen Nervia, atque inibi arcem. Habebat quoque Moscovius Dux juxta Nerviam illam oppidum, itidem Nervia appellatum, et castro insigni munitum. Haec duo oppida adeo erant confinia, ut uno tantum fluviolo interlabente distinguerentur. Magistri civitas Germanica Nervia, Moscovii Ruthenica Nervia vocabatur. Ordinis Teutonici Magister in sua Nervia praeter quendam Ordinis Commendatorem, qui civitatis praefectum agebat, trecentos milites, et centum quinquaginta equites praesidii loco adversum Ruthenos collocarat. Rebus Ecclesiasticis tum in templo, tum in arce Lutheranum concionatorem praefecerat, Moscovius Dux in sua Nervia tria millia Ruthenorum constituerat. Ubi quadrimestrium illarum induciarum, de quibus paulo ante dictum est, unus mensis praeteriisset, et legati jam compluribus diebus in itinere fuissent, (distat enim Moscus civitas a Dorpato centum quinquaginta milliaria Germanica) contigit, ut Commendatoris ministri e turribus prospicientes, viderent ingentem Ruthenorum turbam in Ruthenica Nervia obambulantem. Illi confestim seu protervia seu largiore potu stipulante, duos colubros pulvere tormentario gravant, in Ruthenos dirigunt, et ferreas glandes in mediam turbam jaculantur. Caeteri Commendatoris ministri et milites qui in vicinis propugnaculis et turribus praesidium agebant, pactas cum Ruthenis inducias expirasse putabant, nec mora gravatis nitro instructisque tormentis, certatim eosdem Ruthenos creberrimis globis ac telis invadunt, ut plurimi eorum occumberent. Ruthenis religio erat violare inducias, eoque nullum in hostes telum extorquent, sed confestim emissarium ad Magnum Moscoviae Principem ablegant, nuntiates quam perfide, et inique Livones pactas inducias rupissent, plurimosque Ruthenorum nullo bello legitime denuntiata, praeter omnium opinionem telis et globis tormentariis hostiliter invasissent, et misere trajecissent. Hoc nuntium eodem tempore quo Livonum legati Mos cum pervenerant, ad Magnum Ducem perfertur. Legati hujus tempestatis ignari ad principem accedunt de pace tractaturi. Princeps recenti suorum clade et Livonum scelere nuntiato commotus, indignabundus exprobrat legatis, quam perfide Nervienses inducias violaverint, Ruthenos, contra jus et fas ex inopinato oppetiverint obruerint, interfecerint, impiam esse doctrinam, quam paucis ab annis susceperint, priori religione profligata, omnem illos virtutem, fidem, constantiam, pudorem simul exuisse. Minatur insuper se tam insignem perfidiam ferro et

Digitized by Google

flamma severe vindicaturum, frustra cum illis de pace tractari, quorum animus rapinis, libidinibus, omnibusque flagitiorum generibus turpissime sit delibutus. Ad suos redeant, pecuniam Magistro referant, se paulo post secuturum.

Legatis in Livoniam reversis, magnus Moscoviae Dux ingentem exercitum cum praegrandibus bombardis et machinis Nerviam Germanicam versus mittit, civitatem obsidet, armato milite et tormentis muros invadit. Octavo obsidionis die, ignem in civitatem jaculantur. Ignis nutrimentum nactus, continuo invalescens, totam per urbem grassatur, ipsasque portas comburens, hostibus ingressum patefacit. Rutheni patefacto aditu, in civitatem irruunt, omnia depopulantes, Oppidani cum auxiliariis in arcem confugiunt, sed paulo post commeatu destituti, Praefectus seu Commendator deditionem facit, hac conditione, ut ipsi cum omnibus Germanis militibus liberum abitum concedant. Hoc impetrato, castrum Ruthenis deditur. Commendator cum suis militibus omnibus, quas auferre speraverant, facultatibus exuti, dimittuntur. Cives in jus et imperium Magni Ducis concedunt, eique sacramento se obstringunt. Expugnata Nervia, Moscoviorum exercitus arces, pagos, vicos, domos ac villas undique quindecim miliarium latitudine circumjacentes diripit, et vastat. Nova ibi calamitas, nova aerumna et lamentatio exoritur, factumque ita, ut quotquot ibi agricolae Teutonico Magistro antea parebant, nunc ab eo desciscentes, in Moscovii Ducis jurisdictionem et imperium concederent. Direpto igitur et vastato Nerviensi territorio, circa natalem Baptistae Ruthenicus exercitus in provinciam Torpatensem progreditur, ac tertio, post Baptistae natalem die, primariam Episcopi Torpatensis arcem, cui nomen Nienhus, octodecim a Torpato milliaribus distantem, obsidet. Ruthenorum non pauciores erant, octoginta millibus. His adjuncta erant aenea tormenta plurima et maxima. Priusquam hujus arcis expugnationem referamus, memorabile facinus, quod olim in ea contigisse ferunt, interponemus, ut animus ab his bellicis tumultibus, caedibus et incendiis paulisper respiret. Oppugnavit olim hoc castrum magnus Moscoviae Dux, Anno 1381; cui oppugnationi ipse interat una cum trecentenis militum millibus. Ac tandem post diutinam et pertinacem obsidionem et crebras irruptiones moenia et propugnacula labefacere incoeptant, obsessi cum hostium assultum d iu sustinuissent, tandem solis viribus humanis diffisi, divini numinis clementiam et auxilium quotidianis ardentibusque votis exposcunt. Praefectus ut in bellicis rebus reliquis praestabat, ita hoc quoque in negotio caeteris ferventior erat. Igitur quadam nocte veneris diem proxime antecedente, in somnis pervigilat, ante aram quandam prosternitur, orat, ut in tam deplorato rerum statu Deus apparere dignetur, felicemque tam gravis obsidionis liberationem elargiri. Exorto sole, cum Rutheni certam jam arcis expugnationem sibi promitterent, exurgit e precibus suis praefectus, acceptoque arcu, telum ferrea acuminataque cuspide in Dei nomine in medium Ruthenorum exercitum e fenestra emittit. Favent conatibus superi, volat missile ferrum, et ipsius Moscovii principis cor transfigit. Concurrunt trepidi comites, dominumque ruentem suscipiunt. Ille manu moriens, telum trahit, ossa sed inter ferreus ad costas alto stat vulnere mucro. Rutheni magno cum ululatu Principis, et Imperatoris sui tam funestum et luctuosum casum deplorant, arreptumque funus in Moscoviam perferunt. Livones hoc mirabili memorabilique modo liberati, arcum perpetui trophaei loco in basilica, quae ibidem in castro extructa erat, ad altare suspendunt. Solebat in eo templo cultus divinus quondam magna pietate ac devotione peragi: nunc vero Lutheranis dogmatibus receptis, nullum pristinae pietatis vestigium conspiciebatur. Arcum ibidem suspensum, vidit venerandus vir D. Philippus Olmen, quondam Metropolitanae Ecclesiae Torpatensis stipendiarius Canonicus, nunc Ecclesiastes Ressensis.

Teutonicus Magister cognita arcis Nienhusen obsidione, duo Germanorum equitum millia adducit, et una cum Episcopo Torpatensi qui trecentos habebat equites (equester n. ordo Ruthenica depopulatione opibus fortunisque omnibus exutus erat) obsessis auxilia ferre meditatur. Ubi sex adhuc miliaribus a Ruthenico exercitu abessent, prope castrum Episcopi Torpatensis cui nomen Kieriepe, sua tentoria figunt, ibidemque ad dies viginti quatuor morantes, omne tempus quieti et luxuriae concedunt. Obsessi cum praeter paucos accolas qui in arcem confluxerant, et sexaginta praesidiarios milites, nulla haberent auxilia, diutina obsidione fatigati, nullaque suppetiarum spe affulgente, et rebus accisis deditionem faciunt, ea conditione ut ipsi cum femineo comitatu securi abscedant. Caeterum duo miliaria progressi, in aliud Ru-

Digitized by Google

thenorum agmen incidunt, qui raptis virginibus et feminis, illos nudos, omnique argento spoliatos dimittunt Teutonicus Magister deditionem factam intelligens, ira simul ac dolore exacerbatus, Castrum Episcopi Torpatensis, Kieriepe igne succendit. Praeclarum hoc fuisset et gloria dignum, si facinus illud in hostem designasset. Expugnata igitur arce Nyenhusen, et praesidio munita, Dux exercitus Ruthenici cum universo agmine ad Teutonicum Magistrum pergit, praelium cum eo committere constituens. Magister re intellecta, ocius fuga arrepta desertoque Episcopo, a Torpatensi provincia pene ad viginti quinque milliaria secedit.

Rutheni equites numero triginta millia pergunt in Torpatensem provinciam, obvios quosque Germanos trucidant, alios plebeji ordinis homines, quotquot parati erant, magno Moscoviae Duci subjici, illi parere et jurejurando obstringi, hos in gratiam recipiunt. Imperator Ruthenorum, quoniam ipse bello non intererat, praefecerat exercitui Ducem quendam Moscovium, cui nomen Petro Sisegaleider, a septem Triremibus Galeaceis, quibus in mari praefuerat, et piraticam exercuerat, ita appellatus. Hic cum universo exercitu, videlicet quatuor agminibus Ruthenorum seu Moscoviorum, uno Tartarorum, quorum erant triginta millia, et altero tormentariorum seu scolopetariorum qui duodecim millia constituebant, machinis quoque et tormentis aereis praegrandibus, tanto inquam, cum exercitu, ad obsidendum Torpatum progreditur. Interea quosdam Germanos deprehendens, viros brachiis truncat, feminis ubera et nares abscindit, hos tam misere et crudeliter deformatos, Torpatum praemittit, denuntiat ut civitatem dedant, in Moscovii Principis imperium concedant, ni faciant, omnes eadem et graviori poena plectendos. Ruthenicus exercitus sex miliaribus a Torpato castrametatur. Universus militum numerus, ut ferebatur, trecentena millia constituebat. Cives Torpatenses et reliqui equestris Ordinis cognita obsidione, Cathedralem Ecclesiam claudunt, praecipientes ne quisquam Missae sacrum in ea peragat, praevaricantibus extremum supplicium interminantur. Ingens sane et horrenda populi caecitas, dicam ne an impietas in tam praesentaneo discrimine, rebus ita nutantibus hostico exercitu muris imminente, nec ulla humana ope ullam salutis spem promittente, divina praesidia tam profane aspernari, ridere et execrari.

Interea dum hostes sex miliarium intervallo castra metantur, quotidie sex aut septem Ruthenorum vexilla ad urbem emicant. Cancellarius Torpatensis, cum quibusdam consiliariis et nobilibus. Episcopum accedunt, simulant se urbe egressuros, et cominus cum hoste conflicturos. Illi portis emissi, deserto Episcopo, derelicta civitate, perfidi et profugi Rigam omni celeritate se recipiunt. Eam patriae, parentibus, amicis, concivibus, aris et focis fidem praestare, ex Lutherana fide didicerant. Civium quoque bona pars, opes et merces suas Rigam et Rivaliam miserant, et paulatim ex urbe secesserant. Morbo etiam a Pascha ad Pentecosten grassante, plurimi sublati erant, ut pauci admodum, qui urbem defensitarent, superessent. Hi erant Cathedralis Ecclesiae Canonici et Sacerdotes, cum Episcopo et paucis nobilibus, et plerisque qui in Catholica religione perseverantes intra immunitatem (ut vocant) Ecclesiae Cathedralis habitabant: neque enim senatus aut cives ullum in civitate tolerabant, qui religionem Catholicam non abjurabat. Septima mensis Julii Centurio quidam Groningensis cum sexaginta militibus Torpatum venit, ab Episcopo in praesidium suscipitur, inde ex opificibus et plebejis adhuc centum alleguntur. Undecimo Julii Ruthenicus exercitus, Torpatum ad obsidendam urbem pergit. Tunc omnium Torpatensium animos ingeus metus et formido invadit, ut quid inceptare, quid moliri deberent, dubii, anxii et trepidi rerum, haud satis definire possent. Canonici assumpto Duce Groningensi et plerisque nobilibus, in civitatem ad forum descendunt, hortantur et obsecrant cives, ut resumptis animis viriliter hostium impetum sustineant, se, uxores, liberos, et patriam, adversus haereditarium Christiani nominis hostem fortiter et fideliter tutentur, facile hostes posse propulsari, si unanimes, concordibus animis et armis, pro aris et focis dimicent. Ad haec Consul. Si Episcopus Hermannus et Canonici Romano Pontifici renuncient, Papisticas superstitiones aboleant, et Lutheranum Evangelium amplectantur, velle ipsos civitatem serio et viriliter tueri. Respondent Canonici, grave hoc et exitiosum tum sibi, tum ipsis futurum, quandoquidem animadvertant post assumptam Lutheri doctrinam omnia illis adversa fuisse nunquam tantam a Moscovio cladem accepisse, quantam post religionis murationem pertulerint. Tandem Satrapa pronunciat, ut quilibet sua in fide ac religione permaneat, nunc non de fide, sed pro patria, parentibus et liberis decertandum.

Digitized by Google

Illud consilium cum omnibus probaretur, sacramentum praestant, nunquam se Ruthenis urbem dedituros, sed ad extremum usque halitum pro communi omnium salute fortiter dimicaturos. Confestim tres civitatis portas muro obstruunt, aenea tormenta in turribus et propugnaculis collocant, ipsi undiquaque in moenibus et speculis praesidia et excubias agitare. Undecima Julii die, quae in feriam secundam incidit, mane ante solis exortum, speculatores universum Moscoviorum et Tartarorum agmen urbem obsidere comperiunt. Castra ante portam S. Andreae ad Orientem fecerant, eaque vallo munierant. Densissimae erant ea nocte tenebrae, ac tametsi sol tertia hora matutina exoriretur, tamen propter nebulam mire spissam parum aut nihil prospici poterat. Torpatenses obsidione cognita, aeneas glandes et tormentarios globos ea parte, qua strepitum audiebant, ejaculantur, sed neque in quenquam collimare, aut quid proficerent, scire dabatur. Sclopetarii seu sagittarii sexaginta quotidie bis ex urbe emicant, et levi pugna Ruthenos adoriuntur: sed quoniam rari erant, parum efficiebant. Nebulae densitas per Lunae, et Martis, et Mercurii diem continenter durabat, ut vix paucis passibus prospicerent, certoque pateret, obsidionem illam a Deo ex certo vindicandi proposito permissam. Mercurii die equites Torpatenses omnes, hi erant circiter sexaginta, denuo ad Ruthenos procedunt et levi praelio confligunt, multos aeneis et plumbeis glandibus trajiciunt. Speculatores quoque, et qui in turribus praesidium agebant, tormentarios globos in Ruthenicum agmen juculantur, tanta vi et copia, ut velut flammis et incendio civitas septa videretur. Equites quum ad horas duas acriter cum Ruthenis dimicassent, et hostibus undique accurrentibus, nimis essent impares, in urbem se recipiunt, uno duntaxat suorum amisso, equis vero, sagittis ac telis Ruthenicis graviter vulneratis. Ferebatur tunc in urbe aliquot Moscoviorum millia gravioribus tormentis interfecta: conspiciebantur quoque passim equi dejectis sessoribus circumquaque procurrentes. Feria quinta Moscovii machinas ac tormenta sua instruunt, non tamen in moenia ipsa dirigunt, sed in altum levant, ut globi (quos vix duo lecti viri elevassent) in aedium tecta prociderent, quorum pondere parietes, tecta ac ligna collisa ac diruta, pueros, feminas, passimque omnes inquilinos repente praeter expectationem opprimebant. Tantus erat ea die ac nocte intus et foris bellicarum machinarum fragor ac sonitus, ut vix alter alterius sermonem exaudiret.

Ruteni proxima nocte, quae Veneris diem antecedebat, ad portam D. Andreae fossam ingentem sub moenibus fodiunt, et sex vasa pulveris tormentarii substituunt, ut vi pulveris eam moeniorum partem disrumperent et subverterent. Sequenti die circa horam nonam matutinam denuo Rutheni terribili tormentorum fragore oppidanos invadunt. Feminae tum natura, tum praesentaneo discrimine pavidae, luctu, lacrimis, et ejulatu omnia complent. Quam tam miserabilem miseriam consules undique conspicientes, ad cathedralem Ecclesiam ascendunt, deploratum civitatis statum Episcopo exponunt, deditionem se facturos ajunt, quoniam tantam suorum calamitatem, luctum et aerumnam ulterius coram videre ac sustinere nullo modo queant. Episcopus monet, ut meminerint deditionem sempiternae ipsis turpitudini et ignominiae futuram, deinde perspectam illos habere Moscoviorum et barbariem et tyrannidem, fidemque ac religionem in Deum ac divos blasphemam, tum ab universa Ecclesia totoque terrarum orbe dissentaneam. Expendant, ne pecudes quidem a Christianis tam immaniter tractari, ut homines e Moscoviis. Considerent quantam truculentiam et plusquam ferinam barbariem in virgines et feminas Christianas exercuerint. Eadem et graviora, fortassis ipsis imminere, si sponte tam crudelis domini jugum intolerabile subeant. In hanc sententiam cum ad perseverantiam hortaretur Episcopus, nihilo secius pertinaciter deditionem urget senatus, quo factum ut ingens dissensio in urbe exoriretur. Nec multo post eodem die circa horam duodecimam legatum ad Moscovii exercitus Ducem mittunt, supplices rogant, ut ab obsidione desistat, paratos se fore, si vitam et facultates salvas ipsis promittat, Pontifici et imperio Romano renunciare, et praestito sacramento in jus et imperium magni Moscoviae Ducis concedere, ac deditionem facere. Exercitus Ruthenici Dux accepta legatione, certam pacem illis repromittit, si propositas conditiones inire velint. Hoc responso solide gavisus Senatus, duos ex Senatoribus ad Ducem ablegat, qui omnium nomine jusjurandum praestent. Ea fama ubi per urbem divulgatur, ingens tumultus et seditio exoritur. Militum praefectus cum sua cohorte, et cathedralibus canonicis, reliquisque catholicis, nullo pacto ad sacramentum Moscovio Principi praestandum induci sustinent, sed nec deditionem

Digitized by Google

facere, verum armis, vita, et sanguine avitam religionem, libertatem, et patriam vindicare parati sunt, impiamque et nefariam Senatus defectionem graviter redarguunt, qui nuper a Catholicismo ad Lutheranismum, a Lutheranismo ad Moscoviticam barbariem et atheismum perfide et nefarie desciverit: salva esse adhuc moenia, commeatum praelargum ac sufficientem, praesidiarios tametsi non ita multos, tot tamen ac tales, qui et urbem protegere ac defensitare possint, eaque fortitudine animique praestantia praeditos, ut vitam prius et spiritum, quam urbem et libertatem amittere velint. Senatus nihil a proposite declinans, et fidem et religionem cunctaque vitae posthabenda arbitratur. Atque ut culpae ac defectionis socium haberet, Episcopum cujus inconstantiam expleratam hebebat, accedit, ipsumque ad arcis cujusdam et abbatiae Valkena deditionem inducit. Milites, qui centum sexaginta erant, et quadraginta cathedralis Ecclesiae Cantores et Canonici, hac defectione nequidquam a pristina constantia dimoventur, sed mutuam fidem ac tutelam invicem stipulantur et promittunt, sanguinem prius profundere, quam patriam prodere avitamque religionem abjurare, statuunt. Haec feria sexta contingebant. Postero die Moscovii exercitus Dux, cognita oppidanorum dissensione, ut urbe potirentur, et obsidionem conficeret, nunciat obsessis, neminem se coacturum, ut abnegato imperio Romano, in magni Moscoviae Ducis jus et imperium sese dedat. Urbe se vel volentibus, vel invitis oppidanis omnino potiri velle. Qui Moscovio Duci sese dedere, jusjurandum praestare detractent, illis liberum fore, ut per universum Ruthenorum exercitum secure in Germaniam secedent. Qui vero parati sint in Moscovii Principis imperium concedere, illis vitam et facultates salvas fore. Caeteris qui neutrum horum faciant, extrema minatur. Ad sequentem Lunae diem circa 7 matutinam portas apertas fore, interea deliberent, et quid facturi sint, constituant. Milites praesidiarii cum cathedralibus nihilo secius armati, duas subsequentes noctes pervigiles ducunt, quandoquidem et senatum cum civibus, et Moscovios adversos habebant. Interea plerique nobiles, cives, et feminae catholicismi reliquis paulo abservantiores, ad cathedrales concedunt, et voluntarium exilium una cum ipsis eligunt, atque ita numerus secedentium excrevit in 200 armatos, et 200 feminas ac virgines. Die Lunae portis ad apertis, egrediuntur Catholici, quos Ruthenici exercitus Dux per universum agmen juxta datam fidem dimittit. Ingens ibi luctus et ejulatus exoritur, maritus ab uxore divellitur, fratrem soror deserit liberi a parentibus, cognati a propinquis secedunt. Alii senio, morbo, alio ve incommodo gravati, tam longinquum, ignotum, plenumque discriminis iter suscipere nequeunt, alii bonorum facultatumque appetentiores, Pontifici et Imperio Romano renunciant, et Moscovii Principis jugum subeunt. Catholici urbe, patria, ac profugi, omnibus derelictis, plurimae etiam matres prolibus onustae Rivaliam contendunt. Dum per Ruthenicum exercitum gradiuntur, Tartari quorum erant triginta millia, Livones invadere parant, eos in praedam sibi datos asserentes, arcus instruunt, et novo eos ipsperatoque praelio appetere instituunt. Femineus coetus praesentaneum periculum conspiciens, protinus in clamorem et ejulatum, ut fit, solvitur. Caeterum Deus mirifice eos tutatur. Clarum erat et serenum coelum, nec a viginti diebus plucrat, nec octiduo post pluebat. Nihilo secius tanta serenitate, ingens ac formidabile tonitru in medium Tartarorum agmen quinquies immittitur, tanto fragore ac sonitu, ut terra commoveretur. Tartari quoque instar pulveris, huc illucque dispergebantur. Nec multo post Moscovii exercitus Dux lituo quem gerebat, designat, ut libere dimittant Livones, indicat praeterea per interpretem, deducendos eos secure per media castra et universum exercitum ingentemque equitum cohortem ipsis adjungit, quo securius evadant. In ipso progressu plerique ob aestus vehementiam, et pulveris, quem equitatus illi concitabat, densitatem, languidi emortui miserabiliter concidebant. Moscovii agminis Dux praesens huic ductui cum aliquot equitum millibus intererat, vinctumque habebat Episcopum, quem ad abbatiam Valkenadensem ducebat, ibidemque carceri mancipabat. Eo ubi ventum, dimittit Livones. Illi paululum progressi novi discriminis, triste nuncium accipiunt. Monentur enim ab agricolis, latere a duobus milliaribus octo Tartarorum millia, quibus Livones universi praedae ac direptioni dediti sint, vitae quoque ac necis potestatem in ipsos habeant. Idem secreto promonuerant eos quidam Torpatensium, qui praestito jurejurando in Moscovii Ducis imperium concesserant. Livones principio conflictum meditantur postea re penitius considerata, duos agricolas conducunt, qui eos ambitu quodam per nemorosa et palustria loca, quo Tartarorum equitatus penetrare nequibat,

Digitized by Google

triduo circunducunt, inde post quintiduum Rivaliam perveniunt, ubi singuli navibus conscensis, salutem ac prosperitatem sibi invicem precantes, quo animus, voluntas, et consilium ferebat, contendunt.

## BREVIS, PERSPICUA, ET VERA NARRATIO

### PRAELII COMMISSI INTER MOSCOVITAS ET LITHUANOS, ANNO 1564, 26 JANUARII.

Occasio belli inter Regem Poloniae, magnumque Moscoviae Ducem, inde originem traxit, quod Rex Poloniae afflicte Lithuaniae contra crudelitatem Ducis Moscoviae opem tulerit. Bellum primus indixit Dux Moscoviae quo facto, variis in locis utrinque copiae collectae fuere. Proinde Duci Moscoviae locum conveniendi militibus Polotskae indicere placuit. Erat ibidem praefectus vulgo dictus Svirski, Duci Moscoviae propter suam in bellis gerendis felicitatem, peculiaremque industriam carissimus, ut qui antea omnem cladem Livoniae intulerat. Hic a Principe Moscovitarum totius belli supremus Ductor declaratus erat, qua de causa omnes passim conscriptae copiae Polotskam mittebantur ut hujus auspiciis militarent: iisdem quoque temporibus Lithuani habitantes in finibus Moscoviae, et qui Regi Poloniae parent suum exercitum, die quinta instaurant, Polonorumque copias subsidiarias expectant. Caeterum cum jam Polotskae congregati essent non pauci Moscovitae, Ductori exercitus Moscovitici proficiscendi tempus visum est. Itaque Januarii 23 collectis suis in unum copiis ad arcem dominae Palatinae Vitebski pergere coepit. Ab hac septem miliaribus situm est oppidum, quod Loikovinia dicitur, ubi a Lithuanis conscriptus exercitus Polonorum adventum praestolabatur. Hujus exercitus salutatus erat Imperator generosus admodum vir Nicolaus Radzivil Palatinus de Trocka: qui ubi intellexit, Moscovitas ad illam cujus supra mentionem fecimus, dominae arcem iter habere, copias suas celeriter eo ducit, hostisque consilium nititur impedire. Arci adjacet lata planicies, qualem ad praelium committendum peritus rei militaris Dux requireret: hujus aequiorem partem praeoccuparant Moscovitae, ita tamen ut adversariis satis ad instruendam aciem spacii relictum fuerit. In hac planicie uterque exercitus 26 Januarii consedit. Et quamvis Lithuani posterius eam relicta silva adierint, tamen ipsis a Moscovitis tantum temporis concessum est, ut et aciem instruere, et omnia prius quam confligerent necessaria disponere, potuerint. Erant autem in exercitu Moscovitico 20,000 millia selectissimorum militum, ex quibus non pauci sclopettis instructi conspiciebantur: Lithuanorum contra exercitus ut numero hosti impar, ita tormentis omnino fere destitutus erat. Copiis utrinque in loco patenti sic ordinatis invocato prius (pro consuetudine) illius, qui exercituum Deus est auxilio, magnis animis praelium inchoatum est. Quantaque animi alacritate primum hostium impetum exceperint Moscovii, abunde Lithuanorum vulneratorum testatur numerus, attamen nihil remittens collectis viribus primum Moscoviorum aciem, admirabili virtute ac dexteritate, et quasi Herculeo robore dissiparunt: quod cernentes reliqui omnem victoriae spem dejicientes in fugam non secus ac fulmine acti conjiciuntur: hos Lithuani vehementi pugnae ardore atque ira accensi, multumque tam felici exordio confirmati ad quintum usque milliare fugientes pertinacissime persecuti sunt ita ut in finitis cadaveribus omne illud itineris spacium opertum stratumque appareret, siquidem paulo plus minus 9,000 virorum tum fuga tum gladio cecidisse creduntur. Inter cadavera autem repertus est Imperatoris Moscovitici gladius et pharetra, quae postea ad Palatinum Radzivil non sine ipsius jussu delata sunt: ipse quoque Dux Svirski cui caput sclopetti globulo transfixum erat mortuus in puteo inventus. Hujus etiam collega Plie Zejare, pluresque alii nobiles et primates viri, summae in aula Moscovitarum auctoritatis victoriam hanc sua captivitate illustrarunt. His adde quinquies mille currus, cibis, vestibus, pellibus, scyphis et poculis argenteis nec non armis, et omnis generis instrumentis bellicis onustos, qui a fugientibus relicti, Lithuanis in praedam cesserunt, singulosque quasi divinitus coronatos ob egregiam, omnique memoria, laude ac praedicatione dignissimam hoc in praelio exhibitam fortitudinem ditarunt. Illud autem admiratione dignissimum ac non sine peculiari Dei Optimi Maximique auxilio contigisse fatendum est, non plures viginti ex Lithuanis periisse: ex cohorte tamen Principis de Solomar ultra sexcentos vulneratos fuisse constat. Moscovitis longe aliter hoc praelium cessit. Nam praeterquam quod magna suorum parte caesa miserabilem ac infelicem eum diem habuerint, funestum etiam cum plurimum no-

Digitized by Google

bilium casus adversus reddidit. Siquidem de cohorte prima Ivan Vasiolovicz Sirmetziere, de magna cohorte Princeps Pioter Ivanovicz. Svirski Polotskae praefectus, de sexta cohorte Princeps Simon Demitrovicz Polvitzki occisi fuere. Capti Zacharias Ivanovicz. Plies Zurziot, Princeps Ivan Petrovitz Ochliabin, Vojama Schomin Reezavski, Michita Bondarsv. Princeps Fiedor Ivanovicz Tadiev ab eo tempore apparere destitit. Unus Simon Vassilovicz Iakavlev sibi fuga consuluit. Ex his patet, Ducem Moscoviae praestantissimos suos Duces praefectosque militares hoc conflictu amisisse. Et hoc nomine magis praedicanda Lithuanorum solertia et fortitudo, quod propriis freti viribus absque Polonorum auxiliis hostem tam potentem primo ipso congressu tantopere debilitarint, meritoque Nicolaus Radzivil cum filio Christophoro propter strenuam hoc in praelio navatam operam aeternam nominis sui gloriam adeptus est, quod ejus virtute tanquam singulari instrumento Deus gloriosissimus Moscoviticam superbiam punire dignatus sit. Brevis haec et succinta praelii narratio sumpta est ex literis, quae postridie post commissam pugnam Regi Poloniae agenti Varsoviae sunt, quae cum tanta affecere laetitia, ut relicta adversa, qua laborabat valetudine pristinae sanitati restitutus videretur, ita gaudium de re bene gesta animo conceptum, dolores corporis superabat. Ne igitur indignus tanta felicitate judicari posset pro innata sua erga Deum Optimum Maximum pietate publicas illi gratias agi, ac maxima cum devotione totius Varsoviensis Ecclesiae hymnum longe celeberrimum ac nobilissimum Christiano more cantari curavit: Te Deum laudamus. Omnibus profecto victoribus egregium, semperque animo agitandum exemplar, ex quo discant, non sibi, sed Deo omnipotenti victorias asscribere.

## DE SECUNDA MOSCOVITARUM CLADE ET FUGA.

Commisso, ut diximus Ulensi praelio, Lithuani Descham profecti sunt, illic Polonos expectaturi. Eo cum die 7 Februarii venissent, statim illis innotuit non procul illinc sexaginta millia Moscovitarum castra habere. Mittitur igitur a Nicolao Radzivil magister quidam equitum, cui nomen erat Phila, cum quadringentis equitibus, ut de hostibus et eorum castris exploraret. Dum haec Phila peragit, alias a suo Imperatore literas accipit, quibus jubetur, hosti insultare, maledicere, atque ils, quibus solet fieri modis, ad pugnam illicere, et irritato non resistere, sed fugam simulando avidius sequentem a suis avellere atque hoc modo sociis occidendum tradere, sperans hanc optimam novi praelii occasionem futuram. Verum Duci ex votis res non successit, siquidem nuncio in itinere intercepto literis lectis hostibus consilium innotuit: qui foedo perculsi timore, non longe habita deliberatione, currus quorum 7,000 fuere subjectis ignibus accendunt, seseque in fugam conjiciunt,

Dum haec gererentur, erant in itinere Lithuani, vixque duorum miliariorum spacio ab eis distabant, cum exorientes flammas conspicerent: quo cognito accelerant, et ex curribus septingentos a flammis vindicant. Moscovitae interim pernicissime fugiebant, ita ut majora itinera fugiendo, quam Lithuani sequendo conficerent: extremi tamen agminis aliquos, minusque in fugiendo celeres aut ceperunt, aut occiderunt. Inter captivos 30 Tartari esse referuntur. Caeterum in via a fugientibus Moscovitis relicti tot gladii, pharetrae, arcus, sagittae, lanceae et tormenta manuaria, aliaeque res plurimae, ut in sequentibus impedimento essent. Fuit tanta fugientis hostis velocitas, ut unius diei naturalis spacio plura ultra Borysthenem milliaria absolverit, et Smolenscam usque pervenerit. Redeuntibus autem Lithuanis obvius, fit vir magni inter Moscovios nominis cum regiis ad exercitum literis. Hic visis Lithuanis literas in minutissimas particulas decerpit fugamque cum quatuor sibi adjunctis equitibus capessit, hoc modo Lithuani hostem secunda vice profligarunt. Moscovita autem ubi haec cognovit animo anxius, quo Lithuanos ab ingressu suae regionis prohiberet, oppida et pago, ac cuncta, quae septem milliarium circuitu complectebantur, flammis absumit. Quo tamen nihil obstante, non procul a Smolensca esse feruntur. Faxit ille cui vincere facile est, ut justior pars felicem referat de hostibus victoriam, et contempto inimicorum insano furore Ecclesia longa, felicique pace laetetur.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# X.

# JACOBI ULFELDII

## LEGATIO MOSCOVITICA

SIVE

## HODOEPORICON RUTHENICUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

# X.

# JACOBI ULFELDII

## LEGATIO MOSCOVITICA

## SIVE

# HODOEPORICON RUTHENICUM.

---

## HODOEPORICON RUTHENICUM.

NEMINI dubium esse arbitror antiquis temporibus praesertim tempore piissimi regis Christiani piae memoriae nostri Regis patris dilectissimi familiaritatem confoederationemque; inter Daniam et Russiam fuisse, treugisque duo haec regna ita copulata, ut utrarumque regionum incolis liberum fuerit in alterius provinciis mercaturas contractusque exercere, domusque iis destinatas Hafniae Ruthenos habuisse proprias, sicut et Danos Narvae, imo quo in loco voluerint, sine ullo periculo diverti.

Hanc confoederationem animo considerans Rex Fridericus hujus nominis II. minus inconsultum esse existimabat, antecessorum suorum praesertim patris sui carissimi exemplum imitari, statimque in principio postquam regio diademate coronatus esset, per legatos suos nempe Hilarium *Hardenberch* aulae magistrum, Johannem *Ulstandt* Marschallum et Jacobum *Brochenhaussen* non tantum antiqua foedera sancire, sed etiam novis treugis familiaritatem ac mutuam correspondentiam renovare, sed non in illum finem ut essent ulli Chrstiano principi in praejudicium, vel ut ita sese cum Rutheno conjungeret quo illi opem adversus hostes ferret. sed potius ut horum principum regna per hujusmodi foedera in tranquillo statu vigerent.

Durarunt autem illa foedera usque in annum 1575 quo propter Regis et magni Ducis Moscoviae praefectorum Livoniensium controversiam quaedam confoederationi minus convenientia incidebant, sic ut per magnum Ducem Regi 3 arces, *Hapsel*, *Lehall* et *Loden*, in Livonia sint ademptae, quamvis prius per literas Regem de iis sibi comparandis semel vel bis solicitaverat, quoniam ex tabulis foederum Regi eas possidere esset liberum.

Haec injuria contra fidem datam ipsi illata, cum non sine caede et sanguine subditorumque interritu posset placari, nisi novis foederibus rationi consentaneis, renovatis stabilitisque: placuit Regi omnia prius verbis quam armis experiri, sicut decet sapientem, (ut inquit Terentius) ne subditi exactionibus, bellis aliisque calamitatibus gravarentur, neve sanguis innocens effunderetur, magis considerans subditorum tranquillitatem quam justam vindictae cupiditatem.

Erat haec praecipua hujus legationis causa primumque quod me indicaturum promiserim, jam restat, ut significem personas huic legationi destinatas, quibus hoc negocium sit commissum idque Gregorio *Ulstandt* de *Estrop*, Arnoldo *Ugerup* de *Urup*, Paulo *Wernicken* Secretario et mihi: et ut majorem gravitatem

Digitized by Google

praeseferret, adjuncti sunt nobis nobiles 6, quorum opera in eo uteremur, inter quos primum locum obtinuit Joannes *Wenstermand*, de *Olstrup*, cujus fidei pecuniarium negotium est commissum, is enim quaestorem nostrum egit: secundus ab illo erat Steno *Malzen* quem Marschallum cognovimus, tertius Henningus *Falster*, qui curam culinae egit, quartus Georgius Swavenius, qui poculis praefuit: aderant et Daniel *Hoecken*, et Georgius *Muncke*. Hi omnes cum servis et famulis iter nobiscum susceperunt, eramusque numero 100, praeter tubicines 3, fidicines totidem. Solutis igitur anchoris vela ventis dedimus ipso die Veneris, qui feriis Ascensionis domini erat proximus, nonusque mensis maji: Dragorque relicto ventis nobis aspirantibus ad insulam Bornholmum navibus tribus et sex triremibus nos contulimus, eoque postridie pervenimus, ab Hafnia remotam 25 miliaribus maritimis, fixis ibi anchoris per noctem sumus commorati: Altero die summo mane, cum viderentur votis respondere venti, rursus velam altum direximus Gothlandiamque contendimus.

Inter navigandum vero in opinatus sese nobis offert Aquilo ventus omnino contrarius impediens nobis transitum, quare postquam per horas aliquot, nunc hunc illuc prout contrariae concesserunt undae, divagati essemus, tandem Bornholmum, unde venimus, classe rursus appellere coacti sumus. Sed audi quid periculi interea temporis inciderit. Coelum satis serenum in oculi nictu usque adeo nebulis obscuratum est, ut ex navibus 8 nobis admodum propinquis nec maximum nedum minimum conspexerimus, unde factum est ut ex triremibus nomine Abraham de improviso propter nubium densitatem prora sua rostrum nostrae navis tanto cum impetu attigerit, ut fere undis fuisset intercepta, amissa dextra illa parte navis quae nobis erat prior supra undas, destructisque velis anterioribus *Fuckmast*, sicut et *Mysaner*: quae postea omnia magno cum labore Bornholmi sunt instaurata. Nec nos sine periculo evasimus, amittentes partem prorae nostrae cum maximo navis detrimento: nam postea ubique dabatur aquae per rimas ex illa collisione aditus, ut plus solitu noctes diesque sentinam exhaurire ad humiditatem repellere coacti simus.

His transactis, Bornholmum (ut dictum est) ipsa nocte pervenimus, et cum nebulae praedictae totum coelum obumbrassent non potuimus rupes in conspectu habere fixis igitur anchoris in aperto mari haesimus. Emicante vero aurora, coeloque sereniore existente nebulisque evanescentibus, cum putaremus integrum miliaris spatium vel ultra inter nos et insulam fuisse, delituimus penes rupes magno cum periculo, ad quos si proprius appulissemus, actum fuisset de navibus. Quare agendae sunt Deo omnipotenti gratiae permaximae, qui nos liberavit de periculis hisce maritimis.

20 Die Mensis ejusdem aurora nobis favente itineri navali nos rursum accinximus, ac 25 die qui Trinitati asscribitur, postquam miliaria 110, maritimo itinere absolvissemus, Oesiliam appulimus divina concedente gratia: alteroque die relictis navibus terram ingredientes Livonienses salutavimus, ubi circa castellum Arnsburgum in suburbio *Hagdwerck* pernoctantes in diem mensis 30 commorati sumus, conspeximusque maximas hominum calamitates, famem tam arduam, ut viderimus eos panibus ex furfure, foeno et stramine pistis vesci, sicut et aliis in locis multis in itinere gramine ex pratis et pascuis.

Relicto Arnsburgo praedicto die miliaria 3 absolvimus, pernoctavimusque in Curia *Toels:* inde postridie Sonneburgum 5 absolutis miliaribus.

1 Die mensis Junii trajecimus mare *Monsund* pervenimusque ad curiam regiam *Mongard:* ubi illa nocte sub die delirescere cepimus, erat namque a Ruthenis et Suecis devastata et combusta.

2 Die trajecimus alterum mare, *Monsund* magnum cognominatum, (in quo navis nostra non absque periculo in rupem incognitam incidit, ut nisi cymba quadam, quae nobis aderat, portum quaesieramus, actum fortasse de nobis fuisset, tanto enim cum impetu rupem attigit, ut per duarum triumve horarum spatia, nautarum ope vix liberari, atque in locum navigationi convenientem, reduci potuerit) pervenimusque in *Wigk* per distantiam duorum miliarium ab insula *Moen*, ubi Ruthenis a sumus excepti, qui nos certiores reddiderunt, Suecos in propinquo cum copiis suis esse, quare nos tuto Pernoviam pervenire non posse ajebant, antequam alio sese conferrent, erant enim Ruthenis eo tempore vires plus satis tenues, quo minus iis resistere possent, ibi commorabamur per triduum omni nocte sub coelo aperto cubantes, et cum edulii nihil nobis allatum sit praeter oves 3 jumentum 1 et pullos 2 nihil-

Digitized by Google

que liquoris, coacti sunt nostri famuli aqua se ab excruciante siti vindicare, navem ergo ascendimus volentes navigio Pernoviam appellere, sed cum per horas tres quatuorve frustra undis aestuantibus molesti fuissemus, tandem ventorum saevitia repulsi portum relictum resalutare coacti sumus, ibique illa nocte circa castellum ante aliquot annos destructum *Werder* nominatum quiescere.

Altero die, qui erat 5 Junii sumus curribus et equis 5. miliaria ad locum inter Pernoviam et *Werder* interjectum concomitantibus 40. equitibus et sclopetariis quibusdam.

6. Die Pernoviam attigimus, absolutis 5. miliaribus aliis, ubi sperabamus habituros nos hospitem convententem, qui rationem nostri aliqualem haberet, domosque adepturos, in quibus aliquo modo vires ex nocturnis vigiliis prostratas, reficere recolligereque possemus: sed frustrati spe, cum eo perventum est, obviam nobis venerunt duo Praestablii (qui viae comites nobis essent, et necessaria procurarent) prohibentes ne civitatem ingrederemur collocatis ante portas sagittariis quam plurimus, quo minus nobis daretur aditus: commonstrataeque sunt nobis domus in suburbio, ad quas diverteremur: cumque hospitem ego meum vix salutassem, incensum est meum conclave, totumque in temporis momento combustum, ut vix ipse evaserim, combustis vestibus quibusdam, mucrone, lancea et rebus aliis et nisi bona nostra fuissent in navibus relicta actum fuisset de iis omnibus.

Ubi hoc vidimus, coepimus deliberare, quo in loco pedem tuto figeremus et post longas deliberationes statuimus naves conscendere, donec adessent jumenta perducentia nos ulterius: sed hoc nobis est denegatum, imo a sagittariis in maris littore collocatis prohibitum, ne ea, quae voluimus perficeremus, quare nolentes volentes castrametati sumus in planicie extra urbem in diem tertium.

Ibi experti sumus rumores de Suecis ad nos prius delatos certiores fuisse: fuerant namque exigua cum copia istis diebus in suburbio, ubi a Ruthenis ex urbe in illos eruptionem facientibus, leviori bello cum iis pugnatum est, non parvo cum horum detrimento caesi enim sunt a Suecis Rutheni 80.

9. Die discessimus comitantibus 100. sagittariis et 20. equitibus, et miliare absolvimus pernoctantes in campo more solito.

Postero die 10. Junii 7. miliaria confecimus, delitescentes sub frondibus et arboribus.

11. Die Velinum pervenimus, oppidum 7. miliaribus remotum a loco praescripto: in via excepti sumus a Ruthenis cum 100. Sclopetariis et nonnullis equitibus.

Et cum in civitatem non intromitteremur, pedes figentes in planicie extra muros diebus octonis ibi sumus commorati, quia nec equos nec currus habere potuimus, quamvis indies nos lactarunt vana spe, facientes nobis spem profectionis: omnia tamen quae promisserunt veritati minus fuerunt consona.

Hic nec ignorandum nec praetereundum censeo, quod permultae Livonienses mulierculae infantes ulnis suis ad nostrum pastorem gestarint, cupientes illos sacri baptismatis ablutione mundari, quod etiam accidit: baptisati enim sunt illo tempore quo ibi commorati sumus, a nostro pastore ultra 55. quorum quidam bimatum excesserant, hi forte si non advenissemus privati fuissent sacramento baptismatis sacro.

Ex horum hominum calamitatibus discamus nos gratias agere omnipotenti Deo pro sua in nos caritate, quod nostris regnis concesserit verbum suum purum inviolatumque: Sacramentis quoque baptismo et coena domini nostras Ecclesias condecorarit, quibus miseri Livonienses destituuntur propter scelera olim perpetrata: toto igitur corde optandum nobis erit, ut semper maneat nobiscum Spiritus sanctus, illustrans corda nostra ne contemptui habeamus sacrum illud verbum nobis ethnicis ex gratuita miseri cordia concessum, ne quoque mala vita malisque moribus ipsum depellamus.

18. Junii reliquimus Velinum absoluimusque 4. miliaria commorantes in pascuis, ubi cum Sagittariis 200. equitibus 100. nobis Rutheni obviam venere: et qui sibi propter copias hostium in propinquo collectas timerent, offenderunt nos in via 1000. equites omnes Tartari cum sclopetariis 100. qui nos ab hostium incursione, si opus esset, tuerentur. Hinc propius absunt arces *Helmodt*, *Nuege* et *Karkis*, quae adhuc sub potestate Ducis magni sunt.

Summo mane sequentis diei circa horam 2. castra movimus rectaque Tarbatum contendimus trajecto mari *Halstefehre*, permansimusque penes amnem postquam die 6. miliaria absolvissemus:

Unde 20. die in aurora discessimus, septemque miliaribus peractis Tarbatum pervenimus: Quae civitas muro est circumcincta, domibusque lapideis extructa, eo modo, ut ajunt,

Digitized by Google

quo urbs Lubecum aedificata est, quamvis omnia fere aedificata sint modo diruta ac devastata: Cum autem ingredi eam minus liceret, castrametati sumus in villa semimiliare inde dissita, nobis modo sub frondium tegminibus cubantibus, eo quod nullus locus erat in diversoriis aptus et convenicus. Interea cum milites Suetici ipsis fere diebus totum tractum a Velino Tarbatum versus hostili manu invasissent destruxissentque noluerunt eam ob causam per rectam viam sed per devia aliquot miliaria per pontes, colles nemora, stagna ducere magno cum jumentorum bonorumque nostrorum periculo et dispendio.

Cum jam eo veniremus, cognovimus quo pacto Suetici equites cum Ruthenis ante paucos dies nobis Pernoviae degentibus sese conflixissent, idque hoc modo: Illi ex arce *Uberpolen* (quae nuper in potestatem Regis Sueciae erat redacta) sese de nocte clam abduxerunt Tarbatum praedeam insectantes: quo cum venirent totum suburbium amplum et munificum incendio conflagrarunt, quo viso Rutheni in urbe agentes illos agressi sunt: Succi autem cum viribus illis essent inferiores in pedes sese conjiciunt, insequentibus iis in fuga capti sunt ex Suecis 40. Rutheni victoria hac potiti ulterius progredi cum copiis suis tentaverunt, rectaque *Uberpolen*, contendunt collectis iis ad numerum 4. millium. Eo ubi perventum est, putarunt omnia ex animi sententia transacta, nihilque periculi esse, quo minus ea quae volebant, perficerent. Sed audi quid illis inopinato acciderit: Succi, quibus illorum adventus erat cognitus, quique stratagemate eos eludere certabant, vasa cum rebus Tarbati collectis ante portas reliquerunt facientes hostibus spem recuperandi ea, quae amiserant, simulantesque se propter hostium celeriorem adventum illa in arcem deferre non posse. Interim continebant sese in Sylvula non adeo longe ab arce remota (erat enim locus frondibus, nemore, densisque arboribus adeo septus, ut facimile sese quisque occultare posset, ne ab hostibus conspiceretur) Rutheni ea non animadvertentes, avide praedas resque amissas insectantur, violentaque manu cistas, vasa, et id genus alia frangunt canentes ante victoriam triumphum. Illi hoc videntes ex sylva prosiliunt, hosque jam in opere existentes invadunt, sauciant, interficiunt, hostilique manu prosternunt, ut ex 4. millibus vix 3. evaserint, si fides adhibenda est iis, qui nobis haec retulerunt: sub potestate enim Moscovitae erant.

Hinc discessimus 22. die Junii conferentes nos Plescoviam quam civitas a Tarbata distat miliaribus 25. primaque nocte sicut et altera sub frondibus pernoctavimus, confectis 6. miliaribus.

23. Die summo mane rursus iter inceptum ingressi 7. miliaria absolvimus, dieque sequenti qui Johanni Baptistae sacratur, Plescoviam pervenimus 7. miliaria a loco praescripto: quam viam eo die transgressi sunt Tartari permulti homines deformes, qui catervatim processerunt conferentes se in Livoniam adversus Suecum et Polonum: omnes erant equites ac levis armaturae milites gerentes arcus nulla que alia instrumenta bellica: ajebant Rutheni numerum illorum excedere 5. millia secuturos mille 20. affirmantes.

Hi maximos labores perferre possunt, inediae quoque ac sitis sunt patientissimi, omnia quae ad victum sibi sunt necessaria secum ferunt absque curribus, vescuntur carne equina portiunculis ephippio alligatis. Insuper ἄθεοι sunt, vitam in voluptate degunt ducentes uxores quot volunt: per interpretem cum aliquo sum locutus, qui fassus est, se eo tempore decem costas habuisse, Teutonicas, Rusticas et Tartaricas.

Praeterivimus eo die stagnum *Pebs* nominatum, quod spatium 20. miliarium complet in longitudine, et latitudine totidem, habetque rivulos affluentes 72. defluentem unum tantum versus Nervam.

Locum etiam accessimus, in quo a Ruthenis et Livoniensibus ante annos 40. pugnatum est, hi victoria potiti sunt, 4000. illorum caesis: unde tuguriolum in perpetuam istius pugnae memoriam aedificatum est.

Invisimus similiter coenobium *Ibdogk* nominatum, conspicientes idola illorum, sed non dabatur nobis in templum introitus, quamvis valua aperiebatur, eo quod nos judicabant indignos esse sanctum sanctorum ingredi.

Ajebant non longe abesse aliud amplum satis atque opulentum, 300. continens monachos, templumque illorum sub terra situm esse quod non conspicitur. Hi semper precationibus et jejuniis suo more indulgent, suntque libertate donati a magno Duce multisque villis nobilitati atque ab omni labore usque adeo immunes, ut nec bello nec exactionibus illorum subditi graventur: semper igitur curam ipsius precibus suis habent, quo victoria potiatur praesertim in Livonia, sunt que illi velut oracula. Quam vis

Digitized by Google

vero nos aviditas coenobii videndi ceperat, temporis tamen angustia exclusi sumus, quo minus id fieri potuerit.

Cum Plescoviam venissemus, ostensa est nobis domus in suburbio (cum civitatem ingredi integrum nobis non esset) in qua omnes commoraremur, donec a Duce certiores de nostra perfectione fieremus, et actutum nobis est vetitum ne quis nostrum famulorumque nostrorum egrederetur. Etsi praeterea penuria potus laboravimus, non tamen nobis est permissum a cauponibus in vicinia habitantibus quicquam emere: percepimus etiam aliquem graviter castigatum, quod modium lactis famulis divenderit, sed nobis aliquo modo est, satisfactum, atque a Praestabiliis, qui nobis erant adjuncti, necessaria porrecta quam vis magno cum labore: Multa enim pollicebantur, sed pauca praestabant. Quid multa? Homines sunt adeo mendaciis addicti, atque a veritatis tramite ita deflectentes, ut nulla illis fides possit adhiberi, rationem promissionum nullam habent, nec turpe ducunt fallere, mentiri et furari: singulis enim diebus aliquid sustulerunt ex annona, cerevisia, mulso nobis porrigendo et fere partem dimidiam, nihil pensi ducentes quod nos id resciverimus illosque de furto admonuerimus: reservarunt porro sibi quotidie ex equis et curribus nostris rebus destinatis, aliquando plures aliquando pauciores, illosque Bajoribus, qui procurabant, propter pecuniarum summam non sine nostro incommodo restituerunt, coacti sunt namque nostri famuli pedibus viam multoties pulsare, ita ut mihi sane persuadeam, nullum genus hominum extare, quod magis omnem pudorem ac verecundiam exuerit quam illud, de quo mentionem facimus.

Haec de natura illorum inserere placuit, nunc calamum ad alia convertamus: Sita est haec civitas in loco plano, estque moenibus et turribus fossisque circumcincta: hinc traijcitur Narvam per amnem oppido alluentem, qui stagno *Pebs* affluit, caerae, lini, canabi, maxima hic est copia, emporium videtur hisce rebus destinatum esse uberrimum civatas denique ornata est templis 300. coenobiisque 150. ut ii testantur, qui exacte numerum se nosse autumant suntque prope omnia ex lapidibus extructa, nitentia, civitatique maximum splendorem addentia, eo quod turribus ornata, quae ferro sunt tecta, stannoque linita.

28. Die cum putaremus nos per dimidii Mensis spacium ibi duraturos esse, relatum est nobis a Praestabliis circa vesperas literas ad se eodem die perlatas esse, quibus Neugardiam vocaremur, a Plescovia remotam 35. miliaribus ane 30. die discessimus, pernoctavimus quare in campo, postquam 7. miliaria essent transacta: altero vero die 5. tertio 7. quarto 6. confecimus, istoque pervenimus ad stagnum *Elminschossere* cognominatum, in longitudine continens miliaria 10. in latitudine 8. quae navibus Neugardiam usque trajecimus.

Circa Vicum salinae reperiuntur penes oppidum nova Russia appellatum quas si inspexeris, videntur a Deo omni potenti mirabiliter conditas esse nam amnis praenominatus dulcem saporem aliorum fluviorum instar reddit, hic in vicino lacus salsus scaturit, unde sal satis asperum coquunt, ita ut in opiam salis nullam habere Rutheni videantur: inveniuntur et non procul a Neugardia aliquae caeterisque in locis quod mihi sane mirum videbatur, praesertim cum saepius audiverim nostrates existimasse, Ruthenos sale carere, ubi angustia maris interclusi fuissent, cumque narvam prohiberetur transitus, quod tamen aliter esse cognovi.

Cum eo perventum est, perducti sumus ad curiam, quae olim sedes fuit necati fratris moscovitae ex lignis extructam, sicut et tota civitas, aliae que domus totius Russiae omnes sunt: nobisque statim interdictum est, ne nostrum quis aliorum ostiis calcibus insultaret, quod aegre admodum tulimus eo quod non liceret ea, quae erant necessaria nobis comparare. Verumenimvero haec civitas erat prima, quae nos sub tectis recepit, postquam Regis nostri possessionem Oesiliam reliquimus, quae provincia inde miliaribus 112. distat, exceptis tribus noctibus Plescoviae in suburbio nobis commorantibus.

Hic accepimus Tartarum *Crim* nominatum cum copiis in foribus esse, non procul a Moscovia stipatum multis millibus Tartarorum, statuisse Russiam vi armisque invadere, quare magno Duci minus consultum videretur Moscoviae commorari, sed potius se in arcem Slabodiam abdere, ubi ab ipsius insulto immunis esse posset revocans in memoriam damnum ante annos 8. sibi ab ipso illatum: igne namque totam fere Moscoviam infestarat, 40. millibus domorum conflagratis caesis et combustis 200 millibus Ruthenorum.

Hic pene praeteriaram hujus urbis commoditates perstringere, quae merito ignorandae non sunt, praesertim cum olim fuerit, hujus regio-

Digitized by Google

nis praecipua, ante annos 80. non agnoscens ducem Moscoviae dominum, sed magistratus sui vivens legibus: ditio ejus sese in longum extendit ab una parte ad limites Norvegiae, ab altera versus Livoniam complectens miliaria 300. in longitudine, et in latitudine 200. Fuitque usquecadeo potens, ut sese ab hostium adjacentiumque regnorum vi facile defendere potuerit, unde et ortum est proverbium:

Quis aliquid efficere potest contra Deum et magnam Neugardiam? Duravitque haec illius potentia in illum diem, quo odium dissidiumque inter consules exortum est, resque eo deducta, ut constituerint Moscovitam diremptorem litium, qui postea adhaerens parti imbecilliori alteram oppressit, oppidique potitus se dominum ei imposuit.

Quod ad structuram ejus attinet, egregie sane Ruthenico more aedificata est ornata templis coenobiisque innumeris, constituta in loco amaenissimo, plano, et abundante undique frumento, pratis virentibus, piscatura, stagnis, fluminibus omnibusque bonis affluente.

Hic etiam mihi silentio dissimulanda non est illa urbium, villarum pagorumque inter Pernoviam et Neugardiam destructio ejusque causa.

Ab hinc annos ni fallor, 8. incidit magno Duci quaedam suspicio de fratre suo uterino, quod is nempe in animum sibi induxisset, ipsum circum venire insidiasque struere, quod an sic fuerit Deus novit, quare cum ad se accersivit porrigens illi venenum, quod cum gustasset morbo correptus expiravit: postea 300. Apricios elegit data illis potestate vitae hominum et necis, imo bonorum, domorum supellectiliumque omnium.

Hi per totum hunc tractum a Moscovia Plescoviam usque divagantes, sedes quam plurimas solo aequarunt, viros mulieres, infantulosque ad arbitrium suum necarunt, mercatores spoliarunt, piscinas effoderunt, pisces-que cremarunt, in summa, omnia ita perturbarunt, ac devastarunt, ut dictu quid dicam visu abhorendum sit: Si enim nobis Praestablii non suppeditassent ad vitae sustentationem necessaria aliunde advecta, necessum fuisset ut omnes fame et inedia periissemus adeo erant homines facultatibus lapsi, ut ne ovum quoddam pecuniis comparare nisi paucissimis in locis potuerimus.

Ad hoc eodem tempore Imperator magnam hominum copiam Neugardiam convocavit, quasi cum illis de negotiis arduis acturus, quo cum venissent, omnes in pontem, qui nobis quotidie in oculis erat, civitati proximum congregari jussit, congregatisque illis, in amnem praeter fluentum praecipites dedit, necaris suffocatisque multis hominum millibus, quos suspectos habebat propter fratrem prius ab ipso toxico sublatum, quasi ab illo stetissent: et quod magis mirum videretur, tanta est submersa hominum multitudo, ut amnis praedictus praeter omnium hominum expectationem cadaveribus sit refertus, et ita constipatus, ut antiquum cursum obtinere nequiverit, sed supra prata virentia agrosque fertiles sese extenderit liquoreque suo omnia humectaverit. Hoc etsi minus credibile videtur, aque vero longissime abesse, tamen omnia sese in rei veritate sic habere, a fide dignis in Russia cognovi, ab iis scilicet, qui adhuc sub potestate Moscovitae Neugardiae commorantur, alias tabulae huic (quod dicitur) non admovissem.

Dum hic detinemur, nostri Praestablii indies summo odio nos sunt prosecuti, quod hoc loco omittendum, ut intelligant exculti, quanta saevitia hi barbari utantur in Germanos, in quos potestatem aliquam habent. Postquam enim Neugardiae integris 14. diebus custodia detenti fuissemus, ad nos prodierunt indicantes nuncium a Moscovia eodem die advenisse, qui jussu magni Ducis significaret, licere nobis cum famulis nostris nos conferre quo luberet, mercaturasque exercere, si opus esset, quod jucundum et gratum nobis accidit: nam summo desiderio desideravimus membra hactenus in domibus retenta movere celeriorique motu recreare, quare per interpretem nostrum die sequenti expetivimus, ut cymbas nobis procurare non gravarentur, quibus amnem urbi alluentem trajiceremus, et globo tormentario volucrem laedere, si forte possemus, nobis concederent, quod statim denegatum est.

Nec in hac re modo ostenderunt sese malevolos, sed cum postridie vires ambulando in planicie nostris cubilibus vicina reficere tentaremus, mox nos sunt comitati crimina in nos conferentes, prohibentesque ne ulterius id faceremus, dicentes, Imperatorem concessisse, ut ea quae nobis essent necessaria pecuniis compararemus, famulis nostris datam esse excundi potestatem, nobis autem minime.

Quibus responsum tale dedimus, nos a Seren. Reg. Mai. ad magnum Ducem Moscoviae ablegatos esse causa expediundi negotia

Digitized by Google

nobis commissa, idque factum ex petitione Ducis, quo literis Regem de mittendis ad se legatis semel et iterum solicitasset, non autem advenisse ut mercaturas exerceremus aliquas, nobisque ea de causa mirum videri, quod ea, quae famulis nostris erant concessa, nobis denegarentur, nos minus assuetos esse, in domibus semper delitescere, sed magis versari circa aliqua negotia sanitati conducentia: nos nihil optare potius quam licentiam invisendi Moscovitam, si autem id fieri non posset, statuere nobis non posse prohiberi, quo minus aliquando foras egrederemur, neque existimare nos teneri captivos: si enim sic sese contra omnem expectationem et fidem datam res haberet (eramus namque muniti salvo conductu) cupere ea de re certiores fieri, adjungentes, legatum Imperatoris nuper Regi apparentem, apud nos custodia detentum non fuisse, ut nos ibi, nec minimum malum ipsum offendisse sed Jaute tractatum, curru quo voluerit, circumvectum, ad convivium invitarum, ibique molliter pactum ac saginatum esse ita quod admirandum esset, quod tantam benevolentiam aliqua saltem compensare ratione non studerent.

Ad ea responderunt (floccidentesquae dicebantur) nos jam apud se esse, oportere non suae voluntati subesse, itaque nos gerere ut ipsi praeciperent, cum unicuique regioni sui essent mores, quos imitari singuli deberent, non dubitantes, quin nobis perspicuum esset, oportere, singula aquae cursum sequi quo flueret.

His et similibus auditis, adeo pertaesi sumus illorum conversationis, ut nec dici nedum scribi possit. Praeterea cum videremus, nos ibi tanto tempore retineri (non enim secus actum est nobiscum quam cum captivis) praestolati sumus veniam mittendi ad Imperatorem nuncii, petendique ad suam Majest: aditum, id neque permittere voluerunt, sed praetenderunt adventum nostrum ipsi esse notissimum, qui pro suo velle nos retinere et dimittere sciret, penes Deum et ipsum omnem potestatem esse affirmando. Hoc accepto responso acquierimus vitam quae solitariam moerore permixtam duximus: nemo enim nos quam diu ibi fuimus, invisit praeter Bajores duos viros senio confectos, qui magnam gravitatem principio praesetulerunt, sed cum minus exculti fuerint, supersedendum non erit quo modo sese apud nos gesserint ut intelligant literati, quanta sit apud illos barbaries, quique rudes et impoliti sint beani et asini.

Etenim 19. die Mensis Julii circa vesperas, sub coena nobis apparuerunt, conferentes se ad mensam nostram, et postquam cutem bene curassent, largiterque suo more mulsum potassent, appositus est mensae caseus, quem cum inspexissent gustassentque, petierunt sibi dari, quod concessimus, quem statim famulis custodiendum dedere postea allata sunt bellaria saccharum, poma granata, dactyli, ficus, Zinciber conditum, et id genus alia, quae omnia e Dania advecta erant, ex jis, quantum sat erat, consumpserunt, id autem, quod in patinis relinquebatur, sustulerunt, reservantes sibi in strophiolis jusculumque de digitis cum nausea linxerunt non secus ac pueri, vel mendici cibum ante fores capientes, et quam vis illis abunde erat ad satietatem satisfactum cerevisia et mulso, non tamen illis potus generibus, contenti erant, sed sibi cupiebant dari ex nostro liquore, vino Rhenano, vel alio genere, quod etiam factum est: vinum namque rubrum *Allckant* allatam est iliis, quod cum gustassent alter alteri osculo propinavit, nam porrecto poculo se invicem osculati sunt.

Nec hi solum hanc morum incivilitatem praeselulerunt, sed quotidie apud alios quoque experti sumus. Aderant nobis indies tubicines suo more Comoedias agentes, qui saepius inter ludendum posterioria denudarunt, omnibusque obscoena corporis commonstrarunt, decumbentes in genua natesque in altum extollentes, exuti omni pudore ac Verecundia.

Quod idem etiam mulieres aliquando fecerunt: Cum enim quodam die ante aedes nostras in planicie staremus cum famulis nostris quam plurimis conspeximus mulieres in vicino, quae vestes in altum levarunt, pudenda nobis per fenestras commonstrarunt, tam anteriora quam posteriora, extendentes nudos pedes e fenestra, nunc dextrum nunc sinistrum, nunc nates, nunc alia non abhorrentes Praestabilorum praesentiam.

Hinc videre licet et liquido constat, hos populos moribus esse agrestissimos ac corruptissimos, ut si cum aliis hominibus excultis conferantur illis ludibrio esse possint et deridendos propinari, quasi nihil vel parum a brutis differentes.

Proximo die venit ad nos Praestabilus noster *Fedder* nomine vis senex et gravis, cum quo de illorum fide sermones miscui, et cum



Digitized by Google

inter loquendum forte fortuna incideret quaestio de peccato contra Spiritum sanctum, ipso dicente, unum quemque salvari posse, etiam si in dies peccata peccatis augeret, si illi saltem esset animus semel resipiscendi poenitentiamque agendi.

Ego contrariam defendens sententiam, verum quidem esse ajebam, quemque peccatorem salvari posse multis magnisque peccatis etiam contaminatum, dummodo poenitentiam ageret, fidequo Dei misericordiam imploraret: sed si contra mentem et animum in eam quoditie peccare non erubesceret faciens sibi spem suo tempore vitam emendandi, illum sane in Spiritum sanctum peccare, illudque peccatum nec in hoc nec in futuro seculo remitti.

Quo audito, egregie scilicet respondit omnia peccata condonari, quod se exemplo comprobaturum asseruit, taleqae in medium adduxit, dicens: Mariam Magdalenam scortum fuisse impurissimum, saepiusque adulterium commisisse, graviterque eam ob causam deliquisse: attamen quod viri aliquando in via eam offendentis qui ipsam de concubitu solicitasset, expetivisset, ut propter Deum se admitteret: petitioni annuisset, votique is compos factus fuisset, salvatam esse rubroque lapillo in catalogum sanctorum designatam, hacque de causa, quod id non denegarit, sed propter nomen Emanuelis concesserit.

Hoc et si absurdissimum sit atque fabulosum vanitatemque oleant, cum tamen ab ipso ad confirmandam fidei suae sententiam adductum sit, visum est mihi illud recensere, ut sciant nostrates, quanta caligo horum hominum mentes obduxerit, quamque abstrusa atque abscondita sit illis sacra scriptura, loco Evangelii commemotantibus nugas ac fabulas, easque pro oraculis habentibus. Videtur hinc commode in ipsos quadrare dictum prophetae: Qua non credunt veritati, dedit illis Deus efficacem spiritum ut credant mendacio: Cum igitur non habeant verbum Dei pro lucerna, necessarium est ut in tenebris versentur. Horum miseria merito doceret nos cautiores fieri, summaque cum reverentia et gratiarum actione verbum divinum amplecti, maximopereque cavere ne propter ejus contemptum et negligentiam a nobis auferretur.

Taceam modo alia eorum naevos ac errores, quos caeteris diebus Neugardiae nobis versantibus commisserunt. Verum cum ceremoniae etiam illorum ex parte nobis constent, tempestivum esse arbitror quaedam de jis annotare.

1. Die Mensis Augusti sole primum orto, cum temporis taedium ambulando discutere caepimus, conspeximus e longinquo magnum hominum numerum uno in loco circa fluvium urbi proximum congregatum, imo fere omnes cives, mares pariter ac foeminas, has gestantes, infantulos in ulnis, illosque pueros ducentes manibus: praeterea monachorum virginumque vestalium cohortem magnam. Quo postquam convolassent, apparuit illis etiam Archiepiscopus, gerens manibus crucem, sequentibus sacerdotibus et id genus hominibus postquam jam amnis ejus pontem sibi in illum usum extructum ascenderet, habita oratione, ipsi bene dixit, atque suis ceremoniis, Papistico more, aquam consecravit. Quo facto, quam plurimi viri vestibus exuti nudique, cunctis inspicientibus, in amnem sese praecipitarunt, pudendis minus rectis, nihil considerantes, quod a virginibus et mulieribus conpiecrentur: hac quoque infantulos suos eadem aqua abluerunt, idola illorum omnia liquore illo sacro humectarunt atque mundarunt istumque diem festum celebrarunt.

Nescio sane an hic significare debeam, quo pacto sanctorum opem in cerevisia coquenda implorant, quibusque ceremoniis utantur.

Cum aqua dolio infunditur, ad manus habent sculpile baculo longo alligatum, quod dolio imponunt confestimque extrahunt, quod etiam fit cum frumentum et lupulus adduntur: Quo facto, baculum in altum erigentes imaginem illam curvatis genibus, capitibus demissis, frontibusque signo crucis signatis venerantur. Talibus superstitionibus imbuuntur, adeoque his ineptiis fascinati sunt, ut hisce ceremoniis neglectis totum laborem irritum esse existiment.

Postquam jam ceremoniarum mentio aliqua facta est, quaedam etiam de religione eorum addere necessarium esse duco, eaquae quae ex relatione Ruthenorum, ex mutuis illorum colloquis, ex gestibus et aliis circumstantiis percepperim.

Celebrant religionem ferme Papisticam, adorant sculptilia, quater in anno jejuniis indulgent: Primo, a dominica 6. Trinitatis usque ad festum Petri et Pauli: deinde per dies 14 praecedentes ferias assumptionis Mariae: postea jejunant etiam hebdomadibus integris 6. praeuntibus natalitium Christi: postremo septimanis 7. festum diem Pascharos anteeuntibus.

Digitized by Google

Hisce, inquam, temporibus non vescuntur carnibus nec butyro, sed tantum piscibus, aceto, allio, radicibus et rebus similibus.

Sacramentis utuntur Baptismo et Coena domini atque sub utraque specie communicant, idque vino rubro non alio potus genere.

Singulis diebus templa petunt, et quamvis valve clausae sint, ante cartamen sese crucibus signant, ingenua procumbunt, et capita terram versus destectunt.

A juramentis et execrationibus absunt, nomine Dei adjurandum vel diaboli ad maledicendum nonutentes: sed per matrem, canem, canicula filium, spuriumque jurant et maledicunt, dicentes: *Pudimater, Sabach, Suginsin, Pledinsin.*

Sacerdotes habent indoctos, tenentes tantum linguam Ruthenicam, (docti enim viri ibi nulli reperiuntur) qui omnes uxorati sunt (celebs namque non admittitus ad officium Ecclesiasticum) et quod magis admirandum videtur, cum uxore orbatus quis eorum fuerit, statim ab officio removetur, nec conceditur ipsi nuptias secundas agere, nisi vitam privatam duxerit. Vestiuntur illi more Graeco, longas gestant crines et barbas non rasas: Nunquam concionantur sed quotidie Evangelia recensent, cantilenasque suo more, sacras: sabbatum diem non venerantur, sed sacris peractis, quod citissime fit, mercaturas exercent atque laboribus imcumbunt.

Templa illorum sunt ornata multis idolis ac sculptilibus, quae cum inspiciuntur, statim adorantur, habent etiam in domibus, sculptilia unusquisque sua, quibus honorem non vulgarem exhibent, de collo itidem crucem pendentem, quam suis ritibus venerantur.

Silentio obruendum hic non erit, quod cum illorum sacerdotibus ac Bajoribus de religione et ceremoniis saepenumero sim locutus, significaverimque sanctos nullo modo invocandos esse, probando illud sacra scripturae literis, adferens in medium aliqua testimonia, nimirum 20. caput Exod. 5. Deutero. Non facies tibi sculptilia, non incurvabis te coram ipsis, neque honorem ipsis exhibebis, item 44. Esaiae qui acerbe ridet illos qui statuas fabricant, item Buruch 6 Psalmum 115. Item Paulum ad Corinth. Fugite idola: his me illis persuasurum exisstimans, ut fidem mihi tribuerent, sed laterem lavi, et quamvis nullo nitebantur fundamento, nullisque argumentis (nam frigide sane de hujus modi rebus arduis loquebantur) nihil tamen aliud responderunt, quam ante cessores suos statuas veneratos fuisse, seque idem facturos esse. Miracula indies conspici addidere, quibus statuarum cultum legitimum esse comprobare possent, annectendo simul, neminem fugere, Principes hujus saeculi suos habere Cancellarios, Senatores, Secretarios, quos prius consulant subditi quam iis appareant, et quanto hi sint mojoris apud Principes existimationis, tanto citius ab illis quicquam impetrare posse.

Ad quae respondi aliter se rem habere cum coelestibus rebus quam terrestribus, nos tenere mandatum expressum, ut unum Deum in trinitate, et trinitatem in unitate veneremur non sanctos, item nullum meditatorem esse inter Deum et hominem nisi Jesum Christum. Item per filium nos habere accessum ad patrem non per Petrum, Paulum, Nicolaum vel alium nobisque a Deo esse interdictum ne sculptilia adoremus, et in primo praecepto vetitam esse alienorum Deorum invoctionem, quare idolatricum cultum fugiendum esse ajebam.

Illi audientes me silentium illis imposuisse, quo minus quicquam respondere possent, vultibus iracundis in hac verba proruperunt:

Plerumque illos carceribus castigatos fuisse ac morte punitos, qui contumeliose de illorum statuis quicqam locuti hactenus fuissent, dicentes certo certius esse Lutherum condemnatum, ejusque imitatores omnes, illos vero salvatos, qui sanctos invocare non erubuerint: extare quoque exempla in Russia, sicut et hodie Neugardiae: ubi visuntur (si verbis illorum credere fas est) etiamnum mortuorum corpora, abhinc multis annis sepulta, nulla tamen contaminata putredine que rursus se crexerint capite, collo, pectore braciis ac manibus ut ab omnibus conspici queant, unde facilime concludi posset illos homines sanctissimos fuisse, atque consortio sanctorum annumeratos. Ego hujus modi audiens finem disputationi imposui, animoque considerans illorum comminationes ulterius mentionem sculptilium nullam feci, digito labellum compescui.

Quandoquidem jam per menscm et dies 5. eo in loco inviti expectaveramus, 4 die Augusti, sole nondum exorto inter 3. et 4. Prae stablii nostri venientes domus meae ostium pulsabant sibique operiri petebant quod non satis mirari potui, cum antea me tam mane nunquam invisissent, erat namque adhuc corpus quieti datum subque tegmine vestium: cum ostium illis aperitetur, statim sese lecto meo applicabant,

Digitized by Google

significantes literas sibi redditas, quibus Moscoviam jam vocaremur, mandantesque ut extemplo itineri nos accingeremus sibi quoque injunctum esse referentes, eodem die relicta Neugardia alios nos ducerent, quod nisi fieret, capitali poena purirentur.

Quo cognito; diu paratum me fuisse, nihilque magis quum abitum saepius optasse ajebam, profectione nihilque antiquis esse, quare in me nec modo ullam futuram moram.

Hisce indicatis abierunt, promittentes sese nobis quam primum equos et currus procuraturos: verum cum jumentorum maxima illis esset inopia ante horam 2. pomeridianam iter non suscepimus, qua naves conscendentes cum paucissimis famulis *Bronitza* contendimus, oppidum a Neugardia 4. miliaribus maritimis remotum, caeteri curribus et equis terrestri itineri sese dedecrunt, nobisque, 5. miliaribus vecti, eodem in loco eademque nocte apparuere.

Altero die bene mane, rursus itinere suscepto *Saitze* pervenimus, 7 miliaribus absolutis: hinc *Cretza*, quo die 8 miliaria sunt transacta, unde *Iochelbitz* in de situm 8 miliaribus.

Quas vias sicut et sequentes maximo cum labore absolvimus, cum equi nostri, quibus currus trahendi, supra vires onusti essent, aurigae iis relictis, fuga sibi consulerent, et nostri famuli nolentes volentes eosdem labores subire cogerentur per 67. miliarium spacium, nam est omnibus villis, in quibus nos pernoctavimus, viri omnes cum equis, et bonis suis aufugerant, ut iisdem equis Neugordiae acceptis *Torsoch* attingendum nobis fuerit.

Unde factum est, quod in via aliqui vi aestas atque bonorum pondere strangulati ac extincti sint, famulique nostri adeo defatigati, ut vix pedibus sistere potuerint: non enim solum ex longo et difficili illo itinere quod pedibus confecerant, vires illorum erant prostratae, sed etiam famae et siti debilitate cum a Neugardia usque *Wisnoiwolotsoch*, quae via 53. miliaria complet ne guttula quidem cerevisiae mulsi vel alicujus alterius liquoris illis data sit, sed aqua miseris magno cum taedio hauriendа fuerit, raro lacte aqua mixto sitis quoque extinguenda et sedanda. Quamvis igitur homines jumenta ita enervata, tantos labores tantasque molestias tandem sustinere nequiverint, non tamen a Praestabiliis est concessum aliquo in loco per diem corpora lassa quieti dati, sed in dies progredi jusserunt praetendentes mandatum Imperatoris esse, ut 19. Mensis, Augusti Moscoviae appareremus, quod transgredi minus liceret, nulla habita ratione hominum, jumentorum, suppellectilium, rerumque nostratum aliarum.

Ad haec cum ubique meliora sperantes spe frustaremur, jisdem conditionibus omnibus in locis acceptis, justam apud Praestablios conquerendi eosque de equis, curribus, victuque solicitandi nacti sumus occasionem. Convocatis igitur illis, tali oratione eos sumus allocuti: Nos non dubitare, quin scirent nuper Neugardiae se nobis significasse, literas ab Imperatore missas fuisse, quibus sibi esset injunctum, ut nos recta via Moscoviam ducerent, seque, expetivisse, ut quam primum fieri posset, abitum pararemus, it etiam eodem die factum esse, quod autem per dies aliquot nos famulisque nostri pravissimas calamitates sustinuissemus, quotidie mutationem meliorem expectantes, noluisse hactenus de eo conqueri, ne videremur plus juste impatientes, sed cum jam magis magisque dolor augeatur, in dies que gravescat, non posse non animi nostri sensa sibi exponere, referentes:

Nos a Friederico 2. Danorum rege ad magnum Ducem Moscoviae ablegatos cum nobilibus aliis famulisque nostris, ut negotia commissa expediremus, non aliud suspicantes, quam nobis suppeditari debere ad vitae sustentationem necessaria: jam vero pessi essemus, praeter omnem expectationem, inediam sitim, inopiam equorum, aurigarum et caetera incommodo, quod nobis mirum admodum videretur, praesertim, eam, nobis 5. pene hebdomadibus Neugardiae detentis, sibi sat spacii ad res nobis in via necessarias suppeditandas fuerit relictum nos famulosque nostros minus assuetos esse, quotidie aqua satiaria, diuturnamque sitim explere, nosque eos non adduxisse et autigas agerent, pedibusque viam leverent, sed ut nobis inservitent, essentque regi, regno et nobis honori non dedecore, nobis quoque tantum esse pecuniarum, ut si necessaria, iis possent comparari, nec servos rerum penutiam aliquam sustinere nec nos ab illis quicquam gratis expetere foret necesse: Quod si haec ita esse, nosque nec Judaeos nec Turcas esse nossent, se quam fieri posset officiosissime rogatos vellemus, ne secus nobiscum agerent quam homines Christianos (cum hunc titulum sibi vendicent) cum Christianis agere deceret, aliis Deum offenderent, magno Duci notam infamiae inuterent, Regique nostro contumeliam inferrent.

Digitized by Google

Hisce auditis, responderunt sibi facile omnia constare, seque plus satis videre nostros famulos graviter multisque modis cruciari, se tamen minime ea mutare posse, facturos equidem periculum, nam equos recentiores plurosque alio in loco procurare quirent: Quibus habitis colloquis, discesserunt.

In quem igitur, in quies, statum profectio vestra est redacta? Postera luce ulterius cum iisdem equis progredi tentavimus; cum alios habere non possemus, maximoque cum labore 8. miliaria perfecimus, urbemque *Indrowa* attigimus: Quo cum perventum est, illi, qui nobis de equis prospicerent; oppido relicto in sylvas profugerant, paucissimi autem, qui remanserant, egregie a Praestabliis baculis lorisque accepti sunt quo ad equos se restituturos miserint, sic ut nec verbi divini minister absque verberibus evaserit, sed caesus castigatusque sit donec et ipse equum reddiderit, nihilominus ultra equos 6. a totius oppidi incolis vi extorquere potuerunt quos die sequenti, qui 10. erat Augusti, in campo rursus de nocte, sub duxerunt, quare cum miserrimis istis beluis, qui nos a Neugardiae eo vexerant, 9. adhuc miliaria ad oppidum *Columna*, perreximus, hinc mensis 11. 5. miliaria profecti sumus oppidumque *Wisnoiwolotsock* attigimus maximo cum jumentorum illorum dispendio: pernulti namque in via prostati interneccionique dati sunt.

Per omnem hanc viam villae fere omnes a Moscovita destructae soloque aequatae fuere non secus atque ab alia Naugardiae parte, quod existimasset incolas fratri suo necato addictos fuisse atque in ipsius necem conspirasse. Oppido jam nominato alluit amnis quo *Othfer* trajicitur, isthuic 26. miliaria: prohibent quoque non longe ab eo esse fortem scaturientem, unde rivulus exoritur, extendens sese Neugardiam usque, navigationi aptus.

12. Die castra movimus, ejusque vespere *Widropusck* pervenimus confectis 7. miliariis eo Neugardia ditionem suam extendit, ducatusque, Moscoviae initium sumit, cujus terra multum a transgressa differt, nam plana est, fertilis, exculta et abundans undique frugibus,

Inde *Torsoch* 13. Augusti curribus et equis vecti sumus, per distantiam 7. miliarium a loco praescripto, quae oppidum situm est in loco plano et amoeno, penes amnem *Tuertza* domibus ligneis Ruthenico more extructum. Hic famuli nostri latrantes stomachos mulso primum aliquo modo placarunt, qui fuerant jam longe tempore, (ut significatum est) inediae ac laboris patientes.

Hinc 14. die discessimus Othferque pervenimus quae via 12. miliarium spacium complet: fuerat haec urbs olim emporium opulentissimum: nunc autem plane exhausta, atque ad extremam fere inopia redacta est, eo quod sedes in ea necati Principis, fratris videlicet magni Ducis fuerit arx, quondam fossis, vallo muroque cincta, sed jam ita devastata, ut ne muri vestigia appareant. Inde *Casan* et *Astrahan* trajicitur, postcaque in mare Caspium per amnem *Wolga* tenens cursum versus solis ortum.

Cum eo ventum est, dici non potest, quantas sustinuerimus molestias: duodecim enim miliaria eo die confecimus a Lucifero ad Hesperum paregrinantes: in via Praestablii, omnia quae ad victum spectarent in promptu esse significarunt, sed mentiti sunt (sicuti alias saepius) cum nihil procuratum fuerit: praeterea nobis fame pressis hospitia commonstrarunt omnino devastata, minusque tecta; in quibus corpora impasta fatigataque quieti in diem sequentem dare cogeremur: nec id nobis miraculo fuit, nusquam enim per totam Russiam hospitem habuimus, sed omnibus locis, in quibus divertimus, domus fuerunt desertae, atque ab hominibus pecoribusque vacuae. ut vix crediderim regnum aliquod extare ab hoste non expugnatum, quod magis perturbatum sit, quam hoc Imperatorium.

Experti etiam sumus rumorem de Moscovita passim sparsum longissime a vero abesse, quod tanta saevitia tantaque tyrannide subditos suos regat, inque tantam servitutem re ipsa eos adduxerit, ut mandatis ipsius minime resistere ausint, sed ad omnia exequenda promptissimos se exhibeant, cum potius pertinaces, inobedientes et ad omnia vitiorum genera sint proclives: non enim poterant nostri Praestablii vel equum vel currum vel agitatorem ab ullis civitatum incolis in nostrum usum sive verberibus habere, sed omnes locis, baculis, fastibusque ad terram prostrati sunt, antequam necessaria se procuraturos promiserint, nec diutius obsequium praestabant, quam sese evadere posse conspicicbant, in via, quoties fieri potuit, vel equos, quos dederant, auferebant, vel ipsi aufugiebant. Hinc videre fas est quarta cum molestia ac labore iter hoc logum perfecerimus, cum cibo, potu, domibus, equis, curribus, agitatoribus rebusque aliis multotres de-

Digitized by Google

stituti simus, ne eloquar, ita tractati, ut cito oblivisci non possimus, vel memoriam tractationis deponere.

15, Die *Othfer* relicto; *Geroden* profecti sumus isthinc 6. miliaris, postridie *Clin* confectis 10. miliaribus pervenimus, Inde *Demittroff* oppidum ingressi sumus 17. die, postquam miliaria 8. absolvissemus: in quo arx sita est cincta muro, ex lignis, limo, stramineque extructa, unde bene mane discessimus pernoctantes *Troitze* quod ab altero 6. miliaribus distat, hic coenobium justae magnitudinis visitur, turribus propugnaculis, muroque lapideo instructum, totius Russiae praecipuum. in quo 300 monachos vitam degere agunt, habet stagna perquam multa belle sane fluentia, sylvasque opacas, hinc piscaturae venationique locus est aptissimus: et cum arx imperialis Slabodia (in qua Imperator saepius propter loci amoenitatem delitescit) huic vicina sit, saepius ab ea ad hoc sese confert, ut preces suas suo Deo offerat: ubi vesperi ipsam esse, nosque eo vocari accepimus, missis nobis equis, quibus Slabodiam duceremur, quare summo mane viam, quae spatium 6. miliariorum continebat, ingressi sumus, ac circa horam 1. pomeridianam transegimus, civitatem 19. Augisti attingentes.

In itinere a Ducis Bajoribus cum 100 equis hoc modo sumus excepti: Cum arcem in conspectu haberemus, e longinquo visi nobis equites, quos cum proprius accessimus, conspeximus eos esse, qui nos exciperent: Recta igitur nos adeuntes meo currui sese applicuerunt, dicentes, sese a magno Duce Moscoviae ac Imperatore omnium Ruthenorum ablegatos esse, ut nobis obviam irent, hospitiumque, ad quod diverteremur, commonstrarent.

Is autem, qui oratorem egit; *Bolher* nominatus, dextro lumine captus erat, hic postquam ab equo non descenderet, nulloque honore me dignaretur, nec ego quicquam ei honoris praestiti, sed in curru me continui auscultans iis, quae ab ipso dicebantur: ille veto cum cognosceret me vehiculo minus descensarum, mandavit ut currum relinquerem, quod etiam feci, cum et ipse equo relicto humum pedibus conculcaret, tum eadem verba repetiit, quae prius locatus fuerat: Ego cum pro meo virili respondere gratiasque Imperatori pro tractatione nobis in via oblata agere vellem, aliaque, quae ad rem pertinere videbantur, quantum ingenii vires concesserant, commemorare, nulla mihi copia fandi concessa est, sed currum me conscendere jussit, quod cum fecissem, recta ad civitatem illis ductoribus properavimus, domumque commonstratam ingressi sunt.

(Distant autem haec civitas et Neugardia inter se miliaribus 100.)

Circa vesperas inter 9 et 10 cum quieti nos daremus, venit ad nos idem *Bolher*, et inter alia cepit percontari: num quid in bono proposito bonaque cum animi intentione advenissimus, id sibi aperiri petens, ad haec respondi:

Nos a Regia Majest. ad magnum Ducem tanquam ad amicum missos, nobisque non esse injunctum, ut aliud quam quod ad regnorum tranquillitatem spectaret, proponeremus, si enim aliter res haberet, rexque noster alio animo in Imperatorem esset affectus, tum facillime per homines nobis inferiores res demandatae potuissent expediri: Quo accepto responso, iterum sibi exponi instirit, ubi retuli, nos brevi sperare Imperatori esse apparituros, quod si fieri posset, statueremus totum nostrum negocium ipsi exponere. His auditis discessit, dieque sequenti, qui 20. erat, denuo se nobis obtulit, indicans, Imperatorem mandasse, ut postridie appareremus, adjungensque, sibi perspectum esse nostrum candorem nostramque benevolentiam, quare non posset non nobis suo consilio subvenire atque nobis consulere: quo pacto, quave occasione tanti Principis conspectu commode fruceremur, significans decere- ut summa cum reverentia summaque cum verborum praemeditatione injunctum negocium exponeremus, eaque vitaremus quae ullam irascendi occasionem Principi praebere possent, omniaque excluderemus, quae ad rem non pertinere viderentur: praeterea totum Majestatis ejus titulum enumeraremus, nihilque relinqueremus intactum, quod ad ipsius honorem spectaret.

Eo haec loquente, astitit interpres Ruthenicus nomine Jacobus, Austriacus, qui in haec verba erupit, dicens: Quod hic bonus dominus mentionem tituli Imperatoris recensendi ante Regis vestri facit, id suas habet causas, quae dissimulandae non erunt, quarum praecipua, ne propter negligentiam vestra infamiae nota vobis inuratur: memini enim ante paucos annos imperatorem legatos invisisse, qui ignominio se rejecti atque explosi sint in ipso temporis momento, quo advenerant, eo quod postposito

Digitized by Google

ipsius titulo dominorum suorum practulerint. Hactenus ille.

Hac significatione seu pulsato classico invitatus illico respondi: Nos antea ad Reges et Principes ablegatos fuisse regiaque negocia ita exposuisse, ut nos excusatos habuerint, sperantes tales et jam nos gesturos, ut nec Imperatori nec Regi quicquam honoris detrahatur, nos Teutonico more ipsumque salutaturos: si interim nos instruere ille vellet, quo pacto Imperatorem nobis benevolum redderemus, et quemadmodum gratiam ab ipso iniremus, neque etiam regem nostrum merito honore privaremus, id animo bono nos tanquam ab amico profectum accepturos atque in loco beneficii posituros.

Quod autem ad negotium proponendum attineret, significavimus nobis a Rege nostro mandatum esse quid tractaremus, nobis de nostro quicquam mandatis ejus addere nec licere nec velle.

Tum iterum ille quaesivit, an esset injunctum etiam mentionem aliquam arcium in Livonia Regi ademptarum fieri, quod si sic esset, putabat abs re fore de iis verba facere.

Cui ego, nos in mandatis habere, in quam, ut negocia nobis imposita coram Imperatore et Senatu conficerimus, non vero aliis, quare incivile esse judicarem de eo nos solicitari.

Tum certiorem se fierit poposcit, num munera Imperatori a Regia Majest. essent missa, ecquid et nos singuli quippiam illi offerre vellemus.

Regem, inquam, mississe Imperatori filioque natu majori pocula inaurata: Tum ille necessarium esse inquit, ut et alteri filio natu minori dona largiremur, quod de sententia sua nos facturos esse polliciti sumus: quo audito jussit omnia munera chartis mandari sibique tradi: quibus acceptis decessit, revertes autem, cum advesperasceret, significavit Imperatorem praecepisse, ut nos die sequenti 21. Mensis ipsi sisteremus, qui optatissimus fuit nuncius

Rediit igitur ad nos postridie circa horam et antemeridianam, expetes: ut abitum pararemus: nos nulla interposita mora, equos conscendentes recta ad arcem intendimus.

Hinc longe in via subornati erant sagittarii 2000 ab utroque latere consistentes interjecto spacio, quod transiremus, ulterius progressi arcem attigimus amplam sane regificeque extructam ex lapidibus, muro fossisque circumdatum, continentem tria templa insignia.

Ibi conspeximus frequentem Bajorum curiam, qui vestibus purpureis et versicoloribus inducti erant, iis relictis palatium ascendimus Bajoribus aliis preciosissime vestitis, semdendoque locum suum tenentibus, repletum, quibus salutatis cum Imperale solium ingredi vellemus ante ostium occurrit nobis interpres, Casparus nomine, subjiciens ne Regis titulum Imperatorio praeferremus, neve filium hujus insalutatum tituloque insigni indecoratum reliqueremus, post nobis intromissis Imperator et filius natu grandior comparuerunt, ambo sedentes, pater in sella a terra per spacium unius ulnae remota, filius loco paulo inferiori dextram ejus claudem.

Ille tunica indutus erat holoserica coloris flavi ornata gemmis preciosis, gestebat collo ornamentum aureum ex vatiis lapidibus confectum, capite pileum ex lapidibus gemmisque compositum, cui corona aurea erat annexa: omnibus digitis annulos, quibus uniones erant inserti, habebat, mane tenens sceptrum deauratum.

Hic tunicam inducrat holosericam rubri coloris, gemmis consutam, capitegmen habens, cui pelles erant subductae.

Coram iis steterunt juvenes 4. secures manibus ferentes qui albis vestibus ex bysso erant amicti.

Magna illis Baiorum erat frequentia usque qaeque sedentium, qui omnes tunicas preciosas gerebant. Imperatori quamprimum visi sumus manum porrexit, et pracco me compellans alto voce exclamavit, Jacobe, *Ivan Vasileviz* tui ita misertus est, ut manum tibi porrigere dignetur, confer te ad ipsum, et manum tuam illi cede, quod feci, quemadmodum et filio ea qua deceret cum reverentia, mox Gregorium Arnoldum, aliosque nobiles omnes idem accersivit, Tum quaerere ex me coepit, Num Rex noster pristina fueretur valetudine, Ego ipsum, inquam me ab eo discedente, bene valuisse, mèque sperare ut adhuc feliciter vivat.

Post haec oratio haberi coepta est, ipseque cum filio a Rege salvere jussi sunt. Imperator cum titulo suo salutationique aures benevolas praebuisset sermonem interrumpebat, non concedens nobis tempus a capite negocium arcessendi, sed imprerans ut ceetera Bajoribus significaremus, quare cum nobis nulla sit data venia fandi, coacti sumus silentio ea praeterire, quae ex mandato Regis merito ipsi exposuissemus.

Hoc facto, jussit nos sedere, nobisque re-

Digitized by Google

sidentibus iterum nos inclamavit Praeco: Imperator hodie vos ad convivium invitat, surgite et agite ipsius Majestati gratias, quod factum est:

Ecinde munera adferri praecepit, quae ubi allata, statim sunt a ministris suis reposita et reservata.

Hisce peractis discessimus ductique sumus in conclave aliud, in quo restitimus, donec nobis sese ostenderent Consiliarii *Bogdan Jacowlevitz Belskoi. Wasili Gregorevitz Susasin, Dementey Iwanovitz Sarremissin,* Cancellarius *Andrey Iucowlevitz Salkanoff*, et Cancellarius *Andrei Wasilissen Terrefeddlina,* quos ad negocium nostrum adhibuit, cum his eo tempore conversati sumus, quoad prandii tempus instaret.

Hinc ubi ad locum priorem deducti sumus, Imperator supra filium accubuerat: deposita illa veste preciosa assumptaque alia ex bysso coloris fusci, capite pileo ex panno rubro gemmisque ornato tecto: filius itidem tunica priore seposita albam induerat, sicut et Bajores omnes vilioribus erant amicti vestibus, purpureis illis, quae Imperatoris erant, magna sumptu ab ipso ad fastum et magnificentiam suam ostentandam comparata, jam reservatis: horum bene multi in hoc convivium adhibeantur mensis aliis assidentes, nobis vero e regione Imperatoris a manu sinistra accubantibus.

Dux cibo nondum allato vinum sublimaticum bibebat, deinde ministri ejus cibum apportantes prout patinas ex ordine omnes ipsi praeposuerunt, ita inter Bajores suos distribuit primumque ferculum supremo suo Capitaneo *Knes Iwan Fedorovitz Stiloffski* misit, qui maximo id honore accepit, assurgentibus Bajoribus omnibus, alterum genero suo *Michil Romanois,* qui eadem observatione accepit, tertio me est dignatus, sequentibus Gregorium, Arnoldum, cunctosque nobiles reliquos: interim per intervallum suis etiam Bajoribus quaedam sunt porrecta.

Quemadmodum autem numerus ferculorum erat iufinitus, sic etiam assurrectio medum non habebat, nam quoties ea mittebantur toties assurgendum nobis erat, idque 65. nec defuerunt apud eos, qui acerbe in nos invecti sint, mandantes ut Caesari honorem praestaremus.

Paulo post poculum mulso plenum a Duce mihi est missum, sicut et secundum alio mulsi genere, postea sibi adferri jussit vasculum aureum in quod infundi curavit vinum Marvisinum quod postquam ori admovisset, mihi et hoc misit, quo accepto gustatoque Gregorio porrexi, qui Arnoldo ipseque Paulo *Wernicken,* qui Johanni *Wenstermandt* etc. Ut omnes 9. liberalitate ac misericordia frueremur et erat hoc signum gratiae (ut illi nominant) de caeteris ne guttulam quidem gustavit.

Hoc facto per interpretem me appellavit dicens: sibi facile constare, nos longam viam non solum terrestrem verumetiam maritimam confecisse maximosque labores subiisse, si aliqua ad vitae sustentationem necessaria nobis essent, ea nobis concedi debere, adjungens quod Neugardiae aliquot septimanas detenti fuissemus, suas habuisse rationes, se enim aliquibus negotiis distentum fuisse, quo minus abitus prius parari potuisset, et erat hoc unicum quod mihi vel aliis inter prandium dixerit.

Mensae omnes patinis argenteis et cyathis adeo erant refertae, ut nullus locus vacuus esset relictus, sed patina supra patinam fuit posita poculum supra poculum, varia simul ac ferculorum ut et mulsorum genera nobis fuerunt allata.

Imperator et filius utebantur cultris ad longitudinem dimidiae ulnae, poculo modo et cocleari ligneo. Quanta equidem cum nausea, quantaque cum morum incivilitate ille commederit, id norunt omnes, qui ipsius interfuere convivio, neminem unquam in vita viderim, cujus conditionis ordinisque tandem fuerit, qui incivilius cibum sumpserit, quam magnificus hic Imperator.

Finito jam prandio, jussit nos interpres surgere, quo facto, Imperator nos ad se arcessit, porrigens unicuique cyathum argenteum mulso subro plenum, quem unus post alterum prout uniuscujusque conditio et status exigebat, ex manibus ejus sumpsit, illisque evacuatis, discessimus, atque viam ad aedes commorationi destinatas direximus.

Die 23. cum vacuus intercesserat, ad aulam revocati sumus, vetitum autem est ne ultra 20. servos in concomittatu haberemus, eoque ordine eaque pompa qua ante incessimus cum sclopetarii iidem Bajoresque praesto essent, nec non Imperator filiusque sol tum locum occupassent. Ostium palatii ejus ingressi, praecepit nobis interpres, ut in sella illic posita resideramus, sed membris vix sedi admotis assurgere jussit, et ad locum tractationi deputatum nos deportare. Quo cum pervenimus, Consiliari, qui tactationem ingressi nobiscum erant, causam nostrae legationis rursus susci-

Digitized by Google

pientes ab hora 9. nisi me mens fallit, ad horam 1. posmeridianam istis negotiis occupati fuerunt, quibus peractis, iter domum fecimus.

Postero Bartholomaei die, quam illa acta erant, denuo Imperatorem invisententes in loco solito invenimus, amictum tunica holoserica coloris viridis filiumque rubri, quibus visis discessimus, postquam tempus illud exiguum, cum residendo tum assurgendo consumpseramus, remque nostram ulterius aggredientes magna sane cum difficultate egimus: dici enim non potest, quanto cum periculo inter eos sit versandum, quantumque elaborandum et dissudandum in isto negocio nobis fuerit,

Quam barbari hi se efferant vel ex hoc potes colligere, quod omnia quae dixerint, rata et firma esse existiment, et quod magis est, contradici sibi in tractationibus non patiantur, nullo utantur ordine, sed omnia inconsiderato effundant, ultro citroque divagentur, prout cogitationes, sibi inciderint, dedignetur aures benevolas rolatis praebere, sermonesque interrumpant, intus omnia canentes (ut Graecorum est proverbio) tantumque ea considerantes quae ipsi in medium abduxerint, quod si quicquam dictum fuerit illis non conveniens, absurdum esse nihilque ad rem pertinere ajunt, atque ita de se solum bene existimantes, prae se alios pro nihilo ducunt, ut merito hinc dici possit: Inter bonos bene agier, inter malos male

Tam superbo et efflato animo Princeps etiam erat, supercilia sine fine attollens, latera erigens, totoque corpore intumescens praesertim audito suo titulo: maxime igitur in eos cadit dictum: Qualis est Princeps, tales sunt subjectorum mores.

Sunt insuper callidi, versuti, pertinaces, effrenati, adversi et aversi, perversi ne dicam, imprudentes, ad omne malum proclives, utentes violentia pro ratione, quique virtutibus (mihi crede) omnibus nuncium remiserunt.

27. Die cum omnia erant scriptis mandata, per monoculum ad arcem vocati, acceptis equis, ad eam perrescimus quam ubi ingressi Bajores ipsius omnes praesto erant, quorum alii in scalis, quas ascendimus, se continebant, magna sane cum gravitate Imperatoriis politi vestibus sistentes. Hos praetereuntes in solium imperiale intromissi cum reverentia Ducem salutavimus, erat enim nobis jam mos ille familiaris, cum aliquoties oculos suos clarissimos (ut verbis illorum utar) vidissemus.

Inde locum solitum causae nostrae agendae decretum cum Consiliariis petentes ab hora 9. ad 1. pomeridianam egimus, ut toti negocio finis videretur impositus, relinquentes Paulum *Wernicken* in arce, ut chartis pueris omnia mandaret, caeterum cum nos reditum ejus diutius expectaremes, multa nocte hora fere 12. venit ad nos nuntius, confidentur loquens Imperatorem in aliquibus articulis mutasse sententiam, et ea quae pridie essent a nobis confecta, constituta literisque comprehensa rescisse, et irrita fecisse, quod nisi jam ipsius voluntati satisfaceremus, actum esse de toto nostro negotio, quare consultum dixit esse, ut statim animum nostrum sibi denundaremus, inter colloquendum mancato ab hoc vix exposito, intervenit alius, imperans ut quam citissime iudex appareret.

Hisce auditis, dici non potest quam varie simus affecti quantusque nobis injectus sit scrupulus, praesertim cum in causa acquieveramus, et omnia pridie ultro citroque verbis habitis magna sum praemeditatione erant tractata et conclusa, maxime autem quod nobis deliberandi spacium non concedebatur, quare cum aliud fieri non posset tutissimus consiliorum portus nobis est visus ea agere concludereque quae ad pacem et tranquillitatem inclinarent.

Hic fere omiseram eos omnia negocia de nocte perficere: nulla enim nocte, quoad nos ibi commorati sumus, somnum in oculis suis viderunt. Sagittarii sclopetariique per dii et pernoctes in eadem statione manebant, qua die prae crito steterant, eo quod unicus Paulus *Wernike* in arce describendi negocio occupatus (ut dictum est) remaneret.

Sequenti die 28 Augusti rursus domum Imperatoriam ingressi sumus postquam ea quae nocte praeterita, mutata, exarata, perlectoque essent, ac eodem die sigiliis nostris obsignata confirmataque. Ubi Imperator sellam suam ascendisset. Gregorium, Arnoldum et me compellavit, se in animo habere inquiens osculo crucis stabilite, quae a Bajoribus suis nobiscum essent peracta, et conclusa confestimque sibi literas obligatorias praelegi jussit quibus prae lectis hora effluxerat.

Sed cum eo tempore proprius ipsi assisteremus et magnum ejus in vestitu luxam contemplaremur, placuit hic interponere, partim quomodo ornatus fuerit, partim quos gestus habuerit, partim etiam quibus ceremoniis usus sit.

Indutus erat tunica rubra holoserica, quae lapidibus gemmisque preciosis consuta erat de



Digitized by Google

colla ipsius pendebat ornamentum ex auro lapidibusque eo modo confectum, quo solebant matronae nostrae nobiles in Dania olim gestare, capite ferebat coronam auream, capitegmini ex lapidibusque gemmisque impositam: manu apprehendebat pomum auream magnitudine capitis puerilis quod undique lapidibus preciosissimis erat condecoratum, in hanc ferme formam:

A latere collocatum erat instrumentum in auratum ad ponum imponendum aptum, cui, id postquam longo tempore manu dextra tenuerat, saepiusque elevarat imposuit: pileum quoque in vosculum aureum quod in promptu erat deponens, aperto capite sedebat.

Interea temporis, cum praelegerentur ipsi literae, res prorsus alias agebat sic ut corpore modo non animo adesse videretur, cum enim ad se Bajores vocabat, nunc cum hoc nunc cum illo colloquens, ridendo verbaque faciendo totum illud tempus consumebat, tum etiam non longe ab ipso erat *Bogdan Jvanowitz*, *Belskoi*, quem hilari vultu apellabat, ut blandissime potuit, commonstrans ei annulos suos (quos satis preciosos in omnibus suis digitis tam manus finistrae quam dextrae habebat) manibus extensis, vaginam quoque auream sub pallio reconditam digitis appetebat, visusque aptabat nec non ad cinguli extremitatem deaurati manum intendebat, baculum ad haec, cui lapides inserti erant splendidi dextra tenebat, octeae gemmis consutae inpedes inductae erant: ab utroque latere astiterunt 4. adolescentes albis vestibus holosericis induti, aureis cathenis cincti securibusque muniti. Filius vero suum locum obtinens rubra erat amictus tunica, in manu habens cuneum inauratum.

Sub lectas literas accessebat ad se dux Bajores duos manibus vas tenenter, liberasque apportari mandabat, quibus comprehensis surrexit, manuque coma ornata Regias vasi imposuit suasque superius iis adjunxit: similiter et crucem lapideam auratam magna sane cum gravitate, et magnificentia, admotoque ori vase eam osculatus est proferens se promissis staturum omniaque bona fide servaturum.

Hisce gestis novum testamentum Ruthenico idiomate conscriptum afferebatur, cui nos digitos imponentes Evangelium S. Joannis osculabamur, atque in animam Regis nostri, quod in mandatis habuimus, jurabamus, ipsum agentes pro se quoque inviolabiliter omnia esse servaturum. Quod cum factum est, jussit nos sedere, ac tria pocula multo referta unicuique alternis vicibus unum post alterum bibendum dedit, quibus ex manibus ejus sumptis evacuatisque manum porrigens nobis valedixit, item et filius, mandaruntque ut Regem de se salvere juberemus.

Talibus indicatis dimissi sumus, prius tamen gratias illi pro beneficiis in nos collatis egimus, pro quae libertate captivorum Livoniensium ex Provincia *Oesel* et *Wigk* ipsum deprecati sumus, qua se eos donaturum condixit. Omnibus jam transactis domum nos contulimus, hora pomeridiana, ni fallor 12.

A prandio venit ad nos index a monoculo (qui frequens nobis aderat nostrique curam habebat) nuncians munera Imperatoria in promptu esse, quae nobis ille apportare vellet, quod idem paulo post alter sicut et tertius significabat, nobis in sermone injiciens, ipsi in animo esse ea dona Imperatori, quae a nobis reciperet commonstrare.

Quo decedente, venit tandem ipse cum muneribus pelliceis portantibus illa viris. 43, chartis omnia erant comprehensa et unicuique sua assignata.

Dona sane erant perquam egregia, quae precio justo aestimata, infra aliquot dalerorum millia non potuissent emi fuerunt autem quadragenariae pelles Sabellinae 27. et martiniae 17. quamvis nemini quicquam datum sit nisi Gregorio, Arnoldo, Paulo *Werniken*, Johanni Wenstermanno, Georgio Swavenio et mihi, qui Imperatori munera obtuleramus.

Haec a me optime lector impraesentiarum habebis de ultima nostra apud Moscovitam praesentia, quid ibi nam acciderit, quibusque ceremoniis foedus initium sit, nec est quod plura hoc tempore expectes. Sed antequàm alia commemorare aggrediar, paucis significabo, quomodo nos famulique nostri Slabodiae simus tractati, quaque benevolentia in nos usi sint.

Eodem vespere, quo eo venimus, significatum est nobis Jmperatorem cognovisse nos tubicines habere, quorum opera quotidie usi fuissemus, in via, praesertim prandii et coenae tempore ad certiores reddendos singulos de cibo sumendo, quod modo ne fiat illum prohibere, praeterea interdicere ne quis nostrum e curia in publicum prodeat, sed unusquisque intra parietes sese contineat.

Quid? quod cum ad aulam vocati sumus, non famulis nostris fuit integrum se nobiscum eo conferre, sed a Ruthenis injunctum est qui-

Digitized by Google

busdam, qui nobis adesse deberent, aliis est aditus interclusus.

Ad victum quod attinet, perquam male ab iliis accepti sumus: nullum cibi genus nobis est porrectum praeter boves, oves et pullos, piscibus nullis allatis, quamvis adessent piscinae quam plurimae: nec cerevisia nobis est procurata, sed tantummodo mulsum pro famulis vile satis et inutile aquae instar, ut saepius id intactum reliquerint: penuriam quoque aquae siti admodum confecti sustinuerunt, cum exitus illis fuisset interdictus: nam aqua ad coquendum usa aliunde advehebatur eaque minus erat pura vasis etiam sordidis contenta, eadem tamen sitim multoties extinxerunt.

Taceam quod nemo nos toto illo tempore inviserit, vel nobiscum conversatus fuerit praeter Praestablios et Bolherum nobis inservientes, siti, quid in quam extincti fuissemus, nisi vina nostra ad manum habuissemus, quae in illum finem erant advecta, ut cum Bajoribus Ruthenorum illa communicaremus, sed cum nemo se nobis ostenderet qui tanto honore dignus judicaretur ea, quae supereant, a nobis in usum proprium sunt reservata.

Excurso utcunque instituti mei primo curriculo, profectionis videlicet ad Moscovitam, quee miliaria 332. tam mari quam terra confecta complebat: secundum nunc demum feliciter ingredior, in quo regressum in Daniam breviter perstingere satagam.

29. Die Augusti postquam munera nobis erant apportata, significatum est nobis, ut eodem die abitum pararemus, de quo antea certiores facti non sumus sed cum hora tum temporis circa 32. pomeridianam esset, ante 5. non discessimus, ducentesque noctem illam insomnem (qua 6 miliaria sunt transacta ad coenobium *Troitze* venim, inde altero die *Demittroff* interfecimus: in qua via visitur coenobium *Sanct. Nicolaus* nominatum, ex lapidibus egregie aedificatum arcio instar: 3 die ultimo scilicet Augusti *Elia* villam ingressi sumus, relicta quae ea 1. Septemb. *Geroden* pernoctavimus.

Verum enim vero cum distantia locorum in superioribus satis commonstrata sit, hic ea te missam eam faciam, ne plus quam oportet in ea versari videat, et calamum ad urbium locorumque descriptionem convertam, sicut et ad ea, quae notata digna inter proficiscendum inciderunt.

*Geronden* discedentes *Othfer* pervenimus: qua in via undique nos offenderunt Tartari ex Livonia redeuntes adducentesque secum quam plurimos captivos, quorum aliqui sauciatia vulneratique erant, viros foeminos, puellas pariter ac pueros.

Foeminas puellasque, quas capiunt, divendunt, inter amicos distribuunt, aliisque dono dant, qui iis pro suo velle utuntur, earum quae pertae si remittur, repudiant, aliisque violandas relinquunt. Heu hominum calamitatis atque miserias! Qnid enim excogitari potest miserius, quam in talium Tyrannorum manus incidere, qui non secus cum hominibus Christianis quam cum animalibus brutis ac irrationalibus conversantur?

Quid denique lamentabilius conjugibus, qui copula matrimoniali indissolubilique conjuncti sunt, esse potest, quam se separari ac se jungi?

Vir a costa sua in *Casan* et *Astrachan* contra Tartaros mittitur, uxorem ejus Ruthenus rapit, vitiat stuprum infert commaculatque: ille sauciatus vulneratusque occumbit, hic noctesque diesque voluptatibus cum uxore ejus vitiisque indulget. Sane meo arbitratu non minore clade affligendi erunt hic quam David, qui Bersabae vim intulit Uriam que lacerandum dedit.

Nec solum horum peccatorum rei sunt subditi incolaeve sed etiam ipse dux: habet namque (ut ajunt) in gynaeceo suo 50. virgines, ex illustri familia oriundas eque Livonia abductas, quas secum, quo se conferi, ducit, iis loco uxoris, ipse uxoratus non sit, utens.

Sed haec Deo justissimo vindici punienda relinquamus, qui scit suo tempore ea compensare: habet namque vindicem oculum, ut canit autor ille Graecus: ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Eo in loco certiores quoque facti sumus Tartarum *Crim*, qui jam pridem aufugerat, rursus Ruthenis insciis magna manu iisdem diebus quibus nos Imperatorem reliquimus, inopinato advenisse, insignique, stratagemate usum Ruthenicas oras occupasse. Quodnam istud fuisse quaeres: Ante mensem ad Moscovitam hominem forte deploratae spei ac demissum legaverat, qui eum ipso de induciis ageret: cui Imperator Cancellarium suum *Basilowitz Solkan* misit cum hoc de iis acturum: interea Tartarus se armat, resque suas ad bellum necessarias disponit, legatoque in Russia adhuc existente bellum Moscovitae inferens vi armisque regnum ejus invadit. Quid vero effectum sit, quique finis armorum susceptorum

Digitized by Google

fuerit, suo tempore absque dubio revelabitur. Adde quod incertum, facient hoc tempora certum.

3. Die ejusdem Mensis *Torsoch* advenissimus, altero ibi die delitescentes, cum equos currusque habere nequiremus, dedicerant namque novi nostri Praestablii ab aliis Slabodiam nos ducentibus pecunias a praefectis oppidi sumere, ut illi jumenta sua integra retinerent, et nobis iisdem, quibus eo vecti fueramus, ulterius utendum esset, et quamvis a nobis sint admoniti, ut ex aliorum vitiis ipsi emendarent suam, ne in eandem etiam suspicionem incurrerent nam custodia alii post nostrum abitum ob furtum in via commissum detinebantur, nec prius quam locis essent caesi et 700. daleris mulctati dimittebantur, et sic male nostram susque deque ferentes eodem se furto contaminarunt ut affirmari de his possit, esse longe post natos homines improbissimos.

5. Die *Widropusck* ambulavimus, quo undique catervatim nobis occurrerunt Tartari cum hominibus in praefectura Rigae captis.

6. Die *Wisnoiwolotsock* digimus, ubi naves, quae nobis Slabodie commorantibus in nostros usus erant constructae, ascendimus easque Neugardiam isthinc miliaribus 100. remotam applicavimus.

Caeterum cum iter illud maritium non solum fuerit periculosum, verum etiam perquam taediosum, non dissimulandum esse duxi, quanta cum difficultate periculo permixta illud absolverimus. Sic ergo primum habeto.

Commodum nos propter lapidum, rupium aliquarumque rerum copiam navigationem impedientium carsum nostrum perficere potuimus, cum toties naves tanto impetu rupes attingerent, ut nisi novae fuissent, nunquam sustinuissent tantas collisiciones: ducebamur enim flumine secundo adeo vehemens aliquibus in locis erant, ut celerrimo suo cursu praeter spem saepius nunc prona nunc puppi montium calmina quassaret magno sane cum navium dispendio. Deinde etiam incimus in vadum prae aliis periculosum undique lapidibus refortum, ad navigationem minimeque appositum, ferebantur ibi gurgites a locis altissimis 4. miliaria in profundissimos lacus petrosos, ut saepius magna undarum violentia naves rapi soleant et in minutissima frustra dispergi: nostris vero nos praecavere nitentes, onerariis levatis, equis et curribus 4. ea miliaria vecti sumus, vacuasque illas locum istum transire permisimus, quas cum iterum conscenderemus ex parte dissipatas destructasque reperimus.

Ad haec Praestablii nostri dedita opera amplius. 30. miliaria nos circum circa hac navigatione duxerunt, ut viam quae uno die confidi curribus potuisset, duobus vel tribus absolvere remis ne qui verimus: adeo enim curvatim per anfractus multos modo versus ortum modo occasum: modo meridiem, pro ut amnis revulos suos extendebat, sumus ducti, ut nihil longius fuerit nobis ultro citroque navigantibus, quam iter hoc maritimum

Domus insuper, in quas divertebamur ante solio occasum nunquam ingressi sumus, easque inanes, sordias, destructas minimeque sartas tectas in venimus, adeoque calidas ex fervore clibanorum (quibus in omnibus domibus utuntur) ut nulla cum jucunditate sed magno cum fastidio virium que imbecillitate iis utendum nobis fuerit.

Hic percontari quis posset, quamobrem novale iter potiusquam terrestre nobis adeundum fuerit. Huic quantum mihi conjectare licet, respondeo, tres fuisse ejus rei causas. Prima quod tanta illis inopia victualium et equorum esset ut nós Neugardiam iis perduxere nequiverint. Altera, quod Imperator eo caveret, ne exercitus suus e Livonia rediens nos in via cum captivis offenderet. Tertia quod hac circum ductione tempus nobis prorogaretur, et ut tanto citius legati sui in Dania mittendi nobis comparerent. At ut fuerit, cum hisce tum aliis perfuncti sumus molestiis, ut illius temporis memoriam adhuc perhorrescamus, usque adeo enim Praestabliis nostri fuimus invisi, ut quaecunque sciebant nobis esse contraria, summo studio et alacritate exequi laborarent.

Quando nos in singulos ferme dies cum lucesceret conscendimus, quo longum illud iter ac periculosum semel absolveretur, sustulerunt nobis remiges, ne ulterius, quam illis visum erat, progrederemur, et quamvis eos non raro de iis aliisque rebus navigationi necessariis solicitavimus, nihil tamen vel precibus, vel etiam minis ab illis extorquere potuimus propter ea quae illis grata ac suavia videbantur Econtrario, si aliquando nobis tria tantum vel 4, miliaria essent absolvenda noctu circa horam 1. vel 2. tanto cum clamore et strepitu nos perturbarunt quietemque interruperunt, expostulantes profectionem, ut nobis nolentibus volentibus obsequium iis fuerit praestandum.

Digitized by Google

Quid? quod si quandoque ad ea loca pervenimus, in quibus quicquam venale reperiebatur, statim mercatoribus est interdictum, ne quicquam vel venale exponerent vel nobis praeberent, si vera perceperunt illos rerum aliquarum apud nos mentionem fecisse statim locis caesi sunt, ut ex nostro conspectu omnes se subduxerint, et tanquam pestem fugerint: quod exemplo comprobare satagam.

Cum 12. Septemb. circa noctis crepusculum Bielai civitatis littora attingeremus, emisso interprete nostro, anseres duos pecuniis nostris comparavimus quibus collapsos ex fatigatione vires acturum repararemus (nihil enim nobis per totam illam viam procuratum est praeter vaccas, oves et pullos, quae primum multa nocte adducebant, ut coquis nostris tempus mactationis coctionisque vix daretur, quia priusquam omnia erant mactata atque ad satietatem cocta naves eos rursus conscendere coegerunt et propemodum infregerunt) quod cum forte fortuna cognoverant Praestablii, exemplo tanta cum tyrannide, tantoque cum animorum aestu miseros istos homines, qui anseres divenderant loris baculisque agressi sunt ut si crimen laesae Majestatis comisissent, majores plagas verberaque Christiani illis infligere nequiissent.

Die praedicto, multae naves adverso flumine ab equis tractae nobis occurrerunt, omnes onustae hominibus captivis, inter quos matronas virginesque nobiles quam plurimas conspexim, quae vultu et manibus tristissima signa dedere, unde quamvis sumus maxime commoti, suppetias temen nullas illis ferre potuimus.

16 Mensis multa nocte attigimus coenobium S. Nicolaus dictum, splendidum satis atque loco amoenissimo fundatum, sed perturbatum: e vita enim omnes Monachi ab Imperatore erant sublati atque undis suffocati propter odium in eos conceptum. Hic prohibitum est, ne vel cibus in coenobis coqueretur, neve tubicines tubarum clangorem ederent, locum sacrum esse affirmantes.

Postremo 17. Die Septemb. Neugardiam tandem navibus appulibus postquam longe lateque peregrinate diesque 11. per mare, per terras, qer multa pericula vagati et a Lucifero ad Hesperum usque quotidie ceriam vecti essemus. Quo cum perventum est hospitia antiqua ingressi sumus, cum omnia jam nostra negotia Slabodiae essent peracta, sed in his nos fefellit opinio, detenti enim sumus in diem Mensis 24. atque ita ubique sumus frenis remorati, ut miliare progredi ulterius quam illis visum fuerit, nunquam lucerit.

Quamvis quotidie precibus eos instigavimus, ut nobis dies abitus significaretur, cum nihil nobis profectione esset antiquius et hyemem in foribus, nobisque mare trajiciendum esset scierem, quod illo anni tempore maximo cum periculo est conjunctum, expiscari tamen prius tempus quam apparebant nobis currus et equi, quibus Plescoviam duceremur, non potuimus.

Majorne in ullis hominibus vigere posset invidia, majorne malitia, qui nihil praetermiserint quod ad iram, tristitiam, vel aliam animi perturbationem provocare nos potuisset? rongum foret pluria mihi dicere praesertim ad alia prope Lanti.

Interea temporis cum ibi moram agimus, per civitatem deducebatur magna captivorum Livoniensium frequentia (exceptis iis qui in itinere undique nobis obviam prodibant) ultra 1000 homines senes et juvenes, mares ac foeminas, horum alios Moscoviam Tartari abduxerunt, alios in civitate divenderunt et hi ante templi fores ut ab omnibus conspici possent collocabantur, emptores vero et venditores ante aedes nostras congregabantur, illique quos capiebant de iis eligentes vili precio sibi comparabant. Hi miseri homines adeo squalidi, nudi ac pannosi incesserunt ut summa (mihi crede) cum commiseratione a nobis sint visi.

8. Calendas Octob. postquam totum octiduum inviti Neugardiae delitueramus, Bajoribus visum est, nos inde demittere, collectis itaque; et procuratis equis curribusque hora 2 pomeridiana abitum paravimus, vesperique *Lentowam* illam destructam accessimus, inde 25. die ejusdem mensis novam Russiam, hinc Plescoviam die Michaelis pervenimus, duas noctes pernoctatibus nobis in via locis notatu indignis.

Illic in diem 1. Octob. quevimus, et cum equi recentes et integrie praesto non essent, qui deffessis succederent, iisdem quibus a Neugardia eo veneramus, Turbatum progrediendum nobis fuit primaque nocte *Garell* hospitio excepti sumus eoque relicto *Repenschi*, postea *Harensche*, unde Tarbatum 4. Octob. pervenimus.

Hic denuo detenti sumus per Mensem ferme antequam alio nos conferremus ob legatorum Ducis tardiorem adventum, qui nobiscum Daniam repeterent et ante diem 19. Oct.

Digitized by Google

non apparerent: quanto autem cum temporis taedio, tum animotum molestia ac cruciatu ea mora nobis sic injuncta, exprimi verbis nequit propter causas peculiares, quarum aliquas hic recensebo: 1) quod nobis maritium iter (cujus antea mentio est facta), ingredi incumberet, et sane periculum esset, ne mare gelu obduceretur nobisque navigatio intercluderetur cum anni tempus adesset, quo naves solent post hyemales quaerere et vela furesque nautici deponia 2) quod exercitus Regum Poloniae et Succia sicut et Moscovitae non longe castrametarentur ab illa via, quae nobis erat praetereunda, Ruthenisque nos pernoviam ducere esset difficile: saepius enim hi animum mutabant, modo volentes nos bona nostra pelago modo viae terrestri committere, prout certiores de hostium castris fiebant 3) quod locus usquae adeo ab incursione hostis tutus non esset, in quo pedes fixeramus: inopinatus ei adventus quotidie erat metuendus, cum aliquoties hac aestate cum invasisset: visebantur adhuc ante portas necatorum cadavera, quae non terrae mandata, sed partis ac agris fuerant relicta, a canibus et porcis dilacerari.

Hinc deploranda erit infonda Livoniensium calamitas et execranda Ruthenorum crudelitas, qui non secus ac bones rugientis in illos saeviunt, et sedulo insectantur ut eos appraehendant, apprehensos veluti rabidi canes ac porci dilanient ac devorent.

De vita horum praeterea quid dicam nescio, nisi forte, quod circa nulla alia negotia versentur quam bellica, in iisque laborum sint patientes, inediae sitisque laborantes, ut brutorum animalium instar vitam fere omnes degere videntur solis panibus plerumque famem depeliunt aqua sitim restinguunt communem cum tantis bibentes cerevisiam: raro illis domi esse conceditur foris castra ut plurimum sequi coguntur, nunc sines Ruthenicos contra Tartarum, nunc Livoniae contra Polonum et Suecum defendentes. Sed de his satis, scopum ad alia dirigamus et tractationis nostrae, quoad Tarbati fuimus, narrationem aliquam instituamus.

Ubi eo tenderemus certo certius statuimus indigenas hospitia sua nobis praebituros, verum expectationem nostram Praestablii fefellerunt, urbeque nobis plane interdicentes in suburbium nuper a Suecis conflagratum ad recta sordia perturbata, nec sarta nos duxerunt, quae si inspexisset magis suibus et canibus convenientes haras et caulas esse, quam nobis commodo domicilia te dixisse non dubitarem, nam duarum triumve horarum spacio simo sordibusque repurgari non potuerunt, nec non caruerunt cubiculis, mensis, fenestris, scammis, rebusque aliis, quod satis admirari non potuimus praesertim cum *Issdan Iwanowitz*, qui nobiscum ex Dania adverat partes perfecti hujus urbis sustineret, et saepius in via nobis esset pollicitus se beneficiorum Hafniae sibi praestitorum non futurum immemorem.

Quamvis vero eo die non pransi fuimus, attamen commeatus a Praestabliis non est advectus: pisciculis ergo paucissimis clam nummis nostris acquisitis contenti dormitum nos contulimus, halecibus Norvegicis pro servis famulisque nostris eruptis viliori precio, quam Hafniae vel alibi in Dania comparari potuissent, tres enim Danico vendebatur solido, quod minime existimassem, nisi propriis vidissem luminibus, quoniam a locis remotissimis essent advectae.

5. Die supremus arcis praefectus per famulos nobis misit bellaria, poma (si recte numerum memini) 15 pyraque 20 cum mulsi quadrantibus duobus quem postridie subsecutus est minister Isdani mulsum itidem ac poma afferens.

Aderat quoque nobis ex Bajoribus quidam, qui nobiscum iter in Daniam susciperet, indicans se nos eam ob causam convenisse, ut animum in nos gratum ac benevolum ostenderet, utque audiret, quaenam nobis ad victum essent necessaria, ea se nobis procuraturum, gratiisque ipsi actis discessit: nos vero cum vellemus ipsum eodem die de rebus quibusdam necessariis solicitare, Plescoviam se abdiderat, isthinc (ut praedictum) miliar. 25. Ex hoc facto liquido constat cordis et oris ipsius magnam fuisse discrepantiam, illud a vero longe aberrasse, hoc vanitatem modo oluisse.

Fere hic neglexeram, Praestablios insidias nobis indicique nostro Oesiliam nos praecunti, similiter, ut alias, struxisse quae dissimulandae non sunt, sed magis commemorandae ut omnibus palam fiat illorum in nos odium, et nemine clam sit, diffidentiam ac malitiam eorum modum excessisse, quare eas sic lector percipias velim.

Cum Slabodiam relinqueremus, facta est a Boldano monoculo mentio navium nostrarum, quibus mare transmittendum esset, quonam in loco essent conscendendae ipso rogante, huic

Digitized by Google

ubi significatum est, eas circa castellum Arnsburgum se contenturas quoad ejus fieri prae hyeme posset, nec inde abituras antequam de nobis certioris aliquid haberent earum gubernatores, modo nisi vel nimio tempestate vel etiam *gelu* saevitia depellerentur, quod ubi intelligeret, ajebat consultum esse, ut indicem aliquem praemitteremus, nunciantem nos in *itinere* esse, indiesque Oesiliam properare, quo melius omnia, quae ad usum nostrum sufficerent, ibi prospicerentur, et ut idem, negocio effecto, nobis rursus vel Tarbati vel alibi obviam veniret, annectens his Praestablios in mandatis habere, ut cum nobis visum foret, illi ductorem adjungerent, ut hoc tutius res suas expediret, eoque citius ad nos rediret, quod consilium animo grato ac benevolo accepimus, certo certius nobis persuadentes ex corde candido atque sincero ab ipso proficisci, sed fucum ei subfuisse, postea intelleximus, ut paulo post dicetur.

Cum igitur Neugardiam venimus, in memoriam nobis revocantes ab ipso Slabodiae dicto, cum Praestabliis egimus de ductore equisque indici nostro procurandis, hi sese ad ea exequenda promptos ostenderunt, quare acceptis equis cum ductore, relicta Neugardia 19. die Septemb. iter aggressus est: antequam vero abitum pararet, Praestablii nobis se obtulerunt, et post habitum de variis rebus sermonem ad navium mentionem dilapsi dixerunt, Imperatoris esse mandatum, ut nostrae Pernoviam appellerentur, ibique nos ejusdem legati nobiscum ituri eas ingrederemur: Quo audito, maximopere commoti respondimus, alienum nobis videri talia se in medium offerre, nos equidem statuere prohibere non posse, quin provinciam Regis Oesiliam ingressam reviseremus, ubi victualia nostra in navigationis usum essent reservata, ubi quoque Regia negocia nobis commissa essent expediunda, seque navigandi conditiones ignorare, impossibile enim esse naves tantas nostro usui destinatas propter rupium montiumque impedimenta Pernoviam posse pervenire, nos igitur ad impossibilia obligari non posse.

Sed haec non secus acceperunt, quam si surdo narrata tuisset fabula: et ut semel dictis finem imponam, post longas controversias disceptationesque tandem coacti sumus per literas naves mercenarias triremesque Pernoviam ab Oesilia revocare, alias terrestre iter minime ingrediendum nobis fuisset. Nec hisce dolis contenti fuerunt, sed et retia alia posuerunt: nam index ille noster, cui serio injunctum erat, ut quam citissime iter ad nos reflecteret, in via multis diebus ubique locorum studiose detentus est, ut tardissime Oesiliam attingeret, quo ubi tandem pervenisset, negociisque ibi expositis Pernoviam repetiisset, ipsi ulterius progredi vix fuit licitum, sed usque in diem adventus nostri ipsum reservassent, nisi tempus in tantum nobis Tarbati fuisset productum.

Hinc conjectare licet perfidum illum monoculum istud in hunc finem Slabodiae suasisse, ut terrestre nobis iter impediretur, navesque Pernoviam vocatentur, quod silentio tum temporis praetermittebat, non ut revera rebus nostris consuleretur, quod praetendebat.

Plura de his dicere taedio prorsus afficior: unicum hoc tamen quod accidit scitu non indignum addam: Postquam jam per veredarium nostrum naves triremesque Pernoviam vocatae essent tempusque provogaretur antequam Arnsburgum perveniremus, visum est arcis hujus praefecto nuncium nobis mittere, a quo certiores redderemur naves vela Pernoviam versas direxisse, ac suadere, ut quam citissime properaremus ne propter hyemis velociorem adventum quae maturius in illa Boreali plaga exoriri solet, trajectus nobis impediretur.

Huic nuncio adjunctus fuit ex praefectura Pernoviana socius, qui recta ipsum Tarbatum duceret, quocum ambos 16. die Octob. advenire Rhuteni sentirent, ductorem obducunt atque in carcerem mittunt, eo quod se ipsi viae comitem indagatoremque praebuisset. Hic perpendas quaeso, quam perversum genus hominum sit hoc Ruthenicum, quantoque odio in nos flagraverit, quibusque cum molestiis inter illud per semestre versari simus: nam nec assiduis nostris precibus ille carcere liberari nec gratiam recuperare potuit.

Dum hic detinemur, ad aures nostras perferuntur rumores, Succorum praesidia nobis non longius abesse, sed totum ferme tractum a Pernovia Tarbatum depopulari, nuncque illam nunc Velinum urbem jam arces *Armuth*, *Karkis* et *Runge*, aliaque loca a Ruthenis devicta invadere: quos esse certos ex forti bombardarum sonitu, qui per tres integros dies a nobis audiebatur, ipsi Ruthenis revelare illud nolentibus, conjecimus, arbitrantes vel urbem velinum vel aliquam trium istarum artium expugnatam iri.

Exercitus hujus praesentia metu dubii et

Digitized by Google

suspensi tenebamur, eo quod ad civitatem, cujus portae nobis erant interdictae, refugere, si hostes inopinato advenisset, nobis non daretur, et domus, in quibus delitescebamus, ab urbe remotioribus locis essent constitutae, in iisque, ubi facile ab hostibus spoliari, conflagrari atque in nihilum redigi potuissent.

Quaerere quisquam hic posset, ubinam gentium interea Ruthenica cohors sese continebat cum hosti sese non opponeret, sed grassandi saeviendique potestatem concederet? Illi significatum velim Ruthenos eo tempore sese ad arcem Wenden armata manu contulisse, praetendentes sibi injunctum esse ut se ut ad illam expugnandam manus hostiles moverent neque inde discederent antequam arcis essent potiti. Hic nuper captus est dux magnus Cristiani 3 Daniae Regis filius: Hic tantam Moscovita in matronas virginesque nobiles tyrannidem exercuit, ut audiendum ne dicam dicendo toto corpore extremiscam. Sed cum ad instituti nostri propositum non pertineat, missum id faciamus et Apologiam Livoniensum nuper aeditam consulendam in dagateribus relinquamus, quae miserabilem istius calamitatis exitum perstringit.

Sermonem modo ad ceremonias, quibus formenta bellica deducuntur, atque ad castra mittuntur, dirigamus.

Cum bombardae loco amorentur, adest sacerdos eas aqua sacra conspergens, catilenisque et precotionibus Ruthenicis consecrans: inde miseris rusticis trahendae committuntur, quorum opera loco eorum ad eas deferendas utantur: Vidi iterim justae magnitudinis formentum ab 800 hominibus trahi. Quod cum ad castra delatum esset accepimus die postero, Polonos, qui in arce Wenden sese continebant iisdem diebus irruptionem in Ruthenos fecisse, levioque bello cum eos pugnasse, victoria penes illos manente, caesis profligatisque Ruthenis ad numerum duorum millium qua in pugna exercitus dux supremus globo ictus interiit, cujus cadaver Tarbatum est vectum intromissum, atque, lugubri modo sepultum: alter dignitate ab hoc secundus cum Bajoribus innumeris sauciatus vulneratusque est, ut ipsius salutem, et aliorum, Chirurgi omnes Tarbatenses, ad eos curandos adducti despererint.

Nec hac cladde commoti manus hostiles ab arce abstinuerunt, sed magis ac magis obsidione urserunt propter Cancellarii, Andreae Solkani praesentiam, quem eo Imperator nuper miserat, ut suo nomine exercitui praesset, militesque ad arcem expugnandam instigaret imo non tam instigaret quam potius significaret, Imperatoris esse animum, omnes illos, qui prius ab obsidione desisterent, quam arcis politi essent, ferro interimere. In mandatis idem habebat ne hostium vel minimo nedum maximo perceret, excepto unico arcis praefecto, quem sibi vivum adferri voluit, ut in eo cruciando animum expleret suum.

Haec dicta sint pro narrationis hujus colophone, jam animum ad alia transferamus.

Postquam longo temporo adventum legatorum expectaveramus, 19. October. advenerunt unde maxime sumus recreati nobismet abitum pollicentes eo quod omnem moram in iis fuisse Praestablii hactenus praetenderant, sed sicut in aliis multis, ita quoque hac in re decepti sumus.

Nam post suum adventum, tempus in triduum protraxerunt, antequam nos convenirent, quicquamve nobis significarent, quibus elapsis, equos nobis per Praestablios miserunt, quibus se inviseremus. Quam primum vero illis apparuimus, salutatione praemissa, antequam verba de rebus aliis faceramus, coeperunt conqueri copias Succorum castramentari inter Tarbatum et Pernoviam, quae via nobis esset calcanda, qua propter consultum fore putabant, ut Tarbati commoraremur, donec castra moverent, alioque se conferrent, et eo tutius Pernoviam proficisceremur.

Ad has querelas ego, nos, inquam longo tempore ubique locorum detentos fuisse, praeter omnem vel Regis nostri vel nostram expectationem contraque omnem fidem datam, eo quod salvo conductu vel literis securitatis essemus muniti p mittentibus liberum nobis in Russiam ingressum ac in patriam regressum absque nostro rerumque nostratum ullo impedimento, quae nisi fuissent, Rex minime nos eo legasset, si interim ipsi promissis stare vel nos dimittere nollent. Deo omnipotenti et Regi nostro id aperiendum atque conquerendum esse addens, nos exercitum Regis Sueciae non timere, cum nostro Regi cum hoc nulla esset inimicitia, sed ad profectionem absque ullo ductore paratos esse.

Haec etsi aperte satis atque acerbe illis dicta sint, iis tamen audientes non fuerint, sed eandem contilenam eadem saepius iterando cecinere, unde factum est, ut illis in hospitiis suis relictis ad destinatam domum irati nos contu-

Digitized by Google

lerimus, praesertim cum iter liberum et omnis impedimenti expers fuerit propter Succi absentiam, qui jam cludum illam viam reliquerat rectaque cum expeditione sua Wenden tenderat, ibi expectans auxiliares Poloni copias, quas eo collatis cominus signis auriem direxisse acceperat, nec illa ipsius opinio eo fefellit, sed eodem die, quo arcem Rutheni debellare signaque in illam convertere sagaterent, uterque exercitus convenere, procinctumque illico contra hostem moventes cum exercitu numeroso pugnaturi egressi sunt, ac Ruthenorum castra pervaserunt, caecideruntque aliquot millia: nam fusus est fere totus illorum exercitus (occupatis 33 tormentis cum globis ac pulvere) reliqui vero infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga districti vix cladis tantae nuncium retulerunt, quorum quidam Tarbatum sauciati spoliatique venere hos si vidisses, vix a risu ne dicam lacrymis te abstinuisses.

Nec hujus periculi immunis erat Cancellarius Andreas *Solkan*, cui rerum istarum summa erat commissa, sed in manus quoque hostium incidisset, nisi fuga sibi ilico consuluisset. Itaque fugit ac cessit, et in arcem *Nonnenborch* se recepit. Hanc ob hostium victoriam dici nequit, quantus Ruthenorum animos timor invaserit, nam par, ut ferunt, in nostris temporibus a diebus patris hujus Imperatoris his in locis pugna commissa non est quare tantem terrorum nominum sacrum in istis oris Succi Polonique circumtulerunt, ut nostri Praestablii, quam Pernoviam nos ducerent, inter proficiscendum saepius animo adeo sint perculsi, ut nos per rectam viam ducere non ausi fuerint, sed per multa devia loca a recto cursu deflexerint. Sed de his hactenus revertamur ad profectionis nostrae descriptionem.

Die postquam per Mensem minus diebus tribus inviti ante urbis Tarbati portas in domibus sorditis delituceramus, legatis vero Imperatoris in civitate commorantibus, (ad quam se contulerunt cum hostem in vicino esse cognovissent, nec non pagani cum rebus suis omnibus ad civitatis praesidia confugerent) profectionem paravimus, partim metu, quam de hostium adventu susceperant, partim etiam propter instantem hyemem, quam conspexerunt nobis esse proximam eoque die dimidium miliaris profecti sumus ad villam quandam *Arvekolla* nominatam, inde *Ellinkfehr* isthinc 6 miliaria 3. die *Uberpolen* venientes 4 miliaria absolvimus.

Ignoro num ad notandum sit arcem hujus oppidi nuper a Ruthenis fuisse debellatam atque Neugardiae nobis degentibus expugnatam, antea enim Regi Succiae erat addicta, atque a duce Magno Daniae Regis frater ipsi concessa, quare eo acerbius obsidione eam Rutheni quassere, urebat enim eos illam sibi ablatam, quam prius tenuerant. Hinc Carnollum miliaribus tribus ab *Uberpolen* remotum postea Velinum. 2. Die Novemb. pervenimus, postquam 6 miliaria transegissemus.

Hanc urbem quoque ingredi Praestablii nostri recusabant, sed in quadam ante portam area sub diu divertimus, nam omnibus in locis paupertas eorum domos depascebatur, qui locupletes jam olim fuerant.

Hic accepimus ductorem Revalici exercitus Hannibalem non post multum cum praedis omnibus Wenden venatis totum Ruthenicum tractum Revaliam versus illaesum transgressum esse, non obstante, quod urbem Velinum Pernoviamque proprius accesserit, unde conjectare licet vires illos defecisse num nec super hos irruerint, nec acceptae praedae inhiaverint.

Hinc 4 die Novemb. iter Pernoviam versus ingressi sumus prima nocte in villa *Kept* commorantes, postquam 3 miliaria transegissemus, cum vero a bello Rutheni in hisce locis aliquantum respirassent absente Hannibale, qui non multis ante diebus Revaliam (ut commemoratum est) cetenderat, properanter nos ductarunt, quo Pernoviam prius attingeremus, quam cursum ille reflecteret, signaque in civitatem converteret, sicque Pernoviam venimus 6. Novemb. pernoctantibus tamen nobis una nocte in casulis quibusdam vilissimis a *Kept* 5 miliaria dissitis aque Plescovia 7 huc usque Praestablii nostri sese nobis comites praebuere, et quam vis jam ditiones Ruthenicas Livonicasque transgressi fueramus, mareque, quod retransmeandum esset, attigeramus non tamen poterant se continere, quin more solito hic quoque nobis obstaculo essent nosque adiram provocatentinam cum eo ventum est ad aedes cujusdam hospitis Germani ante urbis portas (quod semper fieri solebat) ego diverti existimans ab ipso me ad vitae sustentationem necessaria habiturum, cum triduo jam latrantem stomachum vix placassem, sed voti minus factus sum compos: sustulerunt si quidem ipsum, cum uxoreque in civitatem duxerunt non concedentes ut aedes suas, quam diu ibi fuimus, reviseret, quare domibus illis vacuis spoliatisque contenti



Digitized by Google

in diem 2 ibi sumus commorati. Nec hoc maximum malum erat quod nos offendebat, sed et alia multo majora, de quibus sic sentias velim.

Ante nostrum adventum advenerat mercator Hafniensis cum nave quadam quam ad bona nostra mare transportanda conduximus, hunc custodia tenuere, quo minus oculis nostris sese offerret antequam decedendum nobis erat, civem quoque Lubecensem, cujus navi ad legatos Ruthenicos deferendos uteremur, similiter in abitus diem in civitate reservarunt, cum cive quidam Arnsburgensi qui eorum literis a Regio praefecto nobis missis venerat. Hic ubi sese evadere non posse cerneret, copiam nos adeundi sibi fieri petiit, significans sibi esse literas nobis reddendas, quod eum intellexissent, eas ad se receperunt, aperuerunt atque perlegerunt, perlectasque ad nos remiserunt, et quamvis aperte satis illis sit indicatum, minime decere hominem candidum, aliorum literas aperire, multo minus perlegere eorum praecipue, qui die illis semper bene meriti essent, quique nomine dominorum suorum ardua negocia expedirent, tamen his missis factis non semel rubore vel pudore quodam aspersi sunt, persuadentes sibi licere omnia.

Ad haec cum in praesentia essent legati, qui nobiscum navigationem in Daniam suscipe-rent, verebantur ne iis relictis conscenderemus, quare noctu a sagittariis telis circumseptis sumus observati, qui nos si forte clanculum subducere in animo fuisset, interciperent. En hominum audacium, ecce Ruthenorum malitiam atque perfidiam: Quis, inbuam mortalium existemaret, hoc cum amicis, iisque, cum quibus nuper foedus prepigerant, taliter conversari? Quis denique ab eorum conspectu atque conversatione non abhorreret cum nullo non in periculo inter eos versandum sit, cumque a malis circumstantibus quisque apud eos prematur? Sane nisi fortasse mentis quis inops fuerit potius quoslibet labores sustineat, quam sese tantis periculis submittat.

Haec de illis dixisse sufficiat, ad propositum, unde nos digressi sumus adjuvante domino redeamus, quare absque invidia, qui legis, vera dicentem ausculta.

9. Novembr. cum dimidii anni spacium jam esset emensum ab illo die, quo paternos lares reliqueramus, summo mane ante lucem iter maritimum adivimus, cum terrestre nobis denegaretur, et ne ipsis nesciis vel invitis (ut illi existimabant) decederemus, trium tubarum clangore ae dito discessimus, comitantibus sagittariis praedictis ad maris littora, qui iter impedire fategissent nisi ex eo nobilibus quatuor ibi remanentes viae comites sese legatis praebuissentiores igitur navem solventes Movum profecti postridie ad Regis nostri possessionem pervenimus.

Cum autem inter navigandum fere naufragium passi fuissemus, paucis istius rei causam perstringam: Cum cursum nostrum Monum a Pernovia 14. miliaria distans teneremus vertis vehementioribus commotis velisque omnibus in altum directis in rupem violento motu navis impegit: quo factum est, ut velis laxatis depositisque per unius horae spacium in alla magno cum nostro periculo haereremus, sed Deo protegente, quo de multis magnisque periculis nos ante saepius liberarat, post longas molestias tunc quoque in portum salvos reduxit: unde Arnsburgum venimus ipsis Nonis Novemb. Ubi a praefectis insulaeque proceribus honorifice excepti sumus, qui non solum gratias Deo omnipotenti egerunt maximas, quod nos a maribus Pharaonis ipsissimi hoc est, Moscovitae crudelissimi Germanorum hostis incolumes vindicasset, terraeque diu ac multum optatae restituisset, verumetiam sese ad omnem nobis benevolentiam praestandam benevolos ostenderunt, gratis auribus accipientes foedus inter Regem ac Moscovitam ictum, ne barbaros Ruthenorum mores discere, ut caeteri Livonienses cogerentur, qui tot jam saeculis Germanis legibus nutriti fuerant.

His commorati sumus in diem 20. Mensis eo quod ad proprias sedes per Germaniam regredi statueremus gelu aliaque maritima discrimina vitantes, nobisque ea, quae ad profectionem spectarent, prospiceremus.

Haec sunt candidae lector, quae de hac nostra peregrinatione Ruthenica breviter perstringere sategi, nunc ad instituti mei propositum pertinet, ut paucis hinc in Daniam regressum conplectar, sed antiquam calamum ad eum dirigam volo huic meo scripto aliqua breviter intimare, quae propter temporis angustiam profectionisque celeritatem neglecta superius vindentus.

In descriptione profectionis in Russiam commemoratum est Tartaris liberum esse ducere uxores quot voluerint, id sic esse Neugardiae comperimus. Aderat ibi Tartarus ab incolis Caesar nuncupatus, qui 6. alebat faeminas ex nobili Livoniensium stirpe prognatas,

Digitized by Google

cum quibus alternis vicibus corpus miscet, ita tamen ut hac 6. septimam ipsius uxorem Ruthenicam dominam agnoscant venerenturque, Ille cum aliarum consuetudine frui desiderat, ad illam quam deperit cujusque amorem flagitat, annulum aliud re signum mittit, quo accepto, sese ad quaevis exequenda alacrem ac promptam ostendit, uxorisque officio fungitur, donnec ad aliam amandam animum induxerit, sinoque simili ad se accensiverit.

Ubi mentio sit Jsdani *Jwanowitz* legati nuper ad Imperatorem Romanorum missi, haec sunt animadvertenda, ipsum hominem fuisse sordidum ingratumque, qui nihil benevolentiae nobis, dum Tarbati per mensem fuimus, praestiterit, imo vix nos agnoscere voluerit, quamvis saepius promiserat, se ei liberalitati, quam Hafniae expertus fuerat, abunde satisfacturum. Si quaeris, quae nam ea fuerit, significare non erubescimus, non tamen in illum finem, ut praeter decorum ad nostram laudem ea referamus, sed potius ut palam fiat illius beluae ingratitudo distortaque natura. Rex noster aurea cathena ipsum ornavit, quamvis ad suam Majest. missus non erat, sed forte fortuna eo venerat, ut regiis navibus tuto in patriam duceretur, postea eisdem ipsum Pernoviam salvum remisit, alias propter Suecorum classes proprias sedes vix revisisset: Quod ad meam personam attinet: Ego ipsi gratificati studens, quotidie, quamdiu Hafniae degebat, vinum, pisces, lepores, damas, aliaque necessaria missi, ad convivium invitavi, honorifice excepi, atque pro viribus, tractavi, donans ipsi bombardas aliaque similia, quod idem quoque Gregorius et Arnoldus fecerunt, certo certius existimantes ipsum grato animo ea accepturum atque in Russia re comprensaturum, sed ipsum multum mutatum ab hoc ibi fuisse comperi, qui postposito omni candore ac neglectis omnibus promissis sese ingratissimum inhumanissimumque ostendit.

Cum arcis *Uberpolen* meminimus, supersedi ea commemorare, quae ibi visebantur, nempe suspensorum cadavera a canibus in paribulis dilacerari ac ad ossa usque rodi adhaec undique in via necatorum capita in sepium palis posita, sicut et mortuorum corpora in via prostrata inhumataque.

Est et hoc minus dissimulandum, quod Rutheni adeo inhumaniter captivos suos tractent, ut non credant illic quicquam a legatis ac viatoribus sumere, illud quantum fieri potest impedientes, atque elcemosynas dare prohibentes: nam cum Tarbati illis daleros 20 mitteremus miserorum clamore excitati, non concessum est iis eosdem accipere, sed loris caesi ii, qui aditum concesserunt.

Hic quoque in mentem incidit commemorare legatos Ruthenicos nobiscum in Daniam ab legatos Tarbati nec ad convivium nos semel invitasse, nec minimum misisse unde occasionem nacti in illorum praejudicium necessariis pecuniis nostris comparatis eos invitavimus et promptiores ad beneficia accipienda quam reddenda cognovimus, cum ad nos venire non recusaverint, sed potius sese paratissimos ostenderint, non obstante, quod nec ante nec post ullo honore nos dignati sint.

Haec breviter sint exarata de iis, quae annectenda essent, nunc ad descriptionem regressus in Daniam, unde digressi sumus, redeamus, et cum illa via sit satis nota, sufficiat civitatum, arcium, villarumque nomina, ad quas divertimus, earumque distantias commemorare quae omnia sic sunt percipienda.

20. Novembr. relicto Arnsburgo, villam *Salme*, hinc 3 miliaria ingressi in diem sequentem ibi commorati sumus, unde ad curiam regiam *Torrich* altero die venimus locum ab altero distantem tribus miliariis hinc curiam *Swarver*, sedem cujusdam nobilis Georgii *Viting* invisimus ab altera miliare remotum: hic portus est Osalicus, cui alluit pars maris Rigensis fundus appellata, derivans Osaliam a Curlandia, quam e regione habet oppositam: hic cymbas quasdam vilissimas, 24. Novemb. ascendimus, iisque magno cum periculo ac difficultate 17 miliaria maritima trajecimus, partim propter frigoris vehementiam, quod iisdem diebus inciderat, ut coacti simus per miliare mare illud congelatum vi vertorum remorumque ope penetrare, partim etiam propter penuriam portus, qui a Curlandiae parte nullus reperitur, sed mare apertum undique alluit, maximisque undis terra infestatur, eo quod multis rupibus iis in locis mare abundet, ut nisi Curlandi ope cymbis adventantes ferunt, nemo navibus salvis atque illaesis appellere terram possit, quare summa cum observatione oculos semper in vela directos habeant, usque obviam eant subsidioque veniunt quid multis? Periculosiorem navigationem in omnibus Oceani littoribus existere vix crediderim.

Hunc trajectum, Deo gubernante, feliciter perfecimus, ira tamen ut si illo tempore non

Digitized by Google

advenissemus, sequenti die vel in ista fortassis hyeme oras non attigissemus, quia illa nocte mare gelu in tantum obducebatur, ut ubi eo die, quo advenimus pedibus transire vix quiverint, altero die equo cursum absolverint.

Hic nobis datur occasio, sicut alias multoties agendi Deo omnipotenti gratias permaximas, qui suis angelis sanctissimis nos incolumes reduxit atque ab imminentibus periculis liberavit.

26. Die *Suten* pervenimus 3 absolventes miliaria, hinc *Posen* 6 in qua via visitur arx ducis magni *Dondang*, hic quoque est fluvius, *Window*, quem curribus transgressi sumus propter hyemis vehementiam.

Inde *Ethwalen* ad sedem Joannis *Beer* viri omni laude digni qui nos in via obviavit, invitavit et laute frugaliterque tractavit, quam 29. die relinquimus eodem die *Hasenpoth* venientes isthinc miliaria 5. *Hasenpoth Grebbyn* miliaria sunt 5 ad Siebenbergum versus, *Heiligen An* 4 sunt miliaria.

Hic quoque erat transmeandus amnis, segregans Ducatum Curlandicum a parte Polonica Lituania vel Sarmatia nuncupata.

Dum his commorabamur, accepimus tumultum in hisce locis a rusticis excitatum fuisse gravissimum, ita quod omnes incolae istius tractus ad spacium 10 vel 12 miliarium uno in loco in illa via, quam transgrederemur, sese congregarint, statuentes vi, si fieri posset, istius ditionis praefectos opprimere, eo quod exactionibus novis ac gravaminibus eos molestassent, eligentesque sibi capitaneum rusticum quendam monoculum, qui adeo imperiose egit, ut loris virgisque omnes castigaverit, qui in domibus sese continerent, ac ad resistendum in obedientes praeberent, unde factum est, ut tanta sit congregata rusticorum multitudo, ut eos omnes timuerint, praefecti vero sibi prospicientes atque conatus illorum impedire satagentes, quingentos Tartaros ac Polonos congregaverint qui aperto Marte eos prosternerent, quod an factum sit ignoramus, nos per aliam viam digressi illorum castra vitavimus conferentes eodem die nos Moemel, postquam oppidum Polangenum transgressi fueramus: Ubi arx munitissima conspicitur sicut et urbs exigua: Nos et si hic equos nostros lassos per diem tantum refovere, posteaque viam inceptam celeri profectione continuare statueremus: inviti tamen in diem 3. detenti sumus praesentis fluvii transvehendi saevitia, qui totus gelu erat repletus, quod viventorum nunc huc nunc illuc motu violente rapiebatur, ut impossibile esset, quemquam illum transmeare, antequam frigoris vehementia congelatum illud mare in priorem statum tranquillum esset redactum.

Hisce autem diebus propter coeli aerisque humiditatem mare fuerat perturbatum, glaciesque soluta atque ad nocendum prona: quod experti sunt, quidam trajicere nave quadam volentes, qui vi glacici versus Oceanum, eodem die cum nave ferebantur, atque per noctes duas in mari periclitantes, tandem civium incolarumque ope liberati in portum relictum reducebantur: nos vero die sequenti transvehentes Regiomontum 11. Decembr. venimus isthinc miliariis 18. Unde 13. die decedentes civitatem *Melbing* 15. die, postridie ibi equos refoventes, accessimus, Gedanumque 18. die attigimus absolutis 24 miliariis: ubi jumenta nostra ex longo hoc itinere lassa biduum sunt pasta recreataque.

Hic ab amicis nostris, de quibus Rex noster optime erat meritus, honorifice sumus excepti lauteque tractati, non enim fuere immemores beneficiorum sibi a Regia Majest. nuper exhibitorum.

Hinc abire cupientes ad portus propugnaculum urbi proximum a Senatoribus quibusdam sumus ducti, ut conspiceremus, quantos et quam acres in ultima hujus civitatis oppugnatione sustinuissent hostium insultus, gratias igitur Deo omnipotenti, et Regi nostro suppetias illis periculoso eo tempore ferenti, se manus hostiles evasisse, egerunt innumeras,

Circa vesperas postquam convivio frugali excepti illi quoque in loco essemus, viam curribus ingressi duo tantum miliaria confecimus inque pago *Kollipke* pernoctavimus, relinquentes ibi senatorem quendam Gedanensem Michaelem Sfridum, qui eo usque se nobis viae Comitem praebuerat: altero die *Landsvitz* 7. hinc miliaria sumus progressi: postero die itidem 7. absolutis *Sayers* pervenimus pertranseuntes civitatem Leonburgum: inde *Selzemyn* 7. miliaria cum dimidio ab altero loco distantem.

Hac via perveavimus civitates *Sonnow* a qua *Kesslyn* miliare et *Karlyn* abhinc 3. miliaria distat: quae civitates dominum agnoscunt ducem Pomeraniae juniorem Casimirum, videlicet hujus Episcopatus Episcopum, qui in utraque urbi sedem Episcopalem habet satis extructam: Ex praedicto hoc pago eodem die

Digitized by Google

Neugardicum comitatum attigimus, civitatemque Neugardiam sedem comitis vespere, praecedente die quo celebratur memoria natalis Domini nostri Jesu Christi ingressi sumus confectis 5 miliaribus, alteroque die ad urbem *Dam* pervenimus 7 inde miliaribus dissitam, pervehentes civitatem *Goldenow* tribus ab illa mitiaribus: hinc Stetinum miliaro profecti sumus, a Gedano distans 43, ibique novis conductis curribus eodem die duo praeterea miliaria absolvimus pervenientes ad pagum *Falckenwolle* Hinc discedentes atque in urbe *Ackermunde* paululum respirantes isthinc miliar. 5 in pago *Bugewitz* ea nocte quievimus, duobus absolutis post prandium miliaribus: unde summo mane ad urbem *Damyn* migravimus postquam 6 miliaria essent transacta, praetereuntes civitatem *Anklam* unde Rostocium 29 Decembris per oppidum *Thesselyn* iter facientes 5 ab eo dissitum miliaribus venimus. Hac in media via Pomeraniae ditiones extremos claudunt terminos, ducatusque Megapolensis sumit initium.

Pridie Calend. Januarii Vismariam civitatem attigimus a Rostocio miliaribus 6; 30 die Decembris confectis 3 miliaribus in pago pernoctantes aliquo: ipsis autem Calend. Travemundum transvecti Holsatiam ingressi sumus, inque pago itidem 6 absolutis miliaribus nocte quievimus, unde Segebergum altero die adivimus, cum 2 miliaria essent peracta ubi amicum nostrum Henricum Rantzovium Regis nostri in Holsatiam vicarium invisimus, cui sane noster adventus erat gratissimus, quique ad quaevis bona nobis exhibenda alacrem ac promptum se ostendit: quo relicto, 3 adhuc eodem die absolvimus miliaria: tertio mensis ejusdem Reunesburgum adivimus, 4 Flensburgum, 5 Haderslebiam. Inde 5 die patriam ingredientes Coldingam venimus absolutis in hac profectione miliaribus maritimis 244 terrestribusque 566.

Hic Regem nostrum convenimus, ipsiusque Majest. laetis oculis salvam ac incolumem conspeximus.

Hic Reginam quoque beatam cog ovimus eo quod Regi regnoque nostro iisdem diebus gratum pepererat pulcherrimum, quem Deo omnipotenti commendatum volumus atque eundem toto corde rogatum ut infantulus ipse cum infantulo ante annos 1579 circiter hoc anni tempus nobis nato nempe filio Dei, crescat aetate sapientia et gratia apud Deum et homines.

Nunc restat, al Deo omnipotenti gratias agamus quas possumus, maximas, quod nos a manibus Moscovitae crudelissimi Pharaonis hostis Christiani nominis infestissimi liberaverit, incolumesque ad lares paternos reduxerit. Huic sit laus et gloria per omnia saecula.

# VOLUMINIS PRIMI

# FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# HISTORIAE RUTHENICAE

# SCRIPTORES

## EXTERI

### SAECULI XVI.

Digitized by Google

BEROLINI,
FORMIS FERD. REICHARDTIANIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



Antonius Possevinus.

Digitized by Google

# HISTORIAE RUTHENICAE

# SCRIPTORES

## EXTERI

## SAECULI XVI.

(ADNEXAE SUNT EPISTOLAE J. MORONI HUCUSQUE NONDUM EDITAE).

COLLEGIT ET AD VETERUM EDITIONUM FIDEM

EDIDIT

ADALBERTUS DE STARCZEWSKI.

VOLUMEN SECUNDUM.

BEROLINI ET PETROPOLI

MDCCCXLII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRAEFATIO.

Jam hujus collectionis exterorum de rebus Ruthenicis scriptorum volumen primum publici juris feci, cogitans, illorum libros rarissime admodum praesto esse viris doctis, eosque vel in diversis Europae bibliothecis dispersos atque neglectos jacere, ita ut vel plurimos notitia eorum et fugiat et lateat. Contigit vero mihi, itinera in diversas Europae terras facienti atque in omnes fere libros, quos ad historiam Ruthenicam facere putavi, summam attentionem adhibenti, ut plurima hujusce generis opera in manus meas inciderent. Nec me fefellit spes, fore ut in bonas partes accipiatur ea, quam incepi, collectio. Haec enim, quamquam popularibus meis potissimum vel omnino destinata, approbatione gavisa est et aliorum virorum clarissimorum et illustrissimorum, eaque digna habita est, quae IMPERATORIS NOSTRI CLEMENTISSIMI ET AUGUSTISSIMI attentionem alliciat, cujus munificentia generosissima, omnibus ad patriae commodum literarumque florem facientibus eximie favens, largitione amplissima ad continuandum opus, quod inchoavi, animum meum incendit. Et ipsa Germania, doctrina literarumque cultura maxime vigens, tam benevolo animo primum collectionis nostrae volumen excepit, ut, ante quam in Rossiae fines, tamquam in domicilium suum proprium, transferretur, dimidiam fere exemplarium partem retinuerit. Ex quo summa cum voluptate percepi, jam historiam Rossicam hac aetate etiam externarum gentium multum interesse, patriamque meam haud mediocrem locum

Digitized by Google

gravitatemque tenere inter ceteras Europae civitates. Nonnulli quidem doluerunt, et ipse graviter doleo, quod typothetarum culpa aliquot literae vitiosae editionae nostrae insint. Sed cogites quaeso, lector benevole, quam raro typotheta sermonis latini satis perito uti nobis liceat, et in opere tam amplo vix fieri posse, quin nonnulla literarum vitia oculorum nostrorum aciem, assiduis laboribus hebefactam, praetereant.

Neque possum quin commemorem, quae Viro Excellentissimo Baroni de Meyendorff, fautori meo benignissimo in edendo hoc altero volumine debeam. Neque enim solum auctor mihi fuit gravissimus, consiliis optimis me adjuvans, verum etiam auctoritati suae Illustrissimi Rankei, Historici summi, benevolentiam et consilia debeo. Locus igitur saepissime mihi fuit admirandi hunc virum vel maxime remotarum historiae nostrae partium peritissimum, ita ut eum et inter hos, qui historiam Ruthenicam profitentur, facile ad principes adnumeraveris. Praeterea etiam cogitationes suas sagacissimas ad rem nostram pertinentes benigne mecum communicavit Vir Excellentissimus, Baro de Meyendorff, quare, si hoc alterum volumen priori praestare inveneris, hanc laudem illi Viro insigni maxime debeo.

Scriptores vero vel alia monumenta Saeculi XVI. quos in hoc altero collectionis meae volumine exhibui, hi sunt:

a) J. Moroni Cardinalis, *Ad Magnum Moscoviae Ducem et ad Rudolphum Clenchen Epistolae.*

Joannes Morenus, Mediolanensis, studiis suis Patavii absolutis 1529, anno aetatis vicesimo a Papa Clemente VII. Episcopus Mutinensis designatus est. Quo munere quum sese abdicasset, a Paulo III. legatus ad Germanos missus est, ut tam Imperatori, quam Principibus persuaderet, ut Ecclesiae salutis causa Concilium universum institueretur. Posthac 1542 Cardinalis simulque legatus Bononiensis factus est, Atque etiam Julius III eum legatum ad Conventum Augustae Vindelicorum habitum misit. At Papa Paulus IV eundem una cum Cardinali Poot libertate privari jussit, quod uterque benevolentiae erga Protestantes accusaretur, re autem vera ideo, quod Morenus Judicium Inquisitionis nuper institutum ejusque acerbitatem probare noluit. Quum vero postea satis demonstrasset, se esse innocentem, Papa quidem ei nuntiari jussit, licere ei liberum esse, id quod

Digitized by Google

tamen Morono minime sufficere videbatur, sed ignominiam sibi illatam, ulciscendam esse censuit. At quum Paulus IV continuo cunctaretur, ei ignoscere, timens, ne hac ratione se ipsum condemnare cogeretur: Pius II contra, summa addita laude, eum non modo innocentem exhibuit, sed etiam legatum suum fecit, qui Concilio Tridentino praeesset. Quamquam in conclavi suffragia viginti octo nactus Papa tamen non est creatus. Obiit Calend. Octobr. anno 1580. Idemque etiam scripta lectu haud indigna reliquit.

Quippe quum pluries ad Comitia Ratisbonae habita missus esset, quo etiam anno 1576 se contulit, ibi legatos Russicos Principem Zachariam (Ivan) Sugorski, Locum-tenentem Bielooserensem et Andream Arcybaschew in patriam profecturos vidit. Epistolam scripsit ad Joannem Basilidem, Magnum Ducem, alteramque ad Rudolphum Clenchen, quem esse dixit Pontificis rerum procuratorem apud Ducem Joannem Basilidem IV. Sed quum legati illi ullas literas ab alio quoquam ad Dominum ipsorum missas, accipere vetiti essent, nisi a Germanorum Imperatore, voluntatem illius non expleverunt. Unde factum est, ut utraque epistola illius sine ullo fructu atque usu esset, quarum exemplaria in aliquot tabulariis Italicis et Germanicis exstant. Nos quoque illas in bibliotheca Regia Berolinensi inter Codices manuscriptos Italicos, inscriptos „Informationes et instructiones“ reperimus, ubi (in volumine decimo tertio p. 341—361.) hoc titulo continentur.

*Lettera dell' Illustrissimo et Reverendissimo Signor Cardinal Morone scritta al Gran Duca di Moscovia nel tempo ch'era Legato di Papa Gregorio Decimo terzo all' Imperator Massimiliano Secondo L'anno 1576. Con una Instructione di esso Monsignor Illustrissimo al Signor Ridolpho Clenchen mandato in Moscovia a negotiar con quel Principe a nome di Sua Santita.*

Epistolae eae latine compositae; mensis et dies quo scriptae sunt, plane desunt. Si vero liceat auctori alioquin dignissimo fidem habere, Karamsino, qui in Tomo nono, nota 564. eas commemorat, opinari vel statuere oportet, illas 15 Januarii 1576. scriptas fuisse. Nos vero, ideo potissimum earum rationem habuimus, quod eas aptas putavimus, quae quodam modo commercium et necessitudines Russorum illius aevi cum exteris populis indicerent vel potius qua ratione sese alieni gesserint, ut arctioribus vinculis cum natione tunc parum

Digitized by Google

culta conjungerentur. Quibus epistolis nostro in tractatu ideo locum tribuimus, quod eae ad hoc usque tempus nondum typis sunt mandatae atque ita a paucissimis tantum historicis cognitae, nos vero id potissimum spectamus, ut quaecunque historiae Russicae illustrandae inservire possint, ea colligamus et publici juris faciamus *).

b) JOANNIS COBENCELII, *De legatione ad Moscovitas epistola.*

Joannes Cobencel (a Proszek) anno 1567 Cancellarius, Archiducis Austriae, Praeses Camerae Stiriacae, Eques Ordinis Germanici etc., inter varias legationes, quas perfecit, etiam Moscoviam petiit, una cum Daniele Printz a Buchau (mense Januario anni 1576). Mandatis perfectis, in patriam reversus, ibi legationem confectam, sermone Croatico descripsit in forma epistolae ad Archiepiscopum quendam, quae postea in sermonem latinum conversa est. Codex autographus ejus exstat in Bibliotheca Vindobonensi inter Codices mansc. historiae profanae, sub numero 169—171, ita inscriptus:

*Epistola Clarissimi Viri Joannis Cobenzl (a Proscek) equitis Mariani, Archiducis Austriae Caroli etc. Cancellarii etc. de legatione sua nomine Maximiliani II. Imperatoris apud Magnum Moscoviae Ducem obita; ad N. Drascovitium etc. Archiepiscopum Colossensem et Episcopum Zagabriensem scripta, et ex lingua Illyrica seu Croatica latina facta. A. 1577.*

Ibidem et aliud exemplar invenitur, cum titulo „de Moscovitis," cui subjecta sunt haec verba: *Videtur haec relatio seu historica epistola pertinere ad legationem Equitis Joannis Kobenzelii a Maximiliano II. Rom. Imp. in Moscoviam missi.*

c) DANIELIS BUCHAVI **), *Magni Moscoviae Ducis Genealogia.*

Natus est Leopoli 14. Septembris, anno 1546. Quamquam parentibus pauperibus ortus, eo tamen processit, ut (Secundus) Consiliarius Sacrae Caesareae Majestatis, Comes Palatinus, Assessor Tribunalis Provocationum Pragensis.

*) Hujus scripti exemplar, referente Karamsino in Historiae suae Tomo IX. nota 564, a celeberrimo Rossico historico Principe Sczerbatovo dono datum est Archivo Collegii de rebus publicis externis Mosquensi.

**) Hoc nomine utuntur diverso modo, nonnulli eum Danielem Printz a Buchau nuncupant, alteri vero Danielem Printz, ut Karamsinus, et denique Danielem a Buchau. Nos uti sumus nomine Danielis Buchavi.

Digitized by Google

in Baronum locum receptus, bis legatus Caesareus extraordinarius, primum Maximiliano II, tum Rudolpho II, Augustissimis Caesaribus, in Moscoviam ad Magnum Ducem Joannem Basilidem mitteretur: id quod liber ab eo scriptus testatur *). Mortuus est 82 anno aetatis Vratislaviae 1628. Operis ejus editor fuit auctoris nepos, qui in brevi praefatione haec ait: Anno 1578 **) Imperator Maximilianus II ad Iwan Wassiliewitsch, qui tunc temporis Magnus Dux Moscoviae fuit, misit Joannem Kobentzl a Proszek, Equitem Germanici Ordinis, et avum meum Danielem Printz a Buchau, qui benignissimo Illustrissimi Potentissimi Imperatoris Maximiliani imperio commotus, hanc brevem historiae Moscoviticae commentationem in novem divisit ordines, sed non in publicum edidit, quum antea moreretur. Itaque, quoniam illum Magnum Ducatum jam dictum cognosci, magnae utilitati esse putavi, ejus libri editionem differre nolui. Baronem ab Herberstejn quidem de hac terra commentationem scripsisse, haud ignoro, attamen, utrumque opus comparantibus, Regnum Moscoviticum inter illud tempus, quo ille Baro ab Herberstejn et avus meus Moscoviam viderat, maxime mutatum esse apparebit ***). Gadebusch narrat sese vidisse unum exemplar †) hujus operis ita inscriptum: „Scripsit quoque a Buchau tractatum de Ducibus Moscoviae eorumque incrementis.“ Hoc opus sine dubio est idem, de quo supra jam diximus, ejusque novem capita, quae continet, hos habent titulos:

1) De Ducibus Moscoviae eorumque incrementis

2) Russorum Religio;

3) Quomodo legati accipiantur et habeantur. Ibidem iter Moscoviticum fusius describitur;

---

*) De Moscoviae ortu et progressu. Gubenae typis Christophori Gruberi A. 1681. 12; auctore autem eruditissimo Schlötzer A. 1679. Gubenae in Lusatia, continet p. 252. (Ejus Chronicon Pars. 1 p. 162.)

**) Haec tamen false traduntur, quoniam ex actis legationum, quae adhuc Moscvae exstant, apparet Danielem Printzum A. 1576 ab Imp. Maximiliano ad Moscoviam una cum Joanne Cobencelio legatum fuisse, insuper Imp. Maximiliano anno 1578 jam dudum mortuo. Schlötzer etiam errat, dum hanc legationem ad annum 1576 refert. (Nestor P. 1. p. 162).

***) Haec nobis refert Gadebusch.

†) Apud Pastorem Primarium ab Essen.



Digitized by Google

4) De vera verbi Czaris significatione;

5) De matrimonio;

6) De legibus nonnulla;

7) De moribus ac ratione vitae;

8) De nummis;

9) De opificiis atque agricultura.

Quibus ex rebus satis liquet, illud opus scriptum sub titulo: *Magni Moscoviae ducis Genealogiae brevis epitome, ex ipsorum manuscriptis annalibus excerpta*, quod Coloniae apud Maternum Cholinum editum et postea denuo Francofurti a. 1600 *) impressum fuit, nihil aliud ac primum caput operis Danielis Printz: De ortu Moscoviae et Progressu esse; quamquam enim hunc librum eo tempore nondum notum fuisse, inter omnes constat, multa tamen hujus manuscripti exemplaria a pluribus viris doctis, qui ad mores aliarum gentium cognoscendos tunc omnes vires intendebant, iterata sunt; ac nescio an ab his opus supra dictum desumtum atque impressum sit. Quam opinionem firmis quidem argumentis confirmare nequeo, quia librum ipsum propter raritatem assequi mihi non contigit, sed sat mihi videtur asserere, etiam Dom. Ranke, historicum sagacissimum, librum supra citatum Buchavo auctori assignare.

Ad hoc scriptum D. P. a Buchau, quod nunc denuo in lucem profero, adjungo etiam illas hujus auctoris narratiunculas, quae in Republica Moscoviae **) exstant. Sed pagella quaedam inscripta: Subjicienda Narratiunculae praefixae et illa, in qua de Titulis Magni Moscoviae Ducis, disseritur; quas omnes in Collectione mea ad D. Buchavum retuli, ei non sunt attribuendae, quoniam de tempore multo post legationem ab eo factam tractant.

d) *De jure Magni Moscoviae Ducis in Livoniam epistola.*

Scriptum hoc prodiit in Republica Moscoviae, Lugduni Batavorum 1630, (p. 540—556) ex qua illud desumsi et huc in capite decimo quarto collocavi.

e) Pauli Oderbornii, *De Russorum religione et ritibus narratio.*

Per Longum jam tempus haec narratio nota est, sed auctor ejus hucus-

*) Rerum Moscoviticarum auctores varii. Ap. haered. Andreae Wecheli 6 pag. in folio

**) Lugduni Batavorum a 1630, p. 10 — 23 (in Parte chronologica).

Digitized by Google

que fuit ignotus, nunc primum invenio in *Janociana* Vol. III. p. 135 eam referri ad Paulum Oderbornium. Impressa est primo a Stephano Myliandro 1582 in 4, una cum auctorum variorum de eodem argumento opusculis, forma varia, saepe repetita: et Davidis Chytraei Epistolis, p. 1031—1053 immista. Extat autem apud J. Lasicium, Spirae 1582 p. 235—256, postremo in Rep. M. sup. cit. p. 125 — 173 inscripta: *De Russorum religione, ritibus nuptiarum, funerum, victu, vestitu, etc. deque Tartarorum religione ac moribus, vera et luculenta narratio, ad D. Davidum Chytraeum (Rostochianae Academiae Theologum 8 Calendis Augusti 1581) recens scripta.*

f) *Acta in conventu Legatorum Stephani, Regis Polontae et Joannis Basilii, Magni Moscoviae Ducis 1581.*

Acta haec prodiere in lucem primum Coloniae a. 1595 inserta operi integro A. Possevini p. (82—115), postea vero typis mandata sunt in R. Mos. p. 365—518. Quorum titulus completus hic est: *Acta in conventu legatorum Serenissimi Poloniae Regis Stephani, hujus nominis Primi, et Joannis Basilii, Magni Moscoviae Ducis, praesente Antonio Possevino, de Societate Jesu, nomine Gregorii XIII Pontificis Maximi 1581 mense Decembri, in Chiverova Horca, ad Jamum Zapolsciae, in Moscovia.*

g) REJNHOLDI HEJDENSTEJNII, *De bello moscovitico commentariorum libri VI.*

Rejnholdus Hejdenstejnius, originem a Germanicis ducens, natales suas Prussiae Polonae debebat. Natus est Reinholdus Hejdenstejnius anno 1555, in oppidulo Olensko appelato, ab Urbe Gedanensi haud longe distante. Inque parentum suorum gremio, literatura prima, pietateque catholica, imbutus est. Altiorem autem eruditionem, partim in Germaniae, partim in Italiae, partim in Galliae Scholis florentissimis, abunde sibi comparavit. Revertit domum viridissimo aetatis flore. Brevique, ingeniorum aestimatori intelligentissimo, Joanni Zamoscio, Regni Polonici Cancellario, atque copiarum Duci Supremo innotuit. Cujus favore subvectus, aditum sibi, ad Regem Stephanum Bathoreum, invenit. Qui vivido Hejdenstejnii ingenio, judicioque acri et terso, dicendi etiam illius atque gravitate, plurimum oblectatus: in scribendis epistolis principalibus, ab ipso voluit juvari: inque profectionibus omnibus, atque expedi-

Digitized by Google

tionibus bellicis, consiliorum suorum administro, atque actionum omnium socio ac teste, eodem uti. Cui, praeter stipendium opulentum, praediorum duorum regalium usum, ad omne vitae tempus attribuit: ac denique nobilis indigenae honorem atque jura impertivit. Quo Principe, anno 1582 ab urbe, cui est nomen Grodno ad Prussiae et Curlandiae duces missus est, ut ab iis, si forte Sueci Livoniam agitare molirentur, auxilium peteret. Hoc Rege fatis defuncto: Sigismundo Tertio, literarum pariter ac virorum literatorum cupidissimo, idem officium suum, tanta diligentia, prudentiaque, atque fidelitate, approbavit; ut ab ipso, ad tractanda Prutenica negotia maxima, componendasque cum Principibus vicinis lites difficillimas, in primis adhiberetur Regisque hujus nomine, ad convocatos Prussiae Ordines, et Pomeraniae Duces, Orator frequenter adiret. Id quoque nobis haud praetereundum esse duximus, Hejdenstejnium, anno 1612 die 9 Calend. Junii cum aliis tribus Commissariis regiis, Simone Rudnicki, Stanislao Dzialynski et Venceslao Kielczewski, Joanni Sigismundo Electori Prussiae Ducatum tradidisse *). Quibus obsequiis, non Regibus tantum, sed etiam universae Nobilitati Polonae, Regnique Pontificibus, et alterius ordinis Proceribus, commendatissimus fuit. Apud Zamoscium quidem, Regni Cancellarium, atque exercituum Imperatorem, consilio et potentia floruit maxime. Ususque Zamoscius est ipso, ad Sigismundum Tertium Regem, interprete et jam aetate, aeger et corpore, et animo, a curia sese subtraxerat. Apud Prussos, summa ejus existimatio, auctoritasque fuit. A quibus, ad corrigendum Jus Terrestre suum, fraterna unanimitate est delectus. Inter collegas suos, Tidemannus Gisius, candidissimi vir animi, suavissimique atque doctissimi ingenii, ante alios omnes, ipsi in amoribus fuit. Quem, morte immatura sibi praereptum, diu luxit. Familiarius deinceps, usus est Matthaeo Piscorevio, culto oratore, poëtaque extemporali. Adductusque est a Zamoscio ipso, Maecenate indulgentissimo, in amicitiam consuetudinemque Joannis Kochanovii, carminum Latinorum, vernaculorumque principis. Quo demortuo Simonis Simonidae, poëtica virtute eminentissimi, societatem maximi fecit. Mors Clarissimi Zamoscii vulnere

*) Hanc relationem auctori haud ita noto Felici Fiedlero quidem, debeo, in cujus opere „De rebus gestis Regiis“ libro secundo, illam inveni.

Digitized by Google

affixit Hejdenstejnii animum. Amabatur quidem ille vehementer ab Antistite Culmensi, Laurentio Gembicio, Regni Poloniae Cancellario. A quo, ob reipublicae peritiam usumque, praeferebatur regiarum epistolarum scriptoribus omnibus. Verum placatioris, tranquilliorisque vitae desiderio maximo affectus, ut rude donaretur petiit. Relictaque aula regia, reliquos dies suos, memorandis rebus illis impendit: quae, aetate sua, ipsoque praesente, spectanteque, a Polonis fortuna varia, commutabilique, et multiplici, gesta fuerant. Prius quam ab hoc praestante scriptore recedamus, non possumus, quin laudem, quam ei Starowolski tribuit, commemoremus *). Haec enim de illo ait: „Rejnholdus Hejden„stejnius nobilissimae dicendi scientiae totus plane deditus ita de re quapiam copiose „prudenterque disseruit, ut et utilitati delectatio et majestati rerum verborum „splendor ac dignitas non deessent. Apparet hoc ex commentariis illius de bello „Moscovitico exactissime scriptis itemque ex controversiis contra hostes ecclesiae „factis aut aliis postumis ejus lucubrationibus.“ Obiit Hejdenstejnius a. 1620, die 25 Decembris, aetatis suae anno sexagesimo quarto. Sepulcri monumento donatus est, in Coenobio Olivensi inclitissimo **): prout ipse praescripserat.

Ex omnibus ejus operibus ad nos id tantum attinet, quod fontem Historiae Rossicae saeculi XVI exhibet atque ita inscriptum prodiit: *De bello Moscovitico commentariorum libri sex* ***). *Cracoviae a. 1584 in fol.* Editio haec elegantissima atque rarissima, dedicata est Sigismundo Bathoreo de Somlio Principi Transsilvaniae. Paucis post annis prodiit altera hujus operis editio sic inscripta: *Rejnholdi Hejdenstejnii, Secretarii Regii, de bello Moscovitico, quod Stephanus Rex Poloniae gessit, Commentariorum Libri VI. Basileae per Conradum Valdkirchium 1588 in 4.*

Est deinceps opus clarissimum appositum, *Martini Cromeri, Varmiensis Episcopi, Poloniae: quae Coloniae Agrippinae a. 1589 in folio edita fuit: p. 733—837.*

---

*) De claris Oratoribus Sarmatiae p. 32.

**) Starowolski Monumenta Sarmatarum Cracov. 1655 p. 340—341.

***) Libri sex illi sunt epitome operis ejus amplioris inscripti: *Rerum Polonicarum ab excessu Sigismundi Augusti libri XII*, quos J. Hejdenstejnius ejus filius Michaeli Regi eo tempore dedicatos a. 1672, Francofurti ad Moenum in fol. edidit. In hujus quidem operis libro 3, 4, 5 et 6, libri sex illi de bello Moscovitico continentur.



Digitized by Google

Locum etiam inter *Rerum Moscoviticarum auctores varios, unum in corpus congestos:* qui Francofurti *a. 1600*, pari forma in lucem prodierunt, p. 325—434 obtinuit.

Germanica hujus operis versio, prolata in publicum fuit *ab Henrico Räthel*, Consule Saganensi, Görlicii a. 1590 in 4. sub hoc titulo: Wahrhafte, gründliche und eigendtliche Beschreibung des Krieges, welchen der nechstgewesene König zu Polen, Stephan Batori ꝛc. etliche Jahre nach einander wider den Großfürsten in der Moschkaw, Iwan Wassilowitzen, geführet, dadurch er das hochbedrengete Lifflandt, von des Moschkowiters vieljähriger hefftiger Verfolgung erlediget. Quod scriptum dedicatum fuit Christiano Duci Saxoniae. Qui vero de ceteris Hejdenstejnii scriptis certiores fieri student, ii se convertant quaeso ad *Janociana sive Clar. atque Illustr. Poloniae auctorum Maecenatumque memoriae miscellae.* Varsaviae et Lipsiae a. 1776, Vol. I. p. 114—123.

h) PAULI ODERBORNII, *Joannis Basilidis Magni Moscoviae Ducis vita.*

Paulus Oderbornius Pomeranus, Augustanae Confessioni addictus, floruit saeculo XVI. Primum apud Caunenses in Lithuania Ecclesiastes, postea Ecclesiae Rigensis Ministri munere fungebatur *). Quanta ejus fuerit auctoritas apud Rigenses, ex eo percipi potest, quod, cum Sigismundus III, Rex Poloniae Rigam advenisset, ad excipiendum eum oratione ab illis destinatus est. Historia caret notitiis copiosis de ejus vita et rebus literariis. Oderbornius scripsit homilias, et praeterea nonnulla argumenta historica, ex quibus nobis nota sunt:

1) *Vita Joannis Basilidis Magni Moscoviae Ducis;*

2) *De Russorum et Moscovitarum religione et ritibus etc.*

Quoad primum ejus librum, accusatur Oderbornius quod non, uti historici est, veri amore ductus, sed Basilidis odio quodam et Stephani I. Regis sui studio captus fuerit; neque ille aptus judicatur ad consignandam historiam Moscoviae. Omnino Oderbornius non aliter legendus nobis videtur, nisi judicio critico et philosophico, narrat enim ille hanc vitam tamquam orator et more sui temporis, critice et prudentia historica destitutus est, dum partim ordinem negligit,

*) Auctore Chytraeo. Opp. T. IV.

Digitized by Google

partim pias conjecturas et meditationes nimium sequitur lectorique obtrudit fabulas aniles tanquam veritates. Hoc ejus opus prima vice editum est anno 1585 Vitebergae in 8. sub titulo: *Joannis Basilidis Magni Moscoviae Ducis vita, tribus libris conscripta* *). Id quod patet ex prima Epistola dedicatoria, quae ab Oderbornio ad Henricum Julium Ducem Brunsvicensem et Lüneburgensem atque Episcopum Halberstadensem exarata, data primum est Caunae Lithuanorum, Calendis Decembris anno 1584. Ubi idem narrat sese incitatum esse ad incipiendum hoc opus, generoso Stanislao Nininscio, Regiae Camerae Caunensis Quaestore.

Postea scriptum supra citatum operi Rerum Moscoviticarum insertum est p. 240—324. Henricus Räthel Saganensis vertit illud in Germanicam linguam atque edidit a. 1589. Görlicii in 4, ita inscriptum: Wunderbare, erſchreckliche, unerhörte Geſchichte und wahrhafte Hiſtorien: Nemlich des nechſt geweſenen Großfürſten in der Moſchkaw, Joan Baſilidis, (auff ire Sprach Iwan Baſilowitz genannt), Leben **). Hanc interpretationem pro peculiari et ab Oderborniano distincto opere male venditat Lippenius ***). Quicunque Oderbornium sine praejudicio perlegerit, facile animadvertere poterit: illum favori domestico nimium indulsisse. In Livonia, postmodum Rigae vixit nationisque odio in Basilidem praeoccupatus multis criminibus falso eum oneravit. In primo Historiae suae limine opinionem suam de Basilide, quam alte sibi impresserat, multis verborum ambagibus proposuit. Justitiam belli in Moscum majorem in modum exaggerat nullamque fuisse ait causam, nisi immanitates Basilidis in Livonos exercitas.

i) ANTONIUS POSSEVINUS, *De Moscovia.*

Antonius Possevinus, celeberrimus ille Politicus, pauperibus quidem, sed haud ignobilibus parentibus, natus est Mantuae, anno 1534. Cum decimum sextum annum implevisset, Romam se contulit 1550, ubi apud Herculem Gonzagam Cardinalem, Secretarii munere perfunctus, simul Francisco et Scipioni Gon-

*) L. Thuanus vero illud credidit jam anno 1583 editum. Catalogus Bib. Thua. 441 et 478.

**) Gadebusch hanc editionem refert sub a. 1596.

***) Ille posuit annum editionis 1582, quo Oderbornius nondum editus erat, nec in forma 8 prostabat. usque dum anno 1597 ni fallor.

Digitized by Google

zagis, Cardinalis illius consobrinis, praeceptor fuit. Cum Patavii potissimum literis studuisset, una cum his Principibus, quos modo nominavimus, Neapolin petiit. P. Palmionis concionibus sacris commotus, anno 1559, Jesuitarum ordinem secutus est. Brevi post ad ordinis sui sociorum res promovendas missus, id, quod voluit, assecutus est; impulit enim Ducem, ut Jesuitas in hujus civitates reciperet et, Waldenses persecutus, sacerdotum gratiam sibi conciliavit. De ordine suo optime meritus, anno 1577 altissimum ascendit locum. Nam cum a Gregorio XIII, Pontifice Maximo, Nuntius in Sueciam missus esset, itinere per Germaniam facto, a Maria Imperatrice, Maximiliani secundi vidua, Magnus Nuntius creatus est, quo tutius attingeret consilium suum adducendi Joannem, Sueciae Regem, a Papisticis haud alienum, ad ecclesiam Romanam. Atque ille effecisse traditur, ut Rex die 16 Maji anno 1578 religionem evangelicam clam abdicaret. Cum autem Possevinus iterum Nuntius Papisticus in Sueciam missus esset, ut perficeret id, quod inceperat, consilium suum assequi non potuit, quoniam et Suecici in religione sua perseverabant, et Rex non tanta erat immanitate, ut animorum conscientiae imperaret. Possevinus Romam rediit. Tunc Rossi contra Polonos bellum gesserunt. Iwan Wassiliewitsch Tzar cum illis impar esset, ob pacem conficiendam a Papa auxilium petiit. Hic in Poloniam et Rossiam misit Possevinum. Qui, gladio consecrato Poloniae Regi allato, et Vilnae anno 1580 tradito, in Moscoviam sese contulit, magna spe fretus, quia putavit Tzarum, transiturum esse ad ecclesiam Romanam. Possevinus autem, post audientiam magnificentissimam acceptam, una cum aliis quibusdam Jesuitis in Polonorum castra ad Plescoviam sese contulit. Ibi Possevinus pacis tractatus incepit, rege quidem non admodum favente. Sed hic princeps, priusquam die prima mensis Decembris 1581 in Lithuaniam proficisceretur, creavit eos, qui loco ipsius paci ineundae adessent. Quos tractatus in pago Zapolsciae, inter Plescoviam et Velicolucos sito, absolvere voluerunt. Sed, hoc pago cremato, alium elegerunt locum, nomine Chiverova Horca, in quo die 13 Decembris hujus negotii initium factum est. Maximae autem dissensionis locus erat de captivis. In Rossia vero Livonici utplurimum Evangelicae Religioni addicti erant. Quorum ut nulla haberetur ratio, persuasit Possevinus, quoniam illis quidem Livonia abundaret. Itaque pax decem annorum confecta est die

Digitized by Google

15 Januarii 1582. Consilium tamen, quod maxime assequi voluit Possevinus, ad irritum cecidit, nam, pace conciliata, Tzar a re Catholica prorsus erat alienus, et disputationes, quas ille cum Rege hac de re habuit, nullum habuerant effectum. Possevinus vere anni 1582 Romam rediit. Tum quatuor annos Patavii versabatur. Inde eum Clemens VII, Pontifex Maximus, Romam vocavit, ubi ei cum duce a Nevers id erat agendum, ut Henricus IV in gratiam ecclesiae Romanae rediret. Postea tum Bononiae, ubi Jesuitarum Collegii restoratu perfunctus est, tum Venetiae versabatur, ubi opera sua typis imprimenda curavit. Eodem tempore Paul V, Papa, Venetiam interdicto affecit. Quare Possevinus praeter alios, ad Papam missus est, sed certo asserere nequeo, ab Venetiani an Jesuitae illi hoc negotium commiserint. Id ultimum fuit negotium publicum, quo functus est. Cum vires suas decrescere sentiret, Lorettae se moriturum constituit, sed aliter evenit res. Subito decessit e vita die 26 Septembris (Februarii) anno 1611. Ferrarae, anno 78 aetatis. Vitam ejus Franco-Gallice sermone enarravit P. Dorigey, eamque edidit Parisiis 1712.

E multis scriptis, quae reliquit Possevinus, huc pertinent:

1) *Epistola de rebus Suecicis, Livonicis, Moscoviticis, Transsilvanicis. Mantuae 1580*, quae postea receptae sunt in opus ejus, quod inscribitur: *Moscovia*, et prodiit Coloniae a. 1595.

2) *Scriptum Magno Moscoviae Duci traditum adversus Anglos mercatores, qui docebant Papam esse Antichristum. Ingolstadt 1583.* Hoc quoque scriptum in opus ejus modo citatum receptum est.

3) *Moscovia* primum sub hoc titulo prodiit Vilnae 1583 (1586), tum Coloniae 1587, in folio; unde ex typographi praefatione patet, id opus, jam antea Dilingae editum fuisse. Postremo vero Coloniae 1595, ita inscriptum: *Antonii Possevini Societatis Jesu, Moscovia et alia opera. Quibus nunc recens, propter materiae similitudinem, et regionum, quarum historias explicant, vicinitatem, adjuncta sunt, Martini Broniovii de Biezdzfedde*, bis in Tartariam Nomine Stephani Primi Poloniae Regis legati, *Tartariae descriptio* ante hac nunquam in lucem edita, cum tabula geographica ejusdem Chersonesus Tauricae: Transilvaniae, ac Moldaviae, aliarumque vicinarum Regionum succincta descriptio *Georgii a Reicherstorff* Transilvani, cum tabulis geographicis tum Molda-



Digitized by Google

viae, quam Transsilvaniae. Item *Georgii Vernert de Admirandis Hungariae aquis* hypomnemation, addita tabella lacus mirabilis ad *Cirknitz*. Permissu superiorum, in officina *Birckmannica*, sumtibus *Arnoldi Mylii* a. 1595. Cum gratia et privilegio S. Caesareae Majestatis.

k) ARSENII ELASSONIS ARCHIEPISCOPI, *Iter in Moscoviam.*

Arsenius, Monembasiae sive Malvasiae, quae est in Morea peninsula, Archiepiscopus, saeculo decimo sexto, eximie in literis elegantioribus versatus erat. Quem inter et Papam Paulum III magnae intercederant amicitiae, cui etiam sua de Euripide scholia dedicavit, hac occasione questus, quod tam pauci Graeci Cardinalium dignitatem adipiscerentur. Postea quum propensum ad Romanam Ecclesiam animum proderet, atque in ejus gremium recipi studeret, a Patriarcha Byzantino sacris fungi vetitus est; atque omnino Graeci abinde tanto odio in eum invehebantur, ut ne defunctum quidem pace frui paterentur, et inepios ridiculosque rumores de eo vulgarent. Praeter scholia, quae supra commemoravimus, aliquot apophtegmata Graece composita typis mandanda curavit, et locos communes plurimos ex Stobeo excerptos, coëgit. Carmina ejus et enarrationes fabularum Romae in lucem prodierunt. Ceterum extat collectio et apophtegmatum Graecorum, Romae typis mandatorum, et scholiorum de septem Euripidis tragoediis, anno 1534 Venetiis typis mandata.

Anno 1587 Tzaro Theodoro Ivanovicio necessarium videbatur, Rossiae Patriarcham nullius imperio ac potestati subjectum dare, qua re Jobum tum Metropolitae munere functum, clericos nobilissimos et ministros consuluit. Deinde ad quatuor Patriarchas: Constantinopolin, Antiochiam, Alexandriam, Hierosolyma legatos misit, qui ab illis peterent, ut huic rei assentirent. Quo per documentum quoddam solemne permisso, visum est iis, Jeremiam, Patriarcham Constantinopolitanum, in Russiam mittere, a quo primus Moscoviae Patriarcha honorificentissime munus acciperet. Anno 1589 Moscoviam venit, et, novo Patriarcha instituto, per literas, Magni Ducis sigillo impressas, nominibus nobilissimorum Moscoviae et Graeciae, qui tunc aderant, clericorum subscriptis monuit, ut Moscoviae Patriarcha ejusque successores omnibus aliorum Patriarcharum privilegiis donarentur, neve alii cuiquam nisi Hierosolymitano cederet. Idque post Constantinopolitani Patriarchae reditum, a Patriarchis multisque clarissimis cle-

civilia concilio quodam confirmatum est, cujus rei documentum ab iis signatum et subscriptum in Russiam mittebatur. Utrumque documentum etiam nunc in Margis Moscoviae Ecclesia Cathedrali servatur. His epistolis Patriarchae moverunt, ut Patriarcha Moscoviticus, post institutionem suam ad Constantinopolitanum literas daret, ut nomen suum publicis precibus profiteretur.

Haec omnia tradidit nobis Arsenius Episcopus Elassoniae. Ad eum Jeremias Patriarcha literas dederat, sese, iter Moscoviam facientem, cum eo colloquium habendi cupiditate incensum esse. Arsenius, quum eum Zamoscii invenisset, jussus est Patriarcham in itinere comitari. Hujus Jeremiae, cui Trani cognomen fuit, nomen in indice Patriarcharum Constantinopolitanorum anno 1572 appellatur. Anno 1581 abrogatus, restitutus est anno 1582, sed denuo 1584 antiquatus Rhodum in exilium missus est. Denuo vero anno 1587 revocatus, in manus, cui usque ad annum 1594 praefuerat, institutus est. Recitavit quae in Rhodo insula a Turcis passus fuerat, Arsenio, qui lacrimans de ea re querebatur.

Hic Arsenius illud iter post reditum lingua Neo-Graeca descripsit. Id opus longum quidem per tempus ignotum, postremo Augustae Taurinorum anno 1740 editum est, inscriptum: *Arseni Elassonis descriptio itineris in Moscoviam habiti a Jeremia II Patriarcha Constantinopolitano, ubi et patriarchatus Moscovitici institutio narratur.* Quae relationes insertae reperiuntur operi, cui est inscriptio: *Codices Manuscripti Bibliothecae Regii Taurinensis Athenaei* 2 Vol. in fol. adjecta latina versione. P. I. p. 433—469, editoribus Pasino Rivautella et Berta. Codex autographus inscriptus *Κόπια καὶ διατριβὴ τοῦ ταπεινοῦ ἀρχιεπισκόπου Ἀρσενίου γράφει, καὶ τὴν προβίβασιν τοῦ πατριάρχου Μοσχοβίας*, in bibliotheca publica regia Parisiensi reperitur, et primo illo in bibliotheca etiam regia Taurinensi exstitit *).

Ad criticam hujus operis existimationem prodendam, verba editoris et interpretis ex Graeco in Latinum, in praefatione sua ita dicentis, allegamus: „Describitur (i. e. in hoc codice) iter Jeremiae II Patriarchae Constantinopoli„tani in Moscoviam, atque multis verbis narratur, quemadmodum ab eodem in-

*) Praefatio editoris Cod. Msc. Bibl. R. Taur. Athen. ubi P. I. p. 433. initio dicitur: Codex sub Nr. 337. b. I. 5. Chartaceus, foliis constans 57. circa finem Saeculi XVI.

Digitized by Google

„stitutus fuerit Patriarchatus Moscovensis. Res omnes eo, qua evenerunt, ordine „descripsit, itineris comes, Arsenius, Elassonis Episcopus, qui praesens omnibus „adfuit, et cuncta, quae gesta sunt, accuratissime adnotavit, ipsumet referens „verba, quibus usi sunt Theodorus Russorum Rex, et Irene Regina, eorumque „legati, ac Patriarcha, ejusque comites. Admireris profecto Imperatorem honori„ficentissime Patriarcham Constantinopolitanum excipientem, Synodum in urbe „Moscvae habitam, Jobum Rostovii Archiepiscopum ad Patriarchatum totius „Imperii Moscorum evectum, amplissima, quibus omnes cumulati fuere, Regia „dona; atque haec omnia adeo diligenter, accurate et graphice descripta, ut quasi „oculis subjecta videantur. Ex quibus dilucide constare potest, quanti faciendum „sit praeclarum hoc historiae monumentum, quantaque ex eo lux derivari possit. „Illud propterea publici juris facere operae pretium existimavimus, quum neque „hactenus editum, neque ejus ab ullo scriptore facta fuerit unquam mentio. „Nobis tamen hac in re plurimum laborandum fuit: cum enim non multa dili„gentia exaratus est codex, tum sermo, quo usus est auctor, Graecus vulgaris „est, seu Romaicus, ut appellant, multis vocibus barbaris scatens, quarum signi„ficationem vix divinare potuimus. Quocirca veniam dabit Lector, si non nulla „Graeca vocabula non satis clare reddita sunt, vel consentaneis Latinis vocibus „expressa *)."

Praeter ea scripta omnia, quae supra attigi, extant et alia hoc saeculo latino sermone composita; sed cum partim de rebus Theologicis, partim de rebus minoris momenti tractent, ea non digna censui, quae denuo typis mandarentur; quare hoc loco ea modo nominabo:

1) *Colloquium de religione Magni Ducis Moscorum cum J. Rohila Ministro Ecclesiae fratrum Bohemorum, quos mali picardos vocant (anno 1570).*

2) *Hujusce colloquii literis mandati ab eodem Duce refutatio (anno 1570 Calend. Maji).*

3) *J. Laetoti Poloni veraे religionis apologia, falsae confutatio, 14 capitibus enarrata.*

---

*) Cod. Manusc. bibl. Reg. Taur. Athenaei T. I. p. 433.

Digitized by Google

4) *Appendix Scargae Jesuitae de Moscorum erroribus et causis, propter quas Graeci a Romana Ecclesia defecerunt.*

5) *Quaedam de Livonia A. 1582 Polonorum imperio subjecta.*

6) *Christophori Varsevicii ad Stephanum Regem Poloniae oratio. Qua exposito toto belli negotio, cum Joanne Magno Moscorum Duce die 15. Januarii ad Zapolsciam confectam pacem gratulatur.*

Hoc scriptum jam antea fuit impressum Vilnae initio anni 1582. Omnia ea, quae in illo sunt enarrata, jam fusius uberiusque invenies apud Hejdenstejnium *).

Viri docti nonnulli mirati sunt, cur editionem hanc notis non instruxerim. Quod ideo praetermisi, quia est mihi consilium edendi librum singularem, qui recensionem completam scriptorum exterorum in Collectionem meam receptorum, contineat. Quare solummodo in addendis notulis quibusdam de scriptoribus et in emendandis nominibus propriis, plane mutatis, occupatus fui, ea vero nomina, quae speciem Rossicam genuinam non prae se ferunt ita retinui, ut in editionibus vetustis exstant.

Volumini tertio quod jam anno sequenti edendum curabo, inerunt Scriptores exteri Italici, Germanici et Anglici saeculi XVI, inque eo praeter scripta rarissima quaedam, etiam alia invenies, quae plane ignota neque unquam adhuc publici juris facta sunt.

---

*) Extant illae sex commentationes in libro quodam inscripto: *De Russorum Moscovitarum et Tartarorum religione, sacrificiis, nuptiarum et funerum ritu;* qui prodiit Spirae (cura Joannis Lasicii) A. 1582 in 4.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XI.

# MORONI CARDINALIS

## AD

## MAGNUM MOSCOVIAE DUCEM

## ET AD

## RUDOLPHUM CLENCHEN

# EPISTOLAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XI.

# MORONI CARDINALIS

AD

## MAGNUM MOSCOVIAE DUCEM, ET AD RUDOLPHUM CLENCHEN

# EPISTOLAE.

---

### *SERENISSIME PRINCEPS CZAR, ET MAGNE DUX.*

CUM ORATORES, quos Serenitas Vestra ad Caesaream Majestatem misit, jam de reditu cogitare intellexissem, misi ad eos unum ex familiaribus meis, petens ut litteras meas, quas gravi, et publica de causa ad Serenitatem Vestram scripseram, secum deferrent, easque meo nomine redderent. Illi vero multis se verbis excusarunt non licere sibi id facere propterea quod a Serenitate Vestra in mandatis haberent ne litteras a quoque praeterque a Serenissimo Imperatore acciperent. Interea placuit Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Summo Pontifici non solum Serenitati Vestrae scribere, sed ut illustrior paterni amoris erga ipsam significatio extaret, certum quoque Nuncium mittere, ut quae ad Dei gloriam et communem Christianae Reipublicae utilitatem cum Serenitate Vestra agenda sunt commodius coram tractari, et optato fine concludi possint. Venit igitur a Sanctitate sua ad Serenitatem Vestram missus Rudolphus Clenchen Presbiter et Sacrae Theologiae Doctor, qui Serenitati Vestrae Breve Apostolicum, et has meas litteras dabit. Serenitatem Vestram rogo ut pro sui animi magnitudine hominem benigne audiat, eique mandata Summi Pontificis exponenti, et nominatim de meo etiam singulari erga Serenitatem Vestram studio narranti plenam fidem tribuat. Deum, et patrem Domini Nostri Jesu Christi supplexero ut Serenitatem Vestram diu salvam, et incolumem conservet ejusque fortissimam dexteram coelesti virtute confirmet, ut inimicos crucis Christi perpetius victoriis prosternat.

Dat. Ratisbonae.

Serenissimo ac Potentissimo Magno Domino Domino Joanni Basilidi Czar, et Magno Duci Russiae, Volodimiriae, Moscoviae, Novogardiae, et aliarum plurimarum Regionum etc.

Serenissimo ac Potentissimo Principi Magno Domino Czar, et Magno Duci Joanni Basilidi Terrae Russiae Moscoviae etc.

---



Digitized by Google

# *REVERENDISSIMO NOBIS DILECTO DOMINO*

RUDOLPHO CLENCHEN SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI.

REVERENDISSIME nobis dilecte superioribus diebus cum Oratores Magni Ducis Moscovitarum ad Serenissimum Imperatorem Maximilianum missi Ratisbonam pervenissent, quo loco nos quoque apud eandem Caesaream Majestatem et Conventum Imperii Sanctissimi Domini nostri Georgii XIII, et Apostolicae Sedis Legatum agimus visum est nobis, qui pro nostri officii munere omnem de Christiana Republica bene merendi opportunitatem libenter amplectimur, Oratoris potentissimi et Christiani Principis per unum ex familiaribus nostris salutare eisque omnia officia nostra amanter deferre; tum etiam de Summi Pontificis erga illorum Principem voluntate ea commemorari mandavimus quae opportuna videbantur. Illi vero, et amoris nostri significationem grato animo ut par erat, acceperunt, et eam esse Principis sui mentem demonstrarunt ut non solum cum Serenissimo Caesare, sed cum aliis etiam Regibus, et Principibus Christianis amicitiam et foedus inire cuperet quare pergratum illi fore si a Romano Pontifice Nuncii mitterentur, ejus rei tractandae causa. Atque haec quidem omnia nota tibi sunt qui et cum familiari nostro in illo colloquio interfuisti, et vero, nobis ita volentibus particeps fuisti.

Cum igitur quae ab Oratoribus de ineundo foedere dicta erant cum iis quae Caesareae Majestati et verbo et scripto retulissent consentire videremus, cumque nobis de Sanctissimi Domini Nostri pastorali sollicitudine constaret, cujus Sanctitas nihil optat vehementius, quam ut Christiani corporis membra in unam, et fidei, et animorum consensionem coalescant, decrevimus his initiis insistere, atque his ita constitutis longius progredi quando ad ipsum Magnum Moscvitarum Ducem scripsimus litterasque per eundem familiarem nostrum Oratoribus Moscovitis misimus, petentes ut eas secum deferrent et ipsorum Principi redderent. Illi vero se magnopere excusarunt, quod ex Principis praescripto nullas eis praeter Caesareas litteras a quoque accipere liceret. Verum cum ob eam causam a publici boni cogitatione non discederemus, atque in ea cura versaremur, ut alia tandem via nostrae litterae in Mosco viam perferrentur. Ecce interea nobis a Sanctissimo Domino Nostro redduntur litterae, quibus mandat, ut virum aliquem idoneum et spectatae fidei in Moscoviam primo quoque tempore mittamus qui Breve Apostolicum Magno illo Principi Sanctitatis suae nomine tradat et cetera quae ad fidelis, et diligentis Nuncii munus pertinebunt, ex mandatorum formula quam accuratissime praestet.

Quoniam vero Sanctissimi Domini Nostri consilia in hac Nuncii profectione eo potissimum respiciunt, ut non solum Magnus ille Princeps cum Apostolica Sede adversus communem hostem Turcam amicitiae foedere copuletur, sed quod multo gravius et praestantius est, etiam si fieri possit Ecclesiastica unitate colligetur, ut tanta, et tam illustris Christiani corporis portio in unam membrorum omnium communionem conspirans apte, et venustissime cohereat; sane ad eam rem efficiendam, quae hujus negotii tam quam basis est, vero Theologo, et in divinis litteris exercitato valde opus esse videbatur. Quocirca cum tu Theologus sis, et in ea facultate explicanda in insigni Gymnasio publico magna sicuti audivimus cum laude verseris, cumque nos praeterea de tua varia, et multiplici doctrina, prudentia probitate, et multarum rerum experientia partim a viris gravibus et fide dignis multa acceperimus, partim nos ipsi in privatis colloquiis perpexerimus ut merito sperandum sit, te pro tua erga Apostolicam sedem observantia et religionis zelo utilem, et fidelem operam in hac tua legatione praestiturum praesertim, eum jam alias sicut intelleximus et Regiones

Digitized by Google

illas peragraveris, et aliquamdiu apud illos fueris, moresque nationis notaveris, et nonnullam quoque linguae notitiam tibi comparaveris, ob eas causas te potissimum delegimus quam Sanctissimi Domini Nostri Nuncium ad Serenissimum et Magnum Ducem Moscovitarum mitteremus. Tuae vicissim partes erunt ita omnia non solum recte atque integre sed solenter et vigilanter agere, ut, et Summi Pontificis desiderio cumulate satisfacias, et expectationem nostram egregie sustineas.

Quam primum igitur Angelo Domini Comite, et Doctore in Moscoviam perveneris, et in Magni illius Ducis conspectum veneris reddes ejus Serenitati Breve Sanctissimi Domini Nostri et litteras nostras, in quibus et nominatim de te, et de tuae legationis munere meminimus quorum exemplum, et Pontificii simul Brevis tibi dari jussimus, ut inde non parvam eorum, quae dicenda sunt, materiam haurire, et ad eandem sententiam orationem tuam dirigere et conformare possis. Postquam vero paternam, et Apostolicam Sanctitatis suae benedictionem ejus Serenitati fueris impartitus, illud copiose expones quod cum Sanctitas sua multorum sermone et celebri fama cognoverit, ejus Serenitatem preclaram quandam erga Apostolicam Sedem, et Sanctam Romanam Ecclesiam voluntatem prae se ferre, et pio ac salutari affectu cathedram illam venerari in qua Christus Dominus visibile totius Ecclesiae caput vicarium suum Beati Petri successorem collocavit; tum ea quoque ejus sanctitas saepe audiverit Principem illum esse Potentissimum, qui multis populis et nationibus bellicosissimis longissimo terrarum tractu late dominetur, qui complures, et clarissimas victorias de Christani nominis inimicis reportavit, qui bellicarum rerum disciplina excellat, qui denique militari fortitudine, gubernandi prudentia, animi magnitudine omnibusque regiis virtutibus ita praeditus sit atque ornatus, ut omnes in sui admirationem et amorem alliciat, et quod unum omnia illius animi, corporisque bona maxime illustrat, in summa rerum omnium potestate et altissimo illo honoris statu cum maximo imperio maximam pietatem, et religionis studium conjunxerit; quodque pio quodam et generoso desiderio inprimis ardeat perpetuos Christianorum hostes Turcas tamquam alter David Philisteos armis victricibus subjugandi: Haec inquam cum Sanctissimus Pontifex de Serenitate sua acceperit, magnam, et plane singularem voluptatem cepit, atque ex eo jam tempore ita erga Celsitudinem suam Serenissimam affecta fuit, atque erga carissimum filium, semperque eam occasionem dari sibi optavit, qua paternam suam erga ejus Serenitatem benevolentiam et propensissimam voluntatem illustri aliquo argumento declarare et testificari posset.

Tum illud addis, cum a Serenissimo Imperatore, Principum, atque ordinum Imperii Conventus Ratisbonae haberetur nosque Sanctitas sua pro sua pastorali sollicitudine gravissimis de causis suum et Apostolicae Sedis legatum ad Caesaream Majestatem, et eundem Conventum mitteret vehementer ejus Beatitudo eo nuncio laetata est, quo allatum erat Serenitatis suae Oratores ad Caesaream Majestatem Ratisbonam pariter venturos etenim id tum Sanctitatem suam tamquam faustum quoddam omen accepisse, quod non sine divinae providentiae numine ex remotissimis regionibus amborum legati ad eundem Principem missi eodem fere tempore unum in locum convenirent.

Jam vero cum Sanctitas sua ex nostris litteris cognoviscet quid ejus Serenitatis legati Caesari proposuissent, quid nobis etiam per familiarem nostrum renunuciari mandassent, nimirum Principem ipsorum valde cupere non solum cum Serenissimo Imperatore, sed cum aliis Christianis Principibus et nominatim cum Summo Pontifice Romano amicitiam et foedus inire quodque litteras Serenitatis suae in eandem sententiam scriptas obtulissent, in quibus eximia pietas Serenitatis suae et fidei zelus et justa ac plane generosa erga communem hostem nostrum Turcam indignatio ducebat omnia illa Sanctissimo Domino Nostro per grata, et perjucunda accidisse demonstrabis.

Etenim cum Sanctitas sua, Deo ita disponente illius successor sit, cui a Christo Domino dictum est, Pasce agnos meos, Pasce oves meas, cumque in illa sede resideat quam Beatissimus Princeps Apostolorum Petrus Deo auctore constituit, qui urbem Romam gentium Dominam, et Reginam una cum Coapostolo suo Paulo Evangelii praecone Christo Domino lucratus est, ut quae fuerat discipula erroris, esset magistra veritatis, quam almam urbem iidem Beatissimi Apostoli sanguine pro Christi nomine effuso glorioso martyrio consecrarunt, ibique illorum Sancta corpora, et venerandae reliquiae in antiquissimis et religiosis

Digitized by Google

simis templis ipsorum Apostolorum appellatione Deo dicatis Beata dormitione requiescunt.

In ea igitur sede cum Sanctitas sua tamquam in sublimi quodam speculo a Deo collocata sit, omnes curas, et cogitationes suas defixas habet in amplificanda Christiana religione et Christianorum Principum animis conciliandis, ut et Sancta Religio propagetur, et hostibus crucis Christi qui nos impie oppugnant, facilius resistatur. Semper enim Romanorum Pontificum proprium fuit, paternis suis cohortationibus, Magnos Principes, et virtute praestantes ad res pulcerrimas pro Dei gloria, et fidei incremento gerere, excitare, omnique consilio, et auxilio commune bonum promovere. Atque hoc quidem multis vetustatis exemplis facile comprobare licet, cum omnium linguarum monumentis posteritatis memoriae sempiternae commendatae sint clarissimae in orientem expeditionis pro Sacro Sancto Jesu Christi sepulcro recuperando sed haec silentio praeterimus, tum quia tibi homini historico, et in vetustis annalibus legendis exercitato notissima illa esse non dubitamus, ut si usus evenerit statim in promptu habere possis; tum etiam quia maxime illustris, et recentissima ejus rei testificatio extat, ingens, et post hominum memoriam nobilissima de instructissima Turcarum classe ad insulas Echinados victoria Pio P. P. Quintus Sanctitatis suae praedecessore, cujus nomen in benedictione est sancti illius foederis Summo Deo auctore et consorte.

Cum igitur Sanctissimus Dominus Noster Gregorius XIII. praeclaram Serenissimi Magni Moscovitarum Ducis voluntatem et pietatem perspiceret, sique ab eo ad amicitiae foedus ultro vocari et invitari animadverteret, sane tanti Principis praestantissimam virtutem, et erga Sanctam Apostolicam Sedem amorem et observantiam Beatitudo sua obviis ulnis sibi complectendam putavit. Cumque de celeri Oratorum Serenitatis suae in patriam reditu cognosceret non solum per litteras Apostolicas in forma Brevis, qua forma Romani Pontifices, cum ad Reges, aut et ad Imperatorem scribunt veteri instituto uti solent, sed etiam per certum hominem Serenitatem suam salutare voluit ut major amoris, et propensionis suae significatio emineret. Sed ne qua mora interponeretur, si aliquis ex urbe hujus negotii causa in Moscoviam mitteretur; multis enim de causis longiorem dilationem ea deliberatio requirebat, propterea Sanctitas sua ne temporis opportunitas elaberetur, ad nos qui in Germania loco magis opportuno, et minus a Moscovia remoto Sanctitatis suae legatum ageremus, quique maturius omnia expedire, et cum Serenissimo Imperatore, quam in rem essent facilius communicare possemus, rem omnem rejecit, et tunc quid a nobis fieri et quid per eum, qui in Moscoviam iturus esset Sanctitas sua tractari vellet nobis diligenter perscripsit sic igitur cum Serenitate sua agis, ut quod ad hanc tuam itionem attinet sibi persuadeat Sanctitatem suam nunc quidem tamquam primum conjunctionis, et necissitudinis aditum patefacere voluisse; quod si Serenitas sua pari studio mutuisque officiis ut plane confidimus Sanctitati suae responderit atque amantissimi parentis curam, et sollicitudinem grato animo, et optimi filii obsequio exceperit, non est dubitandum, quin cetera deinceps perfectius, omnibusque numeris absolutius praestentur. Tu ergo in hanc curam omni diligentia incumbes ut inter Sanctissimum Dominum Nostrum et Serenissimum Magnum Ducem illum quanta maxima fieri poterit benevolentia, et animorum ac voluntatum consensio existat efficiesque ut intelligat Sanctitatis suae ipsiusque Apostolicae Sedis et Sanctae Romanae Ecclesiae amicitiam et societatem Serenitati suae omni tempore utilem et honorificam fore ut merito ipsi ab ejus Sanctitate omnia illa sint expectanda quaecunque ad ejus dignitatem, et amplitudinem augendam Sanctitati suae praestare cum Domino licebit. Notum est enim non paucos Principes virtutis et religionis ergo a Romano Pontifice propter summam in terris pastoralis officii auctoritatem amplissimis titulis ornatos, et Regio nomine, atque ornamentis decoratos fuisse, ut Poloniae et Hungariae Reges, aliosque complores, quos enumerare longum est.

Sed quoniam ad eam benevolentiam, et animorum consotiationem, de qua loquimur conciliandam nihil utilius esse potest quam si unum corpus et unus spiritus omnes simus, ut in caritate radicati et fundati servemus unitatem spiritus in vinculo pacis idcirco in eo potissimum elaborandum tibi est ut magnum illum Ducem de his, quae ad religionis concordiam pertinent studiosissime admoneas, id enim ut dicebamus Sanctissimo Domino Nostro inprimis propositum est, qui pro suo pastorali officio omnem Ecclesiarum sollicitudinem gerit, qui nulla de re magis, aut frequentius cogitat, quam de animis

Digitized by Google

Christo Domino lucrandis, omnibusque qui in crucem Domini Nostri Jesu Chrsti gloriantur, in unius fidei unitatem, et integritatem congregandis ut per totum orbem terrarum omnes unanimes eadem fidei confessione glorificemus Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi et quod unum Salvatori Nostro Deo gratissimum est, qui propterea de sinu patris in terram descendit, et in hac lacrimarum valle peregrinatus est, et cruci suffixus accerbissimam mortem pertulit, ut oves dispersas congregaret, in unum, illud inquam re ipsa efficiatur, ut sit unum ovile et unus pastor. Talem enim Christus Dominus redemptor, magister et legislator noster, in terris Ecclesiae formam instituit pulcerrimam, et praestantissimam, et illi coelesti Hierusalem simillimam. Nam sicuti unus est Deus, una fides, et una Ecclesia Sancta Catholica, et Apostolica, ita unus Ecclesiae pastor est, qui Christi aeterni animarum nostrarum pastoris vices in terris gerit; hic autem esto Romanus Pontifex Beatissimi Apostolorum Principis Petri successor, cujus summam in Ecclesia Dei auctoritatem omnis ab ipso nascentis Ecclesiae primordio antiquitas agnovit, et universa posteritas perpetuo consensu comprobavit. Tuae igitur prudentiae, et eloquentiae partes erunt non solum crebro in aures instillare sed omnino in animum Magni illius Principis inprimere, quantum ad animae utilitatem, et salutem pertineat Sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris, et magnopere auctoritate agnoscere, et palam aliorum Christianorum Regum, et Principum more obedientiam debitam officio profiteri, quam quidem auctoritatem et potestatem celeberrima, et oecumenica illa quatuor Concilia, quae tanquam quatuor Evangelia venerandi sunt. Nicoenum Constantinopolitanum, Ephesinum, et Calcedonense, ut alia pene innuberabilia Sanctorum Patrum et Conciliorum testimonia omittamus, non solum agnoverunt, sed decretis amplissimis promulgarunt, omniumque laudum elogiis et praeconiis extulerunt. In qua quidem Sancta et Apostolica Romana Ecclesia quae illius petrae firmitate Deo concedente nititur, cui dictum est ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; fides Catholica ab ipsis Beatissimis Apostolis Petro et Paulo nunquam interrupta serie successorum semper integra, atque incorrupta conservata est, ita ut ad ipsam tanquam ad limpidissimum Catholicae doctrinae fontem, et solidam fidei petram omnes Nationes et populi confluere soliti sint. Haec a te prudenter accurate, erudite, copiose tractanda sunt, ut Princeps ille alliciatur et cupiat ad ipsius animae salutem cum hac ipsa Ecclesia matre sua, quae unice illum diligit non solum externo, et politico amicitiae foedere, sed multo magis spiritali caritatis vinculo copulari.

Tantum vero de tua doctrina, dexteritate, eloquentia in Domino confidimus, ut tandem Principem eo perducturus sis ut ipse non mediocri desiderio penitius nostra cognoscendi exardescat, atque aliquos ex nostris sacerdotibus, et Theologis mitti sponte sua postulet. quod si faciat saue recipere poteris te pro certo sperare Sanctissimum Dominum Nostrum tam pia ipsius petitioni non defuturum qui ejus Serenitatem diligit in visceribus caritatis.

His jactis fundamentis commendabis pium illud et Christiano Principe dignissimum concilium, et tanquam scopum Serenitatis suae xpi Christi nomen longe, lateque propagandi; deterrimum Turcarum Tirannum perpetuo persequendi qui ipsius tam praeclaro desiderio maxime obsistit, cui non satis sit, tot Regna. et Provincias florentissimas Christianis jam pridem ademisse Orientalis Imperii sedem Constantinopolim occupasse, nobilissimam Graeciam, unde tot clarissima Ecclesiae lumina prodierunt accerbissimae servitutis jugo oppressisse, nosque gloria, et hereditate nostra venerando scilicet vitam auctoris, et salvatoris nostri Jesu Christi sepulcro spoliasse. His inquam adhuc contentus non est, sed nova quotidie Christianis damna inferre nolitur, neque unius, aut alterius Principis sed communis omnium hostis sit, ut jam illius insatiabilis dominandi cupiditas nullis terminis aut finibus contineri posse videatur. Quacirca recte et prudenter inprimis ejus Serenitatem agere, quod autam immani vastitate coercenda Deo adjutore cogitet, merito enim tanta Turcae potentia eum nostrorum hominum odio et inexplebili quadam regnandi siti conjuncta omnibus horribilis et formidolosa esse debet.

Opportune autem hoc loco ejus Serenitatem admonere poteris, non modo valde incommodum sed absurdum quoque esse, cum ipsa perpetuum sibi cum Turcis bellum gerendum constituerit, nihilominus in religionis causa Metropolitanum illum admittere qui totus in Turcae potestate sit quamobrem et decentius, et utilius fore si se ejus Serenitas Ecclesiae

Digitized by Google

Romanae penitus adjungat, neque quiquam ab inimici domo petat, ubi omnia infida et insidiarum plena sunt.

Hujus vero argumenti fusius explicandi non semel, ut arbitramur, occasionem reperies; caeterum ut ad institutam narrationem redeamus, de periculis propulsandis, et depellendis quae a Turca impendent, dices, Summi Pontificis et Serenitatis ejus voluntates concordes et consentaneas esse ambos enim de comprimenda intollerabili Turcarum ferocia cogitare, ambos idem sentire, nihil ad eam rem opportunius, nihil salutarius esse, quam ut consociatis multorum Principum viribus, multis et in locis tam potens adversarius oppugnetur. Verum Sanctitatem suam valde cupere aliquanto distinctius, et explicatius cognoscere quid ejus rei exequendae causa ipsius Serenitas efficere decreverit, et ut exempli causa dicamus, prudenter a te roganda erit ejus Serenitas ut planius exponat quibus copiis quam valido et numeroso exercitu, quo belli apparatu, quibus locis quo tempore hostem invadere constituat, denique quaenam totius belli ratio sit futura, et utrum terra tantum, an etiam flumine aliquo aut mari, et qua classe, quam ornata, et instructa hostem agredi, et vexare liceat. Tum etiam, num qui Principes aut populi cum ejus Serenitate foedere et societate vincti sint, quorum forti, et fideli opera uti possit, et quae illorum auxilia, vires, bellandi disciplina; atque haec et alia id genus diligenti, et solerti percunctatione ut diximus elicienda sunt, curandum etiam si fieri possit ut ejus Serenissima Celsitudo quid hac in re pro sua parte praestare intendat scripto quoque diserte, et subtiliter declaret. Inprimis autem celeritate opus esse ostendes ut in maximas rerum omnium angustias deterrimus hostis conjiciatur; nam ex alia parte ejus Sanctitas, et Christiani Principes, apud quos Summi Pontificis auctoritas gravissima est inprimis vero magni et Potentissimi Hispaniarum, et Portugaliae Reges nullam moram interponent, sed summo conatu bellum gerent, et quacunque ad Turcae regiones invadendas nobis aditus patet, illius Imperium terra, marique infestare, vexare, diripere non cessabunt.

Haec igitur potissima sunt capita, ad quae solertiam tuam attente respicere oportet; primum ut Magnus ille Princeps, cujus egregia pietas, et singularis fidei zelus predicatur, vocem Pastoris illum paterne vocantis exaudiat, et Summi Romani Pontificis Primatum agnoscat, seque Ecclesiae Romanae in ejusdem religionis consortium conglutinari patiatur.

Alterum, quod primo consequens est ut ejus Serenitas ita afficiatur utque ardissimo amoris, et amicitiae vinculo cum Apostolica Sede conjungi velit. Tertium est, ut de ejus voluntate et consiliis in eo, quod ad foedus ineundum, et bellum Turcis inferendum pertinent, quam exploratissima ad nos referas.

Accedit et quartum, quod non minori sane studio a te curari volumus de Rege Persarum nam cum Rex ille qui nunc rerum potitur, Turcis infestissimus esse dicatur, cumque Magni Ducis Ditio ad Persarum fines protendatur non difficile factu videtur, ut ejus Serenitatis auctoritate Rex ille poteniissimus in ejusdem foederis societatem protraheretur, quae quidem accessio multis de causis quae obviam et manifeste sunt maximi momenti esse futura; vix enim fieri posset, ut moles illa imperii tum valide, tum multis in locis, a Mosco, a Persa, a nostris oppugnata et tanquam tormentis verberata, non tandem corrueret.

Enitendum igitur tibi est, ut Serenissimo Magno Duci id persuadeas, ut quam primum ad Persarum Regem legationem decernat, eumque ad foederis communionem contra Turcam inducere studeat; atque illud ut existimamus, non levo ad persuadendum argumentum erit, si Persae demonstraverit, quanta haec sit Turcam opprimendi opportunitas, quando ut supra jam diximus, Christiani Principes illum infestis armis acerrime invadent.

Cupimus autem tantam ea in re celeritatem adhiberi ut si fieri queat ante discessum tuum quid ea de re sperandum sit cognoscas; sin minus ab ejus Serenitate petes, ut Beatissimo Domino Joanni Delphino Episcopo Torcellano Sanctissimi Domini Nostri Papae apud Caesaream Majestatem Internuncio quicquid actum erit primo quoque tempore significet, quo cum et cetera communicare tuto poterit.

Et si autem non dubitamus, Magnum Ducem pro sua prudentia sponte id facturum, quod cupimus, ipsa enim rei utilitas satis per se loquitur, erit tamen sedulitatis tuae; omnes persuadendi locos mente, et cogitatione percurrere, ut quae nos breviter perstringimus ea cum opus fuerit, facile amplificare, et dicendo ornare possis, nos etenim multa judicio tuo relinquimus et rerum modo fontes indicamus, memores praeclarae illius sententiae. Da occasionem sapienti,

Digitized by Google

et sapientior erit, nam illud diligentiae tuae admonere supervacaneum putamus, ut omnia Moscovitarum instituta, ritus ceremonias, sacramentorum administrationem sedulo observes, et quid primano unionis negotio, ut ratum firmum et perpetuum sit adjumento aut et impedimento esse possit utque instructissimus ad nos redeas.

Jam vero opportuno loco commemorabis quanta inter Summum Pontificem et Caesaream Majestatem necessitudo intercedat, ita ut ejus Serenitati persuasissimum esse debeat tanto magis ipsius cum Caesare amicitiam augeri et corroborari, quo magis secum Sanctissimo Domino Nostro; et cum Apostolica sede conjunxerit nam et illud tibi notum est, cum de tua missione nobis auctoribus Imperatori relatum esset ejus Majestatem Concilium valde probasse, et ut commodius id fierit, quantum in ipso fuit, benigne praestitisse.

Omnino autem cum e Moscovia discedere volueris re prospere, et feliciter gesta, litteras Magni Ducis ad Sanctissimum Pontificem dignas tanto Principe, dignas expectatione Sanctitatis suae et nostrae, et quam plenissimas reportabis. Tum illud et omni contentione procurabis ut ejus Serenitas ex majorum suorum exemplo legationem quoque Romam mittat, quod Summo Pontifici, et Sacro Illustrissimorum Dominorum Cardinalium Collegio gratissimum fore confirmabis, ostendesque hoc maxime accommodatum vinculum esse ad connectendam tanto arctius benevolentiae copulam, multaque ex eo commoda, et utilitates promanaturas, quas tu graviter accurateque percensebis, omnemque operam dabis, ut id et magnopere ipsam decere, praesertim cum Summus Pontifex jam adeo humaniter praevenerit, et non mediocriter ad communes res conducere ejus Serenitas intelligat.

Volumus praeterea ut de nostra erga ejus Serenitatem propensissima voluntate testeris, nobisque ejus amplitudinem, et dignitatem, quibuscunque in rebus poterimus, curae semper futuram prolixe polliceris.

Quod si forte animadverteris ejus Serenitatem cui nostri mores minus noti sunt aliquo modo sub offensam quod tamen non credimus quasi inscriptio Apostolici brevis diminuta sit neque omnes ipsius titulos amplectatur tuum erit ipsum leniter admonere hanc esse Romani Pontificis, qui communis Christianorum Principum pater est vetustissimam consuetudinem, ut omnes et Imperatorem et Reges filios appellet, quod verbum amoris et caritatis plenissimum est. Item illam esse usitatam inscriptionis formulam ut unius tam primarii Regni mentio fiat sic enim Philippo Hispaniarum Regi Illustrissimo. Reges — n. in scribendo illustres vocat Romanus Pontifex sic et Maximiliano Romanorum Imperatori scribi solet, reliquorum Regnorum enumeratione omissa. Quare cum apud nos Magni Moscoviae Ducis nuncupatio notior, et crebrior sit, ea potissimum usa est Sanctitas sua neque est quod ejus Serenitas vereatur, quidquid ex eo de ejus dignitate imminui tum quia, ut jam dixi ea apud nos scribendi ratio servatur, tum etiam quia nemo ignorat ejus Serenitatem quam plurimis populis, et provinciis latissime imperare, qua quidem in re si quid a nobis quoque praetermissum est cupimus non apud ejus Serenitatem excusatos esse.

Deus omnipotens, qui plantationibus et irrigationibus nostris solus incrementum dat ipse det tibi Spiritum consilii et intellectus, ut omnia fideliter et utiliter agas, ut et ab ipso in coelis, et ab ejus vicario. In terris labor tuus meritis premiis afficiatur.

Tibi Apostolica auctoritate bene dicimus, teque salvum ire, et redire pro nostro in te amore valde optamus. Datum Ratisbonae, die mensis 1576.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XII.

# JOANNIS COBENCELII

## DE LEGATIONE AD MOSCOVITAS

## EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XII.

# JOANNIS COBENCELII

## DE LEGATIONE AD MOSCOVITAS

## EPISTOLA.

---

### *ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE ETC.*

EGO ACCEPI in Polonia litteras, quas octavo Aprilis proxime elapsi Dominatio Vestra ad me dedit; Quia sua Majestas cum duobus collegis ad Diaetam Varsoviensem me expediverat, quae hisce diebus fuit celebrata, sed non fuit conclusa, juxta desiderium nostrum ob prorogationem quae facta fuit ad tertium diem Junii, ubi denuo oportebit comparare, et juxta praescriptum nostrae instructionis agere; quae res mihi multum supra omnes alias molesta est, maxime cum de aliquo fructu desperem. Nihilominus si mandatum suae Majestatis accesserit, obedientia erit opus, et id quod reliquum est, divinae voluntati commendandum erit, per quam Reges regnant.

Pergratum mihi accedit, Dominationi Vestrae Illustrissime carum fuisse id, quod summarie de rebus Moscoviticis eidem nuper perscripseram; Credo Vestram Illustrissimam Dominationem postea uberiorem relationem earundem rerum habuisse, posteaquam mea expeditio ubique sparsa sit. Sua Majestas Caesarea forsitan nondum de istis participem fecit Sanctissimum Dominum nostrum, volendo prius haec cum Sacro Imperio communicare, et postea cum ejusdem consilio suae Sanctitati et aliis Principibus Christianis notificare, et hoc (ut credo) ut in illam confoederationem induci possint, quam Moscovita contra Turcam vehementer desiderat. Et propterea haec Taciturnitas non debet in alium sensum interpretari.

Ego spero sine dubio, divino auxilio accedente, quod illa omnia ad effectum deduci poterunt, de quibus superioribus diebus breviter ad eandem scripsi, quarum summa haec fuit. Quod populi illi facili opera ad gremium Sanctae Ecclesiae Catholicae reduci possint, et tanto facilius, posteaquam nunquam discesserunt ab ea religione, quam acceperunt et didicerunt ab Ecclesia Graeca. Quamque in hodiernum usque diem cum maximo zelo et fervore servant, ita ut vix credi possit. Unde speraudum est, quod, ubi animadverterint errores, quibus implicati sunt (tametsi illi quoque non sint de essentialibus) subito ad unionem accedent; et hoc pacto numerus noster vehementer augebitur, et triplo vel quadruplo plus lucrabimur, quam superioribus annis in Germania et Francia perdidimus. Ideo deberemus summopere elaborare in eorum populorum acquisitione, quod lucrum profecto gloriosius esset, quam ullum aliud in hoc mundo.

Et ut facilius Vestra Illustrissima Dominatio in meam sententiam condescendat, libentissime illi significabo causas, quae me in hanc sententiam pertraxerunt, humiliter ab ea petendo, velit benevole audire. Ac in primis Vestra Illustrissima Dominatio sciat, quod Princeps ille extreme et ex animo desiderat confoederationem inire cum Majestate Caesarea, cum Sanctissimo Domino Nostro, Rege Hispaniarum, aliisque Principibus Christianis. Hoc profecto ex divina inspiratione profectum

Digitized by Google

est. Et quamvis aliqui scripserint, nationem illam valde inimicam esse nobis, qui sedem Apostolicam agnoscimus, mihi tamen secure credere potest, rem non ita se habere. Sed hoc certissimum est, eos etiam cum suspiriis teneri desiderio videndae Romae et visitandorum sacrorum locorum, ubi ex lectione historiarum intelligunt passos et sepultos multos Sanctos, quos illi plus, quam omnes Catholici venerantur et celebrant. Quemadmodum illi, qui mihi adjuncti fuerunt, frequenter ea de re mecum contulerunt, semper affirmantes in vita se nihil magis cupere, quam ea loca visitare, et maxime B. Virginem Lauretanam, rectius illis notam, quam multis Gallis et Germanis. Ac pro majori argumento et confirmatione ejus rei Vestra Illustrissima Dominatio sciat, quod, dum ego peterem dari mihi potestatem videndi imaginem S. Nicolai, quam ipsi eximie venerantur, humanissime mihi fuerit responsum, id mihi non iri negatum, si antiquae Romanae religionis essem, et non Lutheranus (quia ipsi quoque hoc vocabulo utuntur) et majori odio quam Turcas prosequuntur; ita Deus me adjuvet.

Videntur magis ceremoniosi, quam nos Catholici. Nunquam transeunt monasterium aut aliud templum vel saltem signum S. Crucis (quibus omnes fere plateae et anguli pleni sunt) sicut et illi, qui mecum erant, faciebant, ex equis et curribus descendentes, et quasi ad terram genua flectentes, tribus vicibus signo S. Crucis se signantes sequentia verba dicebant: Hospodi pomiluj, Hospodi pomiluj, Hospodi pomiluj hoc est, ter *Κύριε ἐλεῆσον*.

Ac postea ubi pervenissent ad aliquod templum, ubi missa diceretur, nunquam transire volunt, nisi prius intraverint et missam audiverint, genua flectentes, et frontibus aut pavimentum aut vicinum parietem pulsantes; et hoc praesertim, cum elevatur et portatur Sanctissima Eucharistia. Principalis meus assistens, qui fuit Demetrius Aleman, nunquam prius cibum sumsit, quam missam audivisset. Et ut verum fatear, ego nunquam interfui alicui eorum sacro, tum ob id, ne cum eorum schismate participarem, tum quia idem Dux me monuerat, non omnes me in eorum templis libenter visuros; sed deforis ad instar eorum, qui cum mulieribus conversati essent et neque balneati neque loti essent, vidi eorum sacra celebrari, cum ea devotione, qua major dici vix ulla potest.

In sacrificando utuntur vestimento nostro simili. Sacrum seu missa ipsorum longior est, quam duae nostrae. Sacrum sit lingua vulgari. Semper astant duo vel tres Diaconi praesentes, ac similiter sine intermissione canentes, interdum Hospodi pomiluj, interdum vero ingeminando Alleluja Alleluja; similiter omnes circumstantes canunt, continuo signo S. Crucis se signando.

In usu habent candelas et imagines, et alia omnia instar Catholicorum, et specialiter utuntur aqua Benedicta et sale. Postremo Sacerdos distribuit certa frusta panis benedicti, quae populus cum magna reverentia accipit, domum deferens; et iis qui sacris non interfuerunt, per micas saltem distribuit.

In monasteriis quotidie in Galli cantu missa celebratur, ad quam soli masculi conveniunt, quemadmodum multi eorum ex fervore devotionis pervigiles noctes una cum monachis agunt, qui quotidie psallentes Deum laudant, aliis recedentibus, aliis succedentibus. In domibus ipsorum sunt imagines devotissimae, et nemo exit vel intrat, priusquam ter se inclinaverint ante imaginem crucifixi vel Deiparae Virginis. Quas in stubis vel cameris continue cum lumine conservant, et quotidie se signant signo S. Crucis, dicentes Hospodi pomilui. Ac priusquam istam ceremoniam peregerint, neque invicem salutant et alloquuntur, neque sibi invicem valedicunt. Frequenter quoque utuntur signo S. Crucis ad mensam. Et Vestra Illustrissima Dominatio secure credat, quod ille Magnus Princeps nunquam buccellam panis acceperit aut semel biberit absque signo S. Crucis. Quod ego vehementer miratus sum, cum essem cum eo ad mensam. Sciat quoque Dominatio Vestra Illustrissima eos usitatissimas habere processiones. In die Epiphaniarum Domini, quamvis acerrimum gelu fuerit, tamen universus Clerus et populus exiens civitatem Drohobuszam, ubi tunc forte eram, cum Crucibus et vexillis ad ripam Borysthenis fluvii venit, ubi manserunt plus quam per integram horam dicendo multos psalmos et orationes; et hoc totum fuisse factum in memoriam Salvatoris nostri baptizati in Jordano intellexi. In Sanctissimo baptismate, quod ab ipsis tanti fit, quanti a nobis, eodem etiam modo administratur, excepto eo quod dicunt: Baptizetur infans iste in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. In Sanctissimo Sacramento poenitentiae idem; excepto quod con-

Digitized by Google

fessarius et confitens stant in medio templi neque unquam sedent. Satisfactio autem est frequentissima et rigorosissima, quemadmodum in primitiva Ecclesia fuit. Annis singulis accipiunt sanctissimum Eucharistiae sacramentum et communicant. Quae Eucharistia pro infirmis saltem in die coenae Domini consecratur et asservatur in templis cum summa reverentia tantum sub speciepanis, de qua cum cocleari rumpitur una particula, atque adfunditur parum tepidae aquae, et sic aegroto exhibetur cum summa adoratione intimaque devotione. Et sic non differunt a nobis, nisi quod illi instar Graecorum pane fermentato utuntur.

Sancti, quemadmodum jam dixi, apud illos sunt in suprema veneratione, et invocatione pro eorum suffragiis apud divinam Majestatem; et specialiter D. Nicolaum pro singulari patrono habent, cujus imaginem servant in civitate, quae Moszajsco dicitur, cum summa devotione et honore, cui Magnus Princeps singulis diebus facit offerri magnam panis quantitatem, carinum item cerevisiae et hydromelis; quae summa postea distribuitur ministris illius templi, continue divinum cultum exercentibus, Deum benedictum exorando pro felicitate magni illius Principis.

Ab eo loco paucis miliaribus monasterium sanctissimae Trinitatis distat, ubi continue 700 monachi manent, qui sustentantur ab eodem Magno Principe et ob eandem causam in eo templo habent sepulcrum S. Ignatii et frequenter ibi signa apparent. Omnes illi monachi sunt ordinis D. Basilii, vivunt pie et exemplariter similiter quoque in suis monasteriis moniales. Monasteria sunt frequentissima, ita ut in spatio duorum vel trium miliarium semper monasteria reperiantur.

In universa Moscovia non reperitur schola, vel alia ratio addiscendarum litterarum nisi quod in ipsis monasteriis addiscitur; et propterea inter mille personas vix unus reperitur, qui sciat legere vel scribere. Sacerdotibus licitum est semel matrimonium contrahere; sed mortua uxore, opus est coelibes permaneant. In singulis templis sunt aliqui Diaconi, qui mortuis Parochis substituuntur. Purgatorium negant, et tamen devote et continue in missarum celebrationibus et aliis orationibus orant Deum pro fidelibus defunctis, hoc est, ut sua Majestas dignetur condonare promeritis poenas, illosque recipere in coelestem patriam. Et ita a Catholicis non re, sed nomine saltem ipsi differunt. Praecipuus error eorum meo judicio hic est, quod affirmant non fuisse ulli homini licitum post prima 7 Concilia ullum aliud celebrare. Ac quemadmodum illa 7 Concilia universa amplectuntur, ita posteriora omnia refutant et rejiciunt; et sic ab obedientia sedis Apostolicae disceditur.

Neminem reperire potui, qui aliquid intellexisset de differentia inter ipsos Graecos et nos circa verbum ὁμοούσιος. Habent suum Metropolitanum, a quo dependent omnes Episcopi et universus Clerus; a quibus tanti fit, quanti a nobis Summus Pontifex.

Non negat ille se dependere a Patriarcha Constantinopolitano, sed certissimum est, parvam inter ipsos esse correspondentiam et affectionem, cum ille sit Turcae, et hic Moscovitae subditus. Principum sibi admodum inimicorum Metropolites ille Moscoviticus singulis annis Synodum celebrat, in qua Archiepiscopi et Episcopi omnes comparere debent. Quemadmodum ego dum essem Drohobuszae vidi aliquos venientes ab ipso Metropolitano, quibus praeferebantur baculi pastorales, sicuti ante legatos Apostolicos Cruces praeferri solent, et singulos comitabantur aliquot monachi, et quini aut seni servitores. Ad Episcopatum nunquam aliquis assumitur nisi ex monachis, qui eo magis satagunt exemplariter vivere, ut ejusmodi dignitatem consequi possint. Unde mihi fuit affirmatum pro re certissima, quod multi ex ipsis amore et servitio divino usque adeo incenduntur et exardescunt, ut et vivi et mortui miracula edant: Et tales postea canonizantur.

IN MOSCOVIAM PERVENERAM SUB INITIUM ADVENTUS DOMINI. Et cum instarem pro matura audientia apud ipsum Magnum Principem, responsum mihi fuit, quod, licet ipse vehementer cuperet me videre et amplecti sicut oratorem sui carissimi pretiosissimique fratris electi Romanorum Imperatoris (hoc enim titulo Caesaream Majestatem communiter nominant) tamen cum a majoribus suis acceperint, quod per totum illud tempus sanctum nihil aliud fieret, quam visitatio sacrorum locorum, quodque in illis devotioni studeatur. Ideo ne nunc quidem Principem ipsum aliud facere posse, sed subito, celebratis festis natalitiis, velle me vocare, audientiam dare et facere omnia, quae sua affectio erga Caesaream Majestatem requireret. Quod postea liberaliter fecit.

Digitized by Google

Omnia sua negotia actionesque auspicantur ab invocatione sanctissimae et individuae Trinitatis tanta cum religione tantoque zelo, ut Vestra Dominatio Illustrissima credere vix queat. Quadragesimam universam jejunant valde stricte, nihil cocti comedentes, nisi quis forsan ob adversam valetudinem cogatur. Quadragesima praeterea ipsorum una septimana longior est nostra; hicque etiam unus est articulorum, quibus a nobis differunt. Idem per totum adventum faciunt, vocando jejunium illud S. Philippi. Similiter jejunant septimana Rogationum mediumque Augustum: Prius illud, jejunium S. Petri, posterius hoc B. Virginis jejunium vocatur.

Et haec habet Vestra Illustrissima Dominatio de rebus ipsorum spiritualibus, ex quibus intelligere potest manifeste, facillimam rem esse obtinere, et in tam proxime symbolizantibus concordare, maxime si id fiat medio idonearum personarum, quae in ipso principio perpendere scirent, non quid fieri deberet, sed quid praestari possit, quasi parvulos lactando, id quod D. Paulus fecit in suis novellis Ecclesiis. Jam Vestrae Dominationi Illustrissimae breviter narrare pergam, quo modo ab ipsis acceptus fuerim et tractatus.

Cum pervenissem ad civitatem Orsa, quae celebris habetur propter vicinum locum, in quo Sigismundus I. Rex Poloniae cum ipso Moscovita congressus fuit, cursorem misit ad Palatinum de Smolensco, quae civitas ab Orsa distat 26 milliaribus, rogando velit more solito ad me recipiendum et conducendum in conspectum Magni Principis mittere, ut ego interim Orsae responsum exspectarem, quod tertia die juxta desiderium meum consecutus fui.

Profectus itaque ex Orsa perveni ad locum distantem 12 milliaribus. Sequenti autem die circa ortum solis reperi nobilem cum 30 tragis sine Kochi, quia tot personas mecum habui, qui summo honore me recepit, summarie dicens, se commissionem de me conducendo et tractando accepisse, quanto melius id illis in locis fieri posset optime. Et propterea quod vellet me et res meas transferre ad illos currus, remittendo mea, et ut venirem secum hilariter, remotus ab omni cura, eo quod omnia mihi subministrarentur necessaria pro ratione temporum et locorum. Pro qua liberalitate gratias egi Summo Principi, et id feci, quod mihi fuit dictum: eoque die 6 milliaria confecimus. Altero vero die 4. ibi obviam factus fuit nobis supradictus Dux Demetrius stipatus 1,000 equitibus, multisque tragis, qui valde solenniter me recepit, alter repetendo quomodo Dominus suus libentissime adventum meum intellexisset, ac quod misisset ipsum, ut mihi obviaret, et ad se perduceret cum omni debita rerum necessariarum provisione. Cui ego respondi replicando. Et sic conscendimus Tragas, atque transivimus per Smolensko civitatem tantam, ut magnitudine Romam adaequet; per mediam defluit Borysthenes, et eo die confecimus totidem nempe 6 milliaria. Sequenti vero die confecimus 14 a Drohobusza, et ibi 50 diebus integris propter supra dictam causam i. e. devotionem Principis mansimus, cumque ibidem octiduum substitissemus, Magnitudo sua misit ad me Magistrum curiae suae, qui dicitur Dux Micita Romanovicius cum altero Duce de suo secreto consilio, et Cancellario, stipatus magno numero Bojarorum sive nobilium, qui omnes vestiti fuerunt panno ex aureis et argenteis filis contexto et pelliciis Scebelinis.

Legatio fuit haec, quod ille Princeps ageret gratias pro honore, quem suae Magnitudini sua Caesarea Majestas exhibebat, me ad illam mittendo, excusaretque se quod propter supra dictam causam videre me non posset, animando me, ut haberem patientiam, donec sua Magnitudo me vocaret.

Quibus egō tanquam secundis comissariis replicavi, et rogavi eos, ut pro viribus suis vellent audientiam meam promovere, quod se facturos promiserunt, et ad Dominum reversi sunt, qui octiduo post scripsit ad me unas litteras gratiosissimas summarie eadem continentes, quae prius per oratores dicta fuerunt, item quod libenter subito me esset vocaturus.

Verum cum ob superiorem causam fieri hoc non posset, ut bono essem animo et patientiam haberem, quodque postea absque ulla dilatione me vocare vellet, ac prospicere, ut, quam citissime fieri posset, expedirer. Adjunctae etiam his litteris erant aliae gratiosissimae oblationes. Jam vero Magnitudo sua hilariter hoc fecit. Ac cum ego processissem et ab ipso tribus tantum abessem milliaribus per aulicum quendam suum misit mihi dono curtum cum equo pulcerrime adornato pelle ursina alba, certaque tapeta Persiana, dicendo quod me exspectaret, quodque cito cum oculis suis exhilararetur (ista enim phrasi multum utuntur), pro quibus cum gratias agerem uti conveniebat, me pracire fecit plus quam 100 tragis, cumque

Digitized by Google

duo miliaria progressus fuissem, obviam facta sunt mihi 3,000 equitum pulcerrime instructorum, qui comitabantur tres commissarios, quos sua Magnitudo ad me recipiendum miserat. Quorum primus post invocationem Sanctissimae Trinitatis mihi dixit, suam Magnitudinem jussisse ex me interrogare, quomodo valeret suus pretiosissimus carissimusque frater electus Romanorum Imperator. Secundus eodem modo quaesivit, quomodo iter successisset mihi. Tertius postea sibi Magnum Principem in mandatis dedisse, ut de hospitio provideret mihi; seque hoc solicite facturum esse dixit. Ego, ut primum eis prout conveniebat, respondissem, progressi sumus, et fui ad hospitium satis commode praeparatum conductus, ubi mihi subito a tertio illo comissario fuit significatum, suam Magnitudinem mihi multa victualia non tam pro 30 quam pro 300 personis sufficientia ordinasse. Eo vespere et sequenti die facta sunt ibi diversa officia. Tertio post die dicti commissarii deduxerunt me ad Magnum Principem, ubi reperi omnes plateas populo plenas, et ante castellum 2,000 pyxidariorum optime instructorum, postea post primam castelli portam totidem. In prima domo reperi circiter quingentos nobiles, in secunda paulo plures, in tertia duplo plures. Qui omnes primi, secundi, et tertii pretioso panno aureo, pelliciisque Sccbelinis vestiti fuerunt. In ultima domo seu camera occurrerunt mihi tres magnae personae, quae me ad Principem introduxerunt, quicum erant in universum 24 consiliarii, sedentes 12 a dextris, totidemque a sinistris.

Jam cum appropinquassem ad ipsum Principem, unus consiliariorum exurgens dixit suae Magnitudini: Magne Caesar, Princeps, et Domine, (quo titulo semper utuntur) orator tui carissimi et pretiosissimi fratris Maximiliani electi Romanorum Imperatoris tibi facit reverentiam: ac dum haec ipse loqueretur, ego humillime ad genua procubui. Quo facto, ipsamet Magnitudo sua me interrogavit, quomodo valeret sua Majestas, nominando ut jam praedictum est, cui respondi, quod illam optime valentem reliquissem. Postea interrogavit, quid rei adferrem, me litteras attulisse respondi, quas ipsi exhibui una cum dono per suam Majestatem misso, hoc est una Medalia adornata cum 52 adamantibus satis magnis; cui erat superposita corona Imperialis una, quae valebat ad minimum 8,000 coronatis. Postea dedit signum ut ulterius loquerer, quod et feci, per integram fere horam, legatione mea id exigente, quae 6 capita magnae importantiae continebat, quae ipse sibi quasi de verbo ad verbum interpretari fecit. Quo facto, manum mihi exhibuit, jubens me considere in sede nobilissime adornata et ex opposito sui locata. Vocatis tandem meis comitibus, singulis manum porrexit. Quibus peractis, me invitavit, ut vellem cum eo panem manducare, pro qua et aliis gratiis suae Magnitudinis gratias egi. Tandem conductus fui a meis prioribus assistentibus in quoddam cubiculum, in quo moratus sum per mediam horam donec ad mensam Principis vocarer, quem reperi jam sedentem mutatis vestimentis quia primo vidi cum indutum paludamento sine pallio Imperiali cum corona in capite, quae certo similis videbatur coronae papali, et habentem sceptrum in manu. Res pretiosiores et pulcriores diebus vitae meae nunquam vidi. Anno superiori vidi coronas sive mitras sanctissimi Domini nostri in castro S. Angeli mihi demonstratos per Dominum Malvagium Subcastellanum. Vidi etiam coronam, omniaque indumenta Regis Catholici, similiter quoque Magni Ducis de Thoscana, et multa Regis Franci, suaeque Caesareae Majestatis tam in Regno Hungariae quam Bohemiae et alibi ornamenta. Credat tamen mihi vere Vestra Illustrissima Dominatio, quod haec omnia cum illis quae ibi vidi, ne in minima quidem parte conferri possunt. Totum enim paludamentum erat distinctum Adamantibus, Rubinis, Smaragdis, et similibus pretiosissimis lapidibus magnitudinis unius nucis, ita ut mirarer qui tantum sustinere posset pondus. Filius major natu sedebat ad dexteram eodem modo vestitus, nisi quod corona ipsius reposita erat in scamno, et sceptrum non habebat, sed Patris Scipionem manu tenebat, qui patrem imitatus similibus me verbis quaerebat, uti pater fecerat.

Ad mensam erant vestiti serico villoso rubeo, adornato pretiosissimis gemmis. Coronae ipsorum stabant prope in uno scamno, locoque ipsarum habebant certa caputia more graeco facta, in quorum singulis fuit unicus Rubinus, magnitudinis unius ovi, qui resplendebant maxime cum advesperasceret, tanquam duae faces accensae. Ipsi soli ad mensam sedebant. Ego habebam propriam mensam distantem ab ipsorum circiter uno passu. Habebat 100 servientes, quorum singuli semper totidem patinas adferebant ex purissimo auro fabrefactas; ex quibus tres tantum una vice ad mensam ponc.



Digitized by Google

bantur: unam Magnitudo sua pro se servabat, alteram filio porrigebat, tertiam mihi mittebat. Quemadmodum etiam hoc fiebat cum totidem pateris, quando volebat bibere, per pocillatorem mihi nunciabat Juvanne (quia sic me vocabat) Veliki Tsar, Knes, Hospodar podaje, i. e. Joannes, Magnus Caesar, Princeps et Dominus tibi mittit. Alias patinas faciebat distribui inter meos, qui eidem mensae assidebant, et suos officiales, quos jusserat sedere ad tres longas mensas trecentas. Convivium duravit integras 6 horas. Et pro conclusione cum jam nos surrexissemus, singulis nostrum Magnus Princeps, dico mihi et meis, de pateris exhibuit unam manu propria. Facta reverentia, magno strepitu et infinitis lucernis ad hospitium deducti fuimus; ubi oportuit denuo cum nostris assistentibus comedere, aliisque Dominis usque ad auroram. Atque sic prima Audientia pertransiit.

In secunda audientia, statim sequenti die circa horam nonam fuimus deducti ad Magnum Principem. Quo honorato, sicuti primo die fuit factum, me sedere jussit, dicens summarie quomodo intellexisset meam legationem, et quod dedisset id negotii suis quinque principalioribus consiliariis, ut mecum de eo ipso negotio tractarent, et ut ego non deessem cum ipsis super omnibus concordare, quod ipse vehementer desideraret. Postea cum in certam domum sive cameram ingressi fuissemus, per tres integras horas negotium tractavimus, et ex divino auxilio juxta instructionis S. C. M. praescriptum in omnibus concordavimus. Quo facto, dicti Domini consiliarii surgentes dixerunt mihi, se velle adire Principem, illique tractatum omnem referre, meque postea de magnitudinis suae mente edocere. Ego gratias ipsis agens vix mediam horam exspectavi, tum revertuntur summatim mihi referendo, quod Princeps, quemadmodum id ex ipsius ore crastino die essem auditurus, totum negotii tractatum approbaverit. Perducto igitur sequenti die ad ipsum personaliter dixit substantialia:

Postquam meus carissimus et pretiosissimus frater te ad me misit, et ego ex te legationem intellexi tuam, quemadmodum etiam ex meis Veliki Bojari, hoc est, magnis nobilibus, quid cum ipsis tractaveris, intellexi, Dicas volo ipsi meo fratri, quod totaliter resolutus ego decreverim persistere, ac cum ipso inceptam amicitiam fraternitatemque, cum omnibus meis in perpetuum continuare, id quod et Dominus pater meus quondam, cum ipsius patre et ave Maximiliano Ferdinandoque Caesaribus fecit. Idcirco dum et quando dictus frater miserit ad me suos magnos oratores, persuadendo id, et ad id inductis Papa Romano, ac Rege Hispaniarum, aliisque Christianis potentatibus ut idem faciant, magno beneficio Rempublicam Christianam afficiet. Quod concedat sancta Trinitas, Unus Deus, Amen.

Quemadmodum haec omnia a meis magnis Bojaris amplius intellexisti, quibus debes credere, sicut mihimet ipsi; et ut concordia vestra super tractatum efficacius et citius possit executioni demandari, mitto ad suam Majestatem Ducem Zachariam Szubowsky, et Andream Arcibassam, qui sedebant inter illos 24 consiliarios. (Qui audita sua mentione surgentes humiliter se versus ipsum inclinarunt, rogando ut Caesarea sua Majestas cito eos postea expedire ac remittere vellet). Quoniam igitur jam nostra fraternitas satis abunde confirmata est, poterimus unus ad alterum cum sua commoditate mittere minimos, majores et maximos oratores, sicuti ego te nunc ad suam Majestatem remitto, cui multam salutem cum mei commendatione dices. Postremo mihi et meis duos Taccas sive pateras unam post alteram adferri jussit, plenamque hydromelis propria manu exhibuit, quas, licet jejuno essemus stomacho, exhausimus.

Sic me tractavit sua Magnitudo, et in discessu misit mihi dono octoquadragenas pellium Scebelinarum, quarum singulae Viennae aestimatae sunt 700 florenis. Supra haec omnia per totum illud tempus, quo in suo regno sum versatus, liberalissime me tractavit adeo, ut ne obolum quidem expenderim praeter bibalia, quae dedi ministris mihi servientibus. Possem Vestrae Illustrissimae Dominationi plura commemorare, unde hujus Principis videre et comprehendere possit magnam potentiam, sed timeo ne modum epistolae excedam, ne etiam eidem Dominationi Vestrae sim molestus, cum sat mihi sint cognitae ipsius actiones et occupationes. Nihilo tamen minus referam Vestrae Dominationi Illustrissimae certa adhuc puncta, ex quibus procul dubio magna cuncta imaginari poterit.

Cum Magnitudo sua, relicto convivio, me excepisset, ibi ante hypocaustum in una domo tanta erat patinarum, orbium, paterarum, et similium vasorum multitudo, ut pondus illud 30 profecto et amplius currus Viennenses onerat non potuissent vehere, neque tamen ibidme

Digitized by Google

erat sua principalis credentia, sed ea solum, quae pertinebat ad illud castellum, in quo pransi sumus.

In castello Metropolitanae urbis Moscoviae ejusmodi rerum tanta copia est, ut et numerus ignoretur. Nam ibidem habet suum thesaurum pecuniarum, pretiosarumque gemmarum, rem stupendam, et inaestimabilem. Hujus Principis avus solus conduxit et misit in illum thesaurum post captam et direptam Novogardiam 300 currus pecuniarum, ac infinitam auri et argenti quantitatem. Pater vero hujus Principis subjugavit quindecim principatus, et universum argentum et aurum repertum in publicis aerariis privatim portari fecit in illum suum paternum thesaurum. Hic Princeps idem fecit, dum acquisivisset duo regna seu imperia, ut ipsi dicunt, Astracanense et Casanense. Item Emporium illud, civitatem Dorpat, Pernaviam quoque cum multis aliis ditissimis locis anno superiori in Livonia captis. De qua praeda ne obolus quidem militibus fuit concessus, sed omnia distributa fuerunt, quemadmodum a principio Romani facere consueverant.

Habet praeterea infinitos pecuniae comparandae modos, praesertim cum ipse solus in omnibus regnis mercaturam exerceat, neque unquam quidquam impendat usque adeo ut oratores, quos mittere solet, similesque personae nunquam ne obolum quidem accipiant, sed sibimet ipsi expensas faciant. Similiter militibus nunquam obolus datur. Illustrissimo vero in profectione et expeditione ac in reditu singuli milites domi manentes circiter unum grossum solvunt, sub eo praetextu, quo intelligatur numerus in expeditionem profectorum, domi manentium et a bello redeuntium. Affirmatum fuit mihi a Germanis, Moscovitis et Polonis, qui se ipsius addixerunt servitiis, quod, quandocunque volet intra 14 dies 300,000 equitum in campum producere posset, ac insuper millia centum perfectissimorum pyxidariorum, et centum millia eorum, qui arcu sagittisque pugnant. Quae res videtur quasi incredibilis, sed tamen ab iis sanctissime affirmatum est. Ingenue quoque mihi ab ipsis fuit relatum, quod in solis 4 locis haberet duo millia magnarum colubrinarum, aliaque tormenta bellica infinita, et quod non nulla ex eis essent mirae longitudinis tamque larga, ut etiam procerus homo altitudinem eorum attingere vix posset. Et haec omnia habent suas necessarias munitiones. Inter alia dixit mihi Germanus quidam quod expertus esset in obsidione Polosci loci munitissimi, qui non duravit resistendo nisi tribus diebus, et quamvis haberet castrum munitissimum, tamen illud brevi fuisse solo adaequatum, ac dum fierent ejaculationes bombardarum, videbatur coelum cum terra misceri. Regnum ejus habet in longitudine 600 miliaria, in latitudine vero 400. Habet propemodum infinita magna flumina, qualia sunt major et minor Dvina et Narva, quae defluunt in oceanum et mare glaciale; Volga, qui defluit in mare Caspium; Thanais, qui decurrit ad paludem Maeotidos ac Nigropontum; Borysthenes, qui effunditur in Pontum. Singula flumina secundo et contra navigabilia. Nunc est Princeps ille Magnus in ea cogitatione, ut constituat certam officinam salium versus Livoniam et Lithuaniam. Unde singulis annis unum auri milionem habere poterit, sed fiet hoc maximo cum damno Franciae, quia hucusque sal suum iis in partibus expediebatur.

Ipse solet mittere immensam quantitatem omnis generis frumenti in regna Daniae, Sueciae et alia vicina loca, utpote versus mare Caspium, mare majus, et Pontum. Similiter etiam solet mittere magnam ferri, cerae, sevi, omnisque generis lignorum, cineris, omnisque generis pellium copiam in maxima quantitate. Non habet opus rebus exoticis, verum cuncta domi habet. In summa est tantus tamque potens Princeps, ut vix aliquis credere possit, nisi quis in toto vel in parte viderit, et praesertim ob obedientiam, quae ipsi praestatur a suis subditis, cum quibus non habet opus tractare de uno vel altero negotio, sed absolute imperat; atque felices se subditi ipsius reputant, quoties pro Principe non solum fortunas, sed etiam vitam amittere contingit.

Soli Poloni sunt, qui in apparentia illum parvi faciunt, resque ipsius contemnunt. Verum ipse ridet ipsos possidendo ex eorum regno propemodum ducenta miliaria, hocque factum fuit sine evaginatione gladii, vel saltem signi dati recuperationis. Propterea cum ad ipsum eorum oratores veniunt, tractantur ut bestiae, quod mihi quoque eventurum, dum eo iter facerem, multi ominabantur, et quodammodo mihi compatiebantur. Sed Vestra Illustrissima Dominatio credat mihi in fide boni equitis, quod non potuerim melius Romae vel in Hispaniis tractari, si eo a Majestate sua ablegatus fuissem. Nihilominus hoc non possum negare, quod frequenter mihi dictum fuerit, diversam esse eorum tractationem ab ea, qua majores



Digitized by Google

suos amicos tractabant. Sed Poloni et certi alii innuebant hoc de Suedis, Tartaris et Turcis, qui a Moscovitis, prout merentur, tractantur. Haec volui Vestrae Illustrissimae Dominationi de illo regno et de suo Principe scribere. Ac dum haec scriberem, pro certo intellexi, quod cum Lithuani viderint tarditatem, irresolutionemque suae Caesareae Majestatis, miserunt ad ipsum Principem Moscovitam oratores, ut cum eo tractarent, quo filium suum Theodorum juniorem ipsis in Principem daret; Eisque perterrefaciet multos, multosque post se trahet.

Ego profecto, si Majestas sua Caesarea non esset habitura illud regnum, ac magnum illum Ducatum, cuperem ut ante alios omnes ipse haberet, quia certe totum illud, quod supra dixi in principio, ad effectum deduci possit. Postea nos haberemus certam pacem cum Turca, vel tanto majorem opportunitatem ejus debellandi, posteaquam ipse Moscovita non maneret vel unicum diem cum illo in pace, ne dicam annum. Forsan hoc modo divina Majestas jam postremo nos vult juvare, atque ab illo Tyranno liberare. Quod Dominus Deus faxit, qui conservet et custodiat Vestram Illustrissimam Dominationem, sicuti ipse desiderat, diutissime.

Finis legationis Cobenzelii in Moscoviam anno 1577.

Digitized by Google

# XIII.

# DANIELIS BUCHAVI

## MAGNI MOSCOVIAE DUCIS

## GENEALOGIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XIII.

# DANIELIS BUCHAVI

## MAGNI MOSCOVIAE DUCIS

# GENEALOGIA.

OMNIBUS hoc gentibus semper fere in usu fuit, ut dum originis suae incunabula repeterent, ea ad auctores eos, qui maxima inter homines auctoritate floruerunt, quique humanum genus singulari aliquo beneficio affecerunt, referrent. Illud vero desiderium ornandi sui apud plerosque in tantum excrevit, ut rerum verarum cognitione destituti, ad fabulas et figmenta sese converterint. Testantur id multarum gentium diversis temporibus conscripti annales. Sic Graeci vel αὐτόχθονας, vel a Diis se prognatos gloriabantur. Romani conditoris sui parentem Martem esse, dicunt. Praeclare itaque T. Livius Patavinus, quae ante conditam condendamve urbem, inquit, poeticis magis decora fabulis, quam in corruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est: datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Cum enim antiquitas ipsa ad nobilitatem generis plurimum momenti haberi credatur, de ea inter privatos etiam homines omnibus saeculis certatum est. Ideo Romani cives generis sui claritatem demonstrare volentes, majorum suorum insignia in parietibus longa serie depicta habebant: quibus elati, non raro eos, qui propria virtute ad honoris aliquod fastigium evecti erant, arroganter prae se contemnebant. Sic Poetae heroum suorum originem, si ignoraretur, aut obscurior esset, plerunque ad Deos ipsos retulerunt. Ita hoc nostro tempore, ut de aliis permultis taceam, Turcarum Imperator magna arrogantia ex Trojano sanguine sese propagatum jactitat. Hunc Magnus quoque Moscoviae Dux imitatus, generis sui primordia ad Romanos, Augustum nempe Caesarem refert, eam videlicet ob causam, ut et sibi, et majoribus suis plurimum splendoris, et dignitatis accedat Quamvis itaque nemo sit, qui non ista tanquam fabulosa rideat: brevibus tamen commemorare libet, quid hac de re in annalibus suis scriptum habeant.

Augusto (sit fides penes legentem) aliquot fuere vel fratres, vel agnati, qui provinciis quibusdam praefecti fuere. Ex hisce Prussus ad mare Balthicum, et Vistulam fluvium celebrem consedit, Prussiaeque nomen dedit. Hujus nepotes ab ipso quarto gradu distantes fuere Rurek, Sinaus, et Truvor, qui iisdem in locis habitarunt. Cum itaque tum temporis Rutheni, sive Mosci, absque imperio, spaciosos ad Septentrionem campos occuparent, svasu Gostomislii, civis Novogrodensis primarii fratres hi,

Digitized by Google

anno a mundo condito 6370 secundum supputationem Graecorum, qui fuit a Christo nato 562 ad Imperium accersiti sunt. Hi adjuncto sibi sobrino Olego, regiones illas vastas inter se partiti, homines ferarum more, habitantes, ad aliquem humanitatis cultum traducere conati sunt.

Sinao et Truvoro absque liberis mortuis, Rurek successit, et filium, Igor nomine, post se reliquit: qui cum per aetatem imperio nondum esset maturus, Olegum sobrinum tutorem habuit. Hic ex Olga, civis Plescoviensis filia, quae tandem, marito ab hostibus caeso, Constantinopolim profecta, sacro Baptismatis lavacro abluta, et Helena dicta est, filium Sviatoslaum suscepit, qui multa cum vicinis bella gessit. Tandem vero ab hoste caesus est, qui ex craneo ipsius poculum, cui haec verba aureis litteris inscripta fuere: Dum alienа sequitur, perdit sua, fieri curavit. Filius reliquit Jeropolcum, Olegum, et Vlodimirum. Hic fratribus a sese extinctis, tota deinceps Russia, vel Rossеja, uti Mosci proferunt, potitus est. Is tandem religionis ethnicae, et multitudinis Deorum pertaesus, ad religionem Christianam animum adjecit, et Regum Constantinopolitanorum, Basilii et Constantini, sorore matrimonio sibi juncta, cum tota gente sua, anno Christi 988 salutari Baptismatis fonte tinctus, Christianam religionem, cum Graecae Ecclesiae ritibus seu caeremoniis suscepit, nomineque mutato, Basilius dictus est.

Narrat tamen Zonaras a Basilio Rege Constantinopolitano, ante Vlodimiri tempora, Russis Episcopum missum esse, cujus opera ad religionem Christianam adducti sint. Addit, non potuisse permoveri, ni miraculum cernerent: Episcopum itaque postquam preces aliquot recitasset, Evangeliorum codicem in ignem projecisse, eumque illaesum permansisse. Hoc miraculo adductos, ut Christi dogmata pro veris haberent, iisque se addicerent.

Filii Vlodimiri fuere, Vyszeslaus, Isoslaus, Sviatopolcus, Borissus, Glebus, Sviatoslaus, Vsevolodus, Stanislaus, Sudislaus, Podius, qui ante pubertatem obiit. Inter reliquos tota Russia a patre divisa est, qui ditionibus suis non contenti, dum alii alios invaderent, mutuis plerique vulneribus conciderunt. Borissus et Glebus ob sanctitatis opinionem in divorum numerum relati sunt, quorum feriae nunc quotannis pridiē iduum Novembris, magna festivitate celebrantur.

Jaroslaus tandem solus principatum obtinuit, filiosque Vlodimirum, Isoslaum, Vecеslaum, et Vsevolodum reliquit.

Hujus posterioris filius Vlodimirus Kioviae ad Borysthenem, urbe avita, consedit, et post varias concertationes cum agnatis, cum omnes provincias sibi vicissim subjecisset, μονόμαχος dictus est. Hic, libet enim ea referre, quae ipsorum habent manuscripti annales, Regi Constantinopolitano Constantino bellum movit, cumque Thraciam depopulatus, magnaque et opulenta praeda onustus, domum reversus esset, et novum bellum moliretur, Constantinus Metropolitam Ephesinum Neophytum, atque duos Episcopos, praefectum item Antiochiae, atque Archimandritam Hierosolymitanum Eustaphium ad ipsum mittit, magnisque muneribus, utpote parte de Christi Salvatoris cruce, diademate aureo, poculo ex Sardonyche lapide fabrefacto, humerali multis gemmis eximio, atque torque aureo, ipsum affecit, Tsari nomine, quod si proprie interpreteris, Regem significat, non Caesarem, uti multis ostendi posset, ipsum salutare jussit, et firmissimum foederis, atque amicitiae vinculum cum ipso sanxit.

Ex Vlodimiro natus est Vsevolodus secundus. Hic octo reliquit filios, Mscislaum, Isoslaum, Sviatoslaum, Jeropolcum, Vecеslaum, Romanum, Georgium, Andream. Georgii filii fuere Rosteslaus, Andreas, Basilius, Demetrius.

Ex hoc ultimo prognatus fuit Georgius, qui anno Christi 1237 a Batio Tartarorum Duce, qui Moscoviam vastatam, in potestatem suam redegerat, caesus est. Ex quo tempore Rutheni Tartaris tributarii fuere, atque ex ipsorum arbitrio duces sibi constituere. Ea vero potentia tantopere Tartari abusi sunt, ut cum legatos suos ad Moscoviae Principem mitterent, is ipsis obviam prodire, et patenam equino lacte plenam, uti Herbortus Fulstinius in suo historiae Polonicae compendio refert, exhibendam offerre, et si quid in jubam equi defluеret, illud lambendo sorbere: in regiam vero introductos, nudato capite, sedentibus astans, atque omni honore afficiens, audire cogeretur. Qua vero ratione hoc tandem jugum excusserint, infra dicetur.

Eodem tempore tota fere Polonia, atque ipsa etiam Silesia a Tartaris, incendiis, et direptionibus vastata fuit. Vratislavia Silesiae metropoli incensa, cum ad Legnicium urbem advenissent, gravissimum ibidem praelium commissum est, in quo Dux ipse Henricus, divae

Digitized by Google

Hedvigis sanctissimae feminae filius, cum aliis permultis, quorum sepulcra adhuc multis in locis conspiciuntur, atque gregariorum militum infinita multitudine caesus est, ut auriculis hostes, quas interfectis absciderant, novem ingentes saccos impleverint. Ad victoriam obtinendam, Tartari, capitis humani simulacrum, vexillo, in quo littera X depicta fuerat, arte Magica impositum, quod commotum turpissimum foetorem exhalaverat, nostris obviam gestarunt, iisque tantum terrorem incusserunt, ut veluti capite Medusae perterriti, imbelles extiterint.

Exinde Batius, cum suis in Hungariam eodem animo sese contulit, et Belam Regem, ejus nominis Quartum, ad internecionem fere delevit, qui fuga cum filio elapsus, manus hostis vix effugit. Cum totus fere orbis, ob hanc ferocissimae gentis irruptionem, in maximum terrorem conjectus esset, tandem Innocentius IV. Summus Pontifex, missa ad Batium legatione, pacem quinquennalem impetravit: ut vero relictis superstitionibus ethnicis, Christo nomen daret, persuaderi ipsi non potuit. Mahometi enim dogmata, utpote feritati suae barbaricae magis arridentia, Saracenorum impulsu amplexus est, quae in hunc usque diem Tartari, cum Turcarum colluvie communia habent.

Filium habuit Tamerlanem, quem Moscovitae Temirkutla appellant, qui et ipse, ut ex historiis patet, magnam nominis claritatem adeptus est. Bajazetem enim Turcarum Imperatorem, catenis aureis vinctum, in cavea circumduxit, atque omnibus hominibus ludibrio exposuit.

Ad Ruthenica revertamur. Caeso Georgio, Jaroslaus frater successit, relictis ex se natis Theodoro, Alexandro, et Andrea. Alexandri filius Daniel primus sedem suam in urbem Moscoviam transtulit, et arce hucusque obscura magnifice extructa, titulum sibi Magni Moscoviae Ducis usurpavit. Filios habuit Georgium, Alexandrum, Borissum, Ophoniam, et Joannem. Hic patri successit, et quod assidue ad erogandas eleemosynas, peram secum gestaret, Kalita (id enim vult vocabuli interpretatio) dictus est. Hujus filii fuere Simeon, Joannes, Andreas. Simeoni pater Vlodimiriam, et Moscoviam assignavit: cui absque liberis mortuo successit Joannes frater, qui filium habuit Demetrium, ex quo nati sunt Daniel, Basilius, Georgius, Andreas, Petrus, Joannes, Constantinus. Basilius post patrem imperavit. Hic filio suo, ejusdem nominis, ob matrem, de qua suspicionem adulterii conceperat, praeterito, moriens, fratri Georgio gubernacula tradidit, qui nepotem diu in vinculis detinuit. Moriens tamen, quamvis duos haberet filios Andream, et Demetrium, conscientia forte permotus, Basilio nepoti imperium tradidit. Cui patrueles odio incitati, bellum movent, et tandem astuto strategemate deprehensum exoculant. Nihilominus Bojarones (ita Moscovitae nobiles appellant) caeco duci suo, quem Tiemnoj, id est, tenebrosum, ob caecitatem appellabant, fidem praestant. Filium reliquit Joannem Basilidem, qui rebus Ruthenicis obscuris adhuc magnam claritatem attulit. Quid, ut eo commodius assequi posset, superiorum ducum filios et nepotes, quos potuit e medio sustulit, et titulum Magni Ducis Vlodimiriae, Moscoviae, et Novogardiae sibi usurpare, seque Monarcham (seu Tsarum) totius Russiae appellare coepit. Urbes duas primarias, Plescoviam, quae sola in tota Moscovia muro cincta est, et Novogardiam, ob mercimonia ditissimàs et amplissimas, cum Lithuanis 50 circiter annos paruissent, in servitutem redegit. Tantae fuere Novogardensium opes, ut trecentos currus, auro et argento onustos, inde abduxisse dicatur.

Primus quoque hic Polonis et Livoniis bellum movit: Polonis quidem eo praetextu, quod filiam suam Helenam, quam Alexandro Magno Lithuaniae Duci, postea vero Poloniae Regi, in matrimonium collocarat, male haberi, et a religione Graeca, ad Romanae Ecclesiae caeremonias abductam diceret. Livoniis vero non aliam ob causam, quam quod incredibili cupiditate, dilatandi imperii sui arderet. Quae vero causae impulsivae, et nullius fere momenti intercesserint, fortasse ab loco pluribus commemorabitur. Aliquoties tamen insignibus praeliis a Plettenbergio militiae Teutonicae magistro profligatus est, quae pluribus adducere, alienum forte a propositi instituto fuerit.

Matrimonium primo contraxit cum Maria, Ducis Tverensis filia, ex qua filium Joannem suscepit, cui vivus adhuc imperium tradidit, eique Stephani Moldaviae Palatini filiam despondit. Ex qua, postquam filium Demetrium suscepisset, ante patrem Joannes obiit.

Alteram deinde uxorem duxit Sophiam, Thomae Palaeologi filiam, quae ex aerario Summi Pontificis dotata dicitur, quod Ursa cum Romana Ecclesia consensionem initurum, Moscus promisisset. Cum Sophia excellenti animo prae-

Digitized by Google

dita esset, et quod Tartarorum servo nupsisset, saepius conquereretur, tandem ipsius suasu, et assiduis cohortationibus, jugum illud, tanto Principe profecto indignum, mira arte excussit. Cum enim Tartarorum Dux in aula Moscovitica suos quosdam procuratores haberet, qui aedes suas, hanc ad rem, in ipsa arce extructas inhabitabant, et omnium, quae ibidem gerebantur, spectatores erant: Sophia divinitus sese admonitam dicit: Ut eo in loco, in quo Tartarorum domus erat, templum extrueret, illudque Divo Nicolao consecraret. Filium itaque enixa, Ducem ipsorum ad Baptismi solennitatem invitat, et uti aedes has sibi donare velit, petit, idque obtinet. Quibus amotis, et corycaeis istis exclusis, Scythae tandem suo, quem in Ruthenos multos annos obtinuerant, dominatu exuti sunt, cumque recuperare, quamvis non semel tentarint, nunquam potuerunt. Ex conjuge Sophia senos suscepit liberos. Filiam unam Helenam: et mares quinque Gabrielem, Demetrium, Georgium, Simeonem, et Andream.

Demetrio Joannis, quem Basilides ex primo matrimonio susceperat, filio imperium debebatur. Verum Sophia apud conjugem obtinuit, ut nepote posthabito pater Gabrieli filio gubernacula traderet.

Andreas minor natu, filium habuit Vlodimirum, ex quo nata est Maria, quae anno Christi 1573 Magno Holsatiae Duci in matrimonium collocata est.

Gabriel imperium adeptus, nomine mutato, Basilium se appellavit, et ad res magnas animum adjecit. Magnam enim partem ditionis Moscoviticae, quam Vitoldus Magnus Lithuaniae Dux sibi adjecerat, in potestatem suam redigit, et multis urbibus ad Borysthenem (quem Rutheni Niepr appellant) et praecipue Smolenscio anno Christi 1514 potitus est. Prima uxore ob sterilitatem repudiata, ex Helena Ducis Glinscii filia Joannem, qui nunc rerum potitur, suscepit, qui anno Christi 1528 die 25 Augusti, hora ab exortu Solis sexta in hanc lucem editus est. Huic ergo Joanni Basilidi, anno aetatis quinto, adhibito tutore Georgio gubernacula tradita sunt, Casanenses atque Astracanos Tartaros ad Volgam fluvium, annos viginti quinque natus, robore jam corporis atque animi sumpto Ducibus ipsorum in servitutem abductis sibi subjecit.

Quibus rationibus bello Livonico redintegrato expiratis, ut induciis quae intercedente Sacratissimo Romanorum Imperatore, anno 1503 ad annos fere quinquaginta factae fuerant, florentissimae Provinciae extremam vastitatem intulerit, novo ad eam rem praetextu, eam ad se jure nescio quo hereditario pertinere, usus, dicere animus meminisse horret, et integras narrationes requirit, quod fortasse suo loco doctioribus curae erit.

Pietati et rebus divinis addictissimus est, et jejunia plerumque cum monachis stricte admodum observat, cumque singularem Deo cultum praestituri, terram fronte Russi percutiant, eam plerumque tuberibus plenam, saepe etiam sanguinolentam atque lividam habet. Sacris aedibus extruendis mirum in modum intentus est, et nullis sumptibus parcit. Utrum itaque vel natura, vel subditorum malitia atque perfidia, quod praetendit, ad omnem crudelitatem promisit, dicere vix ausim, cum praesertim faciem illiberalem, aut immane aliquid prae se ferentem, qualis Attilae fuisse dicitur, non habeat. Ex uxore prima Mikitae Romanovicii, qui nunc curiae magister est, sorore filios duos Joannem et Theodorum suscepit. Ex quibus primogenitus patri secundum gentis leges in imperio succedet. Minori natu ditiones aliquae assignabuntur. Quamvis matrimonium post primum quater repetierit: nulla tamen prole auctus est.

Cum Joannes hic Basilides hereditarium sese Livoniae Dominum, rationibus quibusdam frivolis adductis appellat, visum est subjicere epistolam, in hoc ipso negotio, a viro quodam amplissimo scriptam.

S. Omnes nos qui Provinciam hanc incolimus Sacratissimae Majestati Caesareae, Domino nostro Clementissimo, ea qua decet reverentia, summa animi demissione gratias agimus, quod pro paterno animo, quo erga totam Rempublicam Christianam affecta est, et ut dilaceratae et afflictae regionis hujus, quae longo tempore ab incursione barbararum gentium propugnaculi instar fuit, commodis consuleretur, Legatos suos ad Magnum Moscoviae Ducem ablegarit. Pro qua paterna erga nos voluntate et beneficio, vitam et fortunas nostras, quandocunque opus fuerit, profundere parati sumus: Deum interea precantes, qui solus imperia stabilit et transfert, ut hoc salutare opus, cujus fundamenta nunc jacta sunt, ad optatum finem perducat. Quod vero ad jus illud, quod Moscus in hanc sibi provinciam vindicat, attinet, ut verum fateamur, cum stupore, et admiratione

Digitized by Google

summa ea intelleximus. Non solum enim ex omnibus veteribus, et fide dignis historiis certissimum est, sed ipsa quoque experientia et status harum regionum haec omnia fabulosa esse, et nescio unde conficta, abunde testantur. Ex omnibus enim monumentis, quocunque sane nomine appellentur, quae tamen non pauca apud nos extant, ne vestigium quidem minimum apparet, imo ne conjectura quidem ulla haberi potest, ea quae Moscus de iis populis, qui huic regioni aliquando praefuerint, et quod ad majores suos, jure quopiam pertinuerit, profert, veritatis fundamento niti.

Qua enim ratione haec ipsa provincia industria mercatorum, ope navigationis primum aperta sit: quo deinceps modo incolae ethnicis superstitionibus, et cultibus idololatricis dediti, a fratribus ordinis Cruciferorum, qui et socios suos, in Prussia eundem ordinem profitentes, in auxilium vocarunt, ad fidem Christianam conversi, et non absque multo labore eo traducti sint, non ignotum est: cum eo tempore Livones, jurisdictionis, religionis, morum, linguae denique Moscoviticae, ne minimam quidem notitiam haberent: quibus non solum cum hisce, sed ne aliis quidem gentibus, quicquam commune fuit: Miseram enim, inopem, barbaram, atque ethnicam vitam, in silvarum latebris, cum beluis beluarum instar degentes, neque Dei, neque magistratus alicujus, cognitionem ullam assecuti sunt. Hoc solum modo ipsis peculiare fuit, ut qui unius essent familiae et societatis, seniores suos quos habebant prae aliis revererentur, quos deinde ut major esset ipsorum auctoritas, regum nomine appellarunt, atque iis quamvis ultra centenarium numerum cum familia excrevissent, morem in omnibus gesserunt, servitiaque sua more rustico et barbaro praestiterunt. Eo ipso tempore Moscovitae, ut ex historiis patet, religioni Graecae, quae est ad solem Orientem, et Caeremoniis Ecclesiasticis jam fuere dediti, quas in omnes Provincias imperio suo subjectas propagabant, suisque eam ad rem characteribus utebantur. De quibus omnibus, qui loca haec inter Ruthenos, Lithuanos, Samogitas, Prussos, et mare Balthicum, in magna barbarie incolebant, ne auditione quidem quicquam acceperant. Accedit hoc quoque quod nullo unquam tempore, neque in terrae visceribus, neque aliis locis, minima antiquitatis, aut litterarum Ruthenicarum, monumenta reperta sint: quod profecto fieri non potuisset, si Moscovitae, Rutheni aut aliae gentes, quae rebus hisce utuntur, imperium in has, quas diximus, obtinuissent, quin vel in religione et cultu divino, vel etiam juribus, consuetudinibus, moribus, lingua, aut litteris, vestigia aliqua remansissent. Hoc quidem non negamus, inter gentes hasce Livonicas, permultas sane, et eas quidem diversas fuisse, linguas, uti et hoc ipso tempore eadem est ratio. Eae tamen omnes, nec cum Moscovitica, nec cum aliarum nationum linguis, quicquam affinitatis habent. Quod vero Moscus praetendit, sibi et majoribus suis, pensionem seu tributum ex hac tota provincia numerari solitum, eadem firmitate, uti praemissa nititur.

Sub initium hujus funesti belli, Moscus ut tyrannidem, et dominandi cupiditatem praetextu aliquo excusaret, inter alia postulata, tributi quoque quod ex ditione antistitis Dorpatensis sibi deberetur, cujus tamen ipse neque definitionem afferre, neque certi aliquid affirmare potuit, mentionem fecit, sed nemo hominum inventus est, qui ullo tempore Mosco ejusmodi tributum persolutum fuisse, vel meminisset, vel aliunde intellexisset. Cum itaque is totum hoc negotium, ad ordinis Livonici magistrum rejiceret, utque hac de re ex Dorpatensibus cognosceret, juberet, et tributum urgeret, quod se non remissurum dicebat, etiamsi unico saltem capillo aestimari posset: Tandem in Dorpatensium annalibus inventum est, ante hominum memoriam, cum ditio Plescoviensis, nihil aliud quam silvas et lustra ferarum haberet, rusticos ex Dorpatensium districta, Neuhusiano, cum consensu vicinorum Ruthenorum, alvearia in silvis habuisse, et a singulis quotannis sex solidos Livonicos praefectis ipsorum persolvisse. Cum vero silvae a Ruthenis excinderentur, et pagi extruerentur, pensio quoque ista, una cum ipsis arboribus excisis, cessavit. Hi itaque sex solidi neque unquam a Ruthenis petiti, neque a Livonibus persoluti fuerunt. Hic enim tyrannus, qui nunc rerum potitur, id quod neque a patre, avo, aut ullis antecessoribus factum esse certum est, primus sibi hoc excogitavit, parum de eo, jure an injuria id fiat, sollicitus, Deus autem, qui res arcanas perspicit, et cui tyrannis ejusmodi, et dominandi immoderata cupiditas minime probatur, hujus injuriae suo tempore vindex erit: et qui sanae mentis sunt homines, hinc facile deprehendent, haec omnia in eum tendere finem, ut hoc conficto et temerario praetextu im-

Digitized by Google

perium suum dilatet: et postquam hanc provinciam sub imperium suum redegerit, transmaritimas, quoque regiones adoriatur et invadat. Haec quae de causa belli Livonici habui, tibi communicare volui. Datae die 22 Maji, Anno a restituta salute 1576.

# NARRATIUNCULA

## *DE SUCCESSIONE MOSCOVIAE PRINCIPATUS,*

### SUBJICIENDA GENEALOGIAE PRAEFIXAE.

JOANNI huic Basilidi, postquam totam fere Liveniam occupasset, Stephanus Bathori Poloniae Rex bellum intulit, eique hanc provinciam, quae tamen nec a Polono, nec a Mosco, aut Sueco bono titulo possideri potest, ademit.

Plescoviam tamen, quam magnis copiis obsidione cinxerat et Smolenscium ad Borysthenem, eripere non potuit.

Prope Plescoviam Monasterium Peczori dictum, multis miraculis percelebre situm est: Sed ne hujus quidem loci, quamvis a solis Monachis defenderetur, et nulla praeterea praesidia haberet, Polonus potiri potuit. Post multas clades acceptas, tandem inter utrumque Principem Summus Pontifex, opera Posseviui Societatis Jesu Theologi usus, pacem confecit; qui tandem legatum Moscoviticum anno 1582. Augustam Vindelicorum, ubi tunc comitia habebantur, dein vero secum Romam adduxit. Cum Basilides filium Joannem scriptionis (quam ipsi Posoch nominant) stimulo a sese laesum, malo quodam fato amisisset, et Theodorum ad Regni gubernacula non admodum idoneum judicaret; matrimonium cum nobilibus aliquot puellis semel iterumque repetiit, easque ni intra menses aliquot prolem conciperent, in monasterium detrusit. Tandem ex septima, nisi fallor, filium Demetrium suscepit. Cum vero Moscovitae, cum Graecis, iterata matrimonia admodum detestentur, et quartum, nedum septimum, pro illegitimo, et Christiano homine indigno habeant, Demetrius hic non admodum in pretio habitus, cum matre in Ducatum Susdalensem ablegatus est, ibidemque a Praefecti sui filio, cultro laesus, miserrime periit.

Joanni Basilidi, qui anno 1584, mensis Martii die 28 obiit, successit filius Theodorus. Quamvis enim pater morti vicinus testamento conscripto, de successione disposuerat, illud tamen miris artibus interceptum in lucem nunquam prodiit.

Theodorus cum ingenio esset simpliciore, propter quam causam cum parente nunquam in publicum prodiit, gubernacula Consiliariis tradidit, ipse vero potissimum rebus divinis operam dedit. Hoc ergo imperante Mosci, qui antea severis legibus constringebantur, liberiorem vivendi rationem ingressi, facultatibus suis amplificandis operam dederunt, aliumque, et quidem politiorem, victus et corporis cultum secuti sunt. Hic Theodorus, quem ipsi more suo Phedor nominant, aliquoties internuncios et legatos suos ad Augustissimum Imperatorem Rudolphum ablegavit, et amicitiam superioribus annis inchoatam confirmavit.

Verum cum annos tredecim imperasset, tandem sub finem anni 1597, absque prole mortalitatem explevit.

Inter Consiliarios et Regni Proceres Borissus Phedorovicius (id est, Theodori cujus-

Digitized by Google

dam filius) Godunovius, cujus sororem Theodorus Princeps in matrimonio habuit, primas obtinuit, et cum is quoque ad Imperatorem Rudolphum litteras scriberet, Magistrum sese stabuli curiaeque praefectum, nec non Caesarii, et Astratarii Locumtenentem appellavit.

Cum itaque de successione magnae contentiones exorirentur, atque is Borissus comitate et benevolentia multorum sibi animos conciliasset, et vivo adhuc Theodoro summam rerum obtineret, unanimi omnium consensu, anno Christi 1598, ad gubernacula vocatur.

Quod ipsorum petitionibus, ob muneris hujus difficultatem, diu repugnaverit, tandem vero Patriarchae sui Archiepiscoporum, et aliorum Antistitum, totius insuper Cleri Ecclesiastici, omniumque Ordinum, ad extremum clarissimae sororis viduae Theodori relictae, precibus victus, hanc dignitatem invitus susceperit, et diademate a Patriarcha suo Jobo insignitus sit, Caesareae Majestati per litteras significat, et in amicitia, cum majoribus pacta, perseverare eamque augere cupit.

Ad hoc fastigium evectus, summa in imperio constituendo prudentia usus est, et militibus primum omnibus ac praesidiariis stipendia persolvit ipsosque insuper multis muneribus ornavit. Germanis ex Livonia, superioribus annis in Moscoviam deductis liberam facultatem ad suos redeundi; reliquis vero, qui manere voluerunt, multa Privilegia et immunitates concessit. Virginibus etiam pauperioribus dotes et vestimenta pretiosiora, ut tanto facilius maritos nancisci possent, largitus est.

Cum itaque facilem sese et clementem erga omnes exhibeat, et in regionibus suis scholas erigere incipiat, alios etiam artifices, qui in diversis artibus excellant, ad sese alliciat, fortasse tota Moscovia ad elegantiorem et humaniorem vivendi rationem tandem aliquando traducetur. Borissus hic Tsar, et Magnus Dux familiae suae originem Scythis seu Tartaris adscribit. A quibus tres fratres Godunovii (ita enim familia appellatur) in Moscoviam venisse, ibique sedes fixisse feruntur.

Uti religionem, ita supputationem quoque annorum, et Calendarium seu fastos suos a Graecis acceperunt; sed in numerum Divorum, multos ex gente sua relatus habent.

In feriis tamen praecipuis, cum Ecclesia Latina consentiunt. Hoc anno a tempore redintegratae salutis, millesimo sexcentesimo primo, qui nobis a condito mundo est quinquies millesimus quingentesimus sexagesimus tertius, Moscovitae Calendis Septembris septies millesimum centesimum decimum inchoant. Verum de his et aliis, suo fortassis tempore copiosius dicetur.

## *SUBJICIENDA*

### NARRATIUNCULAE PRAEFIXAE.

Borissus hic annos septem, et filius ejus totidem menses, post patrem, imperavit. Excepit hunc Demetrius Ivanovicz, qui per menses undecim, breve spatium, rerum Moscoviticarum est potitus.

Delectus in ejus locum Knes Basilius Tsoesco*), qui per annos quatuor, plus minus, imperii gubernacula tenuit: donec una cum fratre, victus captivusque in Poloniam est avectus.

Anno autem a Christo nato, 1617 Russi Metropolim imperii Moscvam, in potestatem Polonorum tunc temporis redactam, vi et armis occuparunt; superstitemque in ea repererunt filium Theodori Mikitovicz, de quo dictum supra, cui nomen Michael Fedorovicz, qui die 4 Julii, stilo veteri, anno a partu Virginis 1613 Moscvae, communi Procerum omniumque Ordinum suffragio, ad Imperium delectus vocatusque est.

## *DE TITULIS*

### MAGNI MOSCOVIAE DUCIS.

A tempore Rurik usque ad hunc praesentem Principem, non alio titulo usi sunt Principes illi, quam Magnorum Ducum, aut Volodimeriae, aut Moscoviae, aut Novogardiae, etc. praeter Joannem Basilii, qui se Dominum totius Russiae, et Magnum Ducem Volodimeriae, etc. appellabat. Hic vero Basilius Joannis sibi vindicat et titulum et nomen regium, in hunc modum: Magnus Dominus Basilius, Dei gratia, Rex et Dominus totius Russiae, et Magnus Dux Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Plescoviae, Smolensciae, Tveriae, Jugariae, Permiae, Viatkiae, Bulgariae, etc. Dominus et Magnus Dux Novogardiae terrae inferioris, et Czernigoviae, Resaniae, Volotkiae, Rschoviae, Belojae, Rostoviae, Jaroslaviae, Bieloseriae, Udoriae, Obdoriae, Condiniae etc. Porro cum omnes hunc Imperatorem nunc appellent, vide-

*) Schujskij.

Digitized by Google

tur necessarium, ut et titulum et causam hujus erroris exponam. Tsar Ruthenica lingua Regem significat: cum autem communi Slavonica lingua apud Polonos, Bohemos et alios omnes, sumpta quaedam consonantia, ab ultima, et ea gravi quidem syllaba Tsar, Imperator seu Caesar intelligatur, unde omnes qui Ruthenicum idioma seu litteras non callent, item Bohemi, Poloni, atque etiam Slavi regno Hungarico subditi, alio nomine Regem appellant, nempe Kral, alii Kirall, quidam Korolli; Tsar autem solum Caesarem, seu Imperatorem dici existimant: inde factum ut Rutheni interpretes audientes Principem suum ab exteris nationibus sic appellari, caeperunt et ipsi deinceps Imperatorem nominare, nomenque Tsar dignius esse, quam Regis (licet idem significent) existimant. Ceterum si evolvas omnes eorum Historias atque Sacram Scripturam, ubique Regis nomine Tsar Imperatoris vero Kessar reperies. Eodem errore Imperator, Turcarum Tsar appelatur, qui tamen non alio eminentiore, quam Regis, hoc est, Tsar titulo ab antiquo jam tempore est usus. Hinc Constantinopolim Tsarigrad, quasi dicas, Regiam urbem, Turcae Europaei, qui lingua Slavonica utuntur, appelant. Sunt qui Principem Moscoviae Album Regem nuncupant. Ego quidem causam diligenter quaerebam, cur Regis Albi nomine appelaretur, cum nemo Principum Moscoviae eo titulo antea esset usus: imo Consiliariis ipsis saepe, data occasione, et aperte dixi, nos non Regem, sed Magnum Ducem agnoscere. Plerique tamen hanc Regii nominis rationem esse putabant, quod sub Imperio suo Reges haberet: Albi vero rationem nullam praebebant. Credo autem, ut Persam nunc propter rubra tegumenta capitis Kisilpasza, id est, rubrum caput vocant: ita illum, propter alba tegumenta, album appellari. Regis porro titulo utitur apud Romanum Imperatorem et Pontificem, Regem Sueciae et Daniae, Magistrum Prussiae, Livoniae etc. et, ut accepi, apud Turcarum Principem: ipse vero a nemine horum, nisi forte a Livoniensibus, Rex appellatur. Titulis autem antiquitus, tribus circulis triangulo inclusis, uti solebat, quorum primus, in supremo circulo, hisce verbis continebatur; Deus noster Trinitas, quae fuit ante omnia saecula, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus; non tamen tres Dii, sed unus Deus in substantia. In secundo, titulus Imperatoris Turcarum erat, particula adjecta: Fratri nostro delecto. In tertio, titulus Magni Ducis Moscoviae, quo se Regem, et heredem ac Dominum totius Russiae Orientalis, et Meridionalis fatebatur, in quo communi formulae subjunctum vidimus; Misimus ad te nostrum fidelem consiliarium. Ad Regem autem Poloniae huiusmodi titulo utitur: Magnus Dominus Basilius, Dei gratia, Dominus Totius Russiae, et Magnus Dux Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Smolensciae, Tveriae, Jugariae, Permiae, Bolgariae, etc. omisso Regis titulo: neuter enim horum alterius litteras novo titulo auctas, accipere dignatur. Quod quidem nobis Moscoviae degentibus acciderat, cum Regis Sigismundi litteras ad se missas, atque titulo Ducis Masoviae auctas, Moscus graviter acciperet.

Scribunt quidam, Moscum a Pontifice Romano et a Caesare Maximiliano nomen expetivisse, et titulum Regium. Mihi verisimile non videtur: praesertim cum nulli homini infensior sit quam Summo Pontifici et quem non nisi Doctoris titulo dignetur. Caesarem autem Romanum non majorem se existimat; ut ex litteris apparet, in quibus nomen suum Imperatoris titulo praeponit. Nomen autem Ducis apud eos dicitur Knes: nec alium majorem titulum, ut dixi, unquam habuerunt, adjuncta illa dictione, Magnus; nam omnes alii, qui unicum principatum obtinebant, dicebantur Knes: qui vero plures principatus, atque alios Knes subjectos Imperio suo habebant, Velikiknesi, id est, Magni Duces appellabantur: neque aliam gradum seu dignitatem habent post Bojaros, qui, more nostro, locum nobilium (ut supra dixi) seu Equitum tenent. In Croatia vero primores similiter Knesi vocantur: apud nos vero, sicuti et in Hungaria, non nisi Comitum nomen obtinent.

Digitized by Google

# XIV.

## DE JURE

# MAGNI MOSCOVIAE DUCIS

## *IN LIVONIAM*

## EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XIV.

# DE JURE

# MAGNI MOSCOVIAE DUCIS

# IN LIVONIAM

# EPISTOLA.

OMNES nos qui Provinciam hanc incolimus Sacratissimae Majestati Caesareae, Domino nostro Clementissimo, ea qua decet reverentia, summa animi demissione gratias agimus, quod pro paterno animo, quo erga totam Rempublicam Christianam affecta est, et ut dilaceratae et afflictae regionis hujus, quae longo tempore ab incursione barbararum gentium propugnaculi instar fuit, commodis consuleretur, Legatos suos ad Magnum Moscoviae Ducem ablegarit. Pro qua paterna erga nos voluntate et beneficio, vitam et fortunas nostras, quandocunque opus fuerit, profundere parati sumus: Deum interea precantes, qui solus Imperia stabilit et transfert, ut hoc salutare opus, cujus fundamenta nunc jacta sunt, ad optatum finem perducat. Quod vero ad jus illud, quod Moscus in hanc sibi provinciam vindicat, attinet, ut verum fateamur, cum stupore, et admiratione summa ea intelleximus. Non solum enim et omnibus veteribus, et fide dignis historiis certissimum est, sed ipsa quoque experientia et status harum regionum haec omnia fabulosa esse, et nescio unde conficta, abunde testantur. Ex omnibus enim monumentis, quocunque sane nomine appellentur, quae tamen non pauca apud nos extant, ne vestigium quidem minimum apparet, imo ne conjectura quidem ulla haberi potest, ea quae Moscus de iis populis, qui huic regioni aliquando praefuerint, et quod ad majores suos, jure quopiam pertinuerit, profert, veritatis fundamento niti.

Qua enim ratione haec ipsa provincia industria mercatorum, ope navigationis primum aperta sit: quo deinceps modo incolae ethnicis superstitionibus, et cultibus idololatricis dediti, a fratribus ordinis Cruciferorum, qui et socios suos, in Prussia eundem ordinem profitentes, in auxilium vocarunt, ad fidem Christianam conversi, et non absque multo labore eo traducti sint, non ignotum est: cum eo tempore Livones, jurisdictionis, religionis, morum, linguae denique Moscoviticae, ne minimam quidem notitiam haberent: quibus non solum cum hisce, sed ne aliis quidem gentibus, quicquam commune fuit: Miseram enim, inopem, barbaram, atque ethnicam vitam, in silvarum latebris, cum beluis beluarum instar degentes, neque Dei, neque magistratus alicujus, cognitionem ullam assecuti sunt. Hoc solum modo ipsis peculiare fuit, ut qui unius essent familiae et societatis, seniores suos quos habebant prae aliis revererentur, quos deinde ut major esset ipsorum auctoritas, regum nomine appellarunt



Digitized by Google

atque iis quamvis ultra centenarium numerum cum familia excrevissent, morem in omnibus gesserunt, servitiaeque sua more rustico et barbaro praestiterunt. Eo ipso tempore Moscovitae, ut ex historiis patet, religioni Graecae, quae est ad solem Orientem, et Caeremoniis Ecclesiasticis jam fuere dediti, quas in omnes Provincias Imperio suo subjectas propagabant, suisque eam ad rem characteribus utebantur. De quibus omnibus, qui loca haec inter Ruthenos, Lithuanos, Samogitas, Prussos, et mare Balthicum, in magna barbarie incolebant, ne auditione quidem quicquam acceperant. Accedit hoc quoque, quod nullo unquam tempore, neque in terrae visceribus, neque aliis locis, minima antiquitatis, aut litterarum Ruthenicarum monumenta reperta sint: quod profecto fieri non potuisset, si Moscovitae, Rutheni aut aliae gentes, quae rebus hisce utuntur, Imperium in has, quas diximus, obtinuissent, quin vel in religione et cultu divino, vel etiam juribus, consuetudinibus, moribus, lingua, aut litteris, vestigia aliqua remansissent. Hoc quidem non negamus, inter gentes hasce Livonicas, permultas sane, et eas quidem diversas fuisse, linguas, uti et hoc ipso tempore eadem est ratio. Eae tamen omnes, nec cum Moscovitica, nec cum aliarum nationum linguis, quicquam affinitatis habent. Quod vero Moscus praetendit, sibi et majoribus suis, pensionem seu tributum ex hac tota provincia numerari solitum, eadem firmitate, uti praemissa nititur.

Sub initium hujus funesti belli, Moscus ut tyrannidem, et dominandi cupiditatem praetextu aliquo excusaret, inter alia postulata, tributi quoque quod ex ditione antistitis Dorpatensis sibi deberetur, cujus tamen ipse neque definitionem afferre, neque certi aliquid affirmare potuit, mentionem fecit, sed nemo hominum inventus est, qui ullo tempore Mosco ejusmodi tributum persolutum fuisse, vel meminisset, vel aliunde intellexisset. Cum itaque is totum hoc negotium, ad ordinis Livonici magistrum rejiceret, utque hac de re ex Dorpatensibus cognosceret, juberet, et tributum urgeret, quod se non remissurum dicebat, etiamsi unico saltem capillo aestimari posset: Tandem in Dorpatensium annalibus inventum est, ante hominum memoriam, cum ditio Plescoviensis, nihil aliud quam silvas et lustra ferarum haberet, rusticos ex Dorpatensium districta, Nethusiano, cum consensu vicinorum Ruthenorum, alvearia in silvis habuisse, et a singulis quotannis sex solidos Livonicos praefectis ipsorum persolvisse. Cum vero silvae a Ruthenis excinderentur, et pagi extruerentur, pensio quoque ista, una cum ipsis arboribus excisis, cessavit. Hi itaque sex solidi neque unquam a Ruthenis petiti, neque a Livonibus persoluti fuerunt. Hic enim tyrannus, qui nunc rerum potitur, id quod neque a patre, avo, ut ullis antecessoribus factum esse certum est, primus sibi hoc excogitavit, parum de eo, jure an injuria id fiat, sollicitus, Deus autem, qui res arcanas perspicit, et cui tyrannis ejusmodi, et dominandi immoderata cupiditas minime probatur, hujus injuriae suo tempore vindex erit: et qui sanae mentis sunt homines, hinc facile deprehendent, haec omnia in eum tendere finem, ut hoc confecto et temerario praetextu Imperium suum dilatet: et postquam hanc provinciam sub imperium suum redegerit, transmaritimas quoque regiones adoriatur et invadat. Haec quae de causa belli Livonici habui, tibi communicare volui. Datae die 22 Maji, Anno a restituta salute 1576.

Digitized by Google

# XV.

# PAULI ODERBORNII

## DE RUSSORUM RELIGIONE ET RITIBUS,

## NARRATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XV.

# PAULI ODERBORNII

## DE RUSSORUM RELIGIONE ET RITIBUS,

## NARRATIO.

In epistola mea, 17 Calendis Maji ad te missa, pollicitus sum, de Russorum religione et ritibus pauca me tibi perscripturum. Accipe igitur erecta fronte quod mittimus, et hoc tibi persuade, fieri posse ut verba quidem non satis Romana scribam. Res autem ipsas mendacii et vanitatis penitus fore expertes. Nihil enim ex aliis auditum, nihil ex aliorum libris haustum, nihilque incognitum commemorabimus sed quidquid oculis vidimus nostris, de illo contestabimur.

Polotia deditione recuperata, Socolia, Czussa, Turovia et aliis Albae Russiae oppidis ferro et flamma funditus eversis, Germani omnes, qui sub Christophoro Bomistorfio militabant, dimissi sunt; solis Borussis, in Russia manendum fuit, ut aliquo tamen praesidio istarum terrarum incolae defenderentur, si quam forte eruptionem facere vicini vellent Mosci.

### *RUSSORM RELIGIO, ET DOCTRINA.*

Ego itaque media in barbarie haerens, amaras animi molestias ista fere ratione semper excussi: Flamines Ruthenicos adii, cumque illis per interpretem de fide et religione collocutus sum. Si vero interrogantur, an in Sanctam Trinitatem credant, constantissime quidem hoc ipsum affirmant si testimonia sacrarum litterarum tibi dari petis, illi in libris suis quos per manus a majoribus acceperint, ita scriptum esse ajunt; porro si libros istos videre quis avet Psalterium Prophetae et Regis Davidis, quod ipsorum lingua apud Ostrocenses impressum Excellentiae tuae mitto ostendunt. Novum praeterea Testamentum. Apostolorum res gestas. D. Pauli Epistolas omnes: Item Homilias Chrysostomi, Basilii, Gregorii Nazianceni ex Graeco conversas et manuscriptas habent, cum preculis quibusdam ad beatam Dei genitricem et S. Nicolaum dicendis, neque tamen quare hos libros possideant scire possum, cum diebus Dominicis puras solummodo fabulas populo praelegant. Ista enim feria quam nos legimus Evangelium de renato ex mortuis filio viduae Nainicae, hospes meus, Consul Dejenensis, Alexius Caesarinus Ruthenus in suo se templo hanc lectionem audivisse dicebat: Christum matri Mariae obviam factam supplicirer ab ea unum regasse numum. Matrem vero cum et ipsa nihil haberet argenti filium Christum cum dolore suo dimisisse e conspectu. Vides qualibus nugis decipiant miseram plebeculam, sed nec ipsi Doctores meliora sciunt etsi audiunt, cachinno quodam explodunt, soli namque suam admirantur barbariem.

### *ARCHIEPISCOPUS.*

Papae Romani nomen aegre in aures dimittunt suas, seque Graecorum socios in religione, et Pontificis Byzantini majestatem ve-

Digitized by Google

nerari clamant, qui quidem suum Metropolitam in urbe Moscovia habet, virum apud Joannem Basilidem summae auctoritatis et existimationis, quod ex Christiano Bochornio, Magni Ducis Concionatore, qui triennium in aula Moscorum cum suo Principe vixit intellexi.

Rutheni vero, qui Regis nostri Imperio parent, Metropolitam suum Vilnae habent, cui nomen est Anicephoro hunc magnifico et splendidissimo habitu indutum, senioque et cana barba venerabilem, 20 Junii Vilnae sacra peragentem vidi.

## *TEMPLA.*

Russi delubra habent plerumque lignea, tecto scandulari, in summitate templi signum Christi in crucem sublati conspicitur. Horologiis scio tericis plane destituuntur. Et tamen die solis circiter quartam matutinam νεκροθάπτω eorum tintinnabulis pulsans populum ad sacra vocat. Tum vero matres atque viri pueri innuptaeque puellae lecto valedicentes vestem sumunt, et ad Ecclesiam summa cum festinatione properant.

Verum enimvero pedem domo non efferunt, nisi prius genium suum dictis precibus mitigaverint. Habent autem tabellam quisque ligneam, in qua capita aliquot depicta conspiciuntur, ad hanc cum tota familia accedentes, cum gemitu et lacrimis S. Nicolaum, ejusque in coelo commilitones pro salute domus suae supplices deprecantur, atque interim tanta cum devotione pectus tundunt, ut cuivis astanti facile cordolium excitent.

Jamque penatibus placatis ad Sacram aedem discedunt, cujus limina quam primum tetigerunt, magna cum reverentia caput telluri illidunt. Et sane, si frons animi janua recte dicitur, non video quali sub sidere homines Dei numen religiosius adoraturi sint, quam hi de quibus loquimur, si modo pro vanis fabulis verbi coelestis veritatem aliquando cognoscant. Dolendum autem magnopere est, lucem clarissimam Evangelii illis nondum penitus illuxisse.

Locum templi secretiorem Flamines bini occupant hic ara Sancto Nicolao dedicata videtur cum ejusdem imagine. Auditores et populus in ambitu templi sese continet. Feminae vero quae praeterita nocte Veneri militarunt in penetralia Sanctae aedis non veniunt, ne locum profanent. Ceterae accedentes propius candelas cereas inflammant et sacrificulo offerunt. Ille candida veste bombycina indutus est, calvitio et pallida facie deformis, crucem sanguinei coloris a tergo pensilem habens.

## *CONCIONES.*

Tandem e Sacrario egreditur, et thurribulum dextra tenens, tam forti odore Diabolus ex loco sancto abigit. Mox rituales libros promit, et aliquam fabellam de S. Nicolao recitat, quem illi tamquam Deum tutelarem semper colunt Evangelii lectionem unam nunquam hic audivi. Interea aditum clauditur. Sacerdos si inter legendum aut erret, aut lingua titubet, aut vocem aliquam depressius enuntiet, gravissime propterea ab auditoribus objurgatur qui eum et sacro loco indignum, et libros alii tradendos unanimi voce proclamant.

Lectione finita ad anticum sacrarii in quo imago Nicolai asservatur, sese convertit, Deumque patrium multis suspiriis rogat, ut commoda Russorum et gentem sibi deditam contra hostes incolumem servare dignetur. Orantem lamentabili vociferatione et quiritatu excipiunt non tantum scholastici, sed omnes quotquot isto videntur in fano: subinde iterantes hanc vocem. Hospodi pomiluj, hoc est propitiare nobis o Domine. Dum haec aguntur, anticum sacrarii non aperitur.

## *MISSA.*

Mysta autem per pseudothyrum in illud ingreditur daduchis tribus praecedentibus. Cum in aditum ventum est sacram Coenam verbis ab ipso Christo expressis consecrat, sed lingua tantum patria; atque haec fiunt in ara Nicolao sacrata.

Mox fores patent. Populus vero quia certum numen in isto loco habitare existimat, egredienti Sacrifico magno ejulatu occurrit, sexcenties hanc vocem decantans, *Hospodi pomiluj*. Hunc clamorem et cymbalorum tinnitus mirum in modum auget.

Ut vero in toto jam facta silentia templo, Sacerdos pedetentim procedens, arcana sacra toti populi commonstrat, calicemque plumbeum, cum operculo serico in dextra, et scutellam ex eodem metallo in sinistra tenens, dum in genua procidunt auditores, ille lingua Ruthenica haec verba proloquitur: Hoc est corpus, et hic est

Digitized by Google

sangais Domini Jesu Christi, quem Judaei innocentem morte muletarunt. Tum demum inter gemitus et suspiria muliebriter lamentantur, et tundunt pectora palmis.

Flamen illico in sacrarium regressus, in ara Nicolai sacramentum deponit, donec veniant qui eo utantur, quod interdum fit sequenti die. Calicem, si vinum non habent, ex calido medone consecrant. Panem vero azymum domi suae pinsunt cives et deinde quoties coeleste illud convivium accedere gaudent, sacerdoti offerunt ut consecret, et cum calice distribuat.

Peractis sacris, libro ad manum resumto Psalmum unum vel plures demurmurat sacrificulus, crucemque ex argento puro factam omnibus exhibet osculandam, postea suam quisque domum discedunt, et admodum tari ad vespertinas preces revertuntur.

Polociae autem et Vilnae, majori pompa et splendore rebus divinis vacant. Ubi supellectilem ex auro et argento copiosam habent in Ecclesiis. Vilnae triginta templa habent, omnia fere opere lateritio structa.

## *STATUAE NULLAE,*

### SED IMAGINES PICTAE.

Statuas nullas in templis venerantur, sed D. Nicolai et Mariae Virginis imaginibus scrupos quosdam argenteos, Coralia, et alias exuvias dono dederunt. Has quoque picturas, tanquam numinis aliquid habentes religiose colunt, et quotannis in Düna fluvio bis abluunt, atque tandem magna cum pompa pristinum reducunt ad locum.

## *BAPTISMUS.*

Praeterea mysticae ablutionis sacramentum in suo coetu retinent, ita tamen ut in hoc negotio per omnia fere quam proxime ad Romanenses accedant. Multum hic perditur olei, operae et unguenti. Post longas tandem caeremonias Flamen toto congio perfundere solet infantem, ita inquiens: Baptizo te per nomen Patris, et Filii, et Sancti Spiritus. A patrinis deinde more patrio urnis aliquot tenellus pusio humectatur: et licet hic aspera hiems crudelissime saeviat, tamen tanta gelidarum copia aquarum suam sobolem abluunt. Si quis causam quaerit, respondent illi, a teneris assuescere multum est. Postremo Flamen infantulum iterum comprehensum blande exosculatur, illinsque caput ad crucem, quae templi foribus incisa est magno impetu ter vibrat, et nisi testes baptismi ictus audiant, indignantur propterea, neque puerum recte sacris initiatum credunt. Sacro finito Flamini tres panes (quos a forma pyramidali Piracno vocant) porriguntur cum numis aliquot argenteis, templumque clauditur.

## *SACERDOTES.*

Sacerdotes Ruthenici proprias uxores habent, et sunt conjugos. Si quis dicit a Papa matrimonium clericorum improbari, excandescunt uti rapidis cum ferrea flammis lamina Cyclopum excoquitur flagrante camino. Reditus certos et certa stipendia non accipiunt, et tamen auditorum beneficentia liberaliter alantur. Cucullos prorsus ignorant. Caerulei coloris tunicam plerumque duplicem habent, capillis ad humeros et pectus dependentibus apprime gaudent: et quo quisque est nigrior, et adspectu inamabilior, tanto majori apud populum est in dignatione. Raso praeterea vertice et immissa barba gravitatem prae se ferunt singularem. Vitae alioqui adeo impurae et execrabilis, ut non delubris Deorum, sed pistrinis molitorum dignos adfirmare possis. Si quoties enormo aliquod flagitium perpetrarunt, ad populum se satis arroganter excusant, aeque Deorum fratres et vicarios esse ajunt, ita quidem, ut quidquid egerint, id coeli Quiritibus gratum exstitisse minime dubitent. In tabernis publicis vinum adustum totos dies potant. Cumque jam nec mens nec pedes officium faciant, saepe velut emortui in mediis plateis concidunt et obdormiscunt. Germani certe milites non semel jacentes perminxerunt. Postero die cum ad peragenda sacra in templum redeunt, non aliter coluntur a populo et amantur, quam si nuper ex concilio immortalium Deorum missi venissent legati.

## *SCHOLA.*

Scholas semper templis adjunctas habent, in illis triginta annorum juvenis primae litteraturae rudimenta pueritiam docet. Litterae ipso-

Digitized by Google

rum alphabeticae veteribus Graecis quam simillimae sunt. Catechesi nulla utuntur: sed preculas ad Beatam Virginem et D. Nicolaum in libris descriptas pueris proponunt. Symbolum tamen Apostolorum verbis quibusdam immutatis addiscunt; huic adduntur Hymni Davidis, quos illi nocturna versantque manu, versantque diurna. Pueri annorum trium et quatuor, si forte invaletudine aliqua corripiuntur, statim Flamen advolat et sacramentum sub utraque specie illis etiam distribuit. Tum vero jussu sacerdotis serio providendum est parentibus ne iste puer, sacra qui usus est coena, toto biduo oris excrementa in terram exspuat.

Feriis esurialibus plebes misere obnoxia est. Cumque totus jam praeteriit annus vix paucis diebus illis carnes comedere licuit.

## *NUPTIARUM RITUS.*

Matrimonii contrahendi ratio talis est. Juvenis si cui favet puellae propinquos treis quatuorve ablegat, qui parentes de elocanda virgine interpellent; hi vero ut vehementius animum proci irritent, nihil isto de negotio confieri posse adfirmant et quandam apud internuncios simulant gravitatem. Sponsus tali spe frustratus, alia rem via aggreditur, tempusque et occasionem venandae virginis diligentissime observat. Illa vero si forte domo paterna egreditur ministri in insidiis collocati incautam et nihil tale timentem in casses sponsi venatoris conjiciunt: quae simul atque deflorata fuerit, mittuntur alii ad parentes legati, qui partim culpam deprecentur, partim amoris vehementiam accusent. Tum demum parentum impetrato consensu nuptiis dies dicitur; neque enim illis cohabitare licet nisi solemnitate publica copulentur. Igitur circa horam noctis undecimam, sponsi cum fidibus, facibus et fistulis ad delubrum deducuntur. Ante illorum adventum, aliquot vascula, sicera, melicrato et cerevisia plena huc advecta sunt. Convivae itaque utriusque sexus saltando, ludendo, clamando et ridendo bonam noctis obscurae partem consumunt. Interea mittuntur certi homines, qui Flaminem accersant, hi plerumque re infecta semel atque iterum discedunt, idque fit propter temulentiam deplorati sacrificuli, qui vino et somno sepultus jacet. Vulgus interim ducendis chorcis occupatur. Postea morae et absentiae impatientes illi qui sponsum adfinitate attingunt, Flaminis poti donum effringunt, et vi abreptum ad peragenda sacra eundem pertrahunt. Ille dum solito vult fungi officio, nec tamen rectis pedibus consistere potest, saepe concidit in medio templo. Exoritur igitur damnabilis risus et barbaries, ut vix opiner, ethnicos Veneris Sacra scurrilius peregisse. Accurrunt illico qui lurconem teneant, ne collabatur. Tum primo panes sibi debitos adferri jubet.

Deinde libro aperto stentorea voce aliquem Hymnum Davidicum cantat. Postea intortam sponsi caesariem manu comprehendens in hanc sententiam eundem affatur. Dic mihi o sponse, o frater, o amice, numquid tu huic tenerae vir esse potes? numquid eam fustibus aliquando mulctabis? numquid aegrotam, scabiosam et decrepitam derelinques? Hic sancte jurat sponsus se facturum viri boni officium. Ad sponsam igitur sermonem convertens, eam quoque interrogat. An viro ferendo sufficiat? (nam puellae decem et undecim annorum hic nubunt) an rei familiaris curam agere? an coeco, curvo et decrepito marito fida velit esse comes? adfirmat illa. Mox Flamen serto ligneo viridi utriusque caput coronat. In circumferentia coronarum descripta sunt Ruthenice haec verba: Crescite et multiplicamini. Ille dum haec agit, inflammantur ab omnibus cereae candelae, et patera medone spumans sacrifico traditur, eam novis sponsis uno propinat haustu, illi simili alacritate evacuant, et viro religioso reddunt. Abjecto jam ligneo cassiculo et pedibus contrito, novas instituunt chorcas, hic Flamen choragus est, coteri longo ordine eundem insequuntur. Feminae etiam lupulum in templo spargunt, et linum, cum tali acclamatione: Dii nostri tutelares faciant, ne novi conjuges ullo unquam destituantur bono. Sic tandem tumultuum finis est. Sacrificulus domum reducitur: convivae sponsos comitantur, et in tali conventione egregie potant, et moechantur. Viri autem qui ex conjuge fato functa masculam sobolem susceperunt, per saepe impuberi filio sponsam quaerunt, cum qua tamen illi dormiunt et liberos procreant. Nato deinde ex ephebis egresso novam nuptam a se constupratam et sobolem una adducit pater, ita inquiens. Vides fili tuam conjugem et tuos liberos? Patris scortum, si filio placet, accipit illud, sin secus, praedam aspernatur et de alia ducenda cogitat.

Digitized by Google

## *FUNERUM RITUS.*

Jam de Sepultura mortuorum quaedam annotabimus. Homines rebus humanis exemptos in mensam nudos deponunt, et calidis undis per integram horam abluunt, idque tantum faciunt noctu. Sordibus ita abstersis, in sella mediae domus constituunt eosdem, propterea nimirum, ut patremfamilias etiam mortuum venerentur, et metuant quotquot ista degunt inhabitatione. Vidi semel atque iterum, sed obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit. Funus tandem tertio die effertur, praecedunt in ordine scholastici, hi lamentabile carmen ingeminant, cujus sensus est. Aspicite o cives hoc cadaver et vobis cavete. Nam nos omnes sic ibimus, ibitis, ibunt. Sandapilarios tres insequuntur Flamines, medius thurribulo circum circa fumat. Existimant enim hunc odorem malis geniis ita contrarium esse Ut perinde cum fugiant, ac Sanctae Crucis signum. Cum jam ventum est ad sepulturae locum, Orciniana ista sponda deponitur. Feminae vero, quae ut flerent oculos erudiere suos, magna cum lamentatione ad urnam feralem, quae hic aperitur accurrunt, et cadaveri oscula figunt, ita interogantes. Cur nostro abiisti e conspectu o carissime? numquid cibi et potus inopia te occidit? numquid infelicis conjugii capistro caput subtrahere voluisti? Fatere nobis, quae te res movere potuit, ut non tantum suavissimam thalami consortem, et liberos dulcissimos tuos desereres, sed etiam delitiis pulcerrimi hujus mundi, tuis praeterea fortunis et familiaribus omnibus abrenuntiares? Sed hic verum est illud. Surdo narratur fabula. Accedens igitur sacrificus, plorantes feminas arcet a feretro, Deoque manium imperat, ut ne ulla re mortuum impediat hominem, sed libere cum abire permittat ad locum istum beatarum mentium, ad quem majores ipsius jam olim praecesserint; utque expeditus, tam longum nec satis tutum iter conficere possit, quidquid in omni vita preciosae suppellectilis habuit, illud in urnam feralem inserunt, jamque antea domi suae recentibus ocreis et veste nova abeuntem herum induerunt. Mortuo etiam cervical substernunt, sicca terra refertum. Cumque jam ferale murmur Flamines absolverunt, defuncti conjux iterum accurrens cum ejulatu et clamore maritum ad vitam revocat. Hujus gemitum ipsi sacrifici cum cantoribus excipiunt, et sesquihoram vociferando perdunt, adfertur deinde et argentea crux, eam capulo superimponunt, et demortuum monent, ut no suam patriam in consuetudine coelestium animorum obliviscatur, sed pro ea apud coelites assidue deprecetur. Rogant etiam ut ante omnes D. Nicolaum sibi conciliet, hunc namque Deum esse tutelarem omnium Rossorum. Tandem cadaver in fossam demittitur, Flamen vero sicci pulveris tantum urnae superinjicit, quantum manu tenere potest. Ceteri deinde mortuum sepeliunt. Atque ita piacularia sacra suum sortiuntur finem.

## *CONNIVIA FUNEBRIA.*

Eodem die coenam satis opipare et apparate instruunt ad hanc Christiani (ita mendicos appellant) vocantur, ut nimirum tanquam ociosi pro mortuo Deos inclament. Flamines item et omnes consanguinitate propinquos invitant. Cumque et mihi hunc haberent honorem lubenter ecastor eos adii, ea potissimum de causa, ut mores eorum rectius contemplari et observare possem.

Hospites osculo blandissime excipiunt, et quemque, ut dignior, est ad mensam collocant. Sed hic tibi illud ad mentem revoces velim, Rossos omnes S. Nicolaum tanquam Deum adorare, ejusque imaginem in domibus omnium videri. Accumbentibus convivis ardentem statim adferunt candelam eamque Nicolao consecrant, deprecantes sedulo pro salute et beatitudine amici demortui. Postea in scutella argentea triticum cum superinfuso melicrato apponunt.

Singuli ligulam sumentes, manibus defuncti rerum abundantiam, et nepotibus supellectilem copiosam uno optant ore. Mox calix vino adusto plenus obambulat, et hunc liquorem non aliter potant, quam vaccae algentes undas, ut in proverbio dicitur. Neque tamen hoc ipsorum factum certa ratione caret. Vix enim illos ob ciborum cruditatem vivere posse arbitror, si tam forti potu stomachi frigiditatem non propulsarent. Ferculis demum appositis senior inter Flamines iterum pingvia thura adolet, et lemures ejicit foras postea scripto Crucis signo cibo benedicit. Peregrinis hominibus elephantem honoris gratia praebibunt, illosque si alicujus sunt dignationis et praeminentiae, muneribus adficiunt liberaliter. Dumque omnes pro salute sui Regis, pro beatitudine amici

Digitized by Google

mortui, pro felicitate affinium et cognatorum, plenis cantharis bibunt: fit fere, ut vix duo vel tres istis ab exequiis sobrii domum discedant. Eleemosynas illi qui lautioris fortunae sunt, die Veneris distribuunt, sed exiguam tantum gregarii panis particulam.

## *ALIAE SUPERSTITIONES.*

Porro de vanis superstitionibus, quibus hae gentes deditae sunt, quid attinet dicere? Multi, serpentes in domibus familiares habent et alunt.

Daemonem quoque meridianum metuunt et colunt. Ille enim cum jam maturae resecantur fruges, habitu viduae lugentis rari obambulat, operariisque uni vel pluribus, nisi protinus viso spectro in terram proni concidant, brachia frangit et crura; neque tamen contra hanc quoque plagam remedio destituuntur. Habent enim in vicina silva arbores religione patrum cultas, harum cortice vulneri super imposito, illud non tantum sanant facile, sed et dolorem loripedi eximunt.

Lucem castrensem, quam nostri milites huc advexerant, tali modo eos propulsare vidi. Funem accipiunt, eumque per foramen scamni in domo vetustioris tantisper trahunt et retrahunt, donec ignis scintillam ex arido assere elicuant: flamma conspecta, cereum in delubro undis lustralibus perfusum accendunt. Omnes deinde qui ex hac favilla prunas vel torrem domi conservant, tutos fore credunt a pestifera contagione, et fit nonnunquam, ut eventus fidei respondeat.

Doloribus dorsi talum adhibent medicinam. Pueros illegitimos, quorum hic ingens est numerus, certo aere conducunt, illorumque tergum pedibus sexcenties premunt et conculcant. Hoc medicamentum anodynum majoribus profuisse asserunt.

## *LEGES ET JUDICIA.*

Magistratum de voluntate Regis accipiunt. Oppidis Starostae hoc est, Capitanei imperant, hi, pro suo arbitrio leges fingunt, et in plebeculam securi dominantur. Causae criminales ad judicia raro deferuntur. Qui se convicia dixisse negat, absolvitur. Nam Palinodiam pro poena irrogata reputant. Juris Romani scrupulosa volumina, Bartolos et Baldos frustra evolvisti, si hic esse voles. Statutis enim, id est, legibus scriptis utuntur. In illis et hoc sancitum est: Homicidam, nisi in ipso facto deprehensus sit, quinque florenis vitam redimere posse. Homini autem qui alterius canem caeciderit, mulctam decem florenorum irrogandam esse. Fustuarii poena ipsis inter praecipua tormenta est. Nobiles enim, suos agricolas. Heri mancipia sua si quando peccarunt, horrendum in modum fustibus dolant. Qui vero gravius deliquerunt, virgis ferreis lacerantur.

Gens est natura ad arma propensior. Machaeris, frameis, et falcatis ensibus pugnant: per saepe et jam clava lignea, quam semper ad manum habent. Si rus abeunt, Costram in dextra tenent, arcum autem Tartaricum cum pharetra et arundinibus venenatis lateri alligant.

## *LUDI.*

In commessationibus non tantum rubri chartacea symbola Regis libenter tractant, sed et ludo tesserario gaudent. Summa autem solertia praelia latronum ludunt. Ut gemini inter se Reges albusque nigerque pro laude oppositi certent bicoloribus armis. In hac profecto arte ita excellunt, ut haud sciam an ulla gens cum illis comparari debeat.

## *MERCES, FERARUM VENATIO,* CASTORES.

Cum pax est, ferarum pelles ex Moscovia in Poloniam et Livoniam venales asportant. Mel, coram et corium magna copia peregrinis vendunt. Ceteri venando et latrocinia exercendo victum quaeritant. Undique enim densissimis et inviis nemoribus septi sunt. Lupos, Lynces, et Martes saepe intra ipsa oppidorum moenia venantur. Martes quidem in summitatibus arborum plerumque manent, et mel ab apibus congestum avidissime lingunt. Rustici igitur canes alunt vestigatores, odoratu, produnt animal inter arborum frondes absconditum. Tum venator magno ictu arborem percutiens Martem de summo vertice dejicit: quem illico ἰχνευτὴς illo dentium morsu necat. Κάστωρες quoque in lacis paludosis habitantes.

Digitized by Google

simili ratione decipiunt. Hoc animal, quia in extremis amnium oris commoratur, non capitur, nisi Novembri et Decembri mensibus, cum terra durissimo frigore riget. Fluvio igitur glacie constricto advolat rusticus cum cane odorifero. *Καστωρ* advenientis animum minime ignorans effossos in ripa cuniculos deserit, et sub glacie in algentibus undis natat. Canis autem naribus locum supra caput natantis exacte prodit. Sequitur igitur venator, qui jam ante a glacie perfossa ad fauces fluminis rete de lino triplici factum disposuit. Ad hoc cum jam devenit castor, perrupturum se sperans, occiditur fustibus, et extrahitur. Pellis ejus apud hos populos summo est in pretio. Hanc quoque venationem impune nunquam vidi: nam pene coeli intemperies me occidit.

Moribus Rossi erga hospites sunt tolerabilibus: nisi forte eorum trullas ames. Nam inter pocula homines esse desinunt.

### *VESTITUS.*

Viri et feminae, si a fortunae bonis firmiores sunt; eodem fere habitu vestiuntur. Tunicam talarem varii coloris ex panno Britannico habent: limbis vestium taenias sericas, et globulos deauratos intertexunt: uterque ocreis calceatus. Feminae vittis et mitra caput tegunt, viri cudone pileove coloris diversissimi. Rusticorum filiae ex capitibus serpentum torquem collo circumdant. Vulgus autem ex pellibus ferinis tunicas, ex cortice arborum calceos parat: Et tot hic sunt sutores quot rustici.

### *FORMAE CORPORUM.*

Natura profecto sub aspero coelo homines etiam elegantes producit. Corpora plerumque solida habent et succi plena. Neque adeo informis est sexus mulebris, si quis formarum velit esse spectator. Omnem autem decorem suum unico potandi vitio mulieris obfuscant. In hac enim re si maritos non vincunt, certe non sunt illis inferiores.

### *MUSICA.*

Musicae subtilioris ignari sunt. Panduras nulla arte tractant et tantum tibias utriculares in delitiis habent. In nuptiis et aliis solennitatibus per saepe ad manuum complosarum fragorem choreas ducunt.

### *LIBRI.*

Libros latinos et graecos nunquam viderunt, et tamen de Religione Graecorum multa gloriantur. Ego cum semel novum instrumentum Tiguri Graece impressum mecum haberem, rogaremque Flamines ut aliquam periodum legerent, illi hoc sese facturos pernegabant: sancte adfirmantes, ejusmodi typos nunquam sibi ante visos esse.

### *VICTUS.*

Mensae elegantiam non magnopere curant, sed crudos cibos Deos Aegyptiorum; porrum et cepe avidissime ingurgitant. Ditiores vinum et medonem, vulgus Quassum, hoc est, aquam bibit admixto sale vulgari; et pane mucido squarosoque vescitur.

### *AEDIFICIA.*

Domus Ruthenicae ligneae sunt, et quidem male materiatae. Ita tamen desipiunt, ut existiment parietem cratitium lateritio praeferendum esse. Caementi apud eos nullus fere usus est. Polociae tantum tria templa sunt, opere lateritio exstructa. Ex his tertium more Italico pulcerrime expolitum nunc ibidem conspicitur. Cetera Moscorum Dux Joannes Basilides devastavit, cum ante annos octodecim Polociam deditione in suam accepit potestatem.

### *VICTUS.*

Pacis tempore opimos accipiunt ex agris proventus: nec ullis fere frugibus hominum utilitati servientibus carent. Aves omnis generis perdices puta, phasianos, attagenes erythrotaones summa solertia per insidias capiunt, et levi aere divendunt. Piscium lautissimorum admirabilem copiam perennia illis supeditant flumina, Borysthenes, Dūna, Drisna Drissa, Polotta, ex quibus innumeri lacus et *ιχθυοξοφεῖα* sese effundunt. Ex cocto sale Iberico cibos codiunt.

Digitized by Google

### *MONETAE.*

Metallum quidem patrio in solo non effodiunt, et tamen auri obryzi signatique argenti maximo desiderio tenentur, atque hoc vitium cum ceteris mortalibus commune habent. Numos eorum argenteos ovali forma procusos ad tuam Excellentiam mitto: ii uno in latere Cataphracto signantur: in altero descripta sunt Ruthenice haec verba: *Kniaz Velikij Ivan* hoc est, Princeps Magnus Joannes.

Haec fere ea sunt, David Chitraee, quae in Orientaliori Russia observatione digna putavi, quae quidem, ut tuae cupiditati satisfacerem, libenter in has paginas conjeci. Nec tamen omnia attigi, sed tantum summa secutus sum fastigia rerum Apes ut tenero studens liquori libat summa thimi aut crocon rubentem.

Digitized by Google

XVI.

# ACTA

## IN CONVENTU LEGATORUM

## STEPHANI, REGIS POLONIAE ET JOANNIS BASILII, MAGNI MOSCOVIAE DUCIS

## 1581.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XVI.

# ACTA

# IN CONVENTU LEGATORUM

## STEPHANI, REGIS POLONIAE ET IOANNIS BASILII,

## MAGNI MOSCOVIAE DUCIS.

# 1581.

Cum Antonius Possevinus cum Stephano Poloniae Rege, et Magno Moscoviae Duce egisset, de mittendis aliquem ad locum Legatis, de pace tractanda, delectus est a Magno Duce Jamus in Zapolscia pagus, Velicoluco viginti milliaribus Germanicis, totidem a Plescovia distans. Qui pagus cum a Cosacis militibus Regis fuisset antea combustus, alter pagus habendo Conventui delectus est, duobus inde milliaribus Germanicis, propior Porcoviam, inter Paderovicium, atque Zapolsciam, vocatus ab incolis Chiverova Horca, quae postrema vox monticulum, sicut altera, id est Chiverova Nobilis cujusdam familiam designat.

Ad eundem locum in hospitium Antonii Posseviui convenere utriusque Principis Legati, die 13 Decembris 1581 qui dies B. Luciae Virgini, et Martyri est sacer.

Legatorum Regiorum nomina fuere Janusius Nicolai Sbaraski Palatinus Braclaviensis, Albertus Radivilius Dux in Olika, et Nieswiz, Curiae Regis in Lithuania Marszalcus, et Capitaneus Cauuensis, uterque Catholicus, praeterea Michael Haraburda Regis Secretarius, Ruthenae fidei, si fides dicenda sit, quae a fide Catholica aliena est. Hic autem saepe Legatione ad Moscos, et nonnunquam ad Tartaros functus, valebat usu rerum, filiumque Collegio nostrae Societatis, quod est Vilnae, tradiderat instituendum. Accedebat Christophorus Varsavicius, quem Antonius Possevinus procuraverat a Rege ad conventum mitti, tum ut Summo Pontifici satisfieret, cupienti, ut in ea pacis tractatione Sueciae Regis ratio haberetur: tum, ut idem Christophorus tota re cognita, si de inde appetente Vere in Sueciam mitteretur, de Livonicis arcibus, eo cum Rege, nomine Poloniae Regis, acturus, non solum ea componeret, quae inter Reges illos controvertuntur, verum etiam Catholicae religionis negotium promoveret vir nobilis, et Catholicus; ac tum ab Antonio Possevino de toto hoc Suetico religionis negotio diligenter edoctus, tum a Stanislao Varsevicio Societate Jesu, apud Sueciae Reginam jam biennium commorante, ejusdem autem Christophori fratre, docendus.

Mosci autem Legatorum nomina fuere, Dux Demetrius Petri Jeletski, Praefectus Casinensis, et aulicus Magni Ducis, Romanus Basilii Olpherius, Praefectus Coselnensis, et aulicus Magni Ducis, ac frater Michaelis Begini, Mikita Basonka, filis Nicephori Veresczahina

Digitized by Google

Basonka, Basenka, Secretarius Mosci, quem illi Notarium vocant; Zacharias Sviaseva, Vicenotarius.

Fecerat Sacrum Antonius Possevinus, atque aliquos de suo commitatu Sanctissima Eucharistia paverat, cum illico utrique Legati ad eum venere: quibus consedentibus, et altero e duobus interpretibus, quos secum ille in Moscoviam adduxerat, stante, pauca praefatus Antonius de sinceritate, qua in tanto negotio esset agendum, quamque simplici oculo in ipsum Christum esset inspiciendum, qui est vera pax nostra, Plenipotentiam utriusque Legationis, sive mandata, quae vocant, Procurationis depromi, ac legi fecit. Primi Mosci suam legerunt, cujus verba sunt haec.

## PLENIPOTENTIA

LEGATORUM MOSCI. QUAE RUTHENICE, ID EST, MOSCOVITICE FUIT SCRIPTA.

Divina misericordia et clementia, quae nos praefecit in Oriente ex altissimis, quaeque dirigit pedes nostros in viam pacis. Hujus ergo Dei nostri in Trinitate adorandi clementia. Nos Magnus Dominus Tsarius (sive Rex, aut Imperator) ac Magnus Dux Joannes Basilii totius Russiae, Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Imperator Casani, et Imperator Astracani, Dominus Plescoviae, et Magnus Dux Smolenscii, Tveriae, Permiae, Viatciae, Bulgariae, et aliorum locorum, ac Dominus hereditarius terrae Livoniae, Stephano, Dei gratia, Regi Poloniae, ac Magno Duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae, Principi Transilvaniae, et aliorum locorum, misimus Legatos nostros Magnos, aulicum nostrum, et Praefectum Casinensem Ducem Demetrium Petri Jeletzki, aulicum nostrum et Praefectum Coselnensem Romanum Basilii Olpherium, et Notarium nostrum Mikitam Basenka, filium Nicephori Verezahina, et Vicenotarium nostrum Zachariam Sviaseva, ad conventum pacis statuendae gratia, cum Legatis tuis loqui. Et quaecunque illi incipient de rebus nostris dicere cum tuis Legatis in conventu, eae res nostrae sunt. Scriptum in Dominio nostro, in aula Slobodae arcis, Anno a creato mundo Septimo millesimo, Nonagentesimo Mense Novembri, Indictione Decima, Dominii nostri 47 et imperiorum nostrorum Rosensis 35 Casanensis 29 Astracanensis 28.

Cum haec Plenipotentia fuisset perlecta, visa est infirma, nec sine justa suspicione fuere Legati Regii, qui propterea, quas Moscus ad Poloniae Regem in castra per Zachariam Boltinum litteras miserat, legi jusserunt. His significabatur, non defuturum Moscum, quin Legatos, cum integra potestate omnia transigendi, quemadmodum de Mosco Antonius Possevinus quaesiverat, esset missurus. Tum Antonio litteras item, quas tum per eundem Boltinum, tum per Andream Appolonium Moscus ea de re sibi scripserat, cum legi jussisset, eodem illae tenore, quo Regiae, inventae sunt. Praeterea, quo Plenipotentiae Mosci infirmitas dilucidius agnosceretur, Plenipotentia Regis a Michaele Haraburda perlecta est, cujus verba haec sunt.

## PLENIPOTENTIA

REGIS POLONIAE, QUAE POLONICE FUIT SCRIPTA, UTROQUE SIGNO POLONIAE REGNI, ET LITHUANIAE DUCATUS, OBSIGNATA.

Nos Magnus Dominus Stephanus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae, Livoniae, Princeps Transilvaniae, et aliorum locorum. Notum facimus, his litteris, Magnum Dominum Joannem Basilii, Dei gratia Dominum Russiae, et Magnum Ducem Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Casani, Astracani, Plescoviae, Tveriae, Iveriae, Permiae, Viatciae, Bulgariae, et aliorum locorum scripsisse nobis per tabellarium suum Zachariam Boltinum, significando, a Legato Sanctissimi Pastoris Gregorii XIII Pontificis Maximi Romani, Reverendo Antonio Possevino scriptum ad se nomine Domini sui, hortante Sanctissimae Apostolicae, ac pastoralis Sedis auctoritate ad concordiam et pacificationem inter utrumque nostrum: utque ex utraque parte Legatos unum ad locum mitteremus, qui, eodem Summi Pontificis Legato praesente, pacem inter nos possint constituere. Juxta quas Legati Pontificis litteras, Magnus Dux Legatos suos ad locum certum mittit inter Porcoviam, et Zavalociam, via Velicolucensi a Porcovia ad Jamum Zapolsciae. Ideo et nos, sanguinis Christiani effusionem

Digitized by Google

nolentes videre, misimus ad eundem locum Jamum Zapolsciae Legatos nostros, Palatinum Braslaviensem, Capitaneum Cremenecensem, et Pinscensem, Ducem Janusium Nicolai Zborowski; et Marszalcum nostrum aulae Magni Ducatus Lithuaniae, Capitaneum Caunensem, Dominum Albertum Radivilium, Ducem in Olika, et in Niesvisz; et Notarium nostrum Magni Ducatus Lithuaniae Michaelem Haraburdam. Ac dedimus illis et his litteris nostris Plenipotentiam, ut convenientes cum Legatis Magni Ducis Moscoviae, inter nos, et Magnum Ducem Moscoviae, et Dominia nostra de amicitia et concordia colloquantur, et res constitutas litteris, ac juramentis suis coram Legato Reverendo Possevino confirment, et ad effectum, certamque confectionem, et constitutionem suam adducant. Quae omnia sumus admissuri, contentique futuri, et inviolabiliter praestituri, quemadmodum juxta Senatorum nostrorum consilium, qui eo tempore apud nos fuerunt, Regni Poloniae, ac Magni Ducatus Lithuaniae, verbo nostro Regio pollicemur, et promittimus etiam pro Successoribus nostris in istis Dominiis, totaque Republica haec omnia juxta constitutionem, et litteras Legatorum nostrorum firme, inviolabiliterque nos praestituros. Cum autem ad nos Magnus Moscoviae Dux Legatos suos allegabit, tum nos Legatorum nostrorum litteris nomen nostrum Regium adscribere, ac signo nostro obsignare, Regioque jurejurando confirmare, easdemque litteras cum iisdem Legatis ad Magnum Moscoviae Ducem remittere debemus. Eodem modo erga nos, et Successores nostros, atque erga nostra Dominia Magnus Moscoviae Dux, successores, atque illius Dominia se gerere debent. Propterea memoratis Legatis nostris hasce litteras nostras manu Regia nostra subscriptas, et obsignatas Sigillis nostris Majestatis Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae dedimus. Datum in castris nostris ad Plescoviam, anno Domini 1581 mensis Novembris die 30. Regni vero nostri anno Sexto.

Quae omnia cum essent perlecta, Legati Regii acrius urgebant, ut Mosci pleniora mandata depromerent, ac scirent, sese super fundamento tam infirmo reliquam tractationem non extructuros: atque ad id Instructionis suae caput ea de re adhuc perlegerunt. Mosci autem excusare se, quod is Magnorum Moscoviae Ducum scribendarum Plenipotentiarum mos semper fuerit: quodque litteris Magni Ducis ad Regem et ad Antonium Possevinum scriptis satis intelligi poterat, sibi plenam potestatem ad omnia conficienda tributam fuisse. Addidere, cum res ipsae, de quibus esset agendum, statim essent ad effectum adducendae, frustra Regios de plenipotentiae verbis queri, quam re ipsa, et facto ipsi Mosci essent praestituri.

Cum lites ex litibus sererentur, nec praesens aliquod remedium cerneretur, Antonius Possevinus Regios monuit, ut ea de re protestationem facerent; sic enim se eam esse admissurum. Deinde ut in diem sequentem quaestio illa sic differretur, ut tamen nocte ea, quae primae diei sessionem consequebatur, utrique Legati suarum Plenipotentiarum exempla confestim ad se mitterent; se Deo re commendanda, Moscis privatim alloquendis, si quam alteram Plenipotentiam haberent, examinandisque ipsarum Plenipotentiarum exemplis impensurum. Quod cum factum esset, neque Mosci aliam haberent Plenipotentiam, die sequenti Legatis utrisque sic locutus est.

## *DIE XIV DECEMBRIS*

### SECUNDA LEGATORUM SESSIO.

Quandoquidem Mosci Legati nullam se aliam habere Plenipotentiam dicunt, nec credendum sit, Magnum Ducem non agere sincere, quippe qui sciat fore, ut universus hic tractationis contextus Deo, ac Christianis omnibus innoteseat: dicant, num jurabunt, scire sese alias Plenipotentiarum formulas hisce de rebus a Magnis Moscoviae Ducibus scribi solitas esse. Cumque ab extremo, qui erat Zacharias Vicenotarius, fuisset interrogationem orsus, se ille juraturum respondit; qui cum acta Mosci Secretariae ad centum annos legisset, nunquam se alias formulas legisse dixit. Quod cum postea singulatim reliqui assererent, adjecit Romanus Basilii, se ante 20 annos ad Sigismundum Augustum Regem Internuncium venisse; pacemque quinquennii deinde (ejusmodi litteris patentibus a Mosco Magnis Legatis traditis) fuisse consecutam. Quaerenti autem Antonio de Michaele Haraburda, num aliquam earum formularum, vel litterarum unquam vidisset expedivisse enim, ut ejusmodi aliquid Magni Ducatus Lithuaniae Secretarius secum attulisset (cum Haraburda respondisset, nunquam talibus tractationibus, qua-



Digitized by Google

his erat haec, se interfuisse, nec proinde Plenipotentias vidisse: interrogavit Regios Antonius, numquid aliud vellent dicere, antequam, ipse, quid sentiret, exponeret. Perstare se quidem in incepto dixerunt, sed auctoritate Pontificis Maximi moveri, ut et tractationem inchoarent, ac vero protestarentur, se prius hinc non esse discessuros, quam res ipsae, quas Mosci essent praestituri, efficerentur. Antonius autem, cum, inquit, nihil alterutri parti ex hac tractatione pereat, quasi in rem conferatur, maxima bona paritura sit; sin dolo malo fiat, in eos perpetuo cum dedecore sit casura, qui erunt in noxa: ac proinde alterutrius Principis sinceriorem agendi rationem maxime sit roboratura, ad rem ipsam judico esse veniendum, sic, ne ipsa actio juri alicujus Regiorum Legatorum (quod ad Plenipotentiam attinet) possit esse damno. Interea vero Legati Mosci sciant a Christianis aliis Principibus nullas ejusmodi formulas Plenipotentiarum solitas esse conscribi. Tum conversus ad Legatos Regios, cum eos admonuisset ut cogitarent, num cum in Jamo Zapolsciae pacis ista tractatio haud fiebat, praebitura fuisset alicujus turbationis materiam; alterque ex Legatis Albertus Radivilius respondisset, nihil inde oriri posse quaestionis, quin et eodem in pago Jamo pacem posse confici, aut promulgari dixisset, perrexit Antonius: Quando ad Victores pertinet legem victis imponere, poterunt Regii Legati conditiones pacis, quam Mosci jam tertio per tres Legationes pertierunt, primo proponere. Ad ea Palatinus Braslaviensis (gratiis actis Summo Pontifici, atque Antonio, quem ejus Sanctitas miserat, quod laborem hunc pacificandi utriusque Principis tam paternum suscepisset) Livoniam totam, eam scilicet, quae in manu esset Mosci, diserte, et graviter petiit, quae nisi concederetur, neutiquam se progressuros, nec adeo reliquae tractationi interfuturos.

Cum Mosci nimium hoc esse dicerent, multaque intersererent, quibus Regiis persuaderent, ne sanguis funderetur, et fieret aequalitas, si vellent, ut vera pax, fraternitasque consequeretur: ad earum autem Livoniae arcium numerum, quas per Antonium Possevinum se traditurum Magnus Dux tres ante menses promiserat, Goviam addidissent: ad eaque omnia rursus Palatinus commode respondisset: Legati Mosci urserunt, ut Regii item dicerent, ecquid sese Magno Duci daturos haberent in mandatis. Moscum enim petere Plescovienses arces, ac reliquas, quae superioribus annis a Stephano Rege fuerant captae, Lucum, Velisiam, Zavolociam, Neveliam, Chelmam, et si quae essent ejusmodi aliae.

Regii se multum dare dixerunt, qui certam spem Plescoviae, ac Novogardiae potiundae essent relicturi: qui 40 milliaria ditionis Mosci, quam hoc anno occupassent, in ditionem Magni Moscoviae Ducis redire permitterent: qui victorem essent exercitum deducturi: qui tot sumptus fecissent, cum Moscus, quae per suos Legatos Vilnae promisisset, non praestiterit, ac tamen ipsi quatuor arces Plescovienses se Mosco restituros pollicerentur.

Contra Mosci, nisi de reliquis arcibus in Livonia Mosco relinquendis agatur, nihil effici posse: tot Livoniae arces non parum constitisse Magno Duci, ut gratis eas dedat: Plescoviam ita esse munitam, uti Regii erant experti, qui si arces illas alias expugnassent, istam nondum cepisse, nec adeo posthac (ut neque alias) expugnaturos. Quae cum variis colloquiis totam pene diem usque ad noctem adduxissent, instarent autem Regii, ut Antonius illos prorsus in castra, vel ad Regem vellet dimittere, postquam Mosci de Livonia tradenda nihil certi apperirint: id vero quoque studio Regii facerent, ut negotium citius conficeretur, se quidem (ait Antonius) illos nocte dimittere, verum ita, ut omnino postridie mane redirent, quemadmodum factum est.

## *DIE XV DECEMBRIS*

### SESSIO LEGATORUM TERTIA.

Cum Regii Legati ex eo Zapolsciae pago advenissent, in quo duobus circiter leucis a Chiverova Horca commorabantur, Mosci item statim, quia in Chiverova manebant, adfuissent, tota pene dies tribus capitibus rerum agitandis insumpta est. Proposuere non sine querela Regii, Moscos tempus eximere, ne Livoniam totam traderent. Adjecerunt petere se, ut Magnus Dux titulo, jureque Livoniae cederet: denique, ut Sueciae Rex inter pacis conditiones adnumeraretur. Tum dixerunt, se praeterea, quae de Plescoviensibus arcibus, Moscique ditione hoc anno occupata promisissent, Chelmam item arcem, superiore anno captam, redditurus, satis autem multum hoc esse,

Digitized by Google

cum Regi Poloniae plures Livoniae arces, quas alii cepissent, ista Magni Ducis cunctatione, decessissent. Ceterum habere se in mandatis a Rege, ut quam citissime tractationem istam absolvant: se Antonio Possevino protestari, diuturniores moras pati non posse, quibus etiam omnino ultra triduum, vel quatriduum eo in loco non sit commorandum.

Ad ea Legati Magni Ducis cum pleraque respondissent, quae superioribus diebus de aequitate servanda, de elatione animi vitanda, deque sanguinis effusione declinanda dixissent, quodque Regii visuri denique essent, super quos tantus sanguis esset casurus. De Sueciae autem Rege se nihil habere in mandatis, quod agerent; eum, si velit ad Magnum Ducem mittere de pace Legatos, non frustra missurum. Haraburda autem, qui una cum Hornostajo quondam in Legatione ad Magnum Ducem iverat, cum nil praeter illa, quae habuisset in mandatis egisset; cogitandum esse sibi quoque Magni Ducis Legatis, intra fines muneris sibi praescripti manendum, Livoniae igitur arces Regiis promiserunt, Pernaviam, Pajdanum, Corstinum, Huntecz, Curslovum, Porcoviam.

Sed cum Regii totius Livoniae restitutionem, titulique et juris ipsius cessionem iterum urgerent, Antonius Possevinus, qui antea noverat, Legatis Regiis eam non fuisse plenissimam facultatem traditam, de arcibus a Rege captis restituendis, quae videbatur fuisse per opportuna, quamque Antonius, antequam e castris discederet, a Rege petierat; utrisque autem Legatis de Sueciae Rege, ac de juris et tituli Livoniae cessione, suae essent rationes, precatus Legatos per Christi sanguinem, perque id, quae erga Sanctam Apostolicam Sedem obsequium ostendebant, ut in tanta re nihil praecipitis deliberationis adhiberetur: petiit, num tantisper iis de rebus sibi cogitare liceret, dum ad rem aptius, atque ad pacis solidioris compositionem expeditius posset respondere. Cui cum annuissent tum ille, crastina dies a cessione vacabit. De Livonia vero tota reddenda, cum Magni Ducis Legati jam sex alias arces obtulerint, dicant autem Regii, nil se aliud dicturos, nisi arces reliquas tradant; cumque utrique non satis se aperient: suas excutiant Instructiones, et videant, quid, et quantum possint praestare, ut ad sequentem sessionem parati, ac sine ulla tergiversatione ab eo, quod aequissimum est, accedant.

Discedentibus Regiis, cum Magni Ducis Legati ad multam noctem (quod saepe faciebant) apud Antonium mansissent, deque Livonia quid in mandatis haberent, liquidimus, ac fidenter ei roganti (quantum ad pacem citius faciendam expediret) aperuissent, data ei facultate, ut ad Joannem Zamoscium Regni Poloniae Supremum Cancellarium, et Generalem Capitaneum de tota recitatis equis perscriberet, cui integerrimam rei conficiendae potestatem Rex tradidisset, missae eadem nocte litterae sunt in castra: ad quas cum tardius responsum pervenisset (quatriduum enim effluxit) multum fuit Antonio, quod ageret in eximenda Moscis suspicione de Regiis, hisque vix excusandis, quod qui scripto plenissimam se potestatem ad omnia habere dixissent, inde plenior Moscorum esse illa videretur, quae paucioribus verbis esset compraehensa. Biduo itaque dilato, cum Regios monuisset Antonius, ut colloquio interessent, in quo saltem de Rege Sueciae agi posset, die 14 omnes apud eundem de more convenerunt.

## *DIE XVIII DECEMBRIS*

### SESSIO QUARTA.

Antonius Possevinus, cui a Legatis ad cogitandum delata res erat, fateri se, inquit, majoris id esse momenti, quam fortasse putaretur, quod de Sueciae Rege, deque cessione tituli, jurisque Livoniae petebatur a Regiis. Et a Pontifice quidem Maximo se habuisse in mandatis, ut ea de re Sueciae Regis, tanquam Sanctae Sedis amici, ageret: quod quidem Stariciae cum Magno Duce tam ejus Sanctitatis quam Stephani Regis nomine quinquies diligenter egisset, nec Magno Duci displicuisse, ut in Sueciam (quemadmodum fecerat) litteras de tota re mitteret. Nunc videri sibi Stephanum Regem nulla ratione posse istud officium pro affine, ac fratre suo deserere; cum etiam occasionibus futuri belli praecidendis, valde id esset commodaturum. Proinde si quid Magni Ducis Legati haberent, quod responderent, se, priusquam aliud aliquid diceret, libenter auditurum.

Mosci responderunt, se nihil (ut dixerant) a Magno Duce ea de re in mandatis habuisse, id autem per Legatos Suecos agi posse: quaerere vero se de Regiis, num haberent a Sue-



Digitized by Google

ciae Rege Plenipotentiam ullam. Quod cum negassent, Quid (ajunt) igitur vultis agi de negotio hoc, in quo etiamsi nobis aliquid agere licuisset, nihil tamen solidi confici posset, praesertim quod et alia inter nostrum Magnum Dominum, ac Sueciae Regem controvertuntur? Nam praeter Livoniae arces, Corcliamque, et Ivanhorod, Jamum, ac forsan alia, hoc biennio occupavit. Tum Antonius Regiorum erga Sueciae Regem studio commendato, Moscorum item responso audito, cui non facile poterant Regii respondere, id unum restare dixit, ut tempus saltem intercederet, quo inter Sueciae Regem, et Magnum Ducem per Legatos (si ii noluissent) invicem agi de tota re posset. Cum vero Mosci ad ea nihil respondissent, quippe quibus neque hoc fuisset a Magno Duce mandatum, ad alia ut progressus fieret (iis modo negotiis omissis) unanimes omnes Legati consenserunt. Atque eo magis Regii, quod in mandatis habuerant, ne si Suecus excluderetur, propterea a pace facienda desisterent. Cum vero de titulo et jure Livoniae tradendo, Mosci Legati dicerent, se nihil prorsus habere, quod agerent; nec videri aequum, ut ex Livonia prorsus eorum Princeps ejiceretur; nec dum vero e castris advenissent a Zamoscio litterae, quas Antonius, Legatique Regii expectabant, ut de primario negotio aliquid statuerent, finis ei Sessioni impositus est.

## *DIE XX DECEMBRIS*

### QUINTA SESSIO.

Cum post superiorem Sessionem, Stanislaum Zolkiewski Palatini Belzensis filium, et consanguineum suum Zamoscius ad Antonium cum litteris credititiis misisset, perque eundem significasset, ob bonum pacis posse Magni Ducis Legatis tradi Novogardiam Livonicam, duasque alias Livoniae arces, quibus versus Narvam, et mare Moscis liber aditus pateret, dum arces a Rege captas, Velicolucum, Zavolociam, Nevelam, Velisiam in Regis potestate sinerent. Quin item Velicolucum restitui posse (nisi omnino secus fieri pax posset) dum tamen nihil in Livonia daretur Moscis; sperare enim se, quamvis ea de re mandatum a Rege non haberet, Ordinibus tamen, ac Regi id omne probatum iri. Antonius novo hoc consilio non mediocriter solicitus fuit, tum quia Zamoscius chirographum nullum miserat, quo chirographo (cum fere ad Antonii fidem, atque judicium, ut dicebat Zolkiewski, ea vel arcium in Livonia traditio, vel restitutio Velicoluci referretur) aut rite in rem conferri negotium posset, vel si Regno Poloniae aliquando istius rei reddenda ratio fuisset, id liquido fieri posset. Quod si postea id consilium aut mutatum (quod non semel aliis in rebus Antonius erat expertus) aut a Regiis Legatis fuisset non leves ob causas impeditum (neque enim sibi quicquam a Rege ea de re praescriptum esse dicebant) Antonius inani promisso lactasse, aut adeo decepisse Magni Ducis Legatos videretur; quod quidem divino in Moscovia cultui promovendo admodum esset incommodaturum. Accedebat iterata saepissime a Rege petitio universae Livoniae, cujus ne spithama quidem cedere posset, licet vellet. Ad quod Decreto Ordinum Regni, et jurejurando Regem teneri, cum alias, tum disertissime Regiis Legatis identidem dictum fuit.

Ac Antonius quidem a Rege, Zamoscioque paucos ante dies per litteras petierat, num si tota Livonia Moscus sedere nollet, sibi in Moscoviam redituro procurandum esset, ut Magni Ducis Legati Varsaviam ad futura Martii mensis Comitia venirent: sic enim rectius ab Ordinibus Regni aut ei Decreto posse derogari (quatenus Livoniae non nihil Magno Duci concederetur) aut si e Republica judicaretur, ut in belli continuandi proposito perstaretur, tum Legati Mosci, consensum Regni ipsis oculis cernentes, facilius ad propositas pacis conditiones descenderent; hieme interim bellici negotii inchoati persecutionem haud eximente. Verum Zamoscius litteras Idibus Decembris datas, et eadem ipsa die per alterum tabellarium redditas, qua idem Zolkiewski cum brevibus illis alteris creditiis venerat e castris, Antonio scripsit, nihil opus esse, ut de mutando Decreto ageretur. Stare enim Regis, et Ordinum sententiam: si nolit Moscus assentiri toti Livoniae tradendae, rem armis esse decernendam. Itaque tota re cum Legatis Regiis communicata, hi judicarunt, a se de Livoniae arcibus nihil agi, atque adeo omnino proponi debere: Legatos enim Mosci, quibus satis erat persuasum, Stephanum Regem integram Livoniam velle, quique jam non minima praebuerant argumenta ejus restituendae, in spem venturos, alia quoque Magno Duci a Stephano Rege relictum iri; resque Regias proinde pe-

Digitized by Google

jore esse in statu, quam antea. Unde pacis compositio extrahi posset; praeterquam quod, cum eas arces voce tantum Zolkiewski Zamoscius offerret, tutum Regiis non esset, ut eas nomine Regis Mosco pollicerentur. Itaque cum Zamoscio rescribendum esse existimassent, Antonius quoque sequentes litteras ad eum misit: multa, quae maxime ad celerem, et honorificam pacis confectionem spectabant, si ad rem, non amissa tanta occasione, veniretur, per eundem Zolkiewski significans, quae litteris non erant committenda. Sic igitur Sessionis illius pars privatae huic tractationi, antequam Legati Mosci advocarentur, extracta est.

## *EPISTOLA JO. ZAMOSCII,*

SUPREMI CANCELLARII REGNI POLONIAE, ET GENERALIS CAPITANEI, AD ANTONIUM POSSEVINUM.

Quae D. Vestrae de eruptione Moscorum, deque illorum castigatione scripsi, vera sunt. Quae vero de indicio Petri Koltowski vere scripta significantur, vera ut sint, magis opto, quam arbitror. Nam nisi pax coibit, hostem ego quaeram, nisi me ipse quaesiverit. Sed haec satis. Litteras D. Vestrae summa celeritate mitto ad Regiam Majestatem. Frustra tamen, ut ego judico, decedendo aliqua Livoniae parte in Comitiis deliberaretur. Nemo enim patriae bene in futurum prospiciens, vel in Conventu etiam ipso Regni, de ea decedere suadebit; re jam ad extremum adducta, ut aut nobis cum hostis pugnare necesse habeat, aut de hac urbe periclitari, et una de tota Livonia, occupante etiam illam altera ex parte Sueco; Album lapidem oppugnante; premente Pernaviam, et Felinum; ita ut vix illa jam Moscus non amiserit, sed de Derpato saltem laborare videatur. Ordines vero quid? Vel ad educendum in posterum militem plus sumptuum impenderent, quam in hunc deductum jam, et in supplementum inde vel ad Augusti. At quae interim tentari possunt? Hostis vero instructus omni apparatu ex commerciis marinis, quam erit postea potentior? Audio istos bonos Legatos Moscorum cunctari. Si expectant novam informationem, jam illam habebunt per tabellarium hunc, quem eo jussi deduci. Quam graviter vero rem gerentem? Cum diceret ire se Porcoviam, et inde Zapolsciam cum litteris ad D. Vestram, jam tamen tandem versus Plescoviam, deflectens de itinere Porcoviensi, cum ductores Novogardia haberet, processerat, ut octo saltem milliaribus a Plescovia abesset, noctuque, non die, iter faceret, et cum in nostros incidisset, et in viam Porcoviensem reduceretur, unum ex suis, dato illi equo, sub cujus sella ad Legatos a Principe insutus litteras habebat, fugere jusserit, inde etiam alios tres comites contra fidem datam fugere jusserit. Haec certe inquirenda et dijudicanda diligenter erant prius, quam pronuncio, non pro perduelle haberetur. Verumtamen apud me vel umbra Juris Gentium plus valuit. Itaque vel adhibitis ductoribus, a me ad locum conventus mittitur. Ex novis istis litteris, quas affert, et praesertim tam diligenter occultatis, credo quod ad exitum quemvis isti tractatus facilius deducentur. Apollonius jam feliciorem quam nos vitam vivit. Scribam Russicum unum tantum in castris habeo. Commendo me favori D. Vestrae. Datum ex castris ad Plescoviam, die 13 Decembris. Anno Domini, 1581.

## *ALIA EPISTOLA ZAMOSCII*

SUPREMI CANCELLARII REGNI POLONIAE, ET GENERALIS CAPITANEI, AD ANTONIUM POSSEVINUM.

Mitto ad D. Vestram consanguineum meum D. Stanislaum Zolkiewski, Palatini Belzensis filium. Ex eo D. Vestra de eo, quod a me scire vult, cognoscet. Ei vero non solum dicenti fidem adhibere debet, sed etiam, si quae cum illo communicabit, prorsus tacita fore pro certo confidat. Hoc illi ita prorsus futurum esse spondeo. Commendo me D. Vestrae. Datum ex castris ad Plescoviam, die 17 Decembris Anno 1581.

## *ANTONII POSSEVINI*

RESPONSIO AD EUNDEM JO. ZAMOSCIUM.

Hac ipsa die binas a V. D. Magnif. litteras accepi, alteras ab eo, qui tabellarium ad me Magni Ducis adduxit, commoratum in itinere, seu alibi, integros octo dies, alteras a D. Stanislao Zolkiewski consanguineo V. Magnif. qui ea, quae Legatis Regiis, ac mihi videntur

Digitized by Google

expedire, fusius referat. Ad quae si V. Magnif. scriptum, chirographo, signoque suo obsignatum, nobis miserit, progrediemur in incepto, non sine spe perhonorificae pacis. Sin minus, in optimam partem accipiet, quicquid erit deliberandum a nobis, cum etiam nobis ratio reddenda sit actionum nostrarum Reipublicae isti, Pontifici Maximi Magno ipsi Moscoviae Duci, ceterisque forsan Principibus: ne quid dicam de nostro ordine, cujus tot certe pignora, et obsides habet Polonia, ut etiam iis, eorumque bono nomini maxime consulendum sit.

Porro scio V. Magnif. pro sua perspicaci prudentia, optime jam intellexisse, quantopere expediebat, ut quam instructionem manu sua scriptam Legatis Rex pollicitus fuerat, ea ut ipsis traderetur; sic vero reliqua discuterentur, ut hoc rigidissimo tempore tanti boni confectio nulla cunctatione interturbaretur. Meam fidem probari V. Magnif. sic gaudeo, ut sperem, nunquam illi jure improbatum iri. Jesus dexteram, et cor V. Magnif. Illustrissimae coelesti praesidio muniat. Ex Chiverova Horca, die 20 Decembris, nocte 1581.

Porro evocati ad conventum Mosci, gravissime conquesti sunt (id quod saepe aliis quoque in rebus fecerat) quod in ipsa pacis tractatione tanquam captivi tenerentur; sanguis passim funderetur; sibi bona, hominesque raperentur: quodque Magni Ducis tabellarius, qui litteras ad Antonium, et ad eos attulisset, in castra ductus: ejus vero comites passim interfecti, itineris autem ductoris eorum, rustici cujusdam, lateribus (ut solent) faces ad confessionem extorquendam admotae fuissent: deinde, cum e castris huc ad Antonium recta a Zamoscio missus et scriberetur, et diceretur, triduum tamen apud Praefectum equitum Zebridovium valde nobilem, ac probum, et fortem Polonum, mandato Legatorum regiorum, fuisse detentum: denique post tot dies, litteras Magni Ducis vix redditas esse. Itaque, cum nunquam se ad Conventum ex Moscovia venturos fuisse dicerent, nisi Pontificis Maximi ejusque, quem miserat, Antonii fidei Magnus Dux credidisset, cupere se ajebant potius discedere, quam ista indignitate, hostilibusque modis rem amplius agere. Cum autem regii rem excusare, rationesque eas afferre incepissent, quas Zamoscius ad Antonium scripserat: Antonius, qui et tabellarium prius interrogasset, et octiduum in itinere detentum (causa nescitur) cognovisset: videret autem, ex dilatione reddendarum litterarum, cum vel Rex, vel Moscus aliquid essent scripturi, magno negotio conficiendo incommodum posse creari: se jam, inquit, Legatos utrosque non tantum ob Pontificis Maximi auctoritatem (cui quicquid se deferre saepius dicebant, id quidem Deo acceptum esse, a quo eam auctoritatem accepisset) verum in primis ob Christi sanguinem obnixe rogare, ne variis eventibus, quos subinde satanas esset excitaturus, rem ipsam expositam desererent: quae quanto magis protraheretur, tanto plus Christiani sanguinis effunderetur: porro in se ipsum totum id, quod acciderat (si quid ejusmodi fuisset, quale Mosci dicebant) sic suscipere, ut vel cum Rege, vel cum Magno Duce debitum omne officium, si necesse fuisset, in tempore esset praestiturus.

Tum pacatioribus animis ad rem ventum est, cujus ea summa fuit, Legatos Regios unica, et extrema propositione (ut Mosci cognoscerent, quantopere a fundendo sanguine Rex abhorreret) e quatuor arcibus, quae superiore biennio de Mosco fuerant captae, unam adhuc, quam judicasset Antonius, sese tradituros; dum illi tota Livonia cederent, Sebieszumque arcem, Polociae propinquam, traderent. Cui de Sebieszo petitioni cum se Mosci non assensuros dicerent, quod arx ea non spectaret ad Livoniam: cumque omnes arces a Rege captas repeterent, ac se quidem etiam unam aliam Livoniae arcem addituros dicerent, quae Lais vocaretur: Regii eam in manibus Sueci esse asserentes, ne verbo quidem addito, surgentes discesserunt, ejusque diei Sessio soluta est.

## *DIE XXII DECEMBRIS,*

### SESSIO VI.

Cum ejusdem generis pleraque fuissent dicta, quae superioribus diebus Legati invicem objecerant; nec semel Mosci Livoniam non a Regibus Poloniae, sed ab Episcopis, et Ordine Teutonico cepisse eorum Principem, dixissent: Regii vero (quod et Mosci faciebant) ipsam ob Sedis Apostolicae, Pontificisque Maximi reverentiam, jam multis rebus cessisse dicerent; Antonii judicio se staturos, ut una e duabus arcibus Velicoluco, et Zavolocia, adhuc Magno Duci redderetur, supervenit Petronius nobilis Polonus, missus a Zamoscio ex castris, hisce cum litteris, quas Antonio scribebat.

Digitized by Google

## *JO. ZAMOSCIUS*

CANCELLARIUS REGNI, ET CAPITANEUS GENERALIS ANTONIO POSSEVINO.

Etsi jam antea miserim ad D. Vestram Zolkevium, per quem illi aperui, quid id sit, quod in Livonia concedi possit Mosco, et quibus modis concedi possit: tamen postea venit mihi in mentem scripto comprehensum D. Vestrae mittere, quemadmodum mitto. Reliqua D. Vestra cum ex eodem Zolkevio, tum vero in primis ex Dominis Legatis cognoscet. Bene valeat D. Vestra. Datum ex castris ad Plescoviam, die 19 Decembris. Anno Domini, 1581.

## *CONDITIONES PRIMAE.*

Si maneat penes Regiam Majestatem Velicolucum cum arcibus Zavolocia, Nevelia; siquc Sebieszum Regi a Mosco traditum fuerit, Velisium item penes Regiam Majestatem relictum fuerit, de quo nunc moveri quaestio a Legatis Mosci non debet, cum in antecedentibus tractatibus non repetitum fuerit, siquc ejus rei concludendae statim, non mittendo pro alia informatione ad Principem suum (atque hoc propterea, ne interim Pernavia pereat, quod D. Vestrae saltem scriptum velim) Legati Moscovitici facultatem habuerint, audebo illi concedere in Livonia arces Novogrodcam Livonicam, Serenescum, atque etiam arcem Lais cum arcibus Ostrovo, Chelm, Crasnohorodec, Voronetz, Vielia.

## *CONDITIONES SECUNDAE,*

ET ULTIMAE.

Si non habuerint facultatem Moscorum Legati, statim (non mittendo pro alia instructione ad Principem suum) acceptis arcibus Novogrodca Livonica, Serenesco, et Lais, cedere Regiae Majestati, Lucum, Zavolociam, Neveliam, Velisium; dare Sebieszum, vel saltem demoliri: neque etiam a Regia Majestate illis per me concedi possunt arces, Novogrodca Livonica, Lais, et Serenescum; sed retenta tota Livonia pro Regia Majestate, et tradito, vel demolito Sebieszo, retentisque Zavolocia, Nevela, et Velisia, (id quod Regia Majestas D. Vestrae, et mihi crediderat) adjiciat Mosco Velicolucum ad arces Chelmam, Ostroviam, Crasnohorodcum, Voronecium, Vieliam, ut hae arces cum Velicoluco ipsi reddantur, retenta pro parte Regis omni Livonia cum Novogrodec, Serenesc, Lais, et supra scriptis arcibus, Zavolocia, Nevela, Velisio, traditoque vel demolito Sebieszo.

Quae conditiones, quoniam Antonio non reddebantur a Legatis Regiis, videbat ille sibi dari tempus, quo de ipsa restitutione Velicoluci, et Zavolociae cogitaret, ii vero paratiores ad conventum postridie redirent, perlectis iis litteris, quas ad eos idem scripserat Zamoscius.

## *DIE XXIII DECEMBRIS,*

SESSIO VII.

Redditis Antonio conditionibus de pace a Legatis, etsi postea neque ad respondendum Zamoscio videbat sibi spacium dari, quod Petronii discessum ipso in momento temporis, quo conditiones tradiderant, urgebant; tum ne dies illa frustra efflueret, actum est cum Moscis, num Sebieszi (quae in agro Polocensi arx est) restituendi, numve permutandi cum arcibus quibusdam Livonicis, quas Regis nomine Zamoscius offerebat, potestatem haberent. At illi, cum quod ad Sebieszum pertinet, dicerent, denique illam se combusturos, si Stephanus Rex Drissam combureret: reliquas vero a Rege captas arces non posse non haberi: ab Antonio (comprobantibus Regiis, nec improbantibus Moscis) dicta sententia est, ut Velicolucum Magno Duci redderetur, si tota ille Livonia cederet, Zavolocia vero Regi relinqueretur. Nec pene aliud quidquam ea in Sessione actum est, nisi quod ex tribus arcibus, quas in Livonia Regii offerebant, Serenescum dicebant esse in manu Sueci; et Michael Haraburda Moscis ostendit, quanta ex Livonia, qua cessuri essent, commoda ad Magnum Ducem essent perventura, si pax componeretur.

Eadem die, cum Mosci privatim se contentos esse Novogardia Livonica, et Kerepecio, si reliquae tres arces Zavolocia, Nevelia, Velisium sibi traderentur: ac denique iisdem, si tantum Novonardia, et Kerepecium Magno Duci relinqueretur: venit alter a Cancellario Zamoscio cum litteris, ac tertiis conditionibus, quarum exemplum hoc est.

## *JO. ZAMOSCIUS*

ANTONIO POSSEVINO.

De iis rebus, de quibus ad me etulit D.

Digitized by Google

Vestra per Dominum Zolkiewski, scripsi D. D. Legatis, ut cum D. Vestra communicent. Difficultatum, quae de iis intercesserunt, explicatio tanto magis impedita est, quod quarundam earum Moscus in prioribus tractationibus (ut Velisii) nullam mentionem fecisset. Sed haec plenius D. V. ex D. D. Legatis intelligat, quibus etiam chirographa mea, ut voluerunt, misi de iis, quae concedenda putavi. Commendo me amori D. V. Datum ex Castris ad Plescoviam, die 22 mensis Decembris 1581.

## *CONDITIONES POSTREMAE.*

Ad extremum audebo et hoc, propter bonum pacis, et ne labor D. V. praesertim cum nomine Summi Pontificis susceptus sit, in irritum cadat, non dando arces Novogrodec Livonicam, Lais, Serenescum; sed his, et tota Livonia retenta pro Regia Majestate, retentoque Velisio, dato Regi, vel demolito Sebieszo; concedendo Velicolucum, Zavolociam, Nevelam, Chelmam, Ostrovium, Voronecium, Crasnohorodcum, Vieliam, Principi Moscorum.

Quae conditiones nisi accipiuntur, jam liquebit, Deum nobis nolle pacem hoc tempore concedere. Etenim quod amplius facere valeam, vel audeam, nihil prorsus (testor Deum) habeo. Nec vero tam D. Vestrae causa, de cujus optimo studio, et sinceritate et Regia Majestas, et ego, optime persuasi sumus, quam ut conscientiae meae, pro debito meo erga Regiam Majestatem, et patriam satisfaciam; obtestor D. V. per Deum vivum, perque Filium ejus Jesum, cujus D. V. tremenda mysteria tractat, ac nomen gerit, ut ad nullas conditiones graviores, quae illi conceduntur, descendat, si levioribus rem evincere poterit.

Quae cum essent perlectae, re tota cum Regiis communicata, judicatum est, ut quando Mosci tota Livonia promittebant sese cessuros, eaedem postremae conditiones haud simul proponerentur. Itaque variis de causis, in diem Nativitatis Domini Sanctissimam, sessio dilata est.

## *DIE XXV DECEMBRIS,*

SESSIO VIII.

Cum Antonio Mosci privatim scripto schedulam dedissent, qua una Novogardia in Livonia, a Rege Magno Duci, et una Velisio a Magno Duce Regi relinquenda, se fore contentos affirmabant, Regii Rsovam uberem agrum, ad Zavolociam quondam spectantem, se Moscis daturos adhuc ultra Velicolucum dixerunt. Quam cum Mosci respondissent ad Zavolociam attinere; denique Regii Antonio integrum relinquerent, utram e duabus arcibus Nevelia, et Zavolocia, Moscis reddere voluisset: ei rei consultandae cum Moscis, (quando Regiorum quoque rationes audiverat) noctis spacio petito, Sessio dimissa est. Porro eadem nocte insequenti, cum Moscovia supervenisset a Magno Duce, maximis itineribus, tabellarius, cum responso ad litteras, quas Antonius ad eum e Biscovicio paucos ante dies scripserat; Mosci item Legati alias accepissent: eorum rogatu a Regiis Antonius obtinuit, ut insequens dies vacaret: qua tamen et cum Moscis accuratissime actum est, si qua iniri ratio posset, ut pax coiret: et eadem Mosci litterae ad Regios missae sunt ab Antonio, ne quid officii praetermitteret, quo utrique parti satisfieret. Sed cum Mosci Legatis Antonius dixisset, si ii a Principe suo metuerent, ne quid inconsultius agerent, si Neveliam, et Velisiam Regi relinquerent, se caput ipsum omni periculo objecturum coram Magno Duce, ne tanti boni confectio intermitteretur; iique sancte jurarent, se id efficere non posse: adderent autem, si decem quisque capita haberet, ea unicuique omnia sibi redituri samputatum iri a Mosco: propterea Antonius ad Zamoscium citatis equis tabellarium misit, qui novissimas conditiones afferret: dieque insequenti Legati Regii ex condicto redierunt.

## *DIE XXVII,*

SESSIO IX.

Ubi Antonius utrosque Legatos hortatus est, ut ea die, quae terminando conventui a Regiis praescripta erat, pax fieret, omniaque officia ad id adhibita, fusius antea Regiis exposuisset: Regii dixerunt, perstare se in eo, quod propositum erat. Exercitum duobus mensibus prope Plescoviam ab Antonio fuisse retentum, spe pacis, quam offerebat: nunc sese revocari in castra; nec debere ultra progredi, quibus esset ratio reddenda Regi, et Reipublicae cui juraverant. Ad extremum,

Digitized by Google

protestari se coram ipso Antonio, per se non stetisse, quin pax coiret: petere denique ab illo, ut Comitiorum tempore, quae Varsaviae in Martium mensem erant indicta, quo tempore forsan ex Moscovia eo Antonius esset redituras, velit Reipublicae ac Regno eorum fidem testari. Itaque se Moscis valedicere, ac dare dexteras, idem cum Antonio sequenti die saltem per litteras facturos.

Tum Mosci paucis (sed quae altum dolorem ostendebant) convertere se ad Antonium, dicereque se ad mandatum ipsius Livonia cessisse: Michaelem Haraburdam intelligere nunc, an vera ea fuissent, quae dixisset initio, cum ad Livoniam tradendam illos hortaretur, inquiens, ea trabe Livoniae submota, complanatum iri viam ad reliqua omnia: sese quidem Livonia cedere, et fecisse, ac non loqui: Regios autem loqui, et non facere, proinde se item Deum testari, per se non stetisse, quin pax fieret: viderent, super quos tantus sanguis esset casurus. Denique, ubi quaedam Michael Haraburda iis respondisset, quae antea quoque fuerant dicta, Antonius sibi quidem esse dixit optatissimum, ut pax fieret: verum cum neutram partem cogere posset, ut fidei erga suos Principes debitae deessent, nunc quidem videri sibi, ut Zavolocia a Stephano Rege restituatur, quandoquidem necdum sententiam de ea pronunciasset: ceterum sperare se, aut eandem pacem denique secuturam, aut nisi sequeretur, tempus nondum appetiisse, ut eadem essemus digni. Quod si propter duas ejusmodi arces neutri cedere vellent, viderent Regii, num decem dierum intervallum Moscis possent concedere, ut a Magno Duce, sicut petebant, responsum ea de re acciperent. Quod cum se posse concedere Regii negassent, tum Mosci se Derpati restitutionem, et alia supra id, quod poterant, pollicitos fuisse dixerunt: dolere modo, quod cum pene quadraginta arces reddendae sint, ob duas tantum, pacis vinculum esset dissolvendum. Regii vero, quando, inquiunt, supra id, quod potuistis, promisistis; adhuc et hoc facite: vos de una, nos de altera ex duabus, de quibus controversia est, Antonii judicio stemus: et vos Magno Duci, nos Regi denique, ea re in nos suscepta, rationem reddamus. Hic cum Antonius obsecrasset Regios, ut Moscis ad deliberandum noctem eam adhuc concederent: Regii assenserunt, ea lege, ut dicerent, si iis ab Antonio significatum fuisset ante diem, Moscos ei rei posse assentire, crastina die redituros; sin minus, sese discessuros omnino.

Nocte insequenti cum se Mosci aperuissent, se nulla ratione Velisio posse cedere, sed si Regii vellent, se reliqua omni Livonia cessuros; tantum Novogardiam retinerent, et Regii Velisium, dum ab utroque Principe responsum expectaretur, eaque res nec damno, nec fraudi alterutrius partis cederet: conventus solutus est. Quae vero cum Legatis, et aliis Antonius praestitit, ut adhuc pacis tractatio staret, ea ex litteris scriptis ad Regios, atque ad Regem, intelligi possunt: quae quidem non minimi sunt momenti, ad totum rei statum cognoscendum.

## *DIE XXVIII DECEMBRIS,*

SESSIO X.

Cum ea die Regii jam sese in viam daturos dixissent, et Mosci bis ejus diei nocte superiore, cum lacrimis, diu apud Antonium fuissent, ut de Velisio, quid esset deliberandum, quaererent (si enim Regi relinqueretur, sibi ab suo Principe vitam ademptum iri: sin pax ob unam illam arcem haud componeretur, intelligere se, novo bello repetito, maximam fore sanguinis effusionem) Antonius nullam sibi rationem superesse dixit, post tot alias omnes tentatas, nisi ut ipse, quo Legatorum vitae parceretur, unicuique illorum chirographum signo, quo utebatur, suo munitum traderet, quo fidem faceret, se illos ad eam deliberationem adegisse: ceterum se Mosco caput suum allaturum, ut faceret, quod vellet, si quid, ad novi belli continuationem praecidendam, audacius factum ab Antonio fuisse judicasset. Porro nisi aliud consequi posset, se a Regiis tentaturum, ut Velisium solo aequaretur. Tum Mosci se, salutem suam, Velisium denique ita, ut saltem everteretur, relinquere in manu Antonii dixerunt: tantum recordaretur, ut apud Magnum Ducem haec res ne sibi ipsis interitum afferret. Quae cum acta essent, supervenere Legati Regis, abituri longius, et Antonio primum valedicturi, sed tota re audita, ipsi jam se Velisium tradere Antonio polliciti sunt, cui esset integrum eo imponere, qui ex ejus comitatu erant, ut denique vel Regi relinqueretur, vel id fieret, quod judicasset. Sibi autem non esse de vita dubitandum, si ea in

Digitized by Google

re facerent, praeter Regis mandatum: sed dignitatem suam in magno futurum discrimine, nisi ipse Antonius et Regi, atque in futuris Varsaviae Comitiis, in se hoc totum ad boni publici compositionem suscepisse, publice testaretur. Quod cum se facturum Antonius recepisset, instauratus est conventus: ac cum Regii peterent, ut Sebieszum Regi traderetur, Mosci dixere, Velisium se integrum relicturos, si Sebieszum stet: si vero Derpatum Magno Duci relictum fuisset, tum esse contentos, ut Sebieszum a Magno Duce, Drissa a Rege comburerentur. Qua de re cum magna esset altercatio, in posterum diem rejecta est, eo consilio, a regiis tractatio, ut interim per tabellarium a Zamoscio ex castris mentem Regis liquidius exquirerent.

Deinde, cum Regiis quaerentibus Mosci respondissent, se plenissimam potestatem habere, arces Livoniae tradendi, quae quidem in manu Magni Ducis, non in manu Regis Sueciae essent, adjecerunt Legati Regis: Quandoquidem saepissime scriptum, et actum per Legatos, et Internuncios, iteratumque est, Stephanum Regem totam Livoniam petere, dicerent Legati Magni Ducis, num vellent titulo, jureque ipsius cedere omnino, necne: id nisi facerent, relictum iri scintillam ad novum bellum excitandum, cum quas arces Sueciae Rex cepisset, eas vel pacate ab ipso, ut ab affine suo, Stephanus esset obtenturus, vel denique alia ratione procuraturus. Ac nisi nunc Moscus jurejurando Livonia integra cessisset: easdemque arces a Sueciae Rege repetere bello vellet, liquere, ad arma inter Stephanum, et Moscum ventum iterum iri.

Quae cum Antonius aliis rationibus comprobasset, ac dixisset, eos avidius, ac verius pacem expetituros, qui futurae contentionis radices diligentius evellendas curarent: Mosci responderunt, sese in litteris de pace nomina omnium arcium scripturos, quae sunt in manu Magni Ducis; earum jus possessionemque Regi tradituros: rem totam jurejurando confirmaturos: desinerent autem Regii ea petere, quorum Mosci nullam haberent potestatem, nec possessionem retinerent: de Rege Sueciae, ne verbum quidem inseri posse in litteris de pace conficiendis.

Ad ea Antonius, si contingeret, inquit, ut eandem arcem Rex, Moscusve bello peteret, certe providendum est, (si de reliquis mutuo consensu a Legatis deceni queat) ne reliqua Livonia, quae Regis erit, totumque ipsum Poloniae Regnum, Magnusque Ducatus Lithuaniae, Prussia item propterea a Mosco invadatur; sicuti item neque Regi in Mosci ditionem erit propterea cum in exercitu invadendum.

Tum Regii rogarunt Antonium, ut protestationem ea de re admitteret, ac chirographo, et signo suo obsignaret: quam cum Antonius ita se admissurum respondisset, ut neque ipsi Regi, nec Magno Duci, nec ulli omnino hominum praejudicaret, vel quidquam juris adimeret: tum adjecit, se illa cum protestatione sententiam laturum (id quod etiam eadem hora faciebat) ut ea juris, titulive protestatio alterutri justa, vel sufficiens belli causa esse non posset; se quidem (quod etiam per Legatos effici poterat) cum utroque Principe pacate attentaturum, ut quam minima ea de re contentionis, ac fortasse nulla, in posterum relinqueretur.

Regii vero cum verbotenus per Michaelem Haraburdam protestationem pronunciassent, postea, ut scripto constaret, ab Antonio petierunt: quae cum Regiis tradenda non videretur, nisi (quod etiam in castris Antonio dixerat Rex) Moscis integrum tantundem faciendi relinqueretur; diserte Regii Moscis adhuc protestati sunt, Regem eas omnino arces velle, quas Sueciae Rex bello cepisset.

Ventum est postea ad arcium tormenta, quae in Mosci manu essent, ut cum quibus arces fuissent captae, restituerentur: quod quidem antea Mosci Legatos alios, qui Vilnae fuerant, Regii promisisse dicebant. Ad quae cum Mosci responderent, Aulicos Novogardia sese illico evocaturos; nec de tormentis, si Regii tantusdem facerent, magnam futuram difficultatem: altera in alteram, in sequentem diem Sessio indicta est.

## *DIE XXIX DECEMBRIS,*

SESSIO XI.

Ea in Sessione Mosci orsi sunt a Sebieszo, de quo diu multumque agitata res est. Regiis urgentibus, ea ut res Antonium deferreretur, qui cum utroque Principe ageret: pax interim firmaretur. Moscis autem iterantibus, in gratiam Antonii a se Velisium concessum fuisse, nec jam dicere se ut combureretur, sed integrum Regi maneret: porro a Regiis semper aliquid peti. Quamobrem (ajebant) ut ferreus globus; nisi eximatur e corpore, corpus putre-

Digitized by Google

scit: ita Sebieszi negotium nisi absolvatur, totam pacis tractationem infecturum, ac turbaturum. Quod si denique Regii id suspendi ad tempus velint, permitterent, ut Magnus Dux consuleretur, ne qua restaret in posterum litis occasio. Antonio autem Regiorum sententiam probanti: atque urgenti, ut reliqua conficerentur, illud differetur (expectabatur enim, quae superius dicta est a Zamoscio responsio, et Regis mentem quadamtenus ea de re Antonius noverat) Mosci Regiis objecere, non effici, quod per Zachariam Boltinum Magno Duci, de exercitu ab obsidione Plescoviensi deducendo, promissum fuerat. Id enim se facturum aliquot intra dies, Antonio pollicitus fuerat Rex. At Regii dixere, Antonio promissum fuisse, ne irruptio tentaretur: exercitum autem, quamprimum pax facta, conditiones scriptae, jurecque jurando firmatae fuissent, deductum iri. Denique cum de ratione tradendarum arcium Regii agerent, Mosci: Nobis altum sapere, Magnus Dominus noster haud mandavit. Ut enim Princeps Christianus est, ita Christiano more, sincereque ut nos gereremus, jussit: quod et facimus vobiscum, quasi cum fratribus nostris. Itaque scitote, quam primum aliquid de Sebieszo statuerimus, Novogardiam mittemus, aulicos nobis dignitate non impares evocaturi; quorum item unus Palatinus est Porcoviensis, Joannes Zerebow, quibus arcium tradendarum facultas demandata est.

Actum est deinde a Moscis, ne rustici in Lithuaniam abducerentur; quod Regii prohibitum fuisse dixerunt a Rege, ac proinde negotium pacis esse quam primum absolvendum, ut istiusmodi reliqua ne acciderent.

Tum ad Beatissimae Virginis annunciatae diem, cum Mosci dicerent, arces esse tradendas, (id, quod Regii recusarunt) de tormentis vicissim utrinque reddendis actum est, in quibus, nempe, Regis, vel Magni Ducis essent insignia, vel inscriptiones.

Deinde ventum est ad captivos: Moscis petentibus, ut liberaliter omnes utroque a Principe dimitterentur; Regii negantibus, aliter id effici posse, quam quomodo Rex Antonio exposuisset. Id autem erat, ut miles pro milite, centurio pro centurione, Palatinus pro Palatino permutarentur: si qui superessent, ii vel pecunia redimerentur, vel cum Livonibus aliquibus, qui essent in Moscovia, compensarentur. Insuper adjectum est a Regiis, mercatores esse liberandos a Mosco, quos praeter omne jus, moremque Christianum, ac praeter constitutiones, et litteras, quae alias inter eos Principes scriptae fuerant (ne quid, orto bello, mercatoribus damni inferetur) Magnus Dux detinuisset, et haberet captivos; praesertim Zarcski, et Martinum Mammonicium Vilnenses, quos nominatim dimitti Rex volebat. Tum Mosci, sanguinem Christianum non esse pecunia redimentum dixerunt: mercatores autem non fuisse captivos, neque asservatos in ulla custodia; Pristavum tantum illis adhibitum fuisse, quos, ne quid damni acciperent, curaret. Quae cum essent dicta, et advesperasceret, reliqua in futuram Sessionem rejecta sunt.

## *DIEI PRIMAE ANNI 1582,*

### SESSIO XII.

Mosci, cum multam noctis partem demorati essent apud Antonium, eum rogarunt, ut omnino (si gratissimam rem facere Magno eorum Domino vellet) curaret in litteris, quae erant de pace scribendae, ut ille Tsar Casani, et Astrachani diceretur: prae hoc, nihil arces pendere Magnum Ducem, quas Regi esset traditurus. Hanc occasionem nactus Antonius multa illis exposuit de uno Christianorum Imperatore; quam dignitatem Sedes Apostolica confirmaret, quamque ex Oriente, ubi Ecclesiae Catholicae minus fidi Imperatores Byzantii esse coeperunt, in Occidentem transtulerat. Si Moscus justo titulo vocari, atque honoribus legitimis decorari velit, ageret primum cum Pontifice Maximo ea ratione, qua reliqui Christiani Principes agunt, qui non ignorant, non esse tantam rem Casanum, et Astrachanum, ut novus titulus quasi alterius Caesaris, Imperatoris, vel Regis addatur. Si Caesar id fecerit, sciri vocem istam *Tsar* non Caesarem, sed aliquid aliud a Tartaris usurpatum, quasi Regium titulum designari. Ad ea Mosci: Honorium, et Arcadium Roma Volodimero primo Moscorum Principi coronam Imperatoriam misisse: Pontificem Maximum per Cyprianum quendam Episcopum id confirmasse; ac reliqua ejus generis. Quibus Antonius cum respondisset, Quingentis annis Honorium, et Arcadium praecessisse Volodimerum: dixere (nescientes, quid dicerent) fuisse alios quosdam Honorium, et Arcadium, qui eo tempore vixissent. Tum iterum urserunt Antonium, ut quandoquidem ve-

Digitized by Google

cassent universae Christianitatis Pastorem Pontificem Maximum vellet item operam dare, ne hoc titulo Rex Principem suum fraudaret: atque item, ne illi titulus Livoniae periret. Quibus Antonius: Quod Pastorem Christianitatis universae vocare velitis Pontificem Maximum id quidem recte habet, cum id Christus Dominus instituerit, Pontifice Maximo minime id curante (nisi quatenus id Ecclesiae unitati, ac Dei gloriae inseruit) ceteroquin se servum servorum Dei vocante: at Principi vestro Livoniae titulum reservare, a quo arces Regi traduntur, quaenam ista veritas esset? Si mihi istam vestem tradideris, eaque cesseris, num vestis Dominus amplius vere vocaberis?

Haec igitur cum citro ultroque dicta essent, quae postea lucem reliquae tractationi afferrent, cumque Regii ad indictam Sessionem rediissent, de Sebieszo, deque futurae pacis tempore actum est. Ac Sebieszum quidem ut Magno Duci maneret, Legati Regii assenserunt: pax autem ut ad octo annos duraret, ea die Mosci contenti fuere, asserentes, sese nocte insequenti cogitaturos, si quid amplius addere possent. Deinde, cum Regii petiissent, ne qua rusticis, qui Regii jurassent, damnum a Mosco inferretur, Mosci pro eo libenter suam sese fidem interposituros dixere. Cum vero ad arcium reddendarum rationem ventum fuisset, dictumque esset, ut Derpatum, ac reliquae munitiores arces redderentur, nec in ea re viderentur invicem Legati discrepare; petiere Mosci, ut deducendis Vladicis, ac Popis (qui sunt eorum Sacerdotes) ceterisque omnibus, ac praesertim imaginibus piis avehendis, praesidium Regum adderetur, ne in Regis Sueciae manus inciderent. Quod cum Regii non omnino concederent, Antonius, aequum esse, ut tuto deducerentur, respondit; eo magis, quod Moscis permittere nolebant, ut cohortes aliquas eo mitterent, quae suos prosequerentur: sicque finis Sessioni impositus est.

## *DIEI SECUNDAE JANUARII 1582,*

### SESSIO XIII.

Regis Legati Palatinus, et Michael Haraburda soli ea die ad conventum rediere, Alberto Radivilio domi ex morbo (ut dixerunt) manente. Cum vero Antonius de iis quaesivisset, num, si quid eo absente decerneretur, id ratum esset futurum, atque annuissent, evocati sunt Mosci; qui ab Antonio interrogati de pacis tempore, annum adhuc addidere, ut pax novem in annos duraret. Quod tempus Regii quoque admiserunt.

Deinde cum Regii, a Zamoscio praemoniti, rogassent Moscos, ut tota Livonia cederent, clausulamque in litteris inserere vellent, qua Moscos eo perducerent, ut etiamsi diserte universae Livoniae cessio non exprimeretur, id tamen posset intelligi: nec vero ambigui istius modi rationem probaret Antonius, quin potius diceret eis privatim: petite liquidissime Livoniam totam, quam ut futuros fratres videamini circumvenisse: Mosci responderunt, Nos ante quinque dies respondimus, Livonia integra, quae in Magni Ducis potestate sit, integre nos cessuros: quae vero arces in Regis Sueciae manu sunt, de iis nullum nos verbum facturos. Quod si novas subinde res comminiscentes, tempus extrahitis, annus erit, cum tractationem pacis haud absolvemus. Ac quidem Michael Haraburda, Regiorum nomine, protestatus fuerat, protestationemque eam, de qua dictum est, admitti ab Antonio petierat; ita ut ea res jam esset definita: Michaelque ipsam protestationis formulam Antonio tradiderat, quam postea repetiit, quamquam ejusdem exemplum Antonius retinuit. Id vero totum a Regiis ex instructione, chirographo, signisque Regiis obsignata factum fuerat: cum inde omnis absolvendae paci mora esset abrumpenda, si Mosci titulo, jureque Livoniae cedere voluissent.

Et Antonius quidem, dum sermones ex sermonibus sererentur, Legatis Regiis dixit: Videri sibi, quandoquidem eo res esset perducta, nec antea forsan satis mature provisa, ut arces omnes, quas Magnus Dux obtineret, fines, jusque earum omnium nominatim scripto mandari, et tradi curarent; ceteras, si quae item ad id tempus essent in manu Mosci, etiam traderent, quandocunque eas a Mosco retineri, compertum fuisset: in litteris autem operam (si vellent) adhiberent, ne Livonici Dominii titulus Magno Duci adscriberetur: ceteris rebus satis, ex animo, et ex instructione Regis fuisse prospectum.

Deinde Legati, cum inter sese de finibus Livoniae decernendis egissent, Moscique eam rem in adventum Legatorum de pacis confirmatione rejicerent: institere Regii, ut id totum

Digitized by Google

inter sese, ne qua controversiae radix restaret, constituerent. At Mosci, si quid, inquiunt, minus commode constituere potuerimus (quandoquidem fines omnes haud scimus) id ad Principes nostros referemus. Tum ut fines Plescoviae ii essent, qui fuerunt antiquitus, utraque pars consensit.

Porro quaerentibus Regiis, ut et si Sebieszum Magno Duci, ac Velisium Regi manebant, utrique tamen Principes inter sese, de earum permutatione, hoc anno agere per Legatos possent: Mosci nulla se ratione id velle in litteris de pace scribi responderunt, sed ut liquido Magno Duci Sebieszum maneret, cum item Velisium Regi libere ipsi concessissent.

Sed Regii, qui obtenta Velisio putabant se quoque universae Livoniae cessionem posse adipisci, revocata tractatione, tempus eximere coeperunt; primoque arcium numerum, ac nomina, quas Moscus adhuc retinebat, petierunt, quas Mosci illico nominarunt; deinde earum, quas Rex Sueciae cepisset; denique se cum Duce Alberto Radivilio ea de re acturos dixerunt, atque ad diem posteram Sessioni interfuturos.

## *NOMINA ARCIUM*

A MOSCO TRADENDARUM.

Lenvardt, Strovna, Asteradt, Cocenhaus, Crisbork, Borzun, Cudun, Czestvin, Luza, Reczitza, Vleca, Volodimeretz, Roroni, Goroja, Tricat, Alist, Percol, Salacz, Novogardia Livonica, Kerepietz, Derpt, Mucow, Randec, Rinhol, Conhol, Cauletz, Curslow, Lais, Tarvas, Polczew, Pajda, id est, Lapis albus, Vilian, Pernavia utraque.

## *NOMINA ARCIUM,*

QUAE IN MANU SUECIAE REGIS SUNT.

Narva, Serenescum, Adesum, Tolsczabora, Racoboz, Colivan, Pajdea, Colover, Lihover, Apsel, Viholumisa.

## *DIE V JANUARII,*

SESSIO XIV.

Ubi Legati vicissim conquesti sunt, Mosci quidem, quod Regiis rem protrahentibus, interim rustici, captivique a Polonis, et Lithuanis abducerentur, vacuaque regio circumquaque relinqueretur, et incendio absumeretur: Regii vero, quod Mosci tempus extrahentes, neque ad rem, qua de agebatur, venientes, effusi sanguinis erant causa, qui tanto magis erat effundendus, quanto magis ipsi pacis conditiones non admitterent. Addidere Regii: rusticos, et captivos haud abduci, sed in hiberna, castraque cuique militi assignata deduci.

Inde de Serenesco arce Livoniae actum est, quam Mosci a Sueciae Rege occupatam, Regii a Magno Duce retineri dicebant. Qua de re cum veritas non constaret, Regii eam sese omnino velle dixerunt, quam sese traditurus Mosci responderunt, nisi Regis Sueciae in ea praesidium fuisset.

Postea nomina uniuscujusque arcium quae adhuc in potestate Mosci sunt, repetita sunt a Regiis: earum item, quae in Regis Sueciae venerant manus. Ad extremum, cum Legati de verbis potius, quam de re litigarent, sic constitutum est, ut Mosci, quidquid in Livonia Magnus Dux haberet, id cum arcibus, pagis, agro, atque adeo rebus aliis immobilibus, ad eas pertinentibus, Regi traderent: Rex Magno Duci arces a se captas (praeter Velisium) quae quidem fuissent Magni Ducis, cum pagis, agro, rebusque aliis immobilibus, ad eas spectantibus, restitueret: interea neutri, quamdiu pacis tempus duraret, vel Mosco adversus Velisium, atque Livoniam, vel Regi adversus Lucum, Zavolociam, Neveliam, Chelmam, Sebeszum, ac Plescovienses arces esse bellum innovandum. Quae ut ab Antonii Amanuensi, et interprete scriberentur, utrique Legati petierunt.

Praeterea cum de ratione, temporeque tormentorum, Vladicarum, Poporum, imaginum ex arcibus avehendarum, Regiique exercitus ex Plescoviensi obsidione deducendi, multa contentio fuisset, ac dies ad noctem inclinasset, relata earum rerum deliberatio est in sequentis diei Sessionem.

## *DIE SMAE EPIPHANIAE*

SESSIO XV.

Cum qui Novogardiam a Magno Duce fuissent missi, ut redderent arces, inde abiissent, Regiis ea de re sciscitantibus, Mosci responderunt, alios a Magno Duce ei negotio

Digitized by Google

fuisse assignatos: itaque ubi pax coïtissev, nullam restituendis arcibus moram interpositum iri.

Deinde vero cum primum ad eas arces ventum esset a Regiis, aulicisque Magni Ducis, ex unaquaque octo dierum spacio Palatini, Vladicae, Popi, mercatores, imagines, cum eorum bonis mobilibus exirent: frumenta, et alia ejusmodi, nisi eo tempore avehi possent, redeuntibus aliquibus Moscis asportatum iri.

Omnium porro arcium, quae in Livonia Regi tradendae erant, restitutio, intra octo hebdomadas, ab ea die, decreta est; quo in spacio Regii suas Mosco item essent reddituri.

Cum vero iterum de tormentis actum esset, utrique Legati convenerunt, ut interposito jurejurando, atque osculo crucis, tormenta cum arcibus capta restituerent. Michael autem Haraburda Regis, et Mikita Bassenka Magni Ducis Secretarii, eorum tormentorum nomina, et numerum, chirographo munita, describerent, ac vicissim traderent.

Regii deinde Antonio protestati sunt, Serenescum velle sese a Moscis, quod hi (ut antea) dicerent, esse in manu Sueciae Regis.

De captivis magna rursus disceptatio fuit, Moscis negantibus pecunia, arcibusve redimendum esse Christianum sanguinem, quod Regii duas arces, Sebieszum, atque Opocam, propterea petiverant. At rursus Regiis objicientibus, Magnum eorum Ducem quondam Usviatum, et Jeserscium arces a Rege Poloniae ad captivos redimendos petivisse: ipsumque adeo Ducem non solum pro Chlebovicio nobili Lithuano tres captivos, verum etiam pecuniam, uti de aliis faciebat, voluisse. Ad extremum igitur, ut ea tota res per Legatos cum utroque Principi ageretur, constitutum est, cum Antonius, cui eam rem deferre Regii volucrant, id omnino non expedire respondisset, quippe qui (in castris expertus, Regi, qui Moscum captivum ei promiserat, non fuisse obtemperatum) judicavit, si qui a tot externis Mosci alio fuissent abducti, Magno Duci non redderentur, eam rem Pontificis Maximi nomini, ac fidei incommode cessuram.

Denique cum Mosci urgerent, ut Rex primo Legatos suos ad pacem firmandam in Moscoviam mitteret; Regii vero dicerent, sat esse, si utriusque Principis Legati ad fines utriusque ditionis, eodem tempore venientes; alteri ad Regem, ad Moscum alteri procederent, aut etiam Regis Legati Smolenscium primo venirent: nec vero Mosci hoc probarent, quod suos esse istarum rerum imperitos dicerent, nihil in ea Sessione statutum est, sed in futuram rejectum.

Eadem die, cum Magnus Dux ad Antonium, et ad suos Legatos litteras misisset, cum altera validiore Plenipotentia, id Antonio ac Regiis fuit argumento, eum de pace serio agere. Ea vero perlecta est in ipso Legatorum consessu, quae ita habebat.

## *EXEMPLUM*

SECUNDAE MAGNI DUCIS PLENIPOTENTIAE.

Divina gratia, ac clementia, qui nos praefecit in Oriente ex altissimis, quique dirigit pedes nostros in viam pacis. Hujus ergo Dei nostri in Trinitate adorandi clementia, Nos Magnus Dominus Imperator, atque Magnus Dux Joannes Basilii, totius Russiae, Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Imperator Casani et Imperator Astrachani, Dominus Plescoviae, et Magnus Dux Smolensciae, Tveriae, Iveriae, Permiae, Viatciae, Bulgariae, et aliorum, et Dominus hereditarius terrae Livoniae, etc. Stephano Dei gratia Regi Poloniae, et Magno Duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Principi Transilvaniae, et aliorum, etc. Scripsit ad nos Gregorii XIII Papae Romani Nuncius, Antonius Possevinus de pacis constitutione, ne inter nos sanguis Christianus funderetur, et bellum ut cessaret, ut Legatos nostros ex utraque parte inter nos ad unum locum mitteremus, qui praesente illo Pontificis Nuncio inter nos pacem, et foederis constitutionem constituere possent. Itaque nos propter pacem Christianam misimus Legatos nostros, Aulicum nostrum, et Praefectum Casinensem, Ducem Demetrium Petri Jeletzki; Aulicum nostrum, et Praefectum Coselnensem, Romanum Basilii Olpherium; et Notarium nostrum Mikitam Bassenka, Nicephori filium Veresczahina; et Vicenotarium nostrum Zachariam Sviaseva, ad Zapolscii Jamum, vel ad aliquem alium locum, qui aptus erit inter Porcoviam, et Zavolociam ad conventum, pacis statuendae gratia, data illis plena instructione, ut convenientes cum Legatis tuis inter nos, et te Regem Stephanum de bono opere, et de pace Christiana coram Papae Nuncio, quaecunque illi concludent, et ad pacis constitutionem ex utraque parte

Digitized by Google

constituent, litterisque foederis et crucis osculatione confirmabunt, immobiliter, secundum constitutionem illorum, tenere debeamus. Et quos tu Rex Stephane Legatos tuos ea de causa ad nos allegabis, nos litteras Legatorum nostrorum nomine nostro scribere, et signo nostro obsignare debemus, easdemque litteras osculatione nostra crucis confirmatas, per eosdem Legatos tuos ad te Regem Stephanum mittemus. Tu autem Rex Stephane eodem modo, cum ad te Legatos nostros allegabimus, easdem Constitutionis litteras nomine tuo scriptas, et signo tuo obsignatas, per Legatos nostros ad nos mittere debes. Propterea has litteras fidei Legatis nostris sub signo nostro dedimus, scriptas in dominio nostro, in aula arcis Moscvae, anno a conditione mundi Septimo Millesimo, Nongentesimo, mense Decembri, Indictione 10. Dominiorum nostrorum 47. Imperiorum nostrorum Rosiensium 35. Casani 29. Astrachani 28.

## *DIE VII JANUARII,*

SESSIO XVI.

Cum iterum Legati omnes adfuissent, tempus Legationibus ad utrumque Principem mittendis decretum est; ad Sanctissimae Trinitatis festum diem Regiis in Moscoviam; ad Beatissimae Virginis assumptionem Moscis ad Poloniae Regem. Ut vero quaestio de captivis per Legatos ipsos cum iisdem Principibus tractaretur, in idem tempus relatum est.

Tum primo latenter, deinde aperte, atque accuratissime a Moscis actum est, ut eorum Princeps in litteris hisce nominibus in primis appellaretur, Dominus Magnus Imperator, Magnus Dux, etc. Quod cum constanter Regii recusassent; Antonius autem cum saepe, tum illa, quae praecesserat, nocte a Moscis ea de re tentatus, illis id ipsum disuasisset, quod unum tantum Imperatorem Christianum agnoscerent, neque eae appellationes sine Pontificis Maximi auctoritate valerent, qui Caesari Romanorum nunquam passurus esset, ut ejusmodi injuria afferretur, Mosci ab ea petitione destitere. Ac tum, ut Tsar Casani, et Tsar Astracani scriberetur, egregie urgebant, id quod neque obtinuerunt: Regiis negantibus, Moscis asserentibus, ab Sigismundo Augusto eo nomine Moscum fuisse appellatum. Ad quae cum Antonius quaereret, cur Mosci eas-dem litteras haud attulerint, ita enim veritati gravius testimonium fuisse futurum: responderunt, id sibi excidisse; Michael autem Haraburda antiquas, ac signis munitas foederum litteras ostendit, in quibus nihil eorum nominum erat adscriptum. Sicque Sessio finita est.

## *DIE VIII JANUARII,*

SESSIO XVII.

Cum Mosci acrius iterum urgerent, ut iisdem saltem nominibus Tsar Casani, et Tsar Astrachani Magnus Dux appellaretur, ac denique negotium hoc ad Antonium referrent; Regii vero cum nihil ea de re se a Rege habuisse in mandatis dixissent, ac tum id ab eodem Antonio agi posse cum Mosco, ad quem erat rediturus: Antonius conversus ad Moscos dixit, tres super esse rationes, quibus hac de re aliquid agere se posse intelligeret. Unam, qua Regii Moscum Casani, et Astracani Dominum vocarent, quod Mosci non curare visi sunt; licet id Regii admiserunt, qui dicerent, nunquam in animum inducere potuisse Poloniae Reges, ut titulo Tartarico, vel Turcico, qualis erat ille Tsar Tartaricus a Christiano Christianus Princeps appellaretur. Alteram, ut Mosci ea de re protestationem facerent, quam sine alterutrius Principis injuria, et sine pacis fere confectae impedimento, Antonius esset admissurus: quas tamen protestationes ignorare se, nec in usu esse apud se, Mosci dixerunt. Tertiam, qua ille pollicebatur, id ea in re cum Rege, ac si opus esset, cum Pontifice Maximo curaturum, quod fidum, ac Christianum hominem deceret. Postea conquestus est cum Moscis Antonius (quando illum ad huc mirifice hac de re urgebant) quod nec Magnus Dux sibi quidquam ejus generis Stariciae mandasset, cum pleraque alia diligenter per suos Senatores secum egisset; nec vero sibi in castra ad Plescoviam scripsisset, cum litteras de aliis gravissimis rebus ad pacem spectantibus misisset; quodque Legati Mosci id eo usque abditum in pectore celassent. Itaque eorum esse culpam, si jam tempus ei rei tractandae effluxisset. Quamobrem Mosci, ut sine iis titulis Regiae litterae conficerentur, permiserunt. Haec cum acta essent, instare coeperunt, ut saltem Smolenscii, qui Magnus Ducatus olim a Moscis de Lithuanis captus, in eorum est po-

Digitized by Google

testate, titulus in litteris Mosco adscriberetur. Quod Regii constanter negarunt, dicentes, sese morem scribendi antiquum servaturos. Atque ita utrinque discesserunt.

## *DIE IX JANUARII,*

SESSIO XVIII.

Cum eam diem litteris de pace relegendis, atque emendandis Legati (absente Alberto Radivilio) impendissent, actum est, ut arcium nomina finesque de more antiquarum foederis litterarum singulatim scriberentur. Cui rei a Regiis petitae (ut fere in aliis omnibus rebus, facere soliti erant) cum Mosci adversarentur, ac generatim quidem scripturos se pollicerentur, ne Lithuania, vel Livonia contra Moscoviam, neve haec contra illas bellum gereret: urgentibus tamen tum Regiorum, tum Antonii rationibus, tandem assenserunt, nempe, se scripturos, ne quid Moscus contra ullam Lithuaniae arcem Kioviam, Kanevium, Czerkasiam, aliasque finitimas; neve contra Livonicas arces, quibus cesserat: Rex item, ne contra alias Mosci arces hostile quidpiam ageret: et fines, qui erant antiquitus, iidem utriusque Principis ditioni, arcibusque essent. Sic huic Sessioni fine imposito, sequens dies de scribendis de pace litteris fuit decretus.

## *DIE X ET XI JANUARII,*

SESSIONES.

Regii, quoniam examinandis Moscorum litteris de pace biduum illud impenderant, viderent autem in Regis, et Magni Ducis Plenipotentiis diserte contineri, ut omnia, quae ad pacem spectarent, coram Antonio agerentur, atque adeo conficerentur (quae verba nisi in litteris insererentur, invalidam eam tractationem futuram putabant) magna inter eos et Moscos fuit contentio, cui tamen Mosci denique cesserunt. Cum vero jam omnia putarentur esse confecta, Mosci ad litteras addi petiverunt, ab eorum Magno Duce non solum arces, quibus cedebat, verum etiam Rigam, et Curlandiam, quas nunquam ille possederat, Regiis tradi; ab his ita repulsi sunt, ut cum nulla ratione Mosci rationi cedere vellent, crastina die ut discederent, jussi sint. Tum Regii, per se non stare, quin Summo Pontifici justis omnibus in rebus obedirent, Antonio protestati sunt. Ac quidem eo spectasse Moscus intelligebatur, ut semper aliquid sibi restare juris ea cessione in Livonia videretur: quasi eam ad tempus decennii tantummodo traditam, quo tempore pacta fuerat pax, deinde repetere posset. Augebat suspicionem justam Regiis, quod biduum, qui ad evocandos Novogardia Palatinos tabellarius a Moscis fuerat designatus, is adhuc retinebatur, moras nectentibus, nec aliquid afferentibus, nisi quod adhuc litterae non essent confectae, de quibus nulla pene controversia restabat. At postquam abire jussi sunt, unus primo, deinde alter, denique omnes simul ad Antonium rediere: modo se ajentes non habere in mandatis, ut sine illa scriptione Rigensis traditionis pax coiret, modo se non esse ejusmodi suo sub Principe, quales ceteri sunt subditi, cum ne syllabam quidem praescripti mandati possent ipsi immutare: petere denique decem dierum tempus, quo a Mosco responsum acciperent. Ad extremum, quaerere de Antonio consilium, quid facerent. Tum Antonius (cui circuitio, illa in reliquis tractationibus usurpata, jam se prodebat apertius) veritus, quin ea omnia fierent ad exercitum Regium ea spe lactandum, et fatigandum, dixit, aut scripto pollicerentur, in omnibus, quae acta essent, sese assensuros, nil de Riga quaesituros: aut hac ipsa nocte ad Legatos Regios esse eundum, et litteris de pace lectis postridie ejus diei jurejurando pacem sanciendam: sin minus, Regios omnino abituros. Tum illi (ut solebant) velle denique facere, quidquid dixisset Antonius: nil de Riga quaesituros: noctem scribendis litteris insumpturos: unum se, Michaelem Haraburdam cupere, qui eas videat. Ad quem cum misisset Antonius, non solum is, sed Palatinus Braslaviensis ab eo, ad quem recesserant, pago, paulo post initium noctis ad Antonium rediere: qua fere tota, sicut etiam insequenti die, examinandis iisdem de pace litteris insumpta, petitum ab Regiis est (Antonio illis in memoriam revocante) num Mosci vellent in litteris inserere, ne quid rusticis, qui ad Regem defecissent, damni a Mosco, post compositam pacem, inferretur: Quod Mosci abnuerunt, sed dextera Antonio data, eidem, ac Legatis polliciti sunt, nihil iis ab suo Principe damni illatum iri: quos esse tanquam oves: et

Digitized by Google

metu, ac caede aliorum, non improbitate territos, jurejurando sese Regi obstrinxisse cognoscerent. Tum in decennium decreta pax, altero ad novennium anno addito. Mosci vero petierunt tormentorum nomina, et numerum eorum, quae essent in arcibus a Rege captis, de quibus antea fuerat actum. Quorum cum unius tantum Neveliae Catalogum deprompsisset Palatinus Braslaviensis, ac Mosci tum urgerent, ut omnium traderetur, quemadmodum ipsi omnium suorum attulerant: missi sunt, qui id celerrime procurarent: meliore quidem causa Regiis, sed minore, quam Mosci fecerant, providentia, et diligentia, non sine causae periculo, utentibus.

## *DIE XV JANUARII,*

SESSIO ULTIMA.

Cum eo biduo, quod hanc diem praecesserat, maxima iterum inter Legatos contentio fuisset, Moscis in suis saltem litteris adscribere volentibus, quas Regi arces traderent, eas sese ex Magni Ducis patria, seu terra tradere: id vero Regii fortiter abnuerent, quod dicerent, eo quasi jure illum usurum in reliqua Livonia tentanda, quam Regi haud dedisset: ab Regiis iterum jussi sunt Mosci, ut Moscvam re infecta abirent, nisi vellent ab eo proposito abstinere. Sed cum Antonium Mosci supplices rogarent, ut suam adhuc operam ea in re interponeret, Regiosque discessum comminatos rettineret: sic eo officio, quantum opus erat, functus, Moscis, ut verba illa e suis litteris eraderent, persuasit. Tum simul Legati convenientes, litteris ipsis adhuc perlectis, iisque, ac Plenipotentiis suorum Principum invicem de more traditis, ut quae erant Magni Ducis Regiis, quae hujus essent Moscis relinquerentur: schedis item de tormentorum numero, reliquisque arcium munitionibus, ab utriusque Principis Secretariis, qui conventu interfuerant, Michaele Haraburda, et Mikita Bassenca subscriptis: cum Regii ab Antonio protestationem de reliqua Livonia petiissent, pacem jurejurando, chirographo, crucis osculo, coram Antonio, in ejus hospitio, sanxerunt. Quod ad Dei gloriam sit, Amen. In Chiverova Horca, die 15 Januarii 1582.

## *CONDITIONES PACIS,*

A MAGNO MOSCOVIAE DUCE PETITAE A SER^mo POLONIAE REGE STEPHANO CONCESSAE, ET PER S^mi DOMINI NOSTRI LEGATUM TRANSACTAE IN ZAPOLSOCIAE JAMO, A. D. 1582, DIE 15 JANUARII *).

Ut Suae Majestatis exercitus, soluta Plescoviae obsidione e ditionibus Mosci deducatur.

Incendia et agrorum populationes prohibeantur.

Ut decennales induciae dentur

Ut arces in Moscovia, anno superiore captae Velicolucum, Chelma, Zavolocze, Nevelia, tum et quae hoc anno, Ostrow, Crasnyhorodec, Voronecia, Velisia, ceteraque castella ad Plescoviam pertinentia cum tormentis, et apparatu bellico, quae exustae non essent, reddantur.

In praemium horum, Magnus Moscoviae Dux, omnibus arcibus et possessionibus, quas in Livonia quocunque modo quaesitas habuit, cum tormentis bellicis et armamentariis, cum quibus eas ceperat cedit.

Non repetet arces Velisiam, Usviatum, Jezieriscze, Socolum, ceterasque bello captas, et ad Polociam spectantes.

Arces in Livonia statim ac primo loco Derpatum, Felinum, Pernavia, et Novohorodec, ex parte Mosci tradentur. Reliquae vero omnes ante proximam diem quartam Martii, quarum feries est ista. Cokenhausen, Creutzborg, Landen, Rositen, Lasen, Festen, Sessvegen, Schvantzbourg, Marienhausen, Runtzborg, Adsel, Tricaten, Marienburg, Volnur, Perchel, Sales, Stara Pernava, Ander Fikel, Margema, Cukenhaim, Leal, Lode, Hapsel, Sancta Brigitta, Fegssever, Liel, Borcholm, Neiszlos, Falcoffen, Bialy Camien, Narew, Talkinaw, Vorbeth, Kerempe, Oldentorn, Neihaus, Odempe, Sommerpal, Cavelicht, Ultzen, Cuntzteth, Randen, Ringen, Oberpolen, Lais, Tervess, Lenvarth, Asserath.

Ex parte Narvae et aliarum arcium, per Serenissimum Regem Sueciae captarum, protestati sunt Legati Serenissimi Poloniae Regis suam Majestatem; non obstante pacificatione, jus suum prosecuturum.

Ante praescriptam diem quartam Martii, ea

*) Omnes operum Antonii Possevini editiones carent hoc articulo, sed apud Joannem Lasicium (De Russ. Moscov. et Tart. ritib. etc. p. 276—278) jam exstat, unde eum desumsi et huc retuli.



Digitized by Google

quae Serenissimi Regis, tum et quae Mosci sunt, ex restituendis utrinque arcibus deduci debent.

Si quid per temporis brevitatem, deduci forte non posset, relictum sub custodia, donec deductum fuerit manere debet.

Custodes et vectores, utrinque securi esse debent.

In deducendis hominibus, tormentis ceterisque rebus, vis atque omnis dolus abesse debet.

Ad praestandum a Moscо juramentum in ratihabitionem conditionum pacis, Serenissimi Regis Poloniae oratores in Moscoviam pro die decima Junii, Oratores vero Moscovitici in Poloniam, ad quindecimam diem Augusti venire debent.

Transactio de captivis in acta ad tractationem per Oratores rejecta est.

## *PROTESTATIO*

REGIORUM LEGATORUM, AB ANTONIO POSSEVINO ADMISSA.

Cum coram me Antonio Possevino a Sanctissimo D. N. Pontifice Maximo Gregorio XIII ad procurandam pacem inter Serenissimos Poloniae Regem, et Magnum Moscoviae Ducem misso, Magni Legati Stephani, Dei gratia, Regis Poloniae, Magni Ducis Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, etc. nec non Principis Transsilvaniae, Illustres Janusius Zbaravski, Palatinus Braslaviensis, Capitaneus Crzemenecensis, et Pinscensis: Albertus Radivilius in Olica, et Niesvisz Dux, Regiae aulae in Lithuania Marszalcus, Capitaneus Covnensis: Michael Haraburda Notarius Regius in Lithuania in loco, Zapolsciae Jamo dicto, congregati fuissent, habuerunt sermones et tractationes de pace, seu foedere inter praedictum Serenissimum Regem, et inter Magnum Moscorum Ducem Joannem Basilii, cum ipsius videlicet Magni Ducis Legatis, Demetrio Petrovicio Jeletzki, locum tenente Casinscii, et Romano Vassilievicz Olpheriew, locum tenente Coselscii, cum Mikita Bassenka Notario, et Zacharia Sviasew Subnotario: Postulaveruntque Serenissimi Regis Legati suo Principi reddi arces omnes, a Serenissimo Rege Sueciae, sub Serenissimo Magno Moscorum Duce in Livonia occupatas, hoc est, Rohodzievum, alias dictam Narvam, Serenescum, Adosum, Tolsczaboram, Racobosam, Colivianum, alias dictam Revaliam, Pajsam, alias dictam Padesa, Colivirum, Lichovierzum, Abslum, Vichokumisum, ut Serenissimi Magni Moscoviae Ducis nomine Magni ipsius Legati renunciarent cunctis, et eas Serenissimo Regi traderent, institerunt. Quibus Serenissimi Magni Moscorum Ducis Legati respondentes dixerunt, nihil eis esse reliquum, quod redderent, quandoquidem Magnus eorum Dominus eas arces non possideret. Quo nomine Magni Legati Serenissimi Poloniae Regis solenniter coram me protestati sunt, et Principem suum arces omnes in Livonia sitas, quas Serenissimus Sueciae Rex teneret, recuperare velle, et debere affirmaverunt: hoc saltem cauto, ut si Serenissimo Regi cum Serenissimo Moscorum Duce de iis arcibus disceptandum esset, ut tantum de iis arcibus, quas nunc Serenissimus Rex Sueciae tenet, lis et disceptatio habeatur. Quod autem ad Poloniae Regnum, una cum Magno Ducatu Lithuaniae, atque ad reliquas omnes arces in Livonia, quaeque alibi Serenissimo Regi Poloniae subjectae sunt, attinet, ut pax, quae ab utroque sancietur in omnibus et singulis provinciis, et arcibus iis inviolabiliter servetur: et vicissim ne a Serenissimo Rege Poloniae Magnus Moscoviae Ducatus, aut aliqua arx, locusve Serenissimo Magno Moscoviae Duci subjectus propterea infestetur. Quae quidem omnia litteris pacis Serenissimi Regis Legati inseri voluerunt. Sed Serenissimi Magni Moscoviae Ducis Legati recusarunt, affirmantes eam pacem, quae et quamdiu inter Principes sancietur, jurejurando semel firmatam, inviolabiliter servari debere, sic a parte Serenissimi Regis erga Magnum Ducatum Moscoviae, ceterasque omnes provincias et arces ejusdem Magni Moscoviae Ducis, quemadmodum a parte Serenissimi Magni Moscorum Ducis erga Poloniae Regnum, et Magnum Dominium Magni Ducatus Lithuaniae, ac Livoniae, omnesque arces, ad eas, et alias Regni Poloniae provincias pertinentes. Praeterea supra memorati Legati Serenissimi Poloniae Regis, simul congregati cum supradictis Legatis Serenissimi Magni Moscoviae Ducis, coram me Antonio Possevino postularunt ab iisdem Magnis Legatis Serenissimi Magni Moscoviae Ducis, ut arcem etiam Serenescum, quae est in Livonia, Serenissimo Regi Poloniae traderent, eique perpetuo renunciarent. Ad quod Serenissimi Regis Legatorum postulatum Magni Moscoviae Ducis Legati responderunt, eam arcem Serenescum in Magni Do-

Digitized by Google

mini sui manibus aut potestate non esse ac propterea se, quod non haberent, dare non posse, sed Sueciae Regem Serenissimum eam arcem occupavisse. Qua de causa Serenissimi Poloniae Regis Legati coram me Antonio Possevino protestati sunt, eam quoque arcem Serenescum de manu vel potestate cujuscunque Serenissimum Poloniae Regem velle recuperare. Nos igitur quantum potuimus, sub beneplacito ejusdem Sanctissimi Domini nostri Gregorii XIII Pontificis Maximi ac Sanctae Sedis Apostolicae, ad effectum tantum dictae pacis, dictas protestationes admisimus, non intelligentes hac nostra protestationis admissione ulla ratione vel supradictorum Regum, et Principum, aut quorumcunque aliorum juri, si quod in supradictis locis haberent, vel praetenderent, praejudicare, aut derogare. Datum in Chiverova Horca pago, ex hospitio meo, die 15 Januarii 1582.

## *LITTERAE*

### COMPOSITIONIS PACIS LEGATORUM MAGNI MOSCOVIAE DUCIS

Dei gratia Magni Domini, Tsar atque Magni Ducis Joannis Basilii totius Russiae, Volodimiriae, Moscoviae, Novogardiae, Tsar Casani, et Tsar Astrachani, Domini Plescoviae, et Magni Ducis Smolensciae, Tveriae, Iveriae, Permiae, Viateiae, Bulgariae et aliorum, Domini et Magni Ducis Novogardiae, Nisoviensis terrae, Czernihoviae, Resaniae, Rostoviae, Jaroslaviae, Belozeriae, Livoniae, Udoriae, Obdoriae, Condimiae, Siberiae, et aliorum: Nos Magni Domini Legati, ego aulicus Magni Domini, Tsar atque Magni Ducis, et Praefectus Casinensis, Dux Demetrius Petri Jeletzki; ego aulicus Magni Domini Tsar atque Magni Ducis, et Praefectus Coselnensis, Romanus Basilii Olpherius, ego Domini Tsar atque Magni Ducis Notarius Mikita Bassenca Nicephori filius Vereszczahina; et ego Magni Domini Vicenotarius Zacharias Sviasevius, conveniebamus cum Magni Domini Stephani Dei gratia Regis Poloniae, et Magni Ducis Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae, Principis Transsilvaniae, et aliorum, Legatis, bonae constitutionis pacisque stabiliendae gratia: quoniam mittebat ad Magnum Dominum nostrum, Tsar atque Magnum Ducem Gregorii XIII Papae Legatus, Antonius Possevinus cum litteris suis hominem suum Andream Appollonium, ut a Magno Domino nostro missi Legati, ad aliquem locum una cum Regis Stephani Legatis convenientes, pacem facerent atque constituerent. Itaque nos Magni Domini, Tsar, atque Magni Ducis Legati, ego aulicus et Praefectus Casinensis, Dux Demetrius Petri Jeletzki; ego aulicus et Praefectus Coselnensis, Romanus Basilii Olpherius; ego Notarius Mikita Bassenca, Nicephori filius Vereszczahina; et ego Magni Domini Vicenotarius Zacharias Sviasevius convenientes, missi et instructi a Magno Domino nostro ad Zapolsciae Jamum, inter Porcoviam et Zavolociam, in Velicolucensi via, cum Magni Domini Stephani Regis Legatis, Duce Janusio Nicolai Coributovii Zbarascii, Palatino Braslaviense, Capitaneo Crzemenecense, et Pinscense; Domino Alberto Radivilio, Duce in Olica et Niesvisz, Marschalco Curiae Magni Ducatus Lithuaniae, Capitaneo Covnense, et Notario Magni Ducatus Lithuaniae Michaele Haraburda, constituimus foedus ad decem annos, a Baptisatione Christi anno septem millesimo nonagesimo ad eandem baptisationem Christi anno septem millesimo centesimo: ita, ut Magnus Dominus noster, Tsar atque Magnus Dux, propter bonum pacis Christianae, jusserit cedere in partem Regis ex terra Livoniae arcem Cokenhausen, arcem Scrovno, arcem Linnevardum, arcem Crutzborgum, arcem Borzunum, arcem Czestvinum, arcem Tricatum, arcem Roconum, arcem Vlodimiriolum, arcem Alistum, arcem Goviam, arcem vacuam Laudunum, arcem Salacium, civitatem Derpatum, Novogardiam Livonicam, Kerepecium, Mucovum, Randeham, Rinholum, Conhotam, Caulecium, Curslovium, Laisium, Jarvasum, Polczevium, Pajdam, id est, album lapidem, Velium, Pernaviam antiquam, et Pernaviam novam, cum omnibus bonis ad illas spectantibus, et cum pagis illarum arcium. Praeterea etiam in partem Regis Velisium; terra autem Velisii cum antiquis terminis et finibus, quemadmodum fuit Vitebsci terra cum Toropecio, terra Vitebsci cum arce Velisio, ad Vitebscium, Torepecii autem ad Torepecium. In partem vero Magni Domini nostri, Tsar et Magni Ducis illae arces, quas ex ditione Magni Domini nostri Stephanus Rex ceperat, arx Velicolucum, arx Nevelia, arx Zavolocia, atque item Rszova pusta, arx Chelma; praeterea quas arces Plescovienses ex ditione Magni Domini nostri Stephanus Rex ademit, Voronecium, Veliam, Ostroviam, Crasnam, vel si quid aliud postea ademerit Rex Stephanus



Digitized by Google

aliorum castellorum Plescoviensium, uti Vervam, vel Volodimeretz, Dubcovium, Viborecium, Vyszegrodum, Isborscium, Opocam, Godoviam, Cobilegrodiszcze, et Sebieszum. Hae omnes arces in partem Magni Domini nostri more antiquo ad Plescoviam, cum omnibus bonis, et pagis earum arcium cedant. Homines vero, tormenta et commeatus ex utraque parte, haec omnia secundum constitutionem deducenda sunt, sic, ut cum venerint Magni Domi nostri aulici, qui missi sunt in Livoniam, homines educere ex arcibus, Derpato, Novogardia parva, Pajda, Polczevia, Jarvaso, Perkela, Salacza, Pernava, et Felino, tum Regis aulici debent curare congregari equos cum rusticis Lotavis, et vehicula ad deducenda tormenta Magni Domini, quaeque ad ea adtinent, commeatum, et Vladicam Derpatensem, imagines, et ornamenta Ecclesiastica, Palatinos, et omnes homines ad deducendos illos, res, bonaque illorum, prout poterunt exportari. Ubi vero rusticos Lotavos congregaverint, et dederint Magni Domini hominibus, tum homines Magni Domini septem dierum spatio, res, et bona sua in curribus imponere debent, ab eo die, quo equos, et Lotavos dederint. Et ubi septem dierum spatio omnes res suas in curribus imposuerint, exire ex arce cum omnibus Plescoviam debent, quos Lithuani prosequi, et deducere tormenta, et homines Magni Domini Plescoviam usque debent: arces vero aulicis Regiis, qui ad accipiendas illas missi sunt, reddere debent. Ad haec et ex postremis, quas cessit Magnus Dux Regi Stephano, arcibus Livoniensibus, ex Cokenhausen, Scrovno, Linnevardo, Crutzburgo, Borzuno, Czestvino, Tricato, Rocono, Volodimerecio, Alisto, Govia, Lauduno, Golbima, Reczitza, Luza, Vlecha, Kerepecio, Mucovo, Randeha, Rinholio, Conhoto, Caulecio, et ex Curslovo praesidium, homines, tormenta, res omnes, et cibaria eodem modo cum Lotavis ad diem certum, et tempus constitutum, mensis Martii scilicet quartum diem, omnia inde deducere debent, quos Lithuani Plescoviam usque comitari debent. Tormenta vero Magni Domini in arces illas inducta, cum globis, et pulveribus ex omnibus Livonicis arcibus una cum hominibus eodem tempore deducere debent, secundum scriptum, quod ex utraque parte Legati utrinque commutarunt et acceperunt, cum subscriptione manum Notariorum. Illa autem tormenta, quae aliqua in arce capta sunt in Livonia, in iisdem relinqui debent, secundum scriptum, quod Legati utriusque partis cum subscriptione Notariorum acceperunt. Quod si vero commeatum, cibaria, vel simile aliquid una vice cum hominibus simul ex arcibus deducere non poterunt, vel si equos tam cito non collegerint, ea omnia homines Magni Domini nostri in iisdem arcibus sub sigillo suo, et custodia relinquere debent, quibus aulici Regii nullum detrimentum, vel injuriam inferre debent: imo cum secunda vice ad ea accipienda, venerint, aulici Regii remittere omnia per Lotavos Plescoviam, eodemque modo Lithuani deducere debent. Sic etiam et ex illis arcibus, quibus Magno Domino nostro, Tsar atque Magno Duci Rex Stephanus cessit ex Velicoluco, Zavolocia, item Rszova pusta, Nevelia, Chelma, et Plescoviensibus castellis, quae erant in potestate Regis Stephani, eodem modo milites Regii deduci debent, una cum tormentis, quae invexerat Rex Stephanus. Aulici vero Magni Domini, qui ad capiendas illas arces missi sunt, debent congregare subditos illarum arcium cum equis, et dare aulicis Regiis ad deducenda praesidia, tormenta, et milites prout poterunt exportare: et cum rustici cum equis congregati, et dati Regiis fuerint, eodem modo Lithuani septem dierum spatio omnem commeatum, et quidquid erit, in curribus imponentes, ex arcibus exire, et arces Magni Domini nostri aulicis, qui ad capiendas illas missi sunt, tradere debent, quique Lithuanos, tormenta, et commeatum omnem commitari, et deducere debent ex Velicoluco, Chelma, Nevelia, Zavolocia ad Oscriscium: ex Plescoviensibus vero castellis ad Novogrodcam Livonicam. Sed tormenta illarum arcium, quibuscum captae erant, relinquenda sunt in iisdem arcibus, secundum scriptum, quod datum est aulicis Magni Domini: tormenta vero, quae Rex Stephanus induxit, remitti debent, una cum militibus. Quod si una vice commeatum, cibaria, vel aliquid simile evehere non poterunt; vel si rusticos, equosve tam cito non congregaverint, residuum illum commeatum Lithuani sub sigillo suo, et custodia relinquere debent, quos postea secunda vice Magni Domini nostri aulici, congregatis rusticis, et equis, ad arces Lithuanorum remittere debent, comitatumque mittere, ut nulla vis, injuria, detrimentum, et incommodum ex utraque parte in arcibus inferatur. Quemadmodum etiam, cum Magni Domini nostri, Tsar atque Magni Ducis milites, Vladica cum imaginibus, Popis, et omnibus ornamentis Eccle-

Digitized by Google

siasticis, tum Palatini, Nobiles, Sclopetarii, Cosaci, et omnes alii ex arcibus Livonicis ducentur, his omnibus supradictis, tormentis, et thesauro Magni Domini in via Lithuani milites ipsi vel per Lotavos, vel Germanos nullam in juriam, vel damnum inferre debent, sed ita comitari, ne in via interficiantur, vel spolientur, vel vis aliqua inferatur. Et secundum has litteras constitutionis, Lithuani homines Magni Domini nostri ex arcibus Livonicis, Plescoviam usque, cum omnibus rebus integre, sine ulla injuria ducere debent: nostri vero Magni Domini homines illos Lotavos, equos, et quoscunque Regios, qui eos Plescoviam deducent quamprimum eo perduxerint, illos sine ulla detentione remittere debent, neque in via insidias struere, vel injuriam ullam inferre. Ita etiam ex illis arcibus, quas Domino nostro, Tsar atque Magno Duci Rex Stephanus cessit, cum milites, et omnis commeatus Lithuanicus ex illis ducetur; Magni Domini nostri homines in via nullum incommodum, vel injuriam illis inferre, Lithuanos non interficere, spoliare, vel tormenta, commeatumque adimere, ita ut nulla penitus illis Lithuanis injuria inferatur, sed comitari, et deducere ex iis arcibus, ad Regis Stephani arces cum equis, secundum has constitutionis litteras, debent. Hos autem homines Magni Domini nostri, qui Regis Stephani homines comitabuntur, et eos deducent, tormentaque revehent, omnes sine ulla injuria, vel retentione remittere, neque in via illos interficere, nullasque insidias illis struere debent. Et secundum hanc constitutionem Legatorum Stephanus Rex ad Magnum Dominum nostrum Legatos suos magnos missurus est, eodemque modo Magnus Dominus noster ad Regem Stephanum Legatos suos magnos mittere debet, istarum rerum crucis osculo confirmandarum causa, et secundum nostram Legatorum constitutionem litteras foederis Magnus Dominus noster, et Rex Stephanus conscribere, et inter se commutare debent. Cujus causa Legatos suos Stephanus Rex ad Magnum Dominum nostrum certo tempore missurus est, ad diem scilicet Sanctae Trinitatis, anno septem millesimo, nonagesimo, Magnus vero Dominus noster, ad Assumptionis Beatae Mariae Virginis Dei genitricis festum, eodem anno septem millesimo, nonagesimo. Itaque, donec Legatio absolvetur, inter Magnum Dominum nostrum, et Regem Stephanum, cum Legati Regii apud Magnum Dominum nostrum fuerint, hocque jurejurando, et crucis osculo confirmaverint: cum etiam Magni Domini nostri Legati apud Regem Stephanum erunt, idemque illic jurejurando, et crucis osculo confirmabunt, per id omne tempus, ad praefinitos usque decem annos, bellum ex utraque parte geri non debet. Et inprimis Magnus Dominus noster Tsar atque Magnus Dux in ditiones Regis Stephani ipse cum exercitu suo procedere, Senatores, et Palatinos cum militibus mittere, et loca occuparc, aut capere, ullasque injurias et detrimenta in finibus, in omnibus locis ditionis Regis Stephani, inferre non debet: ita ut neque dissidia, nec bella inde oriantur; praesertim hoc pacis tempore non obsidere, aut obsidione cingere arcem Kioviam, cum omnibus bonis, et pagis: arcem Canevium, cum pertinentibus: arcem Czercassum, cum pertinentibus: arcem Zitomirum, cum bonis suis: arcem Ovrucium, cum pagis: arcem Linbecium, cum pagis: arcem Homiam, cum pagis, et pertinentibus: Voronecium, Jelesovium, Jerenicium, Coselevalesam, Morosovicium, Lipnicium, Polesanum: arcem Turovam, cum pertinentibus: arcem Moseram, cum pertinentibus: praeterea Besiczum, Brachinum, Reczitzam, Horvolum, Streszinum, Cziczerscum, Propojscum, Mohilevium, arcem Mscislaviam, cum pertinentibus, et bona Cotloviensia, arcem Criczeviam, cum pertinentibus, arcem Dobrovnam, cum pertinentibus, et bona Horscium, et Romana: arcem Orszam, cum pertinentibus, et pagos Lobaviczum, Miculina: arcem Vitebscium, et pagos Brusam, et Dreczyclug: arcem Suraszum, et pagos Surasenses: Usviatum, et Oscriscium, arcem Velisium, arcem Polociam, cum castellis, pagis, et bonis pertinentibus: arcem Copiam, arcem Crasny, arcem Ulam, arcem Jurovlam, arcem Drissam, arcem Copcum, et Desna, arcem Cesianum, arcem Sitnam, arcem Neszczerdum, arcem Socolum, et ad Polociam pertinentia: arcem Lucomliam, cum pagis: arcem Bielmacow, cum pagis: arcem Usaczam, arcem Lobedcam, et Polocenses pagos, Mosnicovium, Neporotovicium, Verbilovam, Slobodam, Cubcium, Viasmam, Clinum, Zamosnum, Iscium, Nevedreum, et Horodiszczum, Creczetam in lacu Othulovio sitam: Nacuhonum, cum pertinentibus: arcem Drujam, cum pertinentibus: arcem Iscavum, cum pertinentibus. Adhaec Magnus Dominus noster, Tsar, atque Magnus Dux Joannes Basilii Russiae, nulla bella, impedimenta, et injurias inferre, neque adversus Cur

Digitized by Google

landiae terram bellum gerere debet; nec non arces in terra Livoniae, arcem Rigam majorem, et arcem Rigam minorem, arcem Dalenum, arcem Kircholmum, arcem Cokenhausen, arcem Scrovno, arcem Linnevardum, arcem Crutzborgum, arcem Ixculum, arcem Radohosium, arcem Dunomundam, arcem Ivesum, tres arces Cremonum, item Juraniam, Trejdenum, Ziguoldum, arcem Sonselum, arcem Nitovam, arcem Jurenborgum, arcem Narvium, arcem Rosenbecum, arcem Rosenum, arcem Lemsinum, arcem Mojanum, arcem Litoperum, arcem Kesiam, arcem Orliam, arcem Nieuhenam, arcem Pebalgum, arcem Scvinam, arcem Zerbenum, arcem Smilitinum, arcem Borzunum, arcem Czestvinum, arcem Tricatum, arcem Rovny, Horodisczum, Laudunum, Horodisczum, Holbinam, arcem Reczitzam, arcem Lusum, arcem Ulechum, arcem Volodimericium, arcem Hisenum, arcem Pletenbergum, arcem Alistum, arcem Vekelum, arcem Novogrodcam Livonicam, arcem Kerepecium, arcem Goviam, Curslovium, arcem Jurienum, Mucovum, Randecum, Rinholum, Conhotum, Caulecium, Laisium, Borcholmum, Polczeviam, Pajdam, Vilianum, Jarvasum, Pernaviam antiquam, et Pernaviam novam. Fines autem omnium arcium iidem, ut antiquitus fuere, esse, et permanere debent. Eodem modo etiam Magnus Dominus Stephanus, Dei gratia, Rex Poloniae, et Magnus Dux Lithuaniae, ipse cum exercitu suo contra Magnum Dominum nostrum, Tsar, atque Magnum Ducem Joannem Basilii Russiae, et terram, dominiaque ipsius bellum gerere, Senatoresque et Palatinos cum militibus mittere: loca denique in Dominio Magni Domini nostri occupare, vel oppugnare, et finitimis nullam injuriam, detrimentumve hoc pacis tempore inferre non debet: neque bellare, vel impedire Magni Domini nostri terram Moscoviae totam, et Novogardiam Magnam, pagos, et ad eandem pertinentia: arcem Plescoviam, et castella Plescoviensia: Opocam, Crasnam, Ostroviam, Veliam, Voronecium, Isborscum, Udovam, Cobilium, Urnam, Dubcoviam, Vyszehorodum, Volodimerecium, et pagos Plescovienses, cum terra Plescoviensi tota, arcem Sebieszum, cum pagis, arcem Tveriam, terramque Tveriensem totam, arcem Perejaslavum Resaniensem, et Resaniensem terram totam, arcem Pronscum, terramque ipsius non vastare, neque illi bellum inferre debet. Praeterea idem Magnus Dominus Stephanus Dei gratia, Rex Poloniae, et Magnus Dux Lithuniae, et has arces Magni Domini nostri eodem pacis tempore infestare non debet: arcem Kilsca, cum pagis: arcem Putivlam, cum pagis: arcem Novogardiam Severiensem, cum pagis: arcem Radohosczum, cum pagis: arcem Czernihovium, cum pagis: arcem Starodubum cum pagis: arcem Poczepam, cum pagis: arcem Poczepovyhory, cum pagis: pagosque Sulesium, Babocium, Svetilovicium, Holodnum, Scarbovicium, Lapecium: arcem Caraczevium, cum pagis, pagosque Chotemliam, Snoroscium, Chorobovium, Milinium, Dracovium: arcem Trubczescum, cum pagis: arcem Moszajscum, cum pagis: arcem Serpaicum, cum pagis, pagosque Zamosam, Jucharczevam, Dusnam, Dominicium, Pohostum, Moszczinum, Demenum, Horodenum, Vrepejetum, Snopohum, Covilnum, Sariam, Lasorevam, Horodiszczam, Blesevicium, Lubunum, Danilovicium: arcem Branscam, cum pagis, pagosque Solovicios, Pricladnevium, Pancinum, Theodorevium, Osovicum, Copinicium, Suchozium, Vseslaulium, Doronnium, Zernium: arcem Roslauliam, cum pagis: arcem Smolenscium, cum itineribus, pagis, et omnibus pertinentibus, pagosque Jelovcium, Bolvanicium, Lasorevszczinum, Pustossielium, Romanovium, Copotcovicium, Molechnam totam, et quidquid ad eam pertinet. Et Petrovii Derzaviam, Lotovam, Zverovicium, Dubrovienscii Putium, Catinum, Caspliam, Dorecziam, Radiszczuniam: arcem Mszczenscum, cum pagis: arcem Opacoviam, cum pagis, pagosque Zalidoviam, Nedothodoviam, Biscovicium, Liczinum: arcem Viasmam, pagosque ad illam spectantes: arcem Drohobuszum, et pagos ad eam antiquitus pertinentes: arcem Boliam, cum omnibus bonis ad eam spectantibus, Verchovia, et Bolsovia, et Septovio, et Monimdova Sloboda: arcem Velicolucum, et pagos Velicoluccuses, Dolisiam, Boresaniam, Usviatum, Lovcium, Vysznievolocum: arcem Chelmam, et pagos ad illam pertinentes, Velilam, Lopasticam, et Buicium: arcem Zavolociam, Rszovam pustam et Rszovenses pagos: arcem Noveliam, arcem Toropecium, et omnes pagos Toropecienses, Dancovium, Luibutum, Dubnum, Rosnum, Turum, Biberovam, Starczoviam, Nezelscium, Plavetscium, Zezetscium, Osereciam, Casarinovszczinam. Fines autem his omnibus arcibus ii, qui antiquitus fuerunt, esse debent: et haec omnia ex utraque parte, secundum has constitutionis litteras nostras, et nostrum juramentum, crucisque osculum, firmiter, et inviolabiliter servari debent, quodque ipsi crucis

Digitized by Google

osculo confirmantes, et litteras pacis commutantes, hoc foedus ita tenere debent. Legatis vero, qui a Magno Domino Stephano Rege, ad Magnum Dominum nostrum Tsar atque Magnum Ducem mittentur, venire, et redire ad Regem Stephanum, sine ulla retentione, cum omnibus hominibus, et bonis ipsorum secundum litteras patentes Magni Domini, liberum erit. Et quando ad Magnum Dominum nostrum Stephanus Rex Legatos suos miserit, tum Stephanus Rex illis Legatis suis plenam instructionem de captivis liberandis, et qui sunt in Lithuania captivi Magni Domini nostri, quomodo liberari debeant, dare tenebitur. Quod si aliqua injuria, inter finitimos incolas interea temporis ex utraque parte orta fuerit, tum Palatini, et locum tenentes Praefecti, ubique in finitimis arcibus, per omnes ditiones ex utraque parte, intra id temporis spatium de illis injuriis invicem mitti, qui justitiam ex utraque parte administrare, et malos punire debent. Supra haec omnia nos Magni Domini, Tsar, atque Magni Ducis Joannis Basilii Russiae, Legati, ego aulicus et Praefectus Casinensis, Dux Demetrius Petri Jeletzki: ego aulicus, et Praefectus Coselnensis, Romanus Basilii Olpherius: ego Notarius Magni Domini, Mikita Bassenca Nicephori filius Vereszczahina: et ego Magni Domini Vicenotarius, Zacharias Sviasevius, cum Magni Domini Stephani, Dei gratia Regis Poloniae, et Magni Ducis Lithuaniae Legatis, Duce Jamsio Nicolai Zbaraski, Palatino Braslaviense, Capitaneo Crzemeneccense, et Pinscense: Domino Alberto Radivilio, Duce in Olica, et Niesvisz, Marschalco Curiae Magni Ducatus Lithuaniae, Capitaneo Covnense: et Notario Magni Ducatus Lithuaniae Michaele Haraburda, pacem conclusimus, et litteras constitutionis conscripsimus, signaque nostra iisdem subappendimus, litterasque vicissim accepimus, et crucis osculo confirmavimus. Praeterea quoque crucem super his omnibus osculati sumus, quod praeter has constitutionis litteras inter Magnum Dominum nostrum Tsar, atque Magnum Ducem, et Magnum Dominum Stephanum Poloniae Regem, et Magnum Lithuaniae Ducem, res aliter fieri non debent. Et de hac pacis constitutione conclusionem fecimus, et crucis osculo confirmavimus, coram Legato Gregorii Papae XIII Antonio Possevino. Scriptum in Jamo Zapolsciae, anno septem millesimo, nonagesimo, mense Januario.

## *SUBSCRIPTIO CUM SIGILLIS.*

Ego Magni Domini, Tsar, atque Magni Ducis Notarius, Mikita Bassenca Nicephori, filius Vereszczahina, has constitutionis litteras manu mea subscripsi.

Ego Vicenotarius Magni Domini, Zacharias Sviasevius, has constitutionis litteras manu mea subscripsi.

Et scriptae hae constitutionis litterae in duobus foliis conjunctis, conglutinatis, infraque scriptum: Notarius Bassenca Vereszczahina.

## *LITTERAE*

### COMPOSITIONIS PACIS LEGATORUM SERENISSIMI POLONIAE REGIS.

Nos Magni Domini Stephani, Dei gratia, Regis Poloniae, et Magni Ducis Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae, Principis Transsilvaniae, et aliorum, Legati, Dux Janusius Nicolai Coributovicza, Zbaraski, Palatinus Braslaviensis, Capitaneus Crzemeneccensis, et Pinscensis: Albertus Radivilius Dux in Olica, et Niesvisz, Marschalcus Curiae Magni Ducatus Lithuaniae, Capitaneus Covnensis, et Michael Haraburda, Secretarius Regiae Majestatis Magni Ducatus Lithuaniae, secundum mandatum Magni Domini nostri convenimus cum Magni Domini Joannis Basilii, Dei gratia, Domini Russiae, et Magni Ducis Volodimeriae, Moscoviae, Novogardiae, Casaniae, Astrachaniae, Plescoviae, Iveriae, Tveriae, Permiae, Viatciae, Bulgariae, et aliorum, Legatis, aulico et Praefecto Casinense, Duce Demetrio Petri Jeletzki, aulico et Praefecto Coselnense, Romano Basilii Olpherio: Notario Mikita Bassenca, Nicephori filio Vereszczahina, Vicenotario Magni Domini Zacharia Sviaseva, de pace, et bona collocutione. Miserat enim ad Magnum Dominum Joannem Basilii, Dei gratia, Dominum Russiae, et Magnum Ducem, Sanctissimi Papae Romani Gregorii XIII Legatus, R. P. Antonius Possevinus cum litteris hominem suum Andream Appolonium, ut cum Magno Domino nostro Stephano Rege, et Magno Duce, missis ad aliquem locum Legatis suis, pacis constitutionem faceret. Itaque nos Magni Domini Stephani Regis Legati, Janusius Nicolai Zbarascius, Palatinus Braslaviensis, Albertus Radivilius,

Digitized by Google

Marschalcus curiae, et Mic ael Haraburda Notarius, convenientes in Jamo Zapolsciae, inter Porcoviam, et Zavolociam, in Velicolucensi via, cum Magni Domini Joannis Basilii, Dei gratia, Domini Russiae, et Magni Ducis Legatis, aulico et Praefecto Casinense, Duce Demetrio Petri Jeletzki, aulico et Praefecto Coselnense, Romano Basilii Olpherio, cum sociis, foedus ad decem annos, a Baptisatione Christi anno septem millesimo, nonagesimo, ad idem festum Baptisationis Christi anni septem millesimi centesimi, super his sanximus: Quod Magnus Dominus noster Stephanus Rex propter pacem Christianam jusserit cedere Magno Domino Joanni Basilii Domino Russiae, et Magno Duci arces, quas Magnus Dominus noster a Domino, et Magno Duce ceperat, arcem Velicolucum, arcem Neveliam, arcem Zavolociam; item Rzovampustam, arcem Chelmam, cum omnibus pagis, et a'iis ad illas arces pertinentibus: et Plescoviensia castella, Voronecium, Veliam, Ostroviam, Crasnam, et quidquid nunc Magnus Dominus noster ex arcibus Plescoviensibus acceperit, uti Vieviam, Volodimericium, Dubcovium, Vyszegrodum, Viborecium, Isborscium, Opocam, Gdoviam, Cobilegrodiscium et Sebieszum, hae omnes arces in partem Magni Domini et Magni Ducis, more antiquo, ad Plescoviam pertinere debent. Et in partem Magni Domini nostri Stephani Regis Poloniae, et Magni Ducis Lithuaniae, Magnus Dominus Joannes Bsilii, Dei gratia, Dominus Russiae, et Magnus Dux, jussit Legatis suis cedere in terra Livoniae arcem Cokenhausen, arcem Scrovnam, arcem Linnevardum, arcem, Crutzborgum, arcem Borzunum, arcem Czestvinum, arcem Tricatum, arcem Rovnum, arcem Volodimericium, arcem Alistum, arcem Hoviam, Horodisczum, Laudunum, Horodisczum, Holbinum, arcem Reczitzam, arcem Lusum, arcem Vlechum, arcem Percolam, arcem Salaczum, arcem Jurjevum, alias Derpatum, Novogardiam Livonicam, Kerepecium, Mucoviam, Randecum, Rinholiam, Conhotum, Cauletam, Cursloviam, Laiszum Tarvasum, Poloceviam, Pajdam, alias album lapidem, Vilianum, Pernaviam antiquam, et Pernaviam novam, cum omnibus bonis, ad eas pertinentibus. Praeterea in partem Magni Domini nostri Velisium cessit, una cum Vitebscii terra, cum arce Velisio ad Vitebscium, et terra Toropecii ad Toropecium ipsum. Terrae autem Velisii antiqui fines esse debent, sicut erant terrae Vitebscii cum Toropecii terra. Homines vero, et tormenta, commeatusque ex arcibus utriusque partis deducenda sunt secundum constitutionem: ita ut cum venerint illuc Aulici Magni Domini nostri, qui Velicolucum, Neveliam, Zavolociam, item Rszovampustam, Chelmam, et ad Plescovienses arces, quae sunt in potestate Magni Domini nostri, ad deducendos homines, milites, tormenta, quae Magnus Dominus noster illuc induxit, et omnem commeatum missi sunt: tum Magni Domini, et Magni Ducis aulici missi ad accipiendas illas arces ab aulicis Magni Domini nostri, congregatis equis, et curribus, eos aulicis Magni Domini nostri ad avehenda tormenta, pulveres, et globos commeatumque omuem, milites, Palatinos, et universos homines illos, et bona illorum, prout exportari poterunt, dare debent. Et cum rustici cum equis congregati, et dati fuerint, tum homines Magni Domini nostri septem dierum spatio ab eo die, cum currus dati fuerint, in eosdem omnia imponere, et post septem dies ex arcibus exire, arces vero et tormenta Magni Domini, et Magni Ducis aulicis missis ad accipiendas illas reddere debent: qui acceptis arcibus, homines Magni Domini nostri, et tormenta ex arcibus Velicoluci, Chelma, Nevelia, Zavolocia, ad arcem Magni Domini nostri Oseriscum, ex Plescoviensibus vero arcibus ad Novogardiam Livonicam comitari, et deducere debent. Tormenta vero vetera, quae in arcibus iis, cum captae sunt, fuerunt, relinquenda, et reddenda sunt cum arcibus Magni Domini, et Magni Ducis aulicis, secundum scripta aulicis data. Invecta vero tormenta, quae Magnus Dominus noster in easdem arces induxit, deducenda sunt una cum hominibus, secundum scripta, quae Legati vicissim inter se cum subscriptione manuum Notariorum commutarunt. Quod si aliquem commeatum, cibaria, vel aliquid simile ex arcibus una vice ob penuriam hominum, vel equorum evehere non poterunt, id residuum quidquid restabit, hominos Magni Domini nostri sub sigillo suo, et custodia in iisdem arcibus relinquere, Magni vero Domini, et Magni Ducis homines huic custodiae, commeatuique nullam injuriam, damnumque inferre, sed secunda vice Magni Domini, et Magni Ducis aulici, congregatis rusticis, et equis, commeatum illum, et quicquid relictum fuerit, ad arces Magni Domini nostri Oseriscum, et Novogardiam Livonicam remittere, et deducere debent. Eodem modo et ex illis arcibus, quas

Digitized by Google

Magno Domino nostro Magnus Dominus, et Magnus Dux cessit, cum venerint aulici Magni Domini, et Magni Ducis, missi ad deducendos ex arcibus Livonicis homines, ex Derpato, Novogardia Livonica, Pajda, Polczevo, Tarvaso, Laiso, Percolia, Salaczo, Pernavia, Vilia, tum Magni Domini nostri aulici rusticos Lotavos, cum equis, et curribus ad deducenda Magni Domini, et Magni Ducis tormenta, pulveres, globos, commeatum, Vladicam Derpatensem, imagines, et ornamenta Ecclesiastica, Palatinos, et omnes homines, illorumque bona, ut poterunt, exportari, congregare debent. Et cum jam rusticos et equos congregaverint, tum Magni Domini, et Magni Ducis homines ab eo die, quo equi dati fuerint, septem dierum spatio, omnia curribus imposita ex illis arcibus cum omnibus rebus suis Plescoviam ire, arcesque Magni Domini nostri aulicis ad accipiendas illas missis tradere, nostri autem Magni Domini homines, Magni Domini, et Magni Ducis tormenta, et homines cum omnibus bonis illorum Plescoviam commitari, et deducere debent. Deinde ex ultimis arcibus Livonicis, quas Magnus Dominus, et Magnus Dux, Magno Domino nostro Regi, et Magno Duci cessit, uti ex Cokenhausen, ex Scrovno, Lenvardo, Crutzborgo, Borzuno, Czestvino, Tricato, Rovno, Volodimerico, Alisto, Govia, Lauduno, Holbino, Reczitza, Luza, Vlecho, Kerepecio, Mucovia, Randeho, Rinholia, Conhoto, Cauleto, et Curslovia, homines, et commeatum omnem eodem modo cum rusticis Lotavis ad tempus certum, ad diem quartam mensis Martii deducere, et evehere debent. Quos Magni Domini nostri homines, tormenta, homines, et omnia comitari, et deducere Plescoviam usque debent, tormenta vero invecta, pulveres, et globos ex iisdem arcibus Livonicis, una cum hominibus, eodem tempore secundum scripta, quae inter se vicissim Legati acceperunt, cum subscriptione manuum Notariorum, Magni Domini, et Magni Ducis Notarii Mikitae Bassenca Vereszczahina, et Zachariae Sviasevii Vicenotarii, Magni vero Domini Regis, et Magni Ducis Notarii Michaelis Haraburdae deduci debent. Sed illa tormenta, cum quibus arces Livonicae captae sunt, secundum scripta, quae itidem Legati vicissim inter se cum subscriptione manuum Notariorum acceperunt, in iisdem arcibus Livonicis relinquenda sunt. Quod si una vice aliquos commeatus, ob rusticorum, vel equorum penuriam, ex istis arcibus evehere non poterunt, hos Magni Domini, et Magni Ducis homines in iisdem arcibus, cum obsignatione, et custodia relinquere, Magni autem Domini nostri homines huic commeatui, custodibusque nullam injuriam, vel damnum inferre, sed secunda vice iidem Magni Domini nostri homines illos Magni Domini, et Magni Ducis hominum commeatus comitari, et Plescoviam usque deducere debent. Insidiae autem, injuriae, detrimenta, et damna in omnibus arcibus ex utraque parte fieri non debent, cum homines Magni Domini, et Magni Ducis ex arcibus Livonicis, Vladicam Derpatensem cum imaginibus, et omnibus ornamentis Ecclesiasticis, Popos, et pertinentia ad Ecclesias, Palatinos, et filios nobilium, sclopetarios, Cosacos, et universos homines evehere, et educere incipient. His omnibus supradictis, Vladicae et aliis in via Magni Domini nostri homines nullam injuriam, damnum, incommodumve inferre: sed ne per Lotavos, vel Germanos interficiantur, vel spolientur, curare debent. Secundum has constitutionis litteras, Magni Domini nostri Regis, et Magni Ducis homines, et tormenta, ex arcibus Livonicis deducta, Plescoviam comitari, et per eosdem Lotavos deducere debent. Hos vero homines Magni Domini nostri, qui eos comitabuntur, et Lotavos, qui illos Plescoviam ducent, quam primum Plescoviam attigerint, sine ulla retentione iterum remittere, nec injuriam, damnumque illis inferre, nec interficere, vel insidias illis struere debent. Eodem modo illis Magni Domini nostri hominibus cum ex his arcibus, quas Magnus Dominus noster Rex, et Magnus Dux, Magno Domino, et Magno Ducí cessit, ducentur, nulla injuria, vel damnum in via a Magni Domini hominibus inferri; et nec interficere illos, neque spoliare, nec tormenta auferre, nullumque penitus illis incommodum inferre debent; sed comitari, et deducere illos ad Magni Domini nostri, et Magni Ducis arces, secundum has constitutionis litteras debent; et illos quicunque comitabuntur, et ducent Magni Domini nostri homines, iterum sine ulla offensione, vel injuria, ut in via damnum aliquod illis non inferatur, neque interficiantur, remittere debent. Et secundum hanc nostram constitutionem, Magnus Dominus noster Rex, et Magnus Dux, ad Magnum Dominum, et Magnum Ducem Legatos suos magnos missurus est; eodemque modo Magnus Dux ad Magnum Dominum nostrum Legatos suos magnos, ejus rei crucis

Digitized by Google

osculo confirmandae causa, mittere debebit. Secundum has nostras constitutionis et foederis litteras Magnus Dominus noster Rex, et Magnus Dux, cum Magno Domino, et Magno Duce vicissim commutare debet: Legatosque suos Magnus Dominus noster, ad Magnum Dominum, et Magnum Ducem missurus est, ad tempus et diem certum, festum scilicet Trinitatis Sanctissimae proxime futurum, anno septem millesimo nonagesimo, et Magnus Dominus atque Magnus Dux eodem modo Legatos suos mittere debet ad Magnum Dominum nostrum, ad tempus, et diem certum, nempe Assumptionis purissimae Dei genitricis futurum festum, eodem anno septem millesimo nonagesimo. Et quousque Legatio inter utrumque Magnum Dominum absolvetur, et a Magnis Dominis crucis osculo confirmabitur, per id omne tempus (ut et postea ad constitutos usque decem annos) bellum ex utraque parte geri non debet. Qua propter ipse Magnus Dominus noster Rex Polouiae, atque Magnus Dux Lithuaniae, contra Magnum Dominum Joannem Basilii, Dei gratia, Dominum Russiae, et Magnum Ducem, terram, et dominia ipsius bellum gerere non debet; ipse cum exercitu non procedere; neque Senatores, et Palatinos suos mittere: loca non occupare, nec possidere: in finibus denique bellum, et discordias non movere, nullasque injurias inferre: non bellare, neque impedire, per omne id foederis tempus, Magni Ducis Moscoviae terram totam, Novogardiam Magnam, et pagos Novogardienses, terramque Novogardiensem totam: arcem Plescoviam, et castella Plescoviensia, Opocam, Crasnum, Ostroviam, Veliam, Voronecium, Isborscium, Gdoviam, Cobiliam, Vreviam, Dubcoviam, Vyszehorodum, Volodimericium, et pagos Plesoovienses, terramque Plescoviensem totam: arcem Sebieszum, bonaque Sebieszensia, arcem Tveriae, et terram Tveriensem totam: arcem Perejaslauliam Resaniensem, et terram Resaniae totam, arcem Pronsciam, et Pronsciae terram totam. Sic nec bellare, neque aliqua re impedire debet Magnus Dominus noster Rex Poloniae, et Magnus Dux Lithuaniae Stephanus has arces Magni Domini Joannis Basilii, Dei gratia, Domini Russiae, et Magni Ducis, toto foederis tempore, arcem Rylsciam, cum pertinentibus: arcem Putivliam, cum pagis: arcem Novogrodcam Severiensem, cum pagis; arcem Radohoscium, cum pagis; arcem Czernihoviam, cum pagis; arcem Starodubum, cum pagis; arcem Pojam, cum pagis; arcem Popevihoriam, cum pagis: pagosque Zalessiam, Babicium, Svetilovicium, Holodnam, Scarboviczum, Lapicium; arcem Caraczeviam, cum pagis: pagosque Chotimbium, Snoviam, Choroborum, Mglinum, Drocoviam: arcem Trubczevscum, cum pagis: arcem Moszajscium, cum pagis: arcem Serpiscium, cum pagis, pagosque Zamosnum, Juchaczeviam, Degnam, Hominicium, Pohosticiam, Moszczinam, Horodecznam, Vzipericium, Snopotum, Covilnum, Sujam, Lasarevam, Herodiszsczam, Blicevicium, Cubolovicium, Danilovicium: arcem Branscium, cum pagis, pagosque Solovicios, Pricladnam, Pacinam, Isidorovnam, Osovicum, Copinicium, Jucharum, Vsieslaulum, Voronium, Zirinum: arcem Roslaviam, cum pagis: arcem Smolenscium, cum itineribus, pagis, et bonis pertinentibus, pagosque Jelovcium, Bolvanicium, Lasarevsczinam, Pustosieliam, Romanoviam, Copotcovicium, Molochnam, et ad eos pertinentia, et Petrovii Dzersaviam, Cutoviam, Isucreviciam, Dubrovienrsem, Putiam, Catinam, Caspariam, Poreczam, Radisciczicejam: arcem Mscenscum, cum pagis Horodiszczum, Dmitrovicium: arcem Mesczescum, cum pagis; arcem Opoconam, cum pagis, pagosque Zalidoviam, Niedochoviam, Biscovicium, Liczanam: arcem Viazmam, pagosque Viazmae: arcem Drohobusziam, et pagos Drohobusziae, quodque antiquitus ad illam spectat: arcem Belam, cum pagis, et Verchoviam, et Bolszeviam, Soptoviam, Monovidoviam, Slobodam, arcem Velicolucum, pagosque Velicolucenses, Dolicam, Beresajam, Usviatovcum, Desaam, Volocam: arcem Chelmam, pagosque illius, Velilam, Lopascicam, et Buccam: arcem Zavolociam, item Rszovam pustam, et pagos Rszoviae, arcem Neveliam: arcem Toropeciam, et omnes pagos Toropeciae, Daucoviam, Lubutam, Dubnam, Rosnam, Ihuram, Bibiumam, Starcoviam, Nizelsciam, Plavitsciam, Zizetsciam, Osereciam, Casarinoviam. Fines autem omnibus arcibus, more antiquo, ut ante fuerunt, esse debent. Eodem etiam modo Magnus Dominus Joannes Basilii, Dei gratia, Dominus Russiae, et Magnus Dux ipse contra Magnum Dominem nostrum Stephanum, Dei gratia, Regem Poloniae, et Magnum Ducem Lithuaniae, et omnia dominia, et terram ipsius, exercitum suum cum Senatoribus, vel Palatinis mittere, locaque et bona occupare, et possidere non debet: nec in finibus ullibi locorum pugnare: neque injuriam et damnum, impedimentaque

Digitized by Google

facere hoc foederis tempore contra totam terram, et arces ejus: uti contra Kioviam, cum bonis, et pertinentibus ad eam: arcem Cauevіam, cum pertinentibus: arcem Czercassum, cum pertinentibus: arcem Zitomerum, cum pertinentibus: arcem Liubeczum, cum pertinentibus: arcem Homiam, cum pertinentibus, et pagos Uvarovicium, Telesovicium, Tereniczum, Coselevalesum, Morosovicium, Lipinicium, Polesanum: arcem Turovam, cum pertinentibus: arcem Mosyrum, cum pertinentibus, bonaque Besichum, Brachiniam, Reczitzam, Horvoliam, Streszinum, Cziczerscum, Propojscum, Mohilevum, arcem Mscislaviam, cum pertinentibus, pagosque Chotlaviciae; arcem Criczeviam, cum pertinentibus, arcem Dubrovnam, cum pertinentibus, bonaque Horscium, et Romanova; arcem Orsam, cum pertinentibus, pagosque Lubavicium, Miculinum: arcem Vitebscium, pagosque Drusam, Dreczidlug; arcem Suraszum, pagosque Surasiae, Usviatum, Oseriszczum: arcem Velisium, et arcem Polociam, cum suis arcibus, et pagis: arcem Copiam, arcem Crasnum, arcem Ulam, arcem Turovliam, arcem Drissam, arcem Copcam, et Dzisnam, arcem Cosianam, arcem Sitnam, arcem Neszczerdum: arcem Socolum, et ad Polociam pertinentia: arcem Lucoliam, cum pagis: arcem Bielmacoviam, cum pagis: arcem Ussaczam, arcem Liebedcam, et Polocenses pagos, Nosnicovium, Nieporotovicium, Verbilovam, Slobodam, Cubcum, Vismam, Clinum, Zamosnum, Iscium, Nevedrium, et Horodisczum, Creczetum in Otulovo lacu situm: arcem Diviam, cum pagis, arcem Icasvam cum pertinentibus. Praeterea Magnus Dominus Joannes Basilii, Dei gratia, Dominus Russiae, et Magnus Dux non debet pugnare, nulloque modo impedire Curlandiae terram totam, arcesque in terra Livoniae, arcem Rigam majorem, arcem Rigam minorem, arcem Dalenum, arcem Kirchholmum, arcem Cokenhausen, arcem Scrovnam, arcem Linnevardum, arcem Crutsborgum, arcem Ixculum, arcem Radopsum, arcem Dunemundam, arcem Ivesum, tres arces Cremonum, item Turajnam, Trejdenum, Zegualdum, arcem Zonselum, arcem Nitovam, arcem Jurenborgum, arcem Narvejum, arcem Rosenbecum, arcem Rosenum, arcem Lemsinum, arcem Mojanum, arcem Letoperum, arcem Kiesiam, arcem Orliam, arcem Nieuhenam, arcem Pebalgum, arcem Sevinam, arcem Serbenum, arcem Smiltinum, arcem Borzunum, arcem Czestvinum, arcem Tricatum, arcem Rovnam, arcem Sczalendunum, arcem Sczaholbinum, arcem Reczitzam, arcem Lusam, arcem Vlechum, arcem Volodimericium, arcem Ilisenum, arcem Plettenbergum, arcem Alistum, arcem Vekerum, arcem Vekeliam, arcem Novogardiam Livonicam, arcem Kerepecium, arcem Goviam, et Curslovum, arcem Derpatum, Mucovum, Randehum, Rinholam, Conhotum, Cauletum, Laiszum, Borholmum, Polczeviam, Pajdam, Viliam, Jarvasum, Pernaviam antiquam, et Pernaviam novam. Fines autem omnibus arcibus debent esse, ut antiquitus fuerunt. Et haec omnia firmiter ex utraque parte teneri debent, secundum has nostras constitutionis litteras, nostrumque crucis osculum: et quando haec crucis osculo confirmabunt, litterasque foederis vicissim mutabunt, secundum illud, hoc foedus tenere debent. Legatis autem Magni Domini nostri Regis Poloniae, et Magni Ducis Lithuaniae, quos mittet ad Magnum Dominum, et Magnum Ducem, venire, et redire ad Dominum nostrum, sine ulla retentione, cum omnibus hominibus, et bonis suis, secundum litteras Magni Ducis patentes, liberum erit. Et cum Magnus Dominus Stephanus, Dei gratia, Rex Poloniae, et Magnus Dux Lithuaniae, mittet Legatos suos ad Magnum Dominum, Dei gratia, Dominum Russiae, et Magnum Ducem, tum Magnus Dominus noster Legatis suis de captivis liberandis plenam Instructionem dare debebit, quanam ratione captivi Magni Domini, et Magni Ducis, qui sunt apud Magnum Dominum nostrum liberari possint. Ad extremum, si acciderit aliqua injuria, vel damnum finitimis hominibus, tum ex utraque parte Palatini, Locum-tenentes, et Praefecti ex arcibus finitimis ad id tempus, de omnibus injuriis inter se mittere, justitiamque ex utraque parte administrare, malos, et noxios punire debent. Supra his omnibus, nos Magni Domini Stephani, Dei gratia, Regis Poloniae, et Magni Ducis Lithuaniae, Legati, Dux Janusius Nicolai Coributovicz Zbarascius Palatinus Braslaviensis, Capitaneus Crzemenecensis, et Pinscensis: Albertus Radivilius, Marschalcus Curiae Magni Ducatus Lithuaniae, Capitaneus Covnensis et Michael Haraburda Notarius, cum Magni Domini Joannis Basilii, Dei gratia, Domini Russiae, et Magni Ducis Legatis, aulico et Praefecto Casinense Duce Demetrio Petri Jeletzki: aulico et Praefecto Coselnense: Romano Basilii Olpherio: Notario Mikita Bassenca, Nicephori filio Vereszczahina: Vicenotario Zacharia Svia evio,

Digitized by Google

de pacis constitutione conclusionem fecimus, litterasque constitutionis conscripsimus, et sigillis nostris munivimus. Praeterea et manu sua Michael Haraburda Secretarius subscripsit: litteras etiam vicissim inter nos mutavimus, crucisque osculo confirmavimus: crucemque supra his osculati sumus, quod praeter has constitutionis litteras nostras, inter Magnum Dominum Stephanum, Dei gratia, Regem Poloniae, et Magnum Ducem Lithuaniae, et Magnum Dominum Joannem Basilii, Dei gratia, Dominum Russiae, et Magnum Ducem, ex utraque parte nihil aliter fieri debet. Hancque pacis constitutionem conclusimus, et crucisosculo confirmavimus, in praesentia, et coram Legato Sanctissimi Pontificis Romani Gregorii XIII Reverendo Antonio Possevino. Scriptum in Zapolsciae Jamo, anno a condito mundo septem millesimo nonagesimo, mense Januario. A nativitate vero Christi Salvatoris nostri 1582.

Hae litterae subscriptae sunt manu Michaelis Haraburdae, Secretarii Magni Domini Stephani, Regis Poloniae, et Magni Ducis Lithuaniae, ita videlicet: Michael Haraburda has constitutionis litteras manu sua subscripsit.

In conjunctis vero foliis, notatum ex alia parte, Notarius Michael Haraburda.

## *ANNAE REGINAE POLONIAE,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Cum a Serenissimo Rege in Moscoviam proficiscerer, id quod mihi a Summo Pontifici atque ab ejus Majestate R. de Serenissimo Sueciae Rege mandatum fuerat, ut inter pacis conditiones adnumeraretur, egi diligenter. Cum vero ex castris ad Plescoviam ad hunc Legatorum conventum, qui hic me praesente (sicut uterque Princeps statuerat) habitus est, venissem, R. Majestatem rogavi, ut D. Christophorum Varsevicium huc mitteret, qui cum huic ipsi conventui interesset, causam item Serenissimi Sueciae Regis sic ageret, ut et ille, et Serenissima Sueciae Regina intelligerent, quantum ponderis habuerit V. Majestatis apud Serenissimum Poloniae Regem commendatio, ut ne ille in hac tractatione pacis intermitteretur: sicut non semel (ac quidem accurate) a Regiis Legatis, atque a me ipso (sicut et antea in Moscovia) tentatum est. Verumtamen, quoniam ad Summi Pontificis, Regisque hujus Ser. litteras ea de re quidquam responsum non est: nec D. Pontus a Guardia, ad quem e castris, Rege ipso Serenissimo consentiente, litteras in Livoniam miseram, mihi quidquam rescripsit: nec vero haberemus, quid Mosci Legatis responderemus, cum nobis objicerent, neminem in Conventu Legatorum esse, qui pro Serenissimo Sueciae Rege de pace aut ageret, aut Plenipotentiam haberet: propterea nihil certi effici potuit, nisi quod idipsum mihi Legati Mosci responderunt, quod Moscus ipse Stariciae responderat, nempe, si Serenissimus Sueciae Rex Legatos de pace in Moscoviam mitteret, eos honorifice acceptum iri. Ego vero, qui haec praenoveram, ac Ser. Regi praedicens, proposueram, expedire, ut D. ipse Varsevicius ad Conventum veniens, primo Vere in Sueciam mitteretur, testaturus hanc Ser. Regis diligentiam, existimavi mihi faciendum, ut etiam curarem (quemadmodum nunc facio) ut idem ipse D. Varsevicius ad V. Majestatem allegaretur, quam D. omnibus rebus faceret certiorem. Vestra autem Majestas posset in tempore Ser. Sueciae Reginam praemonere (et id quidem duobus itineribus) ut Ser. ejus conjugem permoveret ad ea, quibus cum Regno Poloniae reliquae difficultates possent complanari, ne gravius in Livonia bellum inter duos Reges exardesceret. Quamobrem ipse quoque D. Varsevicius si in Sueciam trajecerit, erit a V. Majestate iis de rebus docendus, quae ad reliqua negotia spectant. Neque enim dubito iniri posse in Comitiis rationes, quibus ei, quod Serenissimo Regi Sueciae debetur satis fiat: ut ille item se mitiorem reddat ad id concedendum, quod Serenissimus Rex ob Reipublicae bonum, et commodum cupit. Quae ad Comitia si venire potuero, fidelissimi hominis hac in re, uti Summus Pontifex jussit, operam praestabo, commendans me interim piis V. Majestatis orationibus. Quam Deus omnibus bonis cumulet in aeternum. Ex Chiverova Horca, die 13 Januarii 1582.

## *STEPHANO POLONIAE REGI,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Ill. D. Albertus Radivilius redit ad R Majestatem V. ea relaturus, quae in Legatorum conventu acta, et Deo miserante, absoluta sunt. Acta vero totius tractationis, quae in

Digitized by Google

ordinem gessi, feram ipse (si Divinae voluntati placuerit) V. M. Ea enim credo posteris usui fore; sicut et rerum tractatarum firmitati, spero, non incommodabunt. Cum vero ista aetate Ill. D. Albertus Radivilius rem publicam Catholice, ac prudentissima fide, in hoc negotio, administraverit; non dubito, quin ille aliis tractationibus utilissimus futurus sit: Majestatem autem V. ostensurus, Deum non aetate, sed religione Catholica, et prudentia metiri hominum ingenia, eaque ad sui gloriam adhibere libenter: V. porro Majestas plures in Polonia, et Lithuania habituros, qui rem publicam Catholice administrent, si etiam adolescentes ejusmodi ad eam nonunquam adhibuerit. Jesus V. Majestatem R. plurima, eaque solidissima faelicitate cumulet. Ex Chiverova Horca, die 14 Januarii, 1582.

## *STEPHANO POLONIAE REGI,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Quamvis per D. Ill. Albertum Radivilium, scripserim V. Majastati non potui tamen has litteras denegare D. Michaeli Haraburdae, qui eas a me modestissime petiit. Eo vero spectant, ut pro ipsa veritate, sincere (non in gratiam ipsius) officio animi grati, et Rempublicam Regnumque istud amantis satisfaciam. Is igitur ut usu rerum, et Moscorum cognitione valuit, certe permultum toti huic pacificationis commodavit. Sed ad omnia accessit, quod cum coram me Legati omnes osculo Crucis pacem sancirent, illeque de fide sua Ruthena a Moscis admoneretur, ne Crucem nostram, sed Moscorum oscularetur, maluit veritatem, et dignitatem V. Majestatis in magna corona hominum, anteferre ipsi opinioni suae, a qua forsan Deus illum ad Catholicam religionem vocabit. Ego sane clementiae V. Majestatis ipsum enixe, et humillime commendo. Deus V. Majestatem omnibus bonis cumulet. Ex Chiverova Horca die 15 Januarii 1582.

## *JOANNES ZAMOSCIUS,*

ANTONIO POSSEVINO.

Quod haec pars orbis Christiani pacificata sit, in primis Deo Opt. Max. gratias ago, cujus nutu haec omnia geruntur: inde vero D. Vestrae gratulor, et gratias habeo, quod et hoc negotium per illam perfectum sit, et quod utriusque partis causa tantum laboris susceperit. Ego etsi fatear, me non ita esse pusillanimem, ut leviter quamvis rem incipiam, et leviter post statim deseram: tamen non ita feror ad bellicum negotium, ut sanguine potissimum Christiano fundendo, gloriam mihi parare velim, cum non desint occasiones aliunde, si qossim, quaerendae. Faxit Deus Opt. Max. tum in Moscovia, tum in Oriente, ut reliqua illi pari faelicitate succedant Non dubitet D. V. me operam daturum esse, ut in ordinanda provincia Livonia, cultus Dei Opt. Max. a R. Majestate cura in primis habeatur. Rogo, si D. V. a Sancta Sede Apostolica facultatem habeat indulgendi, ut in Ecclesiis pristinis Livoniae, ab initio in usum religionis Catholicae extructis, deinde vero in illa casuum varietate, quae Livoniam exercuit, in aliorum, et schismatis, et haeresum usus conversis, liceat Sacerdotibus meis sacra celebrare ejusque in dulti litteras quam primum mihi mittat. Teneor enim cupiditate, in Ecclesia Episcopali, Derpatensi cum exercitu universo immortali Deo, pro beneficiis acceptis gratias agere. Vehementer etiam rogo, si fieri potest, perficiat D. V. ut a Magno Duce Moscoviae scire possim, si quando contra illos (scit D. V. quid dico) aliquid tentabit, sive hoc, sive altero, sive tertio anno; modo sciam. Commendo me benevolentiae D. V. Datum ex castris, ad Plescoviam, die 18 Januarii, 1582.

## *JOANNI ZAMOSCIO,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Hac ipsa hora litteras V. D. M. accepi, scriptas undevigesima hujus mensis. Quod autem mihi scribit, se (ut Christianum exercitus Imperatorem decebat) gratias Deo, ab universo exercitu egisse, postquam istuc allatus est nuntius pacis, me quidem summo gaudio affecit: sed certe meam spem non fefellit, reminiscentem, quo fervore preces in tentorio ad Deum fundebat, cum istic essem, quidque mihi jucundissimo in illo itinere, quod Vilna Dzisnam fecimus, de pietate propaganda non semel sapienter significavit. Quod vero aliquem fuisse suspicatur, qui eam minus hanc pacem optasse

Digitized by Google

judicaverit, fortasse plus V. D M. ex aliis rescivit, quam quod ego facile patiar ista mihi a quoquam instillari. Colloquia enim adversus absentes, ac porro erga talem, et tantam personam (Deus novit) me nec libenter admittere, et vero omni Christiana libertate retundere. Quod autem mihi pollicetur, se Divinam rem in Livonia promoturam, id cum mihi summae voluptati est, tum maximos, et acutos stimulos adjiciet, ut, quacunque possim ratione, celeberrimam Summo Pontifici, et (audeo dicere) posteritati, quantuluscunque sim, memoriam V. D. M. relinquam. Nam et V. D. M. hasce quas modo litteras accepi, mittam post biduum ejus Su, et alia conabor praestare, ex quibus certe gratissimi erga illam obsequii argumenta cognoscet. Nunc vero, quod adtinet ad facultatem indulgendi, ut in Ecclesiis pristinis (ut scribit) Livoniae ab initio in usum religionis Catholicae extructis, deinde vero in illa casuum varietate, quae Livoniam exercuit, in aliorum errorum usus conversis, liceat V. D. M. Sacerdotibus in Ecclesia Derpatensi, pro beneficiis acceptis gratias Deo omnipotenti agere: sane eandem in tota Livonia facultatem mihi ante triennium Pontifex Maximus divinitus motus dederat, quam nunc libentissime Sacerdotibus V. D. M. impertio. Ac ut id ipsum, quod petit, Novogardiae Livonicae, aliisque in Livoniae civitatibus, et templis omnibus fiat, concedo, ubi invocato salutari Dei nomine, et aquae benedictae aspersione templa rite sanctificaverint. Ut vero item tantisper, dum in Lithuaniam redeo, eadem facultate, quam habeo ad absolvenda haereticorum peccata, nexusque omnes in foro conscientiae, possint adhibere, etiam hanc ad id usque tempus iisdem V. D. M. Sacerdotibus auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae mihi concessa tribuo. Quo tempore forsan novam hanc facultatem R. D. Episcopus Massanensis Nuntius Apostolicus vel tribuere poterit, vel a Summo Pontifice obtinebit. Hoc enim jam ad sui muneris, et legationis propriam rationem spectabit, cum Livonia in Serenissimi Regis potestatem concesserit: Pontifex autem Maximus mihi in aliis Provinciis, et Regnis, in quibus Catholici Episcopi non sunt, facultates satis amplas concesserat, et quidem tum, cum Moscoviam, aut partem istarum Provinciarum aditurum me nunquam cogitassem. Ut facile sit intelligere Divinae providentiae oculum multo antea Vicarii sui menti illabi, quam res ad exitum adducantur: Dominique manum fecisse haec omnia, et cum nos in benedictionibus praevenire solitum, cui gloria sit in aeternum, Amen. Jam de eo, quod V. D. M. cupit, ut a me in Moscovia, Orienteque possit promoveri, ubi ad Moscum rediero; agnosco Christiani Principis, id est, V. D. M. animum: qui si caeptis Pontificis Maximi apud Serenissimum Regem, atque alibi (sicut pro certo habeo) mihi affuerit, non minima de Dei bonitate spero. Est autem multiformis sapientia Dei, quae si creaturarum suarum cooperationem sedulam cernit, non sinit se in bono vinci, sed ita per pauperes, ac simplices quoque negotium suum, uti fecit in Indiis, promovet, ut verum appareat id, quod dixit Apostolus: Quod infirmum est Dei, potentius est omnibus hominibus, et quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus. At vero quod denique V. M. Illustrissima petit a me, ut perficiam, ut ipse a Magno Duce scire possit, si quando contra N. N. aliquid tentabit, sive hoc, sive altero, sive tertio anno: id, Deo dante, praestabo, referamque ipse (ut credo) non multo post D. V. M. quae cum illo ea de re deliberata fuerint. Jesus V. D. M. omnibus donis coelestibus cumulet. Ex Chiverova Horca, die 21 Januarii, 1582.

## *JOANNI ZAMOSCIO,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Quod ex Biscovicio V. D. M. scripsi, urgeri me identidem ab his Mosci Legatis, ut curarem exercitum istinc deduci, id ipsum multo magis scribere nunc possum: cum nulla dies interfluxerit, quin me iisdem iteratis petitionibus tantum non oppresserint, sive quod suspicarentur, arcibus Livoniae restitutis, mansurum tamen istic exercitum, sicuti dixerunt: sive quod videri velint occasionem capere, qua Domino suo gratificentur, si diligenter minuta quaeque colligant, et ea referant. Ad extremum igitur, cum omnes Legati, me hodie convenissent, ut V. M. Illustrissimam pro ultimo (ut dicebant) meo erga Principem suum obsequio, et officio, rogarem de copiis hinc deducendis: dixi id quidem me (sed nulla necessitate) facturum, quippe qui scirem jam pridem tormenta majora fuisse praemissa; equites vero, qui varias hoc in itinere stationes habuissent, dare sese jam inviam, ut in castra

Digitized by Google

omnes ad profectionem convenirent: commoratos porro aliquandiu, tum ne Cosacos retro relinquerent, sed praemitterent, sicuti factum fuerat, tum ut tantis copiis castra moturis ordine ii succederent, quicunque vel ob pabulum, vel propter aliam belli rationem, variis in locis substitissent. Cum autem iidem Legati Mosci mecum hodie conquesti fuissent, quod quem Plescoviam miserant, Petrum Pinum, is per M. D. V. nequiverit in eam ingredi, nec vero ab ipsa V. D. M. concederetur, ut reliqui Tabellarii Plescovia ad Magnum Ducem proficiscerentur, respondi id a me falsissimum esse putari. De Petro Pino si quid mihi significassent, cum eum miserunt, facile fuisse futurum, ut aditus illi patuisset in eam civitatem, cum id V. D. M. rogassem. Verumtamen, quoniam forte latenter illum miserant, justas dubitationes ingeri potuisse, cur ille non ingrederetur. Ceterum scire me, Plescovienses illos Bojaros, a V. D. M. acceptos optime fuisse: mercatores autem, qui erant obsessi, libera jam tractare commercia, vel commutationes in castris, et alia ejusmodi, quae tandem ipsi non negarunt. Postremo illos serio, ac saepe cohortatus, ne dum vellent videri boni Principis sui ministri, aliquid scriberent, aut effutirent, quod veram inter Serenissimum Regem, et Moscum amicitiam laedere posset; cui tamen rei haberem quod opponerem. Pollicitus sum, me V. D. M. scripturum, ut quidem facio pene invitus: sed in optimam partem prudentissimus Dominus id sic accipiet, ut fortassis mei misereatur adhuc inter eos commorantis, quibus exercere alienam patientiam sua impatientia, sapere est. Porro Biscovicio litteras misi V. M. Illustrissimae, una cum fasciculo, quem de optima ipsius voluntate Reverendissimo Apostolico Nuntio ad Summum Pontificem mittebam. Obsecro autem iterum illam, ut Orsae Praefecto jubeat, ut quam primum ad fines Regni ex Moscovia rediero, non cunctetur, ductores itineris, quos petam, mittere, pro quibus ubique satisfaciam: habeat vero in mandatis, aliis Praefectis ut scribat, eosdem ut parent, cum subinde in itinere processero. Filius Magni Ducis primogenitus, ut dudum erat rumor, diem obiit: idem Palatino Novogardiensi accidit. Hic, aut in Bor pago, ultra Psagam, nullum Mosci exercitus vestigium cernimus. Perendie Novogardiam cogitamus, quo nobiles ad nos excipiendos Magnus Dux praemisit. Deus V. M. Illustrissimae gressus, et conatus omnes, ad sui gloriam nominis, ad exitum perducat. Ex Bor pago, sub initium noctis, die 29 Januarii 1582.

## *JOANNES ZAMOSCIUS,*

ANTONIO POSSEVINO.

De cultu Divino in Livonia propagando, audeo D. V. promittere, R. Majestatem diligenter laboraturam. Nec meum studium, et opera qualiscunque desiderabitur. Deus autem Optimus Maximus per misericordiam suam causae suae non deerit. Res prorsus longe jucundissima mihi accidit, quod D. V. potestatem Sacrorum celebrandorum in Ecclesiis Livonicis indulserit: Deo in primis, ac deinde S. D. N. et D. V. gratias ago: ac etiam de illo, quod ultro addidit, de lapsis, ad veritatem revertentibus, ab iisdem Sacerdotibus absolvendis. Faxit Deus, pro immensa sua bonitate, ut hoc in exercitu aliquorum corda moveat. Quod vero Herbesti etiam nostri opera in meo Zamoscio inutilis prorsus non sit, D. V. ex ejus litteris, quas ad illam mitto, cognoscet. Laus sit Deo immortali. Non dubito D. V. effecturam, ut saltem sciam, quid ille Princeps, et quando facturus sit. Ego enim molirer fortassis aliquid sub id tempus, et vel de meis privatis viribus, et facultatibus aliquid parum fortasse, sed non prorsus tamen pusillum, conferrem. Venerat huc in castra D. Laurentius Cognolus, vir elegans, quem ego, propter eam nationem, cui debeo, humanissime, ut hoc loco potui, habui. Mirabar tamen a D. Ponto, ita missum fuisse, ut ad R. Majestatem litteras ferret, nec eas quidem a Serenissimo Sueciae Rege, sed ab ipso Ponto: Legationem autem ad me obiret, inde vero ad Conventum Zapoliensem cum progredi me sinere vellet, inscia, et praeterita S. R. M. Domino meo, respondi D. Cognolo, vel ire debere ad R. Majestatem Dominum meum, vel mittere: me ad ejus Majestatem relaturum quoque esse, quod cum jam nullum a Serenissimo Rege Sueciae post suum adventum in castra venturum sperasset; nihil etiam nunc mandatorum mihi dedisset, nec me quoque, cum Minister sim, in consulto Domino, quicquam facere oporteat. Itaque misso ad R. Majestatem Tabellario, cui ego meum ductorem adjunxi, ipse Narvam reversus est. Credo autem ego D. V. et ad Serenissimum Regem, et ad Serenissimam Reginam misisse D. Varsovicium; et ad Regiam

Digitized by Google

Majestatem ecquid a D. V. deinceps fieri cupiat, retulisse: et hoc, quod ad me D. V. scribit, et ipse ad ejus Majestatem referam. Habebit igitur D. V. de eo R. Majestatis litteras, vel in media Moscovia. Et enim non puto Magnum Dominum R. Majest. ut ad D. V. mittat litteras, non permissurum: cum in ipsa castra R Majest. ipsius ad D. V. Tabellarii identidem libere ventitassent. Cuperem scire, quod in tempus D. V. in Lithuaniam reditus incidet, ut de Legatione obedientiae, ad S. D. N. sub illud tempus mittendae, tanto commodius cum R. Majestate conferre possim. Faciat igitur D V. me certiorem. D. Zebridovius jam a me est commendatus V. Majestati de meliore nota, et meminit quid benigni responsi a V. Majestate tulerit. Deinceps etiam illi non defero. Commendo me benevolentiae D. V. Datum ex castris ad Plescoviam, die 23 Januarii 1582.

## *JOANNI ZAMOSCIO*,

ANTONIUS POSSEVINUS.

Cum quinta decima hujus mensis die, ad Magnum Ducem Moscoviae venissemus, redditae mihi sunt ab Andrea Solcanovio ejus Cancellario litterae, quas ultima Januarii V. Ill. D. mihi scripsit. Ex iis autem omnia, quae Ostroviae, atque alibi adversus Regios milites contigissent Magnus Dux, et ejus Senatores cognovere. Cum autem tum de iis, tum de aliis rebus fusius cum ipsis egerim, existimavit ejus Serenitas (me proponente) sibi faciendum, ut quam primum Plescoviam nobilem cum litteris suis allegaret, ex quarum exemplo (quod his erit adjunctum) intelliget, quantopere ei cordi sit, non solum, ut pax, Divina ope sancita, non violetur, verum etiam, ut et tormenta Ostroviae, jussu V. D. Ill. relicta in Regiam ditionem statim deducantur; ac vero, qui e Moscis fuerunt in noxa, qua digni fuerint, poena plectantur. Veruntamen, quoniam et multa post pacem a militibus Regiis in Magno Smolenscensi Ducatu commissa fuisse conquestus est (quae tamen putat, culpa Ser. Regis, aut V. D. Ill. non accidisse) aequissimum est, ut par pari referatur: nempe, si quis ex arcibus ipsius abductus est, illico liberetur, res que aliae, quo ad ejus fieri poterit, restituantur. Eam ob rem Magnus Dux, petenti mihi schedam earum querelarum, tradi jussit, quam Ser. Regi, Vestraeque D. Ill. mitto. A quibus non dubito, id responsum re ipsa citissime dabitur, quod scio et Regio, et fraterne erga Magnum Ducem amore profecturum. Quoniam vero inter illa, quae mihi R. Majestas cum Magno Duce tractanda mandaverat, alterum erat negotium; N. N. alterum autem, ut Matthias Przevorski libere remitteretur: hunc quidem jam esse non ita multo ante remissum, hodie mihi Senatores retulere. Illud autem de N. N. etsi nondum concoctum est, aliquem tamen exitum habiturum spero, cum pro sua sapientia Magnus Dux intelligat, quantopere praestet pecuniam Moscis contra N. N. quam N. N. contra Christianos tradere, quibus nihil antiquius est, quam opibus Christianorum Christi fidem delere, lateque omnia, quae ad ejus nomen pertinent, vastare atque incendere. Rem itaque totam sic urgebo, ut non desperem, sic ab utroque Principe suscipi posse, ut et gens illa ab utriusque finibus longius arceatur, et id perpetuae paci inter utrumque Principem fovendae magnopere sit commodaturum. Jam de mercatoribus, *qui hic detinebantur*, egi, praesertim de *Vilnensibus*, de quibus in conventu Legatorum itidem, me praesente, actum est. Ac etsi Magnus Dominus nondum hac de re omnino mihi respondit (quod hoc ipsum hodie tantum ei proposui) haud tamen vereor, quin statim dimittantur, cum ii ad bellum non adtinuerint, nullamque ob noxam diutius hic haeserint. Sed et, cum id fiet, confido fore, ut R. Majestas non sinat se istis officiis in liberandis captivis facile vinci. Ex quibus cum aliquorum mihi liberationem in Castris dignata esset polliceri, jam sperandum est, pace confecta, restituisque invicem arcibus, facilius effectum id negotium iri, ne expectato quidem Legatorum adventu, in quem rejecta ea tractatio erat. Quod quidem ut fiat per D. V. Ill. enixe contendo. Cetera Deo volente, quae spectant ad pietatem propagandam, cum Rege Serenissimo non multo post me acturum spero. Litteras interim, quas ad R. D. Nuntium scribo, cum senas ab eo hic una die acceperim, rogo V. D. Ill. ut citissime ad eum perferri curet. Neque enim Summo Pontifici erit ingratum cognoscere, me jam iterum ad Magnum Ducem rediisse, atque ab eo non solum per honorifice, verum etiam benigne, cum ad publicum convivium, tum ad colloquia de pace servanda, aliisque hisce rebus admissum

Digitized by Google

fuisse. De sanctis autem reliquiis D. Nicolai, quas per me a Summo Pontifice V. Illustrissima Dominatio petit, ut et de alteris D. Thomae, nunc Romanis scribo. Quod si frustulum reliquiarum D. Nicolai, quod apud me habeo, ex Moscovia extulero, non negabo (ut reliqua omnia) V. D. Illustrissimae cui a Deo Optimo Maximo felicissima omnia precor. Moscvae die 18 Februarii, 1582.

## *STEPHANO POLONIAE REGI,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Paucos post dies, quam huc perveni, scripsi Majestati V. et M. D. Cancellario, iis de rebus, de quibus agere coeperam cum Magno hoc Duce: quodque ille cupiebat, quo pax divina ope confecta, servari posset, ut a V. Majestate juberetur, si quod, post osculo crucis sancitam pacem, alicubi fuisset a V. Majestate militibus damnum illatum, id ut; quoad ejus fieri posset, sarciretur: se idem curaturum, qui jussisset tormenta Majestatis V. ex Ostrovia deduci, eosque plecti, qui injuste injuriam aliquam, vel damnum militibus V. Majestatis intulissent. De Tartaris quod agere coeperant, id in adventum M. V. Legatorum eas ob causas rejectum est, quas praesens ipse, Deo juvante, referam. Mammonicium autem, reliquosque omnes mercatores Lithuanos cum nomine Majestatis V. a Magno Domino petiissem, is statim eos liberari jussit, sicque eos ad triginta, sic ut heri mihi per Senatores suos significavit, una cum Tabellario praemittit: simul indicaturus, se Legatum ad Pontificem Maximum mecum missurum, ac propterea cupere, ut liber illi per istud V. Majestatis Regnum, sic pateat transitus, ut etiam Pristavum, qui illum cum equis deducat, invenire possim in finibus, licet ego patentes ad id, ut puto, sat commodas a V. Majestate jam mecum huc attulerim. At quoniam meo rogatu, duodeviginti Hispanos, et Italos, in gratiam Summi Pontificis liberos dimittit, qui ex Turcica tyrannide per Tanaim elapsi, prope Asophum arcem dudum in hac regione, quingentis abhinc verstis, in urbe Vologda detinebantur, propterea rogo Majestatem V. ut cum iis item pari benignitate utatur; nempe, ut Orsam litterae mittantur, quibus ille Praefectus admoneatur, ut illos incolumes deduci curet, ac si opus sit, aliquo auxilio foveat. Jam vero, quod ad reliquos captivos adtinet, qui huc ex Lithuanis, vel Polonis vigente bello adducti fuerant, facile fuit, Vestrae Majestatis nomine, me ab hoc Principe obtinere, ut eis liberiores custodiae paterent, atque adeo mihi nonnullos itineri meo necessarios concederet, quandoquidem aliqui ex meo comitatu interierant. Quod si, quemadmodum spero, Majestas V. eadem caritate, qua solet, cogitaverit vicem huic Magno Domino rependere; et isti captivi Mosci ut melius, quam antea, accipiantur, si qui eos non ita commode tractarent, mandaret; statueret autem, ut pax tanta, hoc item fine coronaretur, id est, ut utrinque liberi captivi omnes statim dimitterentur, neque aliquo extra Regnum abducerentur, faceret opus dignum se M. V. Ceterum adducam mecum istuc Magni Ducis Legatum, atque ubi, quae opus sunt, egero cum V. Majestate, me in viam dabo; in quam forsan erit paratus Illustrissimus Dominus Andreas, de quo animus meus multo majora praesagit, quam audeam dicere. V. Majestatem Deus omnibus bonis coelestibus cumulet. Moscoviae die 4 Martii, 1582.

## *PONTIFICI MAXIMO,*

MAGNUS MOSCOVIAE DUX.

Magnus Dominus Imperator atque Magnus Dux Joannes Basilii, etc. Scripsimus ad Te Gregorium Papam, proxime superioribus diebus, ab eo, quem ad nos miseras, Nuntium Tuum Antonium Possevinum, litteras Tuas nos libenter accepisse, easque pergrato animo legi nobis audivisse. Quamobrem, quae nobis significasti, quaequae nobis dilectus Tuus Nuntius Antonius Possevinus oretenus proposuit, ut amici essemus, unanimes conjungeremur, omnesque contra infideles potius nos compararemus, ea nos omnia libenter audivimus: ac Nuntium Tuum Antonium amantissime excepimus, eique ad omnia tum per nos, tum per Senatores nostros respondimus. Cum Te igitur, Supremo Pastore, ac Doctore Romanae Ecclesiae, atque cum fratre nostro Rudolpho Imperatore, ac cum omnibus aliis Principibus Christianis amicitia, fraternitate, et mutuo amore constringi volumus, ac curare (quemadmodum et ante Tibi per hominem nostrum Thomam Severigenum scripsimus) ut Christianismus quietam vitam degat, ac liber sit, et immunis ab-



Digitized by Google

omni infestatione: ut et in posterum manus infidelium supra Christianos non extollatur, sanguisque Christianus non amplius fundatur. At quo tempore a Te Gregorio Supremo Papa Nuntius Tuus Antonius Possevinus ad nos venit, tum inter nos et Stephanum Regem bellum gerebatur, et sanguis Christianus fundebatur. Is vero ipse Nuntius Tuus Antonius Possevinus jussu Tuo, Gregorii Supremi Pastoris, et Doctoris Romanae Ecclesiae, ad nos et ad Stephanum Regem perrexit ire, ac redire, operam dans, ut sanguinis Christiani effusionem impediret. Quamobrem factum est, ut Legati ex utraque parte convenientes, inducias decennii inter nos, et Stephanum Regem sanxerint. Cum vero Nuntius Tuus Antonius Possevinus nunc ad nos rediisset, cum ad Sanctitatem Tuam remittimus, unaque cum illo ad Te consalutationis, et amicitiae causa Legatum nostrum Jacobum, Molvianinum cum Vicenotario Tissino Basilii. Quod autem nobis de unione scripseras, nos quoque ejusdem rei gratia, mittebamus ante aliquot annos ad fratrem nostrum Maximilianum Imperatorem, et ad filium ipsius Rudolphum Imperatorem, Legatos, et internuntios bis, et ter: eademque de causa, et frater noster Maximilianus Imperator, et filius ipsius Rudolphus Imperator volebat ad nos mittere Legatos, sed nondum hi hactenus venerunt. Itaque ubi Legatus Tuus Antonius Possevinus ad Te Gregorium Papam Supremum una cum Legato nostro Jacobo Molvianino venerit, Tuque; Gregori Papa, Supreme Pastor, et Doctor Romanae Ecclesiae, miseris ad fratrem nostrum Rudolphum Imperatorem, et ad alios Christianos Reges, ac Principes, ac constitueris, quanam ratione nos Tecum, Gregori Papa Supreme, et per Te cum aliis Principibus Christianis, possimus ad hoc ipsum unanimes conjungi, deque tota re Legationem alteram miseris: nos, quam primum Legati Vestri ad nos venerint, a Senatoribus nostris cum illis constitutionem fieri praecipiemus, iis de rebus, quemadmodum decebit. Deinde quod pertinet ad alias res, quas nunc Legatus Tuus Antonius Possevinus proposuit, his omnibus de rebus, et nos ipsi respondimus, et Senatoribus nostris, Senatori, et Praefecto Novogardiensi Mikitae Romani, qui fuit filius Georgii Zacharinae, cum sociis, mandavimus, ut Antonio responderent. Quod autem misisti nobis per Legatum tuum Antonium librum Synodi Florentinae, Graeca lingua editum, cum librum nos a Legato Tuo Antonio Possevino libenter accepimus. Quod vero de negotio fidei nobis scripsisti, quodque item ipse Antonius oretenus de eadem fide nobiscum locutus est, nos ea de re cum Legato Tuo Antonio locuti sumus. Nunc vero Tu Gregori XIII Papa Supreme Pastor, et Doctor Romanae Ecclesiae, perlectis, et intellectis litteris nostris, quas per Legatum nostrum Jacobum Molvianinum, et Tissinum Vicenotarium ad Te misimus, eos ad nos remitte, nobisque omnibus de rebus aperte, et plane litteris Tuis perscribe. Scriptum in Imperio nostro, in aula arcis Moscvae. Anno a condito mundo 7900 mense Martio, indictione decima, Dominii nostri anno 48, Regnorum nostrorum Rosiensis 36, Casanensis 20, Astrachanensis 28.

## *ANNA POLONIAE REGINA,*

### ANTONIO POSSEVINO.

Reverende, devote, nobis dilecte. Pergratum est nobis studium P. V. cum erga nos, tum erga Serenissimum Sueciae Regem, et Reginam, affinem et sororem nostros carissimos. Fuit apud nos Generosus Christophorus Varsevicius, a R. Majestate Domino, et conjuge nostro allegatus, ex quo plenius rem omnem cognovimus. Quod ad nos adtinet, si bellum illud cum hoste semper ex animo deprecatae sumus, certe sopito eo, novum rursus inter affines Reges (quod absit) excitari, nihil nobis accidere posset acerbius. Quantum igitur maxime poterimus, contendemus, ut hoc quicquid est, pacatis potius rationibus, quam ullis aliis componi posse inter propinquos Reges videatur. Confidimus etiam, Dominum Deum pacis amatorem, et auctorem conatibus nostris non esse defuturum. Praeterea autem, quicquid D. V. operae ad eandem rem conferre poterit, postulamus, ne parcat labori, industriaeque suae. Qui enim inter Majestates istas pacem confecerit, is demum bello Moscovitico finem imposuerit. Commendamus nos orationibus D. V. Datum Varsoviae die 3 mensis Martii, Anno Domini 1582.

## *JOANNI BASILII,*

### MAGNO MOSCOVIAE DUCI, ANTONIUS POSSEVINUS.

Veni ad Stephanum Regem, deque captivis ea egi, quae cupiebat Serenitas Tua: is vero

Digitized by Google

Legatis suis mandavit, ut tecum ea de re ageret, paratus id facere, quemadmodum mihi dixit, quod aequitas, et desiderium pacis conservandae requirunt. Postquam autem cum Rege Stephano Rigae aliquot dies fui in Livonia, ut in ea civitate; in qua jam ab eodem Rege aliqua Catholicis templa restituta sunt (sicuti et in reliqua Livonia ut fiat, is ipse Rex Stephanus procurat) veni Vilnam, ac cum eo egi, ut Mosci in libera custodia essent, quamvis nemo eorum ferreis compedibus antea teneretur. Pecunia item illos quantum potui juvi. Gratias vero Tuae Serenitati ago, Summi Pontificis nomine, quod ad me miseris novem ex iis, qui ex Turcica captivitate elapsi detinebantur Vologdae, Itali, et Hispani. At quoniam mihi promiseras te omnes libere dimissuros, quemadmodum cum tuis, qui ex devicta Turcica classe evaserunt, a Summo Pontifice, a Rege Catholico, et a Venetis factum fuerat: ac tamen praeter eos, qui remansere Moscoviae, novem adhuc Vologdae relicti sunt, quorum nomina tibi mitto, obsecro te, ne velis gratiam, et beneficium tuum diminuere. Cum enim hi, quos mihi misisti, referent partem suorum comitum in tua ditione detineri, erit omnibus Christianis Principibus ingratum, cum audierint, Christianos, quos Deus e manibus Turcarum eruit, a te, quasi in custodia asservari, nec eis liberum exitum permitti: cum praesertim omnes Principes Christiani ad redimendos captivos, etiam inter Turcas, plerumque magnam pecuniae summam mittant, et erogent. Itaque iterum rogo Serenitatem Tuam, ut hoc beneficium integrum reddas, ut pollicitus es, atque ut decet Christianum Principem. Ceterum libenter per Michaelem Protopopum ad te scripsissem, si mihi discessum suum significasset, aut prius, quam huc pervenissem, ille non abivisset. Sed quod mihi valde ingratum fuit, id erat, quod ille, licet diligenter nos praecesserat, non tamen ante nos ad Regem pervenit. Itaque Rex Legato tuo, et nostris neque aliquos potuit mittere obviam, neque id praestare quod alioquin facera hac in re consevit. Quamquam Legatis, seu Internuntiis, qui ad alia negotia, quam quae hujus Regni sunt, proficiscuntur, non est moris hujus Regni alimenta praebere. Quae quidem neque Legati Summi Pontificis, nec Caesarei solent accipere, cum ab iis Principibus sat pecuniae suppeditetur ad sumptus quo suis faciendos. Nos interim cum Jacobo Molvenino, et omnibus aliis post triduum versus Germaniam dabimus nos, Deo juvante, in viam. Caesar autem bene valet, comitiaque habuit in Hungaria, habiturus alia mox in Germania. Quas vero litteras Pontifici Maximo, Caesari, et Venetis per Paulum scripseras, eae fidelissime ad eorum manus pervenerunt. Pontifex autem Maximus multas pro salute tua, tuarumque Provinciorum orationes indixit, ad quem ubi divino beneficio perveniemus, is ad te prolixe scribet; nec ullo officio deerit, quo tibi propensissimam dignitatis, et salutis tuae voluntatem testificetur. Eam tibi aeternam cum rectissima fide, et caritate, tribuat Dominus Jesus. Amen. Vilnae die 14 Maji, 1582.

## *GREGORIUS XIII,*

JOANNI BASILII, MAGNO DUCI MOSCOVIAE.

Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, Joanni Basilii Domino Russiae, Magno Duci Moscoviae, Novogardiae, Smolensciae, Volodimeriae, Domino Casani, et Astrachani, multarumque aliarum Provinciarum, Principi Magno, et desiderabilissimo, salutem, et omnis gratiae fructum. Rediis ad nos dilectus filius Antonius Possevinus, quem ad te miseramus, una cum Jacobo Molvianino Oratore tuo. Facile perspeximus tum ex tuis litteris, quas et Antonius noster primum, tum Jacobus tuus nobis reddiderunt, humanitatem tuam. Narravit etiam idem Antonius multa de tua amplitudine honorificentissime: inter cetera, quoties ad te addiit, benignissime se acceptum esse. De pace cum Rege Poloniae tantam voluptatem coepimus, quantam par erat nos capere potentissimorum Principum conjunctione, et Christianorum populorum, qui antea magna inter se cum caede conflixerant, tranquillitate, et incolumitate, optimaque spe communium virium in Christi hostes convertendarum: quo quidem nihil posset fieri praeclarius, nihil Christianae Reipublicae salutarius. Gratum vero tibi esse, nos nostram auctoritatem, atque operam in pace conficienda interposuisse; fuit id quidem nobis gratissimum, nihil enim unquam egimus libentius: sed ut summam in eo negotio Dei gloriae rationem habuimus, sic praemia omnia ab immensa illius misericordia expectamus: tuam vero tam gratam hujus facti me-



Digitized by Google

moriam omni benevolentia, omnibusque officiis complectendam ducimus. Quod scripta ea, quae postulasti de religione, quaeque tibi petenti Antonius tradidit, attente legisti; quodque et ex tuis litteris, quas superiori anno ad Stephanum Poloniae Regem scripseras, cognovimus, perspectum habere te, semper in Ecclesia Romana sincerum verae fidei cultum, usque a Sanctissimis Apostolis ductum viguisse, incredibiliter laetati sumus, idemque hoc tempore sentire te cupimus: sicut et illud, quod historiae produnt, Isidorum Russiae Metropolitanum in Oecumenica Synodo Florentina agnovisse, palamque professum esse, Catholicam veritatem in Romana Ecclesia retineri; ab eoque tempore Russiam sese cum Ecclesia Catholica Romana conjunxisse. Magnam igitur in spem venimus, te, praeter ea, quae pollicitus es, eorum causa, qui istuc venerint, ceteris quoque in rebus gravioribus facilem futurum; praesertim cum intelligas, quam necessaria, quamque Deo accepta sit animorum in ipsius caritatem conjunctio. Quod vero Christi Domini hostes tam male oderis, quodque in eorum perniciem paratissimus es, facis, quod Christianum Principem, ac tantum Dominum decet. Ut autem nihil dificile est Deo vincere, vel in multis, vel in paucis: sic boni omnes sperant, nullam te opportunitatem omissurum esse, non solum communibus copiis, sed tuis etiam ipsius viribus, atque armis, tuaque potentia monstra illa a Christianorum cervicibus repellendi. Nos vero non cessabimus de eo, quod sapienter, magnoque cum zelo scribis, cum ceteris Christianis Principibus agere, eosque adversus communes hostes vocare. Omnibus autem de rebus amplitudinem tuam suo tempore certiorem faciemus. Interea cupimus ut libros, litterasque eas, quas ad te mittet dilectus filius Antonius, sic accipias: quasi a nobis ipsis mitterentur. Inter eos enim, quos plurimos habemus, doctrina, et pietate praestantes, unus est is, cujus fidem, sinceritatem, et zelum plurimi facimus. Mandavimus etiam ei hoc tempore, cum illum in Germaniam, et in Poloniam, remittimus, ut omnibus officiis tibi praesto sit, omnibus in rebus, quae ad Dei gloriam, et ad dignitatem tuam pertinebunt. Quam ob rem et tu, si opus erit, ad eum scribere, et Tabellarios tuos mittere fidenter poteris, ne quid itineris longinquitas tuo desiderio, et commodis obstare possit. Quod autem jam non unas nobis patentes litteras, fidemque publicam misisti, quibus concedis, ut mercatores nostri, et aliorum Principum, cum Sacerdotibus nostris, ad te venire, et libere istic commorari, et tuto ad nos reddire, quoties voluerint, possint: utque etiam possimus, quoties opus erit, tuto aliquos in Asiam mittere; dici vix potest, quam jucundum nobis acciderit. Hoc quoque vicissim pollicemur, quoties tibi placuerit tuos huc mittere, eos quam tutissime venturos. Pelles, quas misisti, tum superiore anno per Paulum Campanum, tum hoc tempore per Jacobum tuum, accepimus libentissime: ac mittimus vicissim quam Christi Redemptoris nostri imaginem, quam conservabis nostrae sanctaeque hujus Sedis memoriae causa. Oratorem tuum a nobilissima Venetorum Republica praeclare acceptum esse, negotiationumque utrinque, jam facultatem patere (quae quidem omnia per Antonium nostrum curari manda veramus) pergratum nobis accidit. Interea non cessabimus orare, ut Deus benedictus amplectatur te, tuosque omnes, sua gratia, cumuletque omni felicitate. Datum Romae apud S. Marcum, anno incarnationis Dominicae, 1582. Calendis Octobris, Pontificatus nostri, anno undecimo.

Digitized by Google

# XVII.

# REJNHOLDI HEJDENSTEJNII

## DE

## BELLO MOSCOVITICO

## COMMENTARIORUM

## LIBRI VI.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XVII.

# REJNHOLDI HEJDENSTEJNII

## DE

## BELLO MOSCOVITICO

## COMMENTARIORUM

## LIBRI VI.

### *LIBER PRIMUS.*

STEPHANUS Rex, quo confirmata foris cum finitimis omnibus pace ac amicitia, dissidia ex Electionis studiis inter partes exorta facilius componeret, ac in tranquillo statu Rempublicam collocaret; ad plerosque vicinos Principes litteras dedit; quibus more inter Principes recepto Regnum sibi delatum, quamque et in illos benevolentiam, et cum omnibus pacis studium declarabat. In hisce ad Joannem Basilii filium, Magnum Moscoviae Ducem, Stephanum Grudsenscium Polonum, et Leonem Bucovicium Lithuanum cum litteris mittit: se providentia divina, ac Ordinum studiis ad Regnum asscitum; id ita gerere instituisse, ut cum omnibus Principibus Christianis pacem et amicitiam coleret: eodem animo erga illum quoque ut finitimum et Christiani nominis Principem esse: si quae inter ipsum ac Regnum Poloniae Magnumque Ducatum Lithuaniae a majoribus utriusque traditae controversiae intercederent; de iis ex aequo et bono amice inter eos agi posse. Respondit Moscus; etsi audierit Maximilianum Imperatorem in Regem electum: quo minus tamen cum ipso quoque gratia ac amicitia sibi essent, non se recusare: placere sibi, ut majores Legati more majorum mitterentur: interim ab injuria et maleficio utrinque abstineretur. Rex responso hoc accepto, ad domesticas res componendas, maximeque Gedanensium motus sedandos totus conversus, Thoruniae conventum habet: in eodem Legatos etiam in Moscoviam pacis tractandae causa mittendos ex Senatus autoritate decernit. Fuere ii Stanislaus Criscius Masoviae, Nicolaus Sapieha Minscensis Palatini, Theodorus Scuminus Palatii Lithuanici Quaestor. Quibus rebus perfectis, dissensionibus ac in iisdem perseverantia Gedanensium permotus, armisque civitatem persequi coactus, primum copiis illorum urbe egredi ausis per Joannem Zborovium, aulici militis Praefectum, quem ad exercitum cum imperio reliquerat, ad Dirsaviam fusis, ad urbem castra promovet. Quo tempore Moscus occupandae Livoniae tum maxime opportunitatem se nactum ratus, ad vim atque arma astum adjungit. Regebatur Livonia sub nomine Administratoris a Joanne Chodkevicio: in praesidiis pauci Poloni, plerique Lithuanici nominis Praefecti erant: a quibus immoderatius indigenae habiti, simulque non satis in illis praesidii contra potentiam Moscoviticam existimantes, ad res novas fere spectabant. Non ignarus

Digitized by Google

harum rerum Moscus miserat in Livoniam Magnum Holsatiae Ducem, quem cum jam ante ad se transiisset, promissis ac affinitate devinctum tenebat. Rumorem de eo tradit, fore, ut si ultro Livones se dedant, ad exemplum Ducis in Borussia beneficiario jure Livoniam regendam ei traderet; ut auctoritas ac administratio omnis penes Magnum, penes se nomen collati beneficii ac Majestas Imperii essent, quibus rebus adducti Provinciales, hinc odio seu taedio externi Imperii; illinc spe et nimia cupiditate ejusdem linguae ac nationis Magistratus, simul a factiosis quibusdam ac novarum rerum cupidis impulsi, praesidia ex arcibus et oppidis fere omnibus ejiciunt: ipsi Vendam, ubi tum Magnus erat, confluunt: nomen insigniaque Regia illi circumdant: inque verba ejus sacramento se adigunt. Moscus interim Maximo exercitu coacto, in Livoniam nullo impediente, praesidiis omnibus pulsis, ac plerisque arcibus a Magno occupatis penetrat: acceptisque in deditionem Marienhausio, Rosittenio, Ludsenio, Duneburgio, Cokenhausio, Ascherotum usque sine maleficio, ut initio rerum gerendarum clementiae fama colligeretur, progreditur. Confluxerat Ascherotum Magnus utriusque sexus, ac omnis conditionis hominum, maxime autem matronarum ac Virginum numerus: erat ibidem Landmarschalcus, vir aetate, et summis olim in Provincia ea gestis honoribus venerabilis. Moscus omnibus qui arma ferrent, promiscue trucidatis, imbellem sexum Tartaris constuprandum objicit. Inde Vendam recta proficiscitur: qui ibi erant fama tantae immanitatis perterriti portas clauserant. Egressus pro illis deprecator Magnus, composito ad humilitatem habitu, ac genibus illius supplex in genua provolutus adrepens, convicio ac verbere ab ipso Duce in os ingesto excipitur. Cum tantum abesse ab eo intelligerent, ut Magni auctoritate salui esse possent, ut ne ipse quidem periculo vacaret, hostili fraude circumventos se videntes, ira, metu et desperatione incensi, pulverem tormentarium fundamentis subdunt, quo succenso magna utriusque sexus, omnisque aetatis et conditionis hominum multitudo, ac flos fere ejus, quae reliqua adhuc erat, nobilitatis Livonicae, absumtus fuit. Accepta ita in potestatem Venda, ac Rumburgo, quod Vendae imminet, eodem tempore per deditionem potitus, jam universam Livoniam, Revalia et Riga, paucisque circa eas castris exceptis, in potestate habebat. Pernaviam siquidem post discessum Henrici interregni eo tempore interceperat: Vejssenstejnium nobile castellum opere ac natura munitissimum de Suecis: Narvam vero, Derpatum, Felinum, ac Marienburgum aliaque nonnulla, jam multo ante partim de Episcopo Derpatensi, partim de Marianis Livonicis ceperat; ab iisque primum initiis profectus, cum continuas deinde impressiones in provinciam faceret, ut in Sigismundi Augusti ac Regum Poloniae fidem ac ditionem Provinciales tum se conferrent, plurimis detrimentis eos adegerat. Eaque res, cum ad superiores controversias, quas de Russiae locis quibusdam cum Magnis Ducibus Lithuaniae habebat, accessisset, perpetua deinde inter ipsum ac Reges Poloniae belli causa fuit: quod aliquando quidem per inducias positum, ut plurimum tamen varia fortuna, tam in Livonia quam Lithuania gestum, in hunc usque Regem transmissum fuerat. Ceterum Moscus abducto secum Alexandro Polubenscio Chodkevicii Legato, ceterisque Praefectis, in Moscoviam se recepit. Ex itinere litteras ad Regem dat: quibus ut a Livonia omnino abstineat, Regi praescribit, iisdem ad Prussum quendam Augusti Caesaris fratrem, nulli ante hac cognitum, qui Coincii et Marienburgi quondam, et in reliqua Prussia late imperitasset, genus suum referebat, quo ad ipsos Prussiae fines jus Imperii extenderet. Legati, qui ad tractandas pacis conditiones mittebantur, iter coeptum nihilominus prosequebantur: novis in itinere mandatis acceptis; ut de injuriis induciarum ostentatione factis quererentur, satisfactionemque postularent. Dum ad Gedanum Rex castra facit, exercitum in Livonia Lithuaniaque per ostentatam pacem, maxime autem propter difficultates aerarii, quae initia Regni ejus exceperant, nullum paraverat: sub ingruentis tamen hostis famam, nobilitatem Lithuanicam litteris evocaverat, militareque per Ducatum cum Imperium Nicolao Radivilio Palatino Vilnensi, Gregorio Chodkevicio, qui ante illi praefuerat, defuncto, tradiderat. Hic non exigua cum voluntarii militis manu, Seelburgum pervenerat. Interim vero et Gedanenses ad humiliores aequioresque conditiones, multis malis victi et majora timentes, descendere coeperant: cumque Electores duo, aliique Germaniae Principes quidam suas pro illis preces per Legatos interponerent, recepit Rex in fidem civitatem; tum vero ad bellum Moscoviticum, quod jam multo ante animo agitarat,

Digitized by Google

totum se convertit. Ad quod suscipiendum, secundum acceptas injurias, ac Livoniae recuperationem multae causae illum hortabantur: quarum haec vel justissima, quod egregio aliquo facinore, non modo de sui Regni hominibus, verum tot aliis, quibus Imperium Moscoviticum summa cum immanitate conjunctum, vel formidolosum erat, vel grave, bene meriti; eamque ad posteros nominis sui famam propagare studebat, ex qua omnes non modo Regem, sed dignum et Regno fuisse cognoscerent. Praeterea vero ad majores res, quas cogitandas susceperat, et de quibus misso in urbem Paulo Zajonscovio cum Gregorio XIII Summo Pontifice communicarat, si prius Mosci potentiam fregisset, aditum se habiturum sperabat. Hoc animi proposito, in mensem Januarium Varsaviam Comitia edixit. Agebatur autem tum annus septuagesimus septimus, supra millesimum quingentesimum. Rediit interim in potestatem Duneburgum a Borissio Sava, ac Vilhelmo Platero receptum. Hi in omnes occasiones intenti, cum commeatus inopia laborare praesidiarium militem animadverterent, per speciem officii ac comitatis esculentorum, ac poculentorum nonnihil, ac in his vini cremati, quod inopia veri maximo apud Moscos in honore est, vas ei miserant: de quo cum ad ebrietatem Mosci bibissent, illi, qui id futurum cogitarant, noctu scalis admotis, in [illegible], quo solo castrum cinctum est, et in ipsum castrum evadunt: Moscos ex somno et mero vix se colligentes deturbant: castro potiuntur. Non multo inde tempore interjecto, Venda etiam hujusmodi ratione recuperata fuit. Erat sub Matthia Dembinio ex rusticis Lotfinis fabrilis artis peritus quidam, qui sororem Vendae in Moscorum potestate habebat; per cujus visendae speciem et rusticorum commerciorum libertatem cum saepius Vendam venisset, opportunitatem nactus, ceram clavibus oppidi impresserat, adque ejusdem exemplum alias paraverat: rem ita instructam ad Dembinium detulit. Cumque is die constituto, quem festum Mosci agebant, sub oppidi portas cum Joanne Buringio, ac tumultuaria militum manu accessisset, ab una parte scalas Buringio admovente, ac a Lotfinis ipsis, qui Vendae erant, concursu facto, reliquos portis reclusis in oppidum immisit. Dum Varsaviam ad Comitia Rex contendit, nuntium in itinere accepit, ab iis rebus, quas tum agitabat, alienum. Limes Regni Polonici et Magni Ducatus Lithuanici Magna ex parte Borysthenes est; qui in Moscovia ortus modico in occidentem flexu, in meridiem deinde et Pontum Euxinum Magnam aquarum vim trahens fertur: superior fluminis pars ad Lithuaniam pertinet: ad inferiorem diversarum gentium confinia concurrunt: praeter Moscos et Poloniae ditionis Russos, nonnullae Turcicae praefecturae attingunt: non longo et intervallo Valachi ei imminent. In hac tot nationum nec satis pacatarum colluvie, non potest adhuc quamvis a tot seculis pax consistere. Itaque immensa ibi camporum spatia, multi agri inculti, ac deserti ob latrocinia vel metum jacent. Confluere huc ad praedas ex hostico agendas solent; cum ex aliis gentibus, tum Polonis quoque et Lithuanis, ut quisque est egentissimus, vel rerum capitalium damnatus, quosque vel fortuna eorum, vel leges in patria esse non sinunt; superioribus tamen temporibus, cum publice bellum non esset, etiam ex primaria juventute quidam loca ea petebant, odio quietis, ac ne situ, ac otio torperent, virtutis exercendae causa. Magnam partem in aquis ac flumine piscatu ac latrociniis vivunt: hostemque ut ex quoque plurimum praedae sperant, ducentes, barbaris tamen, ut majori inter eos Christianorum numero, ac Tartaris praesertim infestiores sunt, magisque Poloniae Regibus operam navant; quod infimam Poloniae partem, quae ad flumen pertinet, tenent, a loco Nisovii appellantur: interque reliquos Cosaccos: ita enim communi nomine vocantur omnes tam equites, quam pedites, qui ad latrocinia in finibus exercenda, incursionibusque hostiles ditiones vexandas privato instituto, ac voluntaria militia coeunt: hi et numero et virtute plurimum fere valent. Inter hos cum vixisset aliquandiu Joannes Podcova, natione Valachus obscuro alioquin loco natus; sed corporis viribus praestans, et qui soleis equorum ferreis manu disrumpendis nomen invenisset; partim vitae ac studiorum similitudine, partim promissis facile homines ex praeda viventes ad invadendam una secum Valachiam, Imperiumque ejus sibi tradendum adduxit. Petrum Palatinum Valachiae nihil tale expectantem occupant, et prius sede Imperii exuunt, quam ille ulla arma imminere sibi suspicari potuisset. Quod cum Rex intellexisset, et praeterquam, quod sine auctoritate sua alieni fines bello tentati essent; Petrum, cujus dignitati favebat, restitutum vellet, cum per Poloniam, tum in Transsilvaniam ad fratrem Chri-

Digitized by Google

stophorum Principem, ut auxilio suo Petrum juvaret, litteras misit; qui cum alas aliquot equitum et peditum cohortes Stephano Bathoreo Andreae fratris filio Duce auxilio ei misisset; Podcova Nimirovam Polonicum oppidum recipere se coactus in Nicolai Sieniavii Castellani Camenecensis, qui finitimae in Russia militiae praeerat, potestatem venit: ab eoque ad Regem missus fuit. Postquam ad comitia ventum fuit, primo die solenni sacro peracto; altero de Republica sigillatim de Mosci et Tartari injuriis ad Ordines Rex fert, bellumque ne cum his, aut cum utro horum velint, rogat. Cum Mosco bellum jussum, cum Tartaro in praesens dilatum. Hic sub discessum Regis Henrici, solicita ac in omnia alia intenta Republica fines incursarat, populationibusque ac rapinis, omnique immanitatis genere vexarat: obsidionis Gedanensis tempore magna manu facta praedas egerat: illis ipsis Comitiorum diebus, fama nuptiarum, quas Constantinus Ostrogiae Dux Palatinus Kioviensis, propinquae suae faciebat, excitus, in Voliniam excurrerat: Ducem Ostrogiae obsederat. Pacato tumultu Gedanensi, exercitum, quem sub Gedano habuerat, in Russiam Rex ad fines tuendos miserat: jamque aliquot turmae in Voliniam pervenerant; quarum Imperium, cum de Tartarorum excursione rumor interim allatus esset, Joanni Zbarascio Palatino Braslaviensi, extra ordinem tradiderat. Ex iis quidam non longe Torcino in agmen hostium, ut adventu exercitus nondum cognito, incuriosius praedas agentium, inciderant, praelioque subito contracto superiores discesserant; unde de appropinquantibus copiis certior Tartarus factus, cum delectos ab exercitu contra Zbarascium misisset, qui ex instituto eorum, quid virium, ac animi hostis haberet, explorarent: Iique ad Zaslaviam in nostros incurrissent: fortiter impetu eorum a nostris excepto, mox se receperant: Tartarusque pactus inter cetera a Duce, ut de amovendis a finibus Nisoviis apud Regem laboraret, quorum latrocinia solam bello causam obtendebat, recesserat; in praesens tamen haec dissimulari placuit. Ex hoste enim inope et vago quemnam magnopere fructum expectari? Cum arma potius Turcica ad ipsius injurias provocarentur: qui solum in quo insisterent, suum; ipsos fiduciarios possessores esse diceret. Ex Mosco quo major ejus potentiae fama, eo majorem gloriam in praesens, nomen ad posteros parari: urbibus ac opibus florentissimam olim provinciam Livoniam, et cum aliis opportunitatibus; tum maris commodis affluentem victoriae praemium peti. Ita contra Moscum susceptum bellum, simulque ut in hostico exercitus haberetur, scitum, priori intra fines continendi militis, ac propulsandi hostis ratione domesticis incommodis, ac superioris aetatis exemplis refutata. Proxima huic de pecuniis fuit. Delecti fuerunt e Senatu primores, qui quanto in bellum milite, quanto in militem stipendio opus esset, dispicerent, scitum tributum in singula jugera floreni unius: cerevisiale item in oppidis et urbibus, quo in singulas tonnas duo de vigesima cujusque pretii pars exigeretur. Majus id fuit, quam ullum antehac quisquam meminisset: consensere tamen omnes praeterquam Cracoviensis, Sandomiriensis, et Sieradiensis Palatinatuum Legati: quod nulla ejus tributi sciscendi mandata se a suis habere dicerent. Noluerat Nobilitas, vel bellum, vel tributum sciscere: nisi de judiciis simul, quae jam Sigismundi Augusti temporibus postulare coeperat, in interregnis autem ipsa sibi sanxerat, perfecisset. Antiquitus a judiciis municipalibus ad conventus Palatinatuum, ad quos quodque municipium pertineret, inde ad Regem in Comitia provocatio erat. Cum a Sigismundo Augusto propter tenuiorem valetudinem infrequentius judicia haberentur, ut ex suo corpore constituere sibi judices liceret, Nobilitas petierat: Restitit Augustus, dum vixit; unde illa a Rege id impetrandi spe dejecta, tempore interregni priusquam in Regem Henricum eligeret, inter alias hanc quoque de translatione judiciorum conditionem ei tulerat, isque acceperat. Post discessum igitur Henrici, Nobilitas per singulos Palatinatus, ut cuique maxime expedire visum fuerat, ex suo Ordine, qui causas appellationis judicarent, delegerat: qua ex re cum, quod evenire necesse erat, magnam omnium rerum perturbationem consequi Rex animadverteret, in causa minime amplius sibi integra, pro re nata optimum ratus, si ad unam formulam omnia revocaret, sanxit hic: ut non per singulos Palatinatus judicia haberentur? sed in singulis Palatinatibus majoribus bini, minoribus quibusdam singuli e Nobilitate quotannis delecti, primum Martini usque ad Paschatos Poloniae majoris Nobilitati Petricoviae, minoris deinde a Paschatos usque ad messem Lublini, jus dicerent, itaque omnia privatarum rerum judicia penes Nobilitatem deinceps es-

Digitized by Google

sent: publica, juris item Regii atque fisci judicia, in eo quo antea statu fuerant, penes Reges manerent: quemadmodum et earum terrarum, quae suis legibus ac diverso a ceteris jure uterentur. Moram huic rei nonnullam afferebat, quod Nobilitas a munere judicandi Senatorium Ordinem exclusum volebat: hi contra tenderent, iniquum esse, dignitatem suam, quae commodo sibi esse debebat, in injuriam suam verti: et qui alios in Nobilitate, honore anteirent, a communi Nobilitatis corpore in re publici juris, et ad omnes pertinente sejungi. Obtentum tandem, ut tam ex Senatoribus, quam reliqua Nobilitate, pro arbitrio Nobilitatis rebus judicandis praeficerentur. Inter Regem quoque et Nobilitatem controversiae nonnihil fuit, quod Nobilitas Regias quoque urbes rebus a se judicatis teneri vellet, superioribus etiam temporibus quasdam causas earum judicasset; remisit Nobilitas: inventaque ratio fuit, ut quia jam causas aliquas hujusmodi judicasset, easdem in judicium vocatas denuo in iisdem Comitiis Rex cognosceret. Cumque Magistratus quoque ac Praefectos Regios ad jurisdictionem suam pertinere Nobilitas vellet, quod cum ii fere res judicatas exequerentur: frustra sibi judicia tribui diceret, sine ulla in eos, qui res a se judicatas exequerentur, jurisdictione; assensit Rex, ut quatenus rerum judicatarum executio a Magistratibus ceterisque officiis peteretur, auctoritati Judicum parerent; supererat certamen inter Ecclesiasticum et Civilem Ordinem: cum hic eodem, quo reliquam Nobilitatem, Ecclesiasticos jure uti vellet: illi judicia haec Nobilitatis, quae cum diversae religionis hominibus communicari intelligebant, multis nominibus suspecta sibi esse, obligarique se illis nolle confirmarent. Ostendit his Joannes Zamoscius Cancellarius, non majus periculum eos suscipere, si in jurisdictionem consentiant, quam si cum obtemperare ei nolint, poenis deserti vadimonii, et contumaciae coerceri se patiantur: quod in Palatinatuum judiciis eo usque factum antea fuerat, ut praeter alios Archiepiscopus in majorem fere centum quinquaginta millium condemnaretur: Addidit consilium, ut quoties Ecclesiastica res in judicium veniret, ad sex ex Nobilitate, Ecclesiastici Ordinis totidem, qui pari auctoritate de ea cognoscerent, adjungerentur; quorum si pares sententiae extitissent, ad Regem in Comitia ampliaretur. Res per aliquot dies ducta, eum tandem ad modum composita fuit. Agitatum in hisce comitiis et de proscriptionibus fuit. Moribus gentis Polonicae, qui creditarum ceterarumve privatarum rerum condemnantur, iis si sententiae judicis non pareant, multa dicitur: quae si spreta fuerit, priori triplo major dicitur: si ne tum quidem obtemperatur, manu militari in bona missio decernitur: contra quam, si quis se opponat, a praefectis proscribitur. Quod olim acerrimum contra decoctores telum fuerat, luxuria temporum, per eamque multitudo obaeratorum labefactaverat; itaque vulgo contemnebatur, resque magis multorum sermonibus jactata fuit, quam nova remedia ulla ei allata. Auditis deinde externorum Principum Legatis, Georgius Fridericus Marchio Brandeburgensis ad valetudinarii agnati sui Alberti Friderici, Alberti Prussiae Ducis filii curam admissus fuit; investitura, quam vocant accepta, solenne juramentum Regi praestitit. Adfuere ei in caeremoniis iis Saxoniae Electoris, et Virtembergici Principum Legati. Brandeburgensis Electoris Legati cum Principis sui nomine, tanquam ad simultaneae investiturae jus pertinentis vexillum contingerent. Nobilitatis nuntii contra protestati, quod primis illis inter D. Sigismundum et gentem Brandeburgicam conventionibus ea Marchionum Brandeburgensium stirps feudo comprehensa non esset, quae postea privata auctoritate et Ordinibus insciis acta essent, rata se non habere ostendebant. Aderant et Pomeraniae Ducum Legati, Principumque suorum nomine in Bithoviensem Leoburgensemque tractum jus majestatemque Regni agnoscebant, litterasque investiturae accipiebant. Legati interea, quos ad Moscum missos supra demonstravimus in Moscoviam pervenerant, atque Mosco suo ipsius ingenio feroci, tum ob rem in Livonia prospere gestam multo etiam superbiore, contumeliis ludibrioque excepti indignissime habebantur: multa in nomen Polonicum et Lithuanicum contumeliose ab eo dicta factaque fuere: cumque ex instituto utriusque gentis lautia utrinque Legatis, qui missi fuerint, praebeantur: emere victum, nec moris sit, nec si velint, in Moscovia possint: non nisi sordida ac vilissima quaeque cibaria per summam indignitatem iis ministrari jussit. In colloquiis deinde cum Legati non nisi de induciis agendi mandata se habere significassent, trium annorum inducias iis dat: litteras autem, quas Legati obsignare debebant, sine ulla conditione pure perscribi ju-

Digitized by Google

bet: alias deinde, quas ipse Legatis traderet, sub signo suo subjicit: in iis hasce conditiones adjecerat, ut universa Livonia una cum Riga et Curlandia, quae in potestate Regis adhuc erant, et quidquid usque ad fines Prussiae pertineret, Rex sibi cederet: Livonem nullum praesidium suum implorantem, multo minus civitatem ullam reciperet, ullave ope auxilio suo juvaret. Hasce cum ex more jurejurando placita confirmare deberet, amotis iis, in quas Legati ante juraverant, solas profert, jurejurandoque in eas se obstringit: atque ita nullo amplius de his tractandi loco relicto, ex Moscovia abire Legatos jubet; novisque eodem tempore in Livoniam copiis missis acerrime Vendam oppugnat; quae sub exitum Comitiorum audita omnium animos ad bellum Moscoviticum jam conversos, ira ac indignatione eo magis accenderunt. Venda tamen a Moscis frustra oppugnata fuit. Nam cum per aliquot dies tormentis vehementer muros verberassent, aliquam etiam partem muri diruissent: Dem . nus ob exiguitatem praesidii urbi metuens, cohortatus suos, ut eam secum ingrederentur, cum tenere non potuisset, quod illi propter inopiam commeatuum, et non exsoluta stipendia minus prompti ad pericula suscipienda essent: et quia magna ex parte equites erant, minus etiam virtuti suae locum in praesidio fore putarent: tandem ut propius saltem secum accederent, si forte excubias et castra hostium turbare possent, contendit, quod cum impetrasset, noctu silenti agmine eos ducens, paulo ante lucem sub portis urbis sistit: ostenditque, quod ab hostibus jam videri cepissent, a tanta hostium multitudine facile circumvenire posse: itaque potius, ut viros fortes ac militares deceret, urbem ingrederentur, virtuteque sua urbem contra hostem, et urbe se tuerentur. Ita urbem ingressi, eidem saluti ac praesidio fuerunt. Muris enim, qui diruti ab hostibus erant, magna cura subitario opere noctu expletis, omnibus in locis fortissime hosti occursum fuit. Itaque vere jam imminente Mosci soluta obsidione, praemissis primum tormentis discesserunt; quos Alexander Chodkevicius praefectus Grodnensis, cujus Joannes Chodkevicius patruelis vicaria in administranda reliqua Livonia opera utebatur, quamvis minus commoda valetudine esset, contractis tamen undique ad Seevaldum copiis aliquandiu persecutus, adipisci tamen haud potuit. Sub idem fere tempus Magnus Dux Regis fidem secutus, a Mosco discessit. Adolescens hic summo genere natus cum Curoniae et Osiliae Episcopatum in Livonia teneret, perditis quorundam consiliis ac promissis Mosci et adolescentia adductus, cum per aetatem ipse rebus suis consulere non posset, ad Moscum transierat. Ab eo fratris patruelis filia in matrimonium ei tradita, speque injecta fore, ut suo beneficio totius Livoniae Regno potiretur, ad Revaliam obsidendam magno cum exercitu missus fuerat; a qua infecta re discedere coactus, tempore obsidionis Gedanensis iisdem cum promissis in Livoniam, quemadmodum supra dictum est, remissus fuit; ubi territus crudelitate Mosci, quodque ademptis ei, quae tenebat in Livonia castellis, ad fines Scythiae deportare eum in animo haberet, per indicium cognito, cum quanto in periculo versaretur, cogitaret: transeundi ab eo consilium cepit: paulatimque e potestate ejus se subducens Lempsaliam, inde propius Rigam ac fines regios se recepit: Regemque per Ducem Curlandiae crebrosque internuncios ac litteras, ut in fidem se reciperet, solicitabat. Rex in earum rerum incertitudine, cum et varia de discessu ejus jactarentur, ut neque, an fratri ejus Regi Daniae, ceterisve propinquis ipsius consilium id ejus probaretur, aut fortunae ejus curae omnino essent, perspectum habere posset, de deditione nihil quidem tum cum illo constituit: fide tamen publica versari eum in Livonia se passurum ostendit. Postea profecto in Livoniam Nicolao Radivilio Palatino Vilnensi, eidem ut cum Duce Magno, quod in re praesenti e Republica esse perspexisset, ibidem constitueret, permisit. Hic cum in Curlandiam venisset, ad eumque Magnus accessisset, in fidem illum cum omnibus ditionibus ejus regio nomine recepit, inque verba Regis sacramento adegit; conditiones deditionis hae fuerunt: ut quas teneret possessiones, eo quo alii beneficiarii Principes sua possiderent jure, a Rege ei permitterentur: aut pro illis aliae non deteriori conditione pro amplitudine generis et familiae ejus aliquo alio in loco darentur. Ubi de eventu Legationis Rex certior factus fuit, mittit statim ad Moscum Georgium Haraburdam, qui non aliter induciis iis teneri se velle Mosco renunciaret, quam si de Livonia conditionem, quae nec a Legatis accepta esset, remisisset. Moscus retento Haraburda, legationem interea ad Regem, quae ad rata habenda pacta induciarum, juramentoque confirmanda eum adduceret, destinat; ac praecipitante jam

Digitized by Google

aestate exercitum alium multo priore validiorem majorique apparatu instructum ad Vendam, quam a nostris interceptam, ab eoque postea obsessam, supra ostendimus, mittit. Priusquam ulterius progrediar, pauca hoc loco de Principum Moscorum origine, potentia, moribus gentis, totiusque Imperii statu praemittere placet. Antiquissima Imperii Russici sedes primum Novogardiae, inde Kioviae, posterioribus vero temporibus priusquam Moscoviam transferretur, Vlodimiriae etiam fuit: cujus hanc ob causam hodie adhuc titulos Moscoviae titulis Dux anteponit. Genus Principum ad Varagos annales Russici referunt: Gentem, ut pleraeque priscae, nunc obscuram: sed tamen, quam ultra marinam fuisse iidem annales testentur. Ex ea tres fratres asscitos primo a Novogardiensibus, qui Slavi jam tum fuerint receptos, imperium Novogardiae condidisse, eique Ruricum natu majorem fratrem praefuisse, reliquis duobus alias Russiae partes Bialojeserensem et Isboriensem obtigisse tradunt: Ruricus ex Olga Plescoviensi Sventoslaum deinde filium habuit. Hic magno cum exercitu in Bulgariam ad Danubium usque progressus, devictis Bulgaris et Graecis, quibus tum Bulgari parebant, cum agros et cultum, et copias provinciae adamascet, sedem Imperii in ea sibi delegit. Jaropolco filio Kioviam, alteri Olego Drevlanos administrandos reliquit: Novogardiam Vlodimiro Malci cujusdam Lubcani, ut annales habent, filio ex ancilla Olgae Plescoviensis suscepto concessit; qui cum a Jaropolco Regno pulsus trans mare fugisset, auxiliis maritimis comparatis reversus, cum quae primae objectae ei fuerant ditiones, tum Kioviam dejecto Jaropolco occupavit, tenuitque. Ab hoc omnes deinde Principes Russiae profecti traduntur. Nam cum 12 filios reliquisset, divīsa inter eos omni Russia, imperium ac domicilium Imperii Kioviam majori natu Sventopolco tradidit. Huic sine liberis mortuo, duo alii fratres Jaroslaus et Isjaslaus ordine in Regno successerunt: Post eos Vlodimirus Monomachus Vsevolodi Vlodimiriae Ducis filius, cujus hodie adhuc magnum apud Russos nomen est. Ex eadem stirpe potitus imperio fuit; quod interpellatum quidem interim ab Vsevolodo Sventoslai ex Olgo nepote, et Igoro pronepote, qui avitum regnum recuperare conatus fuerat, penes Vlodimiri posteritatem nihilominus remansit: sequentibusque temporibus Andreas Dux Susdaliensis ab eadem Vlodimiri stirpe profectus, foedere cum undecim aliis cognatis Ducibus inito, dejecto Micislao, qui ex Monomachi posteris Regnum Kioviae tenebat, Micislaum filium ei imposuit; hic primus sedem Imperii Volodimiriam, principatumque in Susdaliensium domum transtulit; quem qui tenebat, etsi imperium in reliquos agnatos Duces non habebat: Magni tamen Ducis nomine utebatur, dignitateque ac honore ceteris, qui comiter quasi majestatem ejus colebant, antecedebat; cumque honor is antea vel successione, vel reliquorum omnium studiis uni deferretur, nonnunquam vi ac armis occuparetur: posteaquam in Tartari potestatem concesserunt, ab eo peti coepit. Imperii autem Tartarici circa annum ab orbe condito 6732 quemadmodum Russi annos numerant, a nato autem Christo ducentesimo vicesimo quarto, supra millesimum in annalibus eorum mentio fit; quo Tartari contra Cottianem Ducem Polovsciorum cum exercitu progressi, Russiam vastarunt; cumque Cottian Micislaum Romani filium Ducem Siernoviensem seu Kioviensem: utroque enim nomine in annalibus appellatur: qui filiam ejus in matrimonio habebat, et complures alios Russicos Duces in auxilium evocasset, die 17 mensis Julii ad Calcam magno praelio eos Tartari superarunt: undecim Russicos Duces: Heroes, ut annales appellant, equitum forte genus quoddam, ad septuaginta interfecerunt: multos captos egerunt. Reversi deinde Batti Duce tredecimo anno post quadragesimo quinto nimirum supra 6700 subjugaris primum Resanensibus et Vlodimiriensibus, ceterisque fere omnibus Ducibus, universam Russiam sibi subjecerunt: et quamvis non raro deinceps quoque bello cum iis Russi contenderent, tributariam tamen semper fere inde habuerunt. Ab eo igitur tempore Magni etiam Duces a Tartaris Russiae dari coeperunt. Dabantur autem fere, quemadmodum ostendimus e Susdaliensibus. Moscorum Ducum, atque ipsius adeo civitatis aequalis temporum Batti ac vastationis, quae ab illo Russiae illata est, memoria in annalibus eorum extat. Inter alias enim urbes Moscoviam quoque a Batti expugnatam, ibidemque Philippum quendam Palatinum et Vlodimirum Georgii Magni Ducis filium captum a Tartaris tradunt. Anno ab orbe condito XII. S. 6800 Andrea Alexandri filio Magno Duce mortuo inter Michaelem Jaroslai filium Tverensem, et Georgium Danielis filium Moscoviae Ducem, de principatu Magnoque Vlodimiriae Ducatu contentio fuit, quem cum uterque a Tartaro peteret, Tartarus primo Michaelem, retento

Digitized by Google

penes se Georgio, inde aliquo tempore interjecto 25 anno supra 6800 Georgium Regno confirmavit: indeque ad hoc usque tempus, quamvis aliquando Russi universi Susdaliensem iterum dari sibi a Tartaro peterent, perpetuo tamen in Moscoviae Ducum familia honor is permansit. Ex quibus quum proavus hujus nunc rerum potitur, Basilius Basilii filius post patrem et patruum Constantinum imperasset, conspiratione a Demetrio Georgii filio cognomento Szemiaca Duce Severiensi, Joanne Andreae filio Mosajscense, Borisso Alexandri filio Tverense Ducibus contra eum facta, Regno ab iis exutus, luminibusque a Georgio Severiense orbatus fuit: verum a Novogardiensibus adjutus Regnum recuperavit, pacateque deinde id obtinuit. Successit huic Joannes filius, qui primus eam, ad quam nunc excreverunt, potentiam fundavit. Ducem Tverensem, quamvis uxorem ex ea domo haberet, Regno pepulit, principatumque obtinuit: haud multo post et Novogardia Magna per fraudem capta, in servitutem eam redegit, et alios principatus tentare coepit: eoque potentiae pervenit, ut ceteris Ducibus metu concedentibus, nemo qui cupiditati ejus resistere auderet, reperiretur. Idem Tartarorum jugum primus excussit, conjugis Sophiae Graecae e Palaeologorum genere, quam mortua Tverense superinduxerat, ingentis spiritus mulieris vocibus impulsus. Haud dissimili deinde ratione filius ejus Basilius potentiam, cujus pater fundamenta jecerat, in immensum fere auxit. Ad ea, quae pater pepererat, Smolenscensem Ducatum Maximum, ac quidquid Severiensis ditionis reliquum erat, adjecit: Casanos mari et terra tentavit, Principes omnes agnatos ditionibus suis exutos, tum Plescoviensem civitatem maximam in servitutem redegit. Successit ei in imperio hic, qui nunc rerum potitur, Joannes: qui et ipse Regnum amplissimum a patre acceptum, fortuna ac industria adjutus multo id fecit amplius. Casanense et Astracanense Regna a patre summis viribus oppugnata cuniculorum et pulverum maxime, quos cuniculis in urbium oppugnationibus subjecerat, novo iis temporibus apud illas gentes artificio adjutus, in ditionem redegit: marique omni Caspio, una cum iis in potestatem accepto, ad Persidem fere imperium protulit: Livoniae maximam partem per dissensiones Livonum occupavit: Suecos multis saepe cladibus affecit: Polociam temporibus Sigismundi Augusti cepit: cumque Selymus Turcarum Imperator Tanaim flumen cum Rha flumine maximo, quem Russi Volgam sua lingua hodie appellant, conjungere statuisset, ut classe ex Ponto Euxino adverso Tanai in Rha invectus, Astrachanum in ostio fluminis Rha, quo in mare Caspium influit, situm, ac per id universum mare Caspium potestatis suae faceret, Turcae quoque victi fama ei quaesita fuit. Nam cum Selimus a Sigismundo Augusto per Ibraimum Chausium, qui ex nobili Strassorum familia in Polonia natus, a pueritia impietate Turcica imbutus, ac maximis deinde praemiis ob ingenii elegantiam affectus fuerat, per ditiones ejus transitum exercitui postulasset, is vero a Sigismundo Augusto negatus ei fuisset, Selymus nihilominus per Tartariam ad perfodiendum spatium isthmi, quod inter duo haec flumina angustissimum est; jamque Moscovitico solo continetur, exercitum misit; qui cum per vastissimas solitudines ivisset, Tartaris ipsis invitis negotium administrantibus, ac ante viarum incommodis attritus Moscis objectus fuisset, nullo operaepretio perfecto discedere coactus fuit. Ita repente collecta potentia non finitimis modo omnibus, sed remotioribus etiam quibusque nationibus terrori Moscus jam erat: eoque fastus in tanta finium ac rerum gestarum amplitudine processerat, ut omnes alios Principes prae se contemneret: nullamque gentem esse existimaret, quae opibus ac potentia contendere secum posset. Cum ante hac Caesiorum, Ducum scilicet nomine, magni cognomento, quo eos, qui ipsis parebant, praeirent addito, usi essent: Pater hujus Basilius repetito ex interpretibus Slavicis sacrarum litterarum nomine, primus Ciarium, quod Regem eorum lingua significat, appellari se voluit: eoque a Maximiliano ejus nominis Primo Imperatore appellatum se jactabat. Ad religionem Christianam a Basilio quodam Archiepiscopo Constantinopolitano nomen Russicum perductum, sacrisque Christianorum initiatum ipsorum annales, ac Byzantina etiam historia habet. Itaque ut primo religionis autore Graeco, ac frequentibus deinde inter Graecos et Russos per Moesiam ac Illyrium, quae a Slavonicis ejusdemque linguae gentibus tenebantur, tum Kioviam, quae per Borysthenem cum Ponto Euxino conjungitur, commerciis, cum litteras Graecas, tum ritus a Romanae Ecclesiae institutis diversos magna ex parte retinent: ut non pauca tamen ex illis ipsis cum tempus, tum Metropolitarum ac aliorum Episcoporum Principi suo obsequendi studium depravarit. Leges quibus

Digitized by Google

utantur, paucas admodum habent: eamque fere solam ut Principis voluntatem pro lege observent. De eo ita illis persuasum est, Metropolitis maxime opinionem hanc eorum juvantibus, per Principem tanquam interpretem Deum secum conjungi: ac prout de Deo meriti sint, ita Principem vel benignum in se vel asperum esse. Itaque voluntati ejus non secus ac divinae, seu turpia seu honesta, seu mala seu bona jubeat, omnibus in rebus parendum pro fidei decreto habent: illeque vitae ac necis omniumque rerum summam in suos potestatem obtinet. Quod ut ad potentiam comparandam conficiendaque bella maximum habet momentum: unum omnibus rebus summa cum auctoritate praeesse: omnia imperia solum administrare: eundem et consiliorum dominum, et rerum omnium auctorem esse: exiguo temporis spatio copias quam maximas cogere posse: fortunis civium ad potentiam suam stabiliendam pro suis uti: et quemadmodum iis rebus maxime auctoritas ac opes Mosci creverunt; ita crudelitas quoque ejus ac dominandi asperitas vehementer confirmata est. Itaque cum infinitos pene variis caedibus sustulit: tum maxime Andream fratrem patruelem, ob novarum rerum suspiciones quasdam cum liberis omnibus ac universa familia, una sola filiola, quam Duce Magno deinde locavit, relicta, exquisitissimis cruciatibus necavit: Nobilitatem Novogardiensem amplissimam, quam fratris rebus studuisse suspicatus fuerat, funditus pene excidit: popularium quacunque incederet, saepe magnam stragem fecit; cum ut turbae hominum miserorum gratiam ac misericordiam ejus implorantes illi sese obtulissent, a satellibus minutim eos concidi; vel maximo numero sub glaciem, qua magnam partem anni, lacus ac flumina consistunt, mergi juberet; de quo cogitanti eo magis mirum videri necesse est, quomodo quae a ceteris Principibus indulgentia ac obsequio in suos vix parari soleant, in tanta nihilominus immanitate singularis erga eum populorum caritas atque incredibilis, quae eorundem in Principes suos est fides, existere possint: ac non modo seditiose nihil fere contra eum ab iis suscipi, sed et in praesidiis tuendis incredibilem constantiam praestari: paucosque omnino ab eo transfugere: non raros autem repertos hoc ipso bello, qui vel maximis praemiis propositis fidem tamen erga Principem vel cum periculo suo iis anteposuerint. Hujus rei cum aliae nonnullae causae sunt, tum maxime praeter eam, de qua supra dictum est, duplex religionis opinio. Nam et omnes, qui in religione ab iis dissentiunt, etiam eos, qui Romanae Ecclesiae ritu utuntur, Barbarorum loco habent, ac tanquam pestem aliquam detestantur; nihilque omnino cum iis commune habere fas ducunt; ex qua existimatione illud quoque profectum est, ut Princeps quoties externos Legatos audit, in pelui aquam admotam habeat, qua manus quasi illorum contagio pollutas subito abluat. Et suae religionis institutis eandem, quam Deo, Principi suo fidem se debere edocti, non minus vel constantiam eorum laudant, vel relictis corporibus animos in coelum protinus emigrare, ac coelesti beatitudine frui praedicant, qui fidem erga Principem suum ad extremum usque spiritum retinuerint, quam qui ex discipulis Servatoris nostri in singulari erga illum pietate atque fide ad mortem usque perstiterunt. Superstitionem alunt imperio suo Principes: dum ad nullas exteras nationes, nisi si quos in Legatione atque ita quidem mittant, ut singulis Legatis singulos custodes ponant, nec cuiquam remoto custode cum aliquo colloqui liceat, quemquam commeare: aut exteros etiam promiscue commercia cum suis agitare patiuntur. Ita fit, ut quasi perpetuis ignorationis tenebris oppressi aliarum gentium humanitate non perspecta nec percepta omnino dulcedine libertatis, praesentia melioribus, cognita dubiis anteponant. Accedit ad haec metus amorque ac cura cujusque suorum, quae magnos etiam animos, libertatique assuetos facile debilitant. Quos enim exercitibus aut praesidiis praeficit, aut ulli omnino muneri adhibet, eorum conjuges, liberos, propinquos, et quae carissima quisque habet, obsidum loco semper retinet: in eosque omnia cruciatus exempla edit, si quis illorum ab eo desciverit, aut si qua res non ad nutum, aut voluntatem ejus facta sit. De rebus tamen creditis, contractibus, aliisve privatis rebus pauca quaedam apud ipsos jura scripta sunt. Poenarum tria omnino genera iis nota sunt. Mortis, cujus infinita foedaque genera: multarum et fustium: quae tamen in immensa Principis potestate, non minus frequenter, quemadmodum dictum est, pro libitu ejus, quam pro merito plerisque irrogantur: carcerem ad custodiam magis, quam poenam habent: exilia plane iis ignota sunt. Senatum, cum pro libidine omnia administret, in speciem magis habet. Magnam is partem ex Cnesiis constat, quo nomine Duces, ut ostensum est, appellant,

Digitized by Google

primaevorum Ducum a Moscoviae Principibus oppressorum posteritatem, aut quos Princeps pro cujusque meritis, aut sua in quemque gratia in nomen vel ordinem eum legit. Nobiliores cum aliis insignibus a vulgo distinguuntur, tum quod patris nomen titulis aliis ad exemplum Principis soli praescribant. Magnificum hoc apud illos, eoque ad aequales, aut inferiores solum utuntur: ad Principem non modo patris nomine usurpando abstinent, sed ne suum quidem, nisi propria linguae ejus enuntiatione quodammodo corruptum, quo non modo servos ejus, sed quasi homunciones, non homines cum illo comparatos se significent, ponunt. In exercitu parvum tympanum ad ephippia singuli item suspensum gerunt: quo quoties agmen sisti usus est, a primo impulso, sonoque a proximis excepto, et ceteris deinceps tradito, exiguo temporis momento totus exercitus consistit. Metropolites Senatum non ingreditur: consilio tamen ejus quoque nonnunquam utitur: aut quo majorem sibi apud populares venerationem conciliet, uti saltem se simulat. Militiam more ceterarum gentium ex equitatu et peditatu compositam habet: equitibus tamen Tartaris Nohajensibus maxime utitur. Nulli sane rei magis, quam munitionibus fidit. Itaque et oportunissimis locis intra lacum aut fluminum ambitus plerasque sitas habet: praesidiisque, apparatu, commeatuque et omnibus rebus necessariis diligentius fere, quam quisquam alius Princeps eas instruit. Ei rei jam ab eo tempore studere coepisse videntur, quo humilibus adhuc rebus eorum non multum viribus contra potentiores vicinos poterant: sed locorum ut plurimum opportunitatibus sese tuebantur: iisdemque intercipiendis crescebant: postea quod semper, quoties praelio cum vicinis maximeque Polonis decertassent, inferiores suos discedere animadverterent, nec multum in praelio virtuti suorum credere se posse re ipsa edocti essent, necessario retinuisse. Castella fere omnia, ut in magna lignationum copia ex materia multis ingentibusque trabibus congestis extructa apud ipsos sunt: quae eadem cespite nonnunquam vestire: omnia autem crebris propugnaculis ac turribus distinguere, fossis praeterea, quibus nativae desunt, manu factis, valloque ac cervis circumdare solent; quae res efficit, ut non solum opus ad speciem inelegans non sit, sed ante hoc bellum, quo pleraque candentium globorum incendiis a Rege expugnata fuerunt, ad defensionem etiam tutius, majoremque quam lapis opportunitatem habere crederetur: quod tormentorum ictibus facilius, et resistat materia, et si quando iis pateat, non tamen, quod in saxo accidere solet, magnam muri stragem secum ferat; quae tamen ad Livoniam pertinent, ex lapide etiam muros habent. Praesidia nobilitati singulis annis pro arbitrio indicit. Ex ea descriptos perque munitiones distributos non longius anno in uno praesidio continet. Adjungit his pyxidarios ex plebe stipendiarium militem. Praefecturae item annuae sunt. Praefectos ternos plerunque designat, primum, qui praecipuam curam munitionum gerat: cuique nullum omnino in casum extra munitionem egredi, nedum pernoctare licet: reliquos duos primo custodes ponit; quorum alteri, si id usus postulet, in eamque rem mandata a Principe habeant, excursiones facere, munitionesque excedere permissum. Eos sua lingua ad Polonicorum Palatinorum exemplum, quamvis nec perpetuus in honor sit, et unius saltem castri imperio, eoque inter plures communicato terminetur, Vojvodas tamen quasi belli Duces appellant. Aurum, argentum, caeteraque metalla naturane an quaerendarum rerum earum inscitia illorum iis negarit, non facile affirmarim; utuntur sane omnibus hisce importatis; e Perside sericum, vestem pictam, gemmas, unionesque habent: cum Germania aliisque remotioribus Occidentis oris arma, tormenta, pulverem tormentarium, argentum etiam atque aurum suis mercibus, pellibus pretiosis, quibus maxime abundant, lino praeterea, cera et corio magnam partem permutant; ejus negotiationis Narvam, posteaquam in potestatem ejus pervenerat, posterioribus temporibus sedem Moscus constituerat. Angli etiam Norvegiam, Lappiamque ac totum quasi Septentrionem circumvecti per mare glaciale viam sibi patefecerunt, qua Vologda fluvius ex penitiori Moscovia se effundens, portum D. Nicolai eo in mari efficit. In moribus gentis praeter fidem in Principem, laborum, inediae, caeterorumque incommodorum, quorum est tolerantissima, patientiam, mortisque ipsius contemptum probes; homines ceteroquin in libidinem proni sunt, nec feminarum solum amoribus dediti, quam ob causam et impuberes fere matrimonia contrahunt, sed et puerorum: ingenio fallaci, atque dolos ac fraudem prava consuetudine versutissimo: non minus fortassis ad bonas artes promto futuro, si qui iis imbuat, extiterit. Rex Varsavia digressus ad Russicas

Digitized by Google

res componendas Leopolim contendit. Antequam discederet Cracoviensis, Sandomiriensis, et Sieradiensis Palatinatuum, quos in sciscendo tributo a reliquorum omnium consensu se sejunxisse supra ostendimus, conventus edixerat. In itinere cognoscit Sieradiensem Palatinatum mox assensum: reliquos duos in recusando tributo perstare. Subsistit hanc ob causam Sandomiriae: eoque minoris Poloniae Senatores omnes evocat. Ex horum sententia Palatinatuum eorundem denuo communem conventum Corcini habet. Assensi hic tandem et ii fuerunt, remittente Rege de tributo cerevisiali, ut ubi duodevigesima a Regiis et ecclesiasticis, vicesima quarta a nobilitatis subditis exigeretur. Leopoli Tartaricas legationes Rex audiit: ad eas rogatu Tartari Turcarum Imperator suum legatum adjunxerat. Facta cum Tartaro pax fuit iis conditionibus, quibus sub prioribus Regibus eam habuisset; attulerat litteras a Principe suo scriptas, in quas pacem postulabat: in iis de finibus non nihil adjecerat, et de Nisoviis accuratius sibi caverat. Rex non receptis litteris, iisdem quibus majores sui legibus eam coluissent, se quoque pacem cum eo observaturum, donativaque ab illis dari solita daturum verbo respondit. Ita per totum Moscovitici belli tempus pax a Tartaro fuit. Ne vero a Nisoviis quoque per absentiam suam quid turbaretur, exemplo et metu continendos existim ansde Podcova captis supplicium sumit: Amurate Turcarum Imperatore, ut sibi dederetur, per legatos deposcente. Illud autem ut faceret, eo graviores causas habere se videbat, quod Cosaci prioris expeditionis successu nondum ab instituto dejecti, ejusdem Podcovae minori natu fratre Alexandro in Valachiam reducto Petrum Palatinum denuo non sine proprio periculo deturbarant. Alexander enim cum vivus in hostium potestatem venisset, palo suffixus: Nisoviorum pars a Turcis intercepta, Constantinopolim in catentis missa fuit. Idem tamen Petro quoque tanquam per ignaviam ac secordiam toties dejecto, calamitosum postea fuit. Et enim sublato e medio Mahomete Basza, qui Principem inter purpuratos locum tenuerat, Achmetis, qui in ejus locum sucessit, studio de principatu amotus, inque ejus locum Jancola quidam e Saxonibus Transsilvanicis oriundus: sed qui non modo nationem Valachicam, verum genus etiam Principum Valachiae ementitus fuerat, provinciae impositus deinde fuit. Compositis hunc in modum rebus Russiae, Cracoviam Rex proficiscitur. Venit eodem Moscovitica legatio; ejus aetate atque dignitate Princeps in itinere morbo extinctus fuerat. Reliqui, missis obviam, qui exciperent, ex more in urbem atque hospitium, inde ad Regem deducti, verbum se facturos negarunt, nisi prius Rex aperto capite assurgens, de valetudine et statu Principis sui percontatus se esset. Rex cum praeter rei indignitatem non committendum sibi arbitraretur, ut ad hostis barbaro fastu elati, et qui tantos jam spiritus atque arrogantiam sibi sumpsisset, ut vix ferri posset, superbiam obsequio aliquo suo quid adderet: illi vero in sententia perstarent, ac potius infecta re discessuros se confirmarent: permisit, ut in auditi in hospitium, inde in Lithuaniam lentis agminibus se reciperent. Animadversum inde fuit, tributum quod in comitiis Varsaviensibus sancitum fuerat, non modo praedicatione nonnullorum inferius, sed ipsi bello, in cujus usus ab ordinibus deputatum fuerat, par non fore. Rex quod nec comitia eo tempore habenda sibi censeret, ne si nihil rerum gessisset, inani belli simulatione pecuniae quam maximae cogendae ratienes quaerere a nonnulis jactaretur: nec privatos nobilitatis conventus cogendos: ne illud toties praeter instituta majorum usurpari a se nobilitas queri posset: cum judicia tum a nobilitate obirentur, per eos interim conventus, quid de tributo illo polliceri sibi posset, necessario nobilitati proponendum existimabat: quod non deessent: qui magnitudinem tributi ejus in immensum oratione augerent. Inde ad omnes vicinos Principes legatos designat: qui et amicorum erga se benevolentiam magis, firmiusque sibi adjungerent: vel malevolorum consilia distinerent. Praecipue cum Augusto Saxoniae, ac Joanne Friderico Brandeburgensi Principibus Electoribus consilia belli communicat. Hi indigne ferentes barbara crudelitate tamdiu in nomen Germanicum a Mosco saeviri, ad bellum pro Livonibus suscipiendum, de quibus illi tanto terrarum intervallo ab illis oris disjuncti minus adesse possent, amice cum hortabantur; a Brandeburgensi bellica etiam tormenta quaedam dono ei missa fuerunt. Ad Turcam ubi Legati venissent, Mahometes prudentissimus trium Orientis Imperatorum Consiliarius, et in Regem haud male animatus, quum de instituto Regis intellexisset, favere se conatibus ejus dixit, faustaque ac felicia ei praecari: magnam tamen rem suscipi: magnas vires esse Moscoviticas: neque secundum suum Principem ullum in orbe terrarum potentiorem eo



Digitized by Google

Principem se existimare. Dimissis Legatis ad domesticarum rerum curam Rex conversum fuit. Institutis Regni non posse Prorex creari dicebatur: itaque si quid per suam absentiam in hostico accidisset, cum primoribus e Senatu se communicaturum pronunciavit; pacem publicam severe sanxit: maxime Cracoviae, ne quod aliis temporibus acciderat, inter dissentientes de religione tumultus aliquis oriretur. Edixit, si quis in urbe oppidove insolentius quid fecisset, praesertim si dubitationem juris cognitio habitura esset, ad suum adventum in custodia haberetur: cum alias ordinaria juris publici ratione in recentibus criminibus vis una cum praefectis, Magistratus urbani cognoscere, interque eos, si non conveniat, Rex consuli soleat. Dum Cracoviae Rex est, nuntius partae a nostris ad Vendam victoriae allatus tanquam totius belli omen secum attulit. Obsederant eam denuo, quemadmodum supra demonstravimus, Mosci longe majoribus quam antea copiis, et quatuor praecipuae auctoritatis Palatinis, Petro Tatovo, Basilio Voronscio, Petro Choroscino, Andrea Scholcanovo ad eam missis. Dum per aliquot dies frustra urbem oppugnant, nostris sui colligendi, et cum Suecicae militiae praefecto Georgio Bojie consilia communicandi spatium dederunt. Confluunt Stropam, ubi Buringius tum erat, Andreas Sapieha earum, quae tum in Livonia erant, copiarum legatus, Matthias Dembinius: ex Livonibus praeter Buringium, Nicolaus Corffius, Platerus, ac alii nonnulli cum equitum aliquot manu; iis ad Goviam flumen medio inter Volmariam et Vendam loco Suecicae copiae se adjugunt. Inde digressi hostem instructa acie sub signis ad Vendam expectantem adoriuntur. Cum acerrime a nostris pugnaretur, Polonis, Lithuanis, ac Suecis ad ulciscendas hostis injurias: Livonibus ad libertatem: omnibus ad laudem et gloriam inter se cohortantibus hostium equitatus pellitur, Tartaris maxime in fugam effusis; sub noctem Palatini militem ex fuga colligere, castrisque continere coeperunt: hortarique ut pro inveterata gentis gloria, et ratione sacramenti militaris extremam potius fortunam experirentur, quam castra apparatumque bellicum a Principe suo fidei eorum commissum desererent: verum augente periculo ac nocte metum, eademque pudorem ac flagitium tegente, ob eaque non patiente se contineri multitudine, Palatini duo Petrus Choroscinus et Andreas Scholcanovus, qui equitibus praecerant, una cum equitatu in fugam se ejecerunt: reliqui duo, quibus tormenta commissa fuerant, soli fere in castris relicti insigniora tormenta bellica amplexi, ut castra et instrumentum militare, fidemque erga Principem suum ad extremum spiritum retenta, a se testarentur: itaque a nostris postridie summo mane castra ac munitiones irrumpentibus inventi, vivi inpotestatem cum castris munitionibusque ac tormentis ad triginta devenerunt. Aliud documentum fidei non minus insigne, qui onerandis tormentis praeerant, pyxidarii dederunt. Apud Moscos haec administrandorum tormentorum ratio est; tormenta terra defodiunt, ante ea atque os adeo tubi justae altitudinis fossam ducunt; in hac qui onerandorum curam habent, delitescunt: ad os tubi funis aptatur: hoc cum implenda sunt, in fossam deprimuntur, quum exoneranda rursum laxantur. Erant tormenta maxime insigna, unum lupi: alterum accipitris: virginum duo, totidem falconum imaginibus atque nomine: quaedam praeterea Sueco adempta cum ejusdem insignibus. Horum qui administrationi praeerant, cum plerisque suis interfectis, caeteris dilapsis, nostros tantum non castrorum potitos viderent, cum spe tuendorum tormentorum vitae simul amore abjecto, collo funibus, quos a summitate tuborum dependere ostendimus, inserto, ultro mortem sibi consciverant. Insignis ea victoria fuit: hostium multi caesi, capti non pauci fuerunt, exigua omnino nostrorum jactura. Tormentis, quae diximus, amissis, iisdem insignibus et nominibus alia et complura praeterea conflari mox Moscus jussit: ad potentiam suam ostendendam pertinere existimans, nihil a fortuna ademptum sibi videri, quod non brevi a facultatibus suis insigni cum accessione expleri posset; sub idem tempus Revalienses opem ac misericordiam Regis implorantes, ut aliquo numero frumenti se juvaret, a Rege petierunt: in maximas angustias tot annorum bello ab hoste redactos, commerciis fere omnibus exclusos: intra moenia compulsos ab agricultura longo jam temrore se prohiberi. His centum frumenti onera donat. Priusquam Cracovia Rex discederet, de Duce exercitui praeficiendo cum Senatoribus deliberat: qui cum ostenderent, vel in perpetuum munus hoc alicui eum deferre posse, vel extra ordinem unum aut plura bella mandare: plerisque tamen, ut in id saltem bellum aliquem legeret, placeret, Cracovia Varsaviam discedens, Nicolaum Mieletium Palatinum Podoliae eo ad se evocat. Hic cum paulo

Digitized by Google

ante excessum Sigismundi Augusti Bochdanum in Valachiam reducerat, ac praeter opinionem a Valachorum Turcarumque maximis copiis circumventus fuisset, exercitum magna cum laude incolumem in Poloniam reduxerat, indeque magnam virtutis et scientiae rei militaris gloriam sibi pararat. Mieletius valetudine, qua tenui uteretur, et aliis quibusdam difficultatibus se excusabat: tandem in eam saltem expeditionem imperium accepit. Itaque constituto cum eo, quos quotque turmarum praefectos ac centuriones scribi vellet, domum ut se pararet, Rex eum dimisit; inde Grodnam movit. Maxima autem afficiebatur Rex difficultate, quod et pro magnitudine suscepti belli paucae omnino pecuniae ex tributo collectae adhuc erant, et ut maxime integrae conferrentur, minime tamen tanto bello pares fore videbat. Iis omnibus rebus, quanto potest studio, occurrit: pecunias partim mutuo sumit: partim quas in fisco habebat privatim suas, exponit. Militem passim per Poloniam scribi jubet: mittit ad fratrem Christophorum Principem Transsilvaniae, ut Hungarorum veteranorum cohortes aliquot et alas equitum scribat. Christophoro Rozdrasevio et Ernesto Vejero in Germania militis conquirendi negotium dat. Lithuanici proceres, cum de difficultatibus iis cum illis communicaret, prout quisque opibus maxime valebat, voluntarium militem offerebant, quotque singuli adducturi essent, edebant; quorum numerus cum ad decem milium fere accederet, non parum ea re atque alacritate Lithuanorum recreatus, eo majori animo ad reliquas res administrandas aggressus fuit: constitutisque ita pro tempore rebus iis Vilnam accessit. Palatinus Vilnensis, Nicolaus Radivilus, cui imperium militare in Lithuania a Rege traditum antea fuerat, postea etiam abdicata a Joanne Chodkevicio Leopoli administratione Livoniae, ejusdem provinciae cura ad tempus demandata, Christophoro filio pocillatori Regio, et aulicae militiae per Lithuaniam praefecto exercitum, qui in Livonia fuerat, tradiderat. Is cum ad Derpatum excursione facta, agrumque hostium longe lateque populatus, Kirempesium per excursionem cepisset, evertissetque sub hoc tempus ad Regem et patrem Vilnam venit. Venientem exercitus emerita stipendia flagitans secutus fuit. Ibidem alia, quae usui bello essent, apparare Rex instituit: tormenta bellica ad modum quendam, quem ipse usu atque experientia accommodatissimum cognoverat, fundi jussit. Caunae pontem fieri imperat, quo in sequentibus expeditionibus utatur. Is ex singulis navibus componebatur, quae deinde tabulatis ita inter se conjungebantur, ut quotics opus esset, separari, curribusque singulis una cum tabulatis impositae, binis jumentorum jugis non incommode in quemcunque locum transferri possent; simul quod neque copiae omnes convenissent, nec frigora, quae in regione Trionibus exposita eo anno ultra solitum ad Joannis permanserant, ut nec ullae herbae ad id tempus se effunderent, recessissent, Lithuanicis causis, quae in longiorem jam diem prolatae erant, cognoscendis operam dedit. Inde Basilium Lopatinscium cum litteris ad Moscum mittit: iis justum bellum illi indicit, causas belli hasce denunciat: quod ostentatione pacis provinciam Livoniam bello ac incendio vastasset: Legatos suos contumeliose habitos, ad extremum duplicibus inducíarum litteris elusisset: eodem tempore novis in Livoniam copiis missis Vendam opugnasset: sua legatione ad priores injurias novam contumeliam ac ludibrium adjunxisset. Remisis sub idem tempus Moscus Haraburdam, quem hactenus retinuerat, nullo alio responso, quam quod paulo post suum hominem ad Regem missurus esset, qui iis de rebus ageret. Itaque secutus eum mox cum litteris quinam fuit. Postulabat hic, ut inducias, quae ante perscriptae essent, Rex observaret: de Livonia si quid controversiae superesset, de ea amice per arbitratores, quos utrinque nominassent, secum conveniret. Negabat Rex, quemadmodum jam ante fecerat, posse se hujusmodi inducias ulla ratione admittere. Nam de Livonia quod adjiceretur, amice de ea inter ipsos disceptari posse, frustra et ridicule adjici: semel enim receptis juramentoque firmatis induciis, in quibus omni Livoniae jure cederet, nihilque amplius petiturum se ejus profiteretur, si postmodum de ea ageret, cui dubium esse posset, contra proprium juramentum se venturum: et vel eam ipsam ob rem causa cadere debere. Quod sic in Lithuania Russiaque pacem sibi cum Rege esse vellet: in Livonia armis de jure disceptari: novam quidem hanc inducíarum rationem sibi videri: ac etsi intelligeret, temporibus Sigismundi Augusti atque interregnorum obtrusas aliquando hujusmodi ab eo inducias fuisse: se tamen, cum faciendae novae sibi sint, non nisi justas facere velle: neminem tam barbarum aut imperitum rerum esse, qui non videat, si constitutis melius rebus suis per Livoniam, in Li-



Digitized by Google

thuania bellum redintegrare velit, per hujusmodi inducias, quandocunque illi integrum id futurum, quibus de cessione Livoniae conditionem adjecisset: qua bello in Livonia gerendo a Rege violata, nunquam illi belli in Lithuania instaurandi causa deesse posset. Nuntio hoc dimisso Tartari postulata cognita fuerunt. Hic sub idem tempus ad Regem legatos miserat, quod bellum contra Moscum suscipi intellexisset, ex foedere, quo Regibus Poloniae operam suam contra quosvis hostes, unico Turcarum Imperatore excepto, navare tenetur, ab altera parte irruptionem in Moscoviam facturum se ostendebat: petebat donativa: Nisoviorum injurias coerceri postulabat. Responsum huic fuit, quod operam suam contra Moscum polliceretur, facere eum officium suum: donativum datum iri: Dantur autem aliquot aureorum millia, et certus vestimentorum numerus: Nisovios colluviem ex variis nationibus collectam, nec in potestate Regis esse: atque ex ipsis Tartaris et Turcis non raros sese illis aggregare: datum nihilominus operam iri, quantum ejus fieri possit, ut injuriae illorum prohibeantur; a bello tamen contra Moscum, contra quam promiserat, omnino abfuit, alio contra Persam, quod a Turcarum Imperatore tum gerebatur, avocatus. Aderat et Gottardus Curlandiae et Semigalliae Dux, confirmationemque feudi sui et investituram petebat. Eum Rex Disnae sistere se jussit; interim ad Senatum ea de re retulit. Exercitus inde ut sub principium mensis Julii Svirum conveniret, edixit. Venerat jam Vilnam Hungaricus peditatus Christophori Transsilvaniae Principis Regis fratris missu, ejusdemque delectus justa equitum ala. Polonicum militem Mieletius, qui et ipse sub idem tempus ad Regem redierat, cum segnius a Quaestoribus ac exactoribus expedita re pecuniaria, ob auctoramenta tardius accepta, morae nonnihil a milite interponeretur, ut quam primum ad edictum conveniret, acriter urgebat.

# *LIBER SECUNDUS.*

Vilna pridie Calendas Julii Rex profectus, Svirum inde venit. Ibi Lithuanici equitatus partem vidit: qui quum universus omnibus rebus esset ornatissimus, tum maxime, qui a gente Radivila, et Joanne Kisca Structore Regio adducebatur. Ibidem de summa belli constituendum ratus, quas potissimum partes cum exercitu peteret, ad consilium retulit. Lithuani omnes fere Plescoviam per Livoniam eundum arbitrabantur: quod et propter urbis amplitudinem atque nomen dignam judicarent, quae etiam maximo cum labore, ac periculo peteretur: et quod minus contra vim munita putaretur: muri vetustate neglecti: nihil ut loco tutissimo ac a metu belli remoto in ea provisum, non magno labore ac periculo potiturum ea Regem sperarent. Rex contra existimabat. Nam cum unum id potissimum bello hoc agendum sibi proposuisset, ut Livoniam ab hoste in libertatem vindicaret: intelligebat, si in terram Livoniam bellum transtulisset, praeterquam quod in regione crebris urbibus et castellis munita, eademque tot annos vastata propter commeatus inopiam ac frequentes obsidiones, difficiliores tardioresque progressus belli futuri essent, non modo provinciam, cujus liberandae causa bellum suscepisset, hosti ac suis denuo vastandam se objecturum: verum Lithuaniam etiam, quae ad Borysthenem pertinet, in ea loca omni vi belli conversa, praesidio nudatam hostilibus incursionibus interim se expositurum. Alia etiam via per hosticum Plescoviam si iret, contra rationem rei militaris judicabat, tot hostilibus praesidiis a tergo relictis per infesta omnia atque invia tam longe in hosticum progredi: ubi nec, si quid offensum esset, facilem receptum, nec e propinquo subsidium habiturus esset. Polotia oppugnanda utrumque consecuturum se praevidebat, ut, cum ea ad Dunam flumen posita esset, proximosque ad Livoniam et Lithuaniam aditus haberet, et ordinem seriemque rerum gerendarum secutus, ulterius deinceps

Digitized by Google

in Moscoviam promotis armis, ac quasi circumita Livonia, omni ab ea hoste intercluso, integra potiretur: nec simul a Lithuania longius discederet: ac utrique tam Livoniae, quam Lithuaniae contra excursiones hostium praesidio esset. Accedebat huc, quod quum secundum Livoniae recuperationem vel maxime animo Rex agitaret, ut Dunae fluminis navigationem, qua sola portus Rigensis continetur: quaeque et ad tuendam Livoniam, excludendumque ab ea hostem magnam opportunitatem, et commerciorum negotiorumque exercendorum facultatem insignem habet, Lithuanis Livonibusque expediret: id, si Polotia potiretur, magna ex parte effecturum se videbat: ab ejus praesidio maximam partem Dunae infestari, inde auxilia commeatusque Cokenhausium, aliaque in Livoniae castella summitti: excursiones fieri: Vilnam Rigamque mercatura prohiberi. Quod denique nuperrime ab hoste Polotia capta esset, quo recentior in animis hominum cladis ejus memoria obversaretur, eo ex commutatione rerum praesentiorem laetitiam, majoremque gloriam recuperatae fore. Alii Polotiensem oppugnationem difficiliorem praedicabant, quam ut initio rerum gerendarum suscipi debere videretur: esse eam et loci natura ac opere munitissimam: commeatu, tormentis, pulvere, omnique bellico apparatu, ut arcem finitimam, et quam primos belli impetus excepturam hostis non dubitasset, diligentissime provisam: Plescoviam nec ad resistendum vires eas habere, et quo a metu belli remotior esset, eo omnia in illa neglectiora. Multum autem in ipsis initiis momenti esse; quibus in utramvis partem facile homines impellantur: plurimumque ad totius belli opinionem, et futurarum rerum spem pertinere ab initio non offendere. Rex nihil eum existimaret esse, quod non virtute superari posset, quo majores difficultates propositas intelligebat, eo et bene gesta re ad cactera belli persequenda alacriores omnes futuros confidebat: et si quae incidissent difficultates, longe tamen minoribus iis, omnibus a tergo pacatis, et domesticis opibus propinquis, se occursurum; quibus de causis cum prius consilium omittendum non existimaret, intelligeretque famam susceptae expeditionis longe lateque ad diversas nationes perlatam: exercitum praeterea ex variis gentibus collectum haberet: ac vero non bellum modo, sed causam etiam belli omnibus probatam vellet, edictum, Latine prius scriptum, inque Polonicam, Hungaricam et Germanicam linguas translatum, quod ex iis fere gentibus exercitus constabat, proponit: quo Mosci in se injurias quibusque causis permotus bellum adversus eum susciperet, commemorat; quod diversis in locis typis deinde editum vulgo extat. Praemittere inde aliquem cum parte copiarum placuit, qui ex instituto rei militaris, quo ad reliquus exercitus subsequeretur, hostem compulsum intra muros contineret, viamque reliquo agmini patefaceret: quod autem praecipua auctoritas ac vis imperii penes Polonicum Ducem in castris esset: neque dum omnes copiae Polonicae convenissent: retento ad exercitum Mieletio, Radivilum cum filio Christophoro ac Lithuanicis copiis quibusdam Polotiam praemisit; cum eodem Gasparem Bekesium cum equitatu Hungarico et cohortibus aliquot ire jussit. Sviro deinde Disnam movit: ea agminis ratione, ut cum immincrent viae a dextra Crasna, Susa, Turovlia hostilia praesidia ab ea parte Mieletius cum exercitu Polonico: in primo agmine Joanne Zbarascio ire jusso, tenderet, Rex laeva iter faceret. In itinere aliorum Lithuanorum procerum Stephani Zbarascii maxime Trocensis, Nicolai Dorohostajscii Polotiensis, Palatinorum, Georgii item Zenovicii, Castellani Polotiensis, quorundamque privatorum elegantissime ornatae copiae Regem assecutae, censae ab eo fuerunt. Fuerant per aliquot dies continuos profusae pluviae: eae tantam gravioris belli instrumenti ac tormentorum praecipue ducendorum difficultatem attulerant, ut jumenta quibus in propriis curribus Rex utebatur, remittere necesse haberet, quo celerius promoverentur; quae res initio expeditionis oblata illorum, qui Plescoviam tam longo itinere eundum censuissent, opinionem vel tacite refutabat. Disnae equitem ac militem Polonicum, qui tum fere omnis convenerat, Mieletius elegantissime in speciem instructum, et in turmas cohortesque distributum sub signis decurrentem Regi ostendit. Equites thorace et galea ferrea tecti, praeterque hastam, acinace, veruto, ac binis scloppetis ad ephippia aptis omnes armati erant: ita ut decurrentes non minorem quam ipsi pedites, quorum propria armasclopeti sunt, fragorem ederent. Eodem quae nondum convenerant, Lithuanicae copiae venerunt: in his Joannis Chodkevicii Castellani Vilnensis, qu gravissimo morbo tum tenebatur, quo non multis diebus post extinctus est, nongenti lectissimi equites: Joannis item Chlebovicii Castellani Minscnsis et aliorum. Venit sub idem tempus

Digitized by Google

cum Christophoro Rozdrasevio, et Ernesto Vejero Germanus etiam miles: cujus et si publice scribendi facultatem non habuissent, ac raptim saltem nomina dantes quosdam adduxissent, erant tamen ii et animo omnibus pares: et genere armorum atque usu rei militaris, reliquis non multo inferiores. Erant omnino universae copiae cum genere et numero hominum, tum exercitatione armorum eae, ut Mieletius pro ratione suscepti belli aptius fere compositum, meliusque instructum exercitum eum confirmare non dubitaret, quam quemquam alium vidisset eorum, in quibus vel imperitandi, vel domi, ac foris parendi stipendia fecisset: ac ab una aliqua parte vel equitatu vel peditatu plerumque laboratum animadvertisset. Censis copiis Curlandiae Duci, quem Disnam dilatum supra ostendimus, possessio Curlandiae Semigalliaeque Ducatus solenni more confirmata, ipseque in clientelam et fidem receptus fuit. Consulti de eo Senatores Lithuani, quorum magna pars aderat, et qui ex Polonicis praesentes erant, omnes ut correctis conditionibus, quae cum Sigismundo Augusto Rege pro ejus temporis ratione non satis commode tractatae existimabantur, res finiretur, censebant. In eandem sententiam a majoris Poloniae, Russiae item, Prussiae, ac Masoviae Senatoribus absentibus per litteras responsum fuerat. Minoris Poloniae Senatores plerique, qui tum forte Lublini judiciorum causa convenerant, quod eo tempore appellationum judicia, de quibus supra dictum est, prima tum ibi habebantur, in comitia rem differendam censuerant: veriti, ut videbatur, ne in Polonorum Senatorum paucitate contra Lithuanos juri in eum Ducatum Regni satis caveretur; sed et indignum Regi videbatur, diutius eum ducere, cujus post semel datam fidem nunquam dubium animum: semper eximium studium, observantiamque erga se perspexisset: neque Principis hostibus finitimi in illo Livoniae statu jus, suumque beneficium in suspenso relinquere satis tutum arbitrabatur. Itaque perfecta res iis potissimum conditionibus fuit, ut illo fidem obsequiumque suum Regi pollicente, jusque jurandum in verba Regis praestante, quo nullius alterius quam Regum Poloniae Majestatem se culturum profiteretur: Rex contra patrocinium ac tutelam ejus contra omnes illi reciperet; de jurisdictione, quam in suos habet, ut ad conventum Livoniae, quem si reliquam Livoniam Rex adjungeret, instituturus in ea esset, provocatio ab eo esset, cautum fuit. Tendenti ad castra Mieletius obviam misit, qui intra tentorium ejus illum deducerent: apud quem aliquantisper, dum vocatur, moratus, inde ad tribunal adductus, signis militaribus ac universo exercitu circumfuso, solenne jusjurandum Cancellario Regni in verba ei praeeunte Regi praestitit. Hostis interim Plescoviam cum exercitu progressus partem copiarum in Livoniam praemiserat. Hae Duna flumine ad Cokenhausium, quo, ut supra ostendimus, potitus fuerat, raptim transmisso, ac centum quinquagiata circiter Ducis Curlandiae equitibus, qui cis Dunam in statione erant, repentina excursione rejectis: Seelburgenseque Ducis Curlandiae, ac Birsensi Christophori Radivili agro vastato propere trans Dunam se receperunt; exercitum, qui in Livonia fuerat, Christophorum Radivilum Vilnam stipendiorum causa secutum supra demonstravimus. Interim Joannem Talvossium Castellanum Samogitiae, cum iis, quas raptim contrahere poterat, copiis in Livoniam Rex misit. Philonem Cmitam, qui Orsae praerat, ad Borysthenem, ne quid ex ea parte ab hoste detrimenti acciperetur, curare jussit. Jam exercitus cum Palatino Vilnensi Polotiam praemissus Dunam ponte Caunae ex navibus, ea, qua dictum est, ratione, facto ad Disnam transmiserat: nihil hoste contra suscipiente, quo transitu eum prohiberet: vel quod ex instituto disciplinae Moscoviticae sine mandato Principis ex praesidio miles egredi non audeat: vel quod superiorum temporum successu elatus, exercitus, qui Svirum convenire dicebatur, famam contemserat. Duna paulum progressum continuae silvae aliquandiu moratae fuerunt. Nam ex quo Polotiam Moscus ceperat, sedecim fere annorum spatio, quo in potestate ejus fuit, eam partem agri, quae a Duna flumine atque Disna Polotiam tendentibus prima occurrit, desertam ac incultam reliquerat: unde frequentes densissimaeque arbores, ut in solo fertili interea temporis enatae fuerant. Verum peditatu Hungarico securibus silvas caedere instituente, ac celeriter opus perficiente, exiguo temporis spatio difficultates eas superavit. Polotia antiquitus suos Duces habuit, subque annum a nato Christo 980 vel ut Russi tempora numerant a condito mundo 6488 Rochvoldo Duci paruit: qui a Vlodimiro Magno ob negatamei in matrimonium filiam Rochnedam, ut Moscorum annales habent, bello petitus, vitam pariter cum duobus filiis ac imperio amisit. Inde

Digitized by Google

in Monarcharum et Principum gentis Russicae potestatem concessit: quorum extincta stirpe ea, quae in Australi Russia regnabat: Lithuanis, ut quaedam aliae ditiones Russiae cessit. Jagelloque apud Lithuanos primum, inde apud Polonos Regnante, cum Andreas frater ejus Polotiae dominatum, sub idem fere tempus, quo Jagello Cracoviae insignia Regni accipiebat, arripuisset, copiis aliquibus missis recepta mox fuit: continueque inde in fide Regum Poloniae, Magnorumque Ducum Lithuaniae ad annum 1563 permansit; quo a Joanne Basilii filio Moscoviae Duce capta expugnataque fuit. Regio Polotiensis ad centum quinquaginta circiter millia passuum in longitudinem, totidem in latitudinem patens, cum ubertate glebae, tum fluminum atque lacuum copia nulli cedit. Fluvios navigabiles complures habet, praecipue Dunam qui in Moscovia non procul a Toropecia ortus, Rigensem portum efficit, omniumque Septentrionis fluminum amoenissimus fere ac pulcerrimus est; secundum eum Drissam, Usviatam, e Moscovia: Disnam, Ulam e Lithuania: a Smolensco Casplam in eundem Dunam omnes influentes. Plerorumque Lihtuanicorum et Russicorum castellorum is fere positus est, ut ad ostium aliquod humilioris fluminis, quo cum majori conjungitur, sita sint; quae ita sita sunt, quod majoris fluminis propinquitas pluribus communis est, a minoribus fluminibus fere omnia nomina indita habent. Hinc Polota non magnus alioquin fluvius arci atque urbi: urbs regioni nomen dedit. Antequam in Mosci potestatem veniret, una arce atque urbe Polotia et castro Jeseriscia tota illa regio continebatur: ceteroquin oppidis et pagis non infrequens, Polotiae opes propter summam opportunitatem Dunae fluminis eousque excreverant, ut Vilnam caput Lithuaniae divitiis anteccederet. Jeseriscia versus Moscoviam in lacu, ex quo fluvius Obola oritur, sita, ab una sola parte angustissimum aditum, et quo vix expedito iter sit, habet. Postquam a Mosco occupata fuit, utrinque castella aliquot excitata, praesidiaque constituta fuerunt; partim agri fluminisque ac navigationis vel retinendae vel turbandae hosti causa: partim ad excursiones, quae ut in dubia utrinque possessione frequentes fiebant, prohibendas. A Rege Sigismundo Augusto Disna ad ejusdem nominis fluvii ac Dunae confluentem: Voronecium ad flumen Usaciam: Lepelium in insula lacus, qui a Lepelio fluvio efficitur, versus Lithuaniam conditum fuit. Quoniam autem ad hunc locum ventum est, non alienum videtur, pauca de natura situque ejus narrare. Tendunt per eam Lithuaniae partem duo diversa flumina: quorum utrumque navigabile est: ita inter se conjuncta, ut non plus millium passuum quinque intervallo distent, eademque in duo maxima ac longissime distantia maria exitum habent. Lepel, de quo diximus, in Ulam fluvium itidem navigabilem exonerans, cum eo in Dunam, indeque ad Rigam in mare Balticum effunditur: alter Beresina in diversam partem raptus cum Borysthene in pontum Euxinum deinde erumpit: ita ut si pacatae gentes essent, in quarum potestate fluminum horum cursus sunt, in tanta eorum propinquitate, transportandarumque ex uno in alterum mercium, conjungendorum denique eorundem facultate, Septentrio universusque Occidens facillime cum Oriente commerciis jungi posset; sed Dunam Mosci antehac: Borysthenem iidem Mosci ac Tartari, ceterique de quibus supra dictum est, infestum nunc faciunt. Ceterum Sigismundus Augustus Ulae quoque ostium castello munire aggressus, Veneto architecto quodam una cum operis ab hostibus interfecto, non sine detrimento dejectus fuerat: cumque hostis eundem locum munire instituisset, ac Augustus magnis a Radoscovicio summissis copiis, ac summa vi diu frustra eum oppugnasset, tandem sequenti aestate per Romanum Sangusconem Palatinum Braslaviensem dum Moscus vetus praesidium novi inducendi causa deducit, receperat: superiorem vero ejus partem Lepelique fluminis cum Ula confluentem imposito castello Ciasnicia jam ante communierat; simili ratione Moscus ultra Dunam quinque castellis exstructis, totius orae ejus possessionem sibi firmaverat. Socolum in via Plescoviensi in fluminum Drissae et Nisciae peninsula quadam Lithuanicis castellis Disnae et Drissae opposuerat. Niscerdam ad lacum cognominem triginta a Zavolocia passuum millibus: Sitnum in Lucensi via ad superiorem Polotae partem. Cossianum deinde loco ab Obola flumine velut circino circumducto: Usviatam ad fluvium itidem cognominem ac navigabilem in Dunam ad Suraszum ex adverso Casplae fluminis influentem: illud contra Ulam, hanc contra Vitebscium et Suraszum excitarat. Cis Dunam Turovliam, ad cognominis amnis caput, quo in Dunam influit. Susam vero singulari consilio Lithuaniam versus in lacu, qui Turovliam emittit, loco munitissimo, aquisque

Digitized by Google

undique circumdato, agitans jam animo bellum Lithuanicum, Vilnamque opinione praecipiens sedem bello futuro posuerat: itaque natura ante munitissimam opere communierat, omnique apparatus bellici genere instruxerat: pauca, ut praesidia instructiora eo haberet. His Crasnam superadjunxerat, superiori in loco itidem ad Lithuaniam spectante. Cosaci igitur Lithuanici Francisco Suco Duce ad belli suscepit famam in finibus globo facto Crasnam noctu repente scalis admotis adorti praesidio munitionibusque ac satis magna commeatus copia una cum castello potiuntur. Ab altera parte Cossianum Ultradunana arx simili eventu repentina excursione Cosacorum capitur et deletur. Palatinus interim Vilnensis Polotiam cum iis, quas circa se habebat, copiis peruenerat; quas hostes conspicati subito copias suas extra munitiones productas sub portis instructas ostendunt: nullaque justa pugnandi facultate data intra munitiones se recipiunt; eques tamen pugnandi avidus sub ipsa moenia in eas provectus, unum atque alterum hastis transfixit. Eodem tempore Hungari et Lithuani Sitnum, via quae Plescoviam ducit, subito Polotia excurrentes, ut re mprovisa et repentina eam incendunt. Cum Polotiam Rex iret, a laevaque Socolam castrum hostile haberet, veritus ne majoribus a Plescovia subsidiis summissis, commeatui ac subvectionibus nostris incommodi aliquid ex eo hostis afferret, an ad id oppugnandum ex itinere diverteret, cum Mieletio deliberabat: verum postea saepe majorum rerum gerendarum opportunitatem in minutioribus oppugnationibus consumi cogitans: ac ad Polotiam caput provinciae properans, celeriter consilium omisit: ternisque castris, quemadmodum Mieletius cum expedito equite praecurrens ea designarat, Disna Polotiam pervenit. Dum Polotiam exercitus contendit, Mosci Polonos et Lithuanos, quos a multis annis in squalore et compedibus habuerant, cum cruciatu interfectos, adque trabes alligatos secundo Duna terrorem venientibus id allaturum rati, obviam demittunt. Rex Joanne Zamoscio Cancellario et Gaspare Bekesio solis assumtis, Mieletio interim exercitum curante privato cultu, subsidiisque contra eruptiones loco opportuno dispositis, urbem circumvectus situm loci cum iisdem cognoscit: simulque eodem in loco, a qua potissimum parte oppugnatio instituenda sit, deliberat. Constabat Polotia duabus arcibus, una in editiori loco posita, eademque media: altera, quam scloppetariorum sua lingua Mosci appellabant: et oppido Zapolotta. A meridie Dunam habet, qui modico versus Occidentem flexu, recta inde Rigam tendit, ad eamque mare influit. Polotta recto e Septentrione cursu paulum versus Orientem sub arce scloppetariorum, inde rursum in septentrionem declinans, radicesque collis, in quo superior arx posita est, complexus, eandemque ab oppido separans, in meridiem versus paulo infra eum locum cum Duna commiscetur. Media, quam diximus, arx in colle altissimos despectus habente posita, a meridie, ut ostensum est, Duna flumine: a septentrione et ortu Polotta fluvio oppidoque Zapolotta: ab Occidente sole scloppetariorum arce, undique monte, cui imminet praerupto, altissimisque fossis ac vallo, quovis fere artificio factis firmioribus continebatur: muros et propugnacula ex aliquot inter se devinctis validissimorum roborum ordinibus firmissima habebat; scloppetariorum arx inferiori loco occasum versus in colle tamen modice acclivi posita ab Oriente brevi ponte cum superiori arce conjungebatur. Oppidum cum olim cis Polottam sub colle, quem scloppetariorum postea arce Moscus communivit, fuisset: deletum in oppugnatione ab *hoste* fuerat; postea cum confirmata jam possessione propter commerciorum usum, quorum loco tam opportuno summa facultas est, restaurare id instituerat: quod ab illa parte maxime opportuna oppugnatio ei fuerat, veritus ne inde rursum nostris pateret, trans Polottam fluvium atque summam arcem in locum inter utrumque flumen medium transtulerat: ut positu ejus quasi triangulari, unum latus Duna, alterum versus summam arcem Polotta fluvius, tertium fossae turresque tuerentur. Regi dubitandum non videbatur, quin a media eademque summa ac munitissima arce ordienda oppugnatio esset: propterea, quod quicquid in reliquis oppugnandis laboris ac temporis sumeretur, suprema salva, nec receptu hostibus, nec obsidionis ex ea sustinendae spe defutura nulla de causa sumtum iri appareret: ea vero expugnata occupato loco superiori, eodemque munito, ac in quem omnis commeatus apparatusque bellicus collatus ab hoste esset, oppidum quoque ac alteram scloppetariorum nullo negotio in potestatem perventura. Accedebat huc, quod ab oppido difficiliorem deinde arcis oppugnationem transitus fluminis Polottae, qui radices collis, in quo arx posita erat, complecterentur, facturus videretur. Bekesius nihilominus oppidum

Digitized by Google

Zapolottam, quod secundum Dunam flumen euntibus primo loco occurrerat, prius tentandum censebat: quo expugnato, et si in arcem deinde hostes se reciperent: tamen praeterquam quod incommoda obsidionis omnibus in unum locum compulsis ea res auctura esset: spem praeterea illis, nostris laborem minuturam, animosque addituram: nec difficiliorem multo, quam ab iis partibus futura esset, ab oppido oppugnationem futuram: cum flumen Polotta, quod impeditam eam facturus videretur, omnibus fere locis vado vix crurum tenus transiri posset: atque erat sane ea humilitas fluvii id temporis Regem, ut in sententia perstaret, Zamoscius cum primis urgebat: quod cum iterum cognoscendi situs causa solus propius sub eum locum, in quo oppidum antea fuerat, et quem *Poszar* illi sua lingua ab incenso oppido tanquam bustum vocabant, successisset: longe inde faciliorem ascensum, neque fossarum et collis eam altitudinem, quae ab aliis partibus erat, esse animadverterat: arcemque scloppetariorum in colle ab imo acclivi ita positam, ut a summitate collis, quae ad exteriorem partem pertinebat, tanquam gibbus aliquis enatus telorum commode adjiciendorum iis, qui in arce erant, facultatem praepediret. Dum cum Mieletio, et Senatoribus reliquis amplius deliberare Rex vult, Germanus miles privato consilio Polottam transgressus, locum ab oppido aversum contra summam ac scloppetariorum arces ad Dunam castris capit. Veritus hinc Rex, ne ex aemulatione nationum dissidii aliquid oriretur, ut ad oppidum, quo loco Bekesius cum Hungaris constiterat, munitiones agerentur, permisit. Inde Regiis castris trans Polottam flumen medio inter eum et lacum quendam spatio infra locum, quem a Germanis occupatum diximus, locus deligitur; eoque binis castris exercitus a Mieletio traducitur. Universorum castrorum totiusque obsidionis haec fere erat facies; secundum flumen a Disna Polotiam euntibus versus oppidum Zapolottam ad Dunam flumen primi Hungari consederant, loco ad commeatus excipiendos, cum primis opportuno: quod inferior fluminis pars pacata erat, omnesque subvectiones in eum fere locum concurrerent, tum Duna etiam ponte nota ratione ex navibus composito ibidem stratus esset. Infra Hungaros cis Polottam Nicolaus Radivilus Palatinus Vilnensis cum Christophoro filio, subque eorum imperio stipendiariae copiae Lithuanicae, inde diversae voluntariorum, quicquid reliqui erat spacii, Polottam usque diversis castris compleverant. Ultra Polottam inter flumen et lacum quendam, quemadmodum ostendimus, Regia castra erant. In his Senatores ac equites Poloni magna ex parte erant: praeter hos Nicolaus Christophorus Radivilus Marschalcus Palatii Lithuanici, quique tum per absentiam Marschalci Polonici comitatui universo Regio praerat. Medium castrorum locum principia Senatorumque tentoria amplexa erant: quorum ut quisque potestate et honore antecedebat, ita locum Regi proximum ceperat. Haec cum terni tentoriorum ordines ambientes binorum vicorum paribus inter se spatiis distantium seriem efficerent: bini etiam ad eosdem aditus portaeque relictae fuerant; totidem castrorum portae erant excubiis stationibusque militum firmatae. Exteriorem castrorum partem currus circumjecti; catenisque ferreis inter se devincti more gentis Polonicae muniebant; ad quos in majoris impetus aut periculi expectatione fossam etiam ducere, egestumque aggerem curribus objicere, atque ita munitissimi oppidi faciem castris circumdare solent. Supra Regia castra Germani loco, quo ante ostendimus, consederant. Ad Polotiam exercitu jam existente a Marchione Georgio Friderico in Prussia Duce quingenti lectissimi pedites supervenere: qui quemadmodum ipsi voluerant, inter Germanos loco iis assignato, iisdem cum Germanis castris recepti fuerunt. In eadem causa alii quoque fuerunt, e Podolia aliisque extremis Regni finibus: qui cum propter locorum longinquitatem maturius adesse non potuissent, ad Polotiam reliquum exercitum assecuti sunt: in his e voluntariis Constantinus Constantini Ostrogiae Ducis filius cum lecta equitum ala, ac alii quidam. Bekesius interim Zapolottam oppidum oppugnare coeperat, actisque ad moenia vineis, tormentis jam quatiebat. Mosci desperata oppidi defensione, et quod in omnes casus haec a Principe suo, qui in praesidiis sunt, mandata accipiunt, omnibus rebus exportatis oppidum incendunt, ac in summam arcem se recipiunt. Proferuntur munitiones ad arcem flumenque Polottam, quod radices montis, in quo arx posita est, ambire supra ostendimus, magna Hungari militis virtute, ut est summi genus laboris ac tolerantiae: cum per partem oppidi opus institueretur, ac saepe in sepulcra atque cloacas, aliaque foedissima quaeque incurreret. Ita instituta oppugnatio erat, ut Hungari ad dextram ab ea parte, qua oppidum fuerat, modico

Digitized by Google

ab his intervallo Poloni: inde Lithuani pedites, quos Stephanus Zbarascius Palatinus, Eustachius Volovicius Castellanus, Trocenses, ac alii quidam voluntarii adduxerant, oppugnarent; medio inter hos loco inferius aliquanto non longe a flumine Polotta ducenti lectissimi Hungari pedites a Zamoscio scripti excubabant, eo fere positu, ut reliquo Polonico et Hungarico peditatu supra eos duobus locis inter se oppositis collocato, ducenti hi tanquam summum angulum trianguli tenere viderentur, ab altera arcis parte trans Polottam, quo scloppetariorum arci conjungitur, Germani, quos eo loco consedisse dictum est, e suis castris munitiones versus arcem agebant. Bekesius primo tormentis quatere arcem instituit: qui ubi minus succederet, propterea, quia cum ex materia constarent, potius perforarentur aliquibus in locis muri, quam sternerentur: candentes globos jacere coepit. Genus id est incendiorum in superiorum temporum dissensionibus civilibus Hungariae a Rege ipso institutum: cum ea, quae ab aliis ex diversis incendiorum nutrimentis excogitata essent, magis ad speciem et terrorem comparata, quam magnam ad inflammandum vim habere videret. Globi igni excocti dum plane eum imbiberint, ita in tormenta mittuntur, ut inter eos et pulverem tormentarium, justum spatium arena aut cinere primum, inde recenti ac humida herba compleatur, ne pulvis ignem ex globis rapere, ab iisque inflammari possit: itaque in adversos muros ejiciuntur; quae res qui globi lignis impacti divitibus lateant, eandemque ob causam non tam facile, atque flamma opprimi possint, magnum ad incendia excitanda usum habet: eaque ronne Pharum Gedanensium Rex exusserat. Hic tamen hac etiam minus perficiebatur, propterea qui cum altius aliquanto jacti essent, eadem ronne muros tam pervaderent: cum inferiorem locum ad fundamenta murorum, ut haerere possent, adigerentur, in clivum fere, qui arcem sustinebat, quique ita prominebat, ut adversus locus, in quo tormenta Regia erant, etsi et ipse non humilis, inferior illo tamen esset, impingebant, soloque accipiebantur. Simul Zephyro vento pro complures dies flante continui ac effusissimi imbres erant; ex his Polotta amnis tantum aquarum conceperat, ut qui antea pedibus non incommode transiretur, tum ab equite sine periculo, transmitti non posset: pontes autem omnes fere, qui inter bina castra erant, interramperet. Unus tamen ab initio statim, postquam accessum ad Polatiam fuisset, a Joanne Bornemissa ad molendinum quoddam exustum sublicis aliquot sub aqua repertis, trabibusque aliis super eas injectis, inter munitiones ipsas ac propugnaculum, quod oppugnabatur, subitario opere factus perstiterat. Cumque per unum pontem non satis commode miles ad oppugnationem iturus videretur, Bekesius cymbis aliquot piscatoriis depressis, novum in eo pontem effecit. Verum eo etiam paulo post continuis tormentorum ictibus in eum directis ab hostibus mersus, unus relinquebatur is, de quo dictum est; quem et pars aliqua molendini ab incendio relicta a tormentis hostilibus tutabatur. Bekesius igitur cum et tormenta et globos candentes frustra admoveri animadverteret, ut quisque maxime impiger in proximo constiterat, praemiis maximis propositis, ut facibus ignem muris subjiceret, hortatur, perque pontem ac adversum collem recta ad arcem mittit: iis ex Polonorum Lithuanorumque munitionibus alii mox summittuntur. Occurrebat singulari militum nostrorum virtuti omnibus locis eximium hostium in defendenda arce studium. Inprimis magno incommodo nostros afficiebant ingentis molis trabes in superiori parte muri, cujus latior ambitis, quam inferioris erat, jam ante in eum casum ab hostibus constitutae, quae levi impulsu in nostros deturbatae, ac per clivum provolutae magna cum strage ut quosque arripuerant, secum ferebant; tantus v. in restinguendis ignibus omnium ardor erat, ut non aetate confecti, non mulieres, non pueri, vel laborem, vel periculum, recusarent: quo minus et magna copia aquam aliaque opprimendae flammae suis supportarent, et in succedentes nostros profunderent; cumque omnibus ex partibus directis in arcem ac propugnacula tormentis, a nostris peterentur: accidit quod dignum admiratione visum est, ut non pauci extra muros funibus demitti se paterentur, aquasque ab aliis subministratas superiori ex loco pendentes ad restinguendos ignes, qui foris admovebantur, defunderent: iisque certissimis nostrorum tormentorum ictibus sublatis, non deessent toto illo tempore oppugnationis, qui priorum in contemnendo periculo virtutem imitarentur, inque locum eorum, qui exanimati fuerant, succederent. Inter haec pluviae ac tempestates, de quibus dictum est, adeo obsessis erant secundae, ut vulgus militum carminibus quibus alias gens ea parva superstitione dedita existimatur,

Digitized by Google

motas crederet: quae et incendia morabantur, itaque fossas omnes compleverant, ac solum inundaverant, ut nusquam fere consistendi locus militi daretur. Desiderati in oppugnatione hac sunt aliquot viri fortes, ac in iis Michael Vadasius, qui multis in praeliis fortiter versatus, ac ob virtutem militi Hungaro praefectus fuerat, dum ad tormenta Polonicarum munitionum cum Stanislao Pencoslavio, ac aliis praefectis Polonis consilia communicat, globo trajectus fuit. Non leve tamen hostes etiam incommodum acceperunt; cum quoties ad restinguendum incendium conferri unum in locum concurrissent, tormentis, quemadmodum dictum est, in eum directis, crebrae in illos ejaculationes fierent: ac non globis modo frequentes interimerentur, sed fragmentis etiam lignorum ac trabium, quae globi secum rapiebant: quaeque majorem fere quam globi ipsi stragem edebant, non pauci opprimerentur. Ad oppugnationis difficultates accedebat summa commeatus et subvectionum angustia: quae a sola fere Disna, et ab inferiori parte fluminis sustentabantur. Vilnam enim versus, quae amplius ducentorum viginti quinque millium passuum spatio inde distat, Postovam usque, quae patribus inter Vilnam et Polotiam ab utraque intervallis sita est, omnia hostis vastarat; tum vero propterea etiam minus commode subvehi inde poterat, quod Susa in potestate hostium adhuc erat: cujus in praesidio qui erant, superioribus diebus Cosacos Lithuanicos, quos Crasnam intercepisse supra ostendimus, securius agentes noctu oppresserant, castrumque incensum solo aequarant: et tum vias subvectoresque nostros Vilna venientes infestabant. A superiore parte fluminis propter Turovliense praesidium nullam etiam in partem liberae frumentationes pabulationesve erant. Excurrerat cum levioribus tormentis aliquot eo Franciscus Sucus, spe magis terrore, quam vi ejus potiundae: sed Polotia integra satis fiduciae spirituumque hoste habente re infecta discesserat. Ex aliis partibus versus Plescoviam et Lucos per centum fere millia passuum densissimae ac inviae silvae erant. Ad haec Moscus, quem cum exercitu ad Plescoviam pervenisse, supra demonstravimus, cum obsideri Polotiam intellexisset, lectissimam totius exercitus partem Borisso Sejno, et Theodoro Szeremeto Ducibus subsidio obsessis miserat; qui cum tuto Polotiam in omnes vias nostris intentis pervenire se non posse existimarent, Socolae substiterant: ac etsi Polotiam non accederent, ad Disnensem tamen viam excurrebant, frumentatoresque ac pabulatores nostros excipiebant. Miserat initio contra eas copias Rex Christophorum Radivilum cum lectis aliquot equitum alis: ei Joannes Chlebovicius Castellanus Minscensis se adjunxerat: cumque hostis aut intra munitiones, aut suo loco se contineret, nec justam pugnandi facultatem daret: nostri tamen in eos invecti sub moenibus equestre praelium cum iis fecerunt; quo utrinque aliquot caesis, ac ex nostris Nicolao Camenscio nobili equite interfecto, captivis aliquot Moscis abductis, ad Regem reverterunt; qui ibi quoque majoribus copiis rem gerendam ratus finem oppugnationis Polotiensis expectandum statuit: in praesentia equitum stationibus aliquot contra eas collocatis. Augebantur incommoda haec, quod viae largissimis continuisque imbribus ita corruptae erant, ut jumenta cum eluctari e luto non possent, pleraque labori immorerentur, omnesque viae cadaveribus equorum complerentur. Ita enim solum pingue ac per se humidum, omniaque adeo aquae penetrarant, ut ne sub pellibus quidem in ipsis procerum tentoriis locus, in quo consisti posset, relinqueretur. Quibus rebus fiebat, ut cum undique a commeatu interclusi nostri essent, nec mercatores etiam initio hoc rerum in eam vastitatem castra frequentes secuti essent, eo usque annona ac pabulum potissimum excresceret, ut quod inauditum antea in Polonia maxime fuerat, singuli modii avenae denis taleris emerentur, qua generosiores saltem equi sustentarentur, reperirenturque ex Polonis et Hungaris, qui mortuorum equorum carnibus vesci non dubitarent; quod per se novum et insolitum, non tamen tam mirum videbatur, quam quod corpora eorum morbo ex ea causa tentari non animadverterentur. In communibus omnium angustiis maxime premebantur Germani: non modo quod inter frequentes urbes bellum gerere assueti minus a necessariis rebus ad eas difficultates parati accesserant: sed quod eo etiam loco castra faciebant, ad quem ultimo commeatus perveniebat: in fronte Hungaris, inde Lithuanis, ab iis regiis castris positis. Ad quos, ut propius Disnam versus quique horum consederant, commeatum inde venientem primo loco pervenire necesse erat. Prussici tamen, qui a Marchione missi fuerant, ut in majori earum regionum necessitatumque peritia cum curribus tum commeatu, aliisque necessariis rebus optime a Principe

Digitized by Google

suo instructi erant. In hac omnium rerum difficultate summa tamen erat constantia Hungari praesertim militis; ante alios Bekesius, qui alioquin gravibus articulorum doloribus ac ventriculi imbecillitate vehementer conflictabatur, minime ob haec animo fractus, nunquam melius se valuisse jactabat: semper apud tormenta esse: ibi cibum sumere: ibi quiescere: itaque inter pericula se versabat, ut qui proxime circa illum obversabantur, ac in his Joannes Curossius, tam propinquo e loco, ut sanguine illum aspergerent, non pauci interimerentur. Polonicus etiam peditatus, etsi nuper admodum scriptus erat, nihilo secius tamen animo nec ipse se demittebat. Cum tantum undique difficultatum circumstaret, eamque ob causam ad consilium, quid deinceps facto opus esset, Rex retulisset, hujusmodi pleraeque sententiae dicebantur, ut quod jam ante sermonibus a plerisque agitatum fuerat, corona facta omnibus ex partibus universi exercitus omnibus viribus oppugnatio tentaretur. Id ea de causa Rex non probabat, quod si id frustra susceptum esset, in quo summam spem omnes ponerent, ut deinde tanquam omni ea consumpta, praeter discessum nihil reliquum haberent, verebatur. Itaque alia prius omnia tentanda existimabat. Hungarum militem maximis praemiis propositis, ut muros denuo subeat, excitat: equitem ut quisque maxime manu strenuus erat, ut una cum pedite, misso equo, muros succenderet, hortatur: cum primis ejus rationem habendam docet, ne quemadmodum antea fecerant, priusquam vires plane incendia sumerent, se reciperent: sub muris denique telisque hostium mortem pro gloria gentis opinioneque fortitudinis militaris oppetere praestare, quam infecta re ab oppugnatione discedere, contumeliamque hanc accipere. Ita miles magno ardore sub moenia arcis taedas, quaeque in eos usus jam ante praeparata erant, alia prae se ferens succedit. Et cum tanquam inclinante fortuna pluviae sub id tempus paulum quievissent, ignis fundamentis illatus, murorum latus id mox corripuit: idemque longe lateque amplexus, totum eum diem cum extingui non posset, populabatur. Erat hic Augusti vicesimus nonus. Interim cum incendium excitatum latissime colluceret, vereturque Rex, ne ex vicinis locis, maxime autem Socola, ubi lectissimam partem exercitus Plescoviam a Mosco coacti consedisse supra ostendimus, hostes ipsis ignibus exciti, ad liberandam ab incendio arcem atque suos concurrerent: ac ex arce simul eruptio tentaretur, exercitum universum castris productum, justa peditum manu praesidio castris relicta, sub signis in campo constituit. Ipse aulico equitatu praesidio assumpto, quo melius in omnes partes animo occurreret, Polottam transgreditur: quod et Socolensis via illac duceret, et eruptio si qua tentaretur, ab illa parte maxime timenda esset. Territi his rebus Mosci de deditione agitare coeperunt: decemque de muris se dejicientes ad nostros transfugiunt. Eos dum Bekesius ad Regem mittit, Hungarus miles, ut ceteros a deditione deterreret, ne per eam expugnatae arcis gloria victoriaeque fructu ac omni laborum suorum praemio privaretur, trucidat. Praeter cetera enim, cum arcis tam famosae, tum praecipue aedis D. Sophiae, quae in illa est, vetustissimarum opum, argentearum statuarum, amplissimorumque priscorum Russiae Principum donariorum, quae in illa fuisse dicebantur, fama ingentis praedae spe militum animos compleverat: qua illi incensi omnes acerbitates, quo ea potirentur, aequissimo animo perferebant. Cum jam advesperasceret, magni et laboris et periculi videbatur, in tam praeruptum collem per flammas evadere: durabat enim adhuc incendium, nec nisi per id ulla alia via militi in arcem patebat, hanc ob causam in sequentem diem differri placebat. Interim dum in castra Rex se reciperet, ex Hungaricis stationibus nonnulli inter se ipsi cohortati globo facto, per pontem, de quo dictum est, in adversum collem contendunt, perque flammas nondum restinctas semiambusti in arcem evadunt. His Poloni pedites non pauci exemplo invitati se adjungunt; contra eam partem, in qua incendium excitatum erat, subitario opere fossam Mosci duxerant, per eamque minoribus tormentis dispositis in omnes casus se communierant; a quibus nostris rejectis, perque flammas inde, quo temere progressi erant, recedere coactis, Mosci hoc successu elati, longius eos insecuti sagittis a tergo feriebant. Interim ducenti Zamoscii pedites, qui praesidio, ut dictum est, ponti erant, per quem in arcem ibatur, repulsos conspicati, auxilio nostris accurrunt, Moscosque se recipere cogunt. Rex cum paulum versus castra progressus fuisset, ac interim irruptionem hanc militis conspexisset, ad ferendam munitionibus opem, in Socolensem potissimum viam intentus, quae usui sint, disponit. Idem Mieletius facit: equoque descendens, ac mul-

Digitized by Google

tos e Nobilitate, qui idem fecerant, secum trahens, munitionibus tormentisque praesidio accurrit. Non deerant sibi eo tempore hostes, exque altioribus turribus, praesertim vero mediae arcis ut longe ceteris altioris, creberrimas in omnes partes ejaculationes faciebant; ab iis dum Rex cum Zamoscio forte colloqueretur, uterque non leve periculum adiit. Nam cum forte Zamoscius a colloquio eo equi mutandi causa se convertisset, ac eques quidam in ipsius locum incautius se intulisset, globo penes ipsum Regem exanimatus concidit. Motum hunc nox suppressit, insignemque simul animorum mutationem attulit, ut de maxima spe, quam ex diei illius incendio conceperant, in adversum casum dejectorum; quererentur omnes hostium animos hoc successu auctos, nostrorum imminutos; inde inter nationes quoque dissensiones oriebantur, cum Poloni in Hungaros culpam temeritatis conferrent, ab iisque initium factum dicerent: et postquam in arcem perruptum fuisset, non satis animose altera ab altera rem gestam diceret. Has ob res sequentis diei antemeridiano tempore solo ad confirmandos militum animos dato, iterum oppugnatio coepta fuit. Pridie Mosci, quemadmodum ostensum est, ex propugnaculo, quod conflagrarat, se subduxerant: cumque is positus ejus esset, ut in summo duorum conjunctorum laterum, quae utrinque quasi tutabatur, angulo collocatum esset: Mosci angulo, et quod inter duo proxima opposita inter se propugnacula, ad quae ignis nondum pervenerat spatii intererat, omni deserto, propugnacula eadem inter se conjunxerant: interim vero spatium ad eundem locum, quem antea reliquerant, recipiendum nactos se rati, repetere eum coeperant. Hac re ad Regem delata, qui nullum sui rursum ibi communiendi tempus iis dari volebat, mox militem sub vallum rursum succedere, hosteque dejecto locum occupare jubet. Ita pars ea montis subito Hungarorum impetu capitur; ab ea deinde, quemadmodum jussi erant, secundum proximum latus munitiones proferunt: Petroque Racio nobili equite Hungaro iis praeeunte, propugnaculo, in quod primum incurrerant, ignem injiciunt; ex quo cum incendium ortum per totam noctem duraret, nostri majoribus etiam aliquot sclopetis, quibus hostes infestabant, a fronte dispositis, eousque per totam noctem continuo opere fossas praeduxerant, ut sub auroram ab hostium munitionibus non multum abessent, adque inferiorem loci ejus angulum, in quem nimirum fossa ab hostibus pridie ducta desinebat, fere pertingerent: latera autem hostium ita nudarentur, ut ne intra praesidia quidem sua tuto consistere possent. His rebus ab omni defensionis spe hostes interclusi ad deditionis conditionem redeunt: mittuntur communi omnium Bojarici generis, ac militum nomine Legati, qui vitam iis, qui in arce sint, paciscantur. Impetrant, ut singulis cum vestimentis, quo quisque velit se recipere posset. Episcopus, quem Vladicam illi vocant, Cyprianus, et Palatini, qui in arce erant, soli deditionem dissuaserant: mortemque subire praestare, quam vivi in potestatem hostium se traderent, contendebant; jamque ante pulveri tormentario ignem subjicere, communique incendio arcem, seque et omnes, qui in arce essent, absumere conati, a militibus prohibiti fuerant: et tum sententia eorum communi reliquorum omnium metu repudiata, illi tamen in D. Sophiae se contulerant, non prius quam vi inde abstraherentur, decessuri. Rex retentis apud se Legatis, mittit qui Episcopum et Palatinos ad se adducerent. Adducti in faciem procidentes more suo Regem salutant: unus praeterea Petrus Volinscius alterum ex iis Basilium Micolinscium accusabat, quod opera ejus ad Principem suum delatus, inque vinculis habitus fuisset. Rex non cognitionis tempus hoc esse ostendens Laurentio Vojnae Quaestori Lithuaniae, qui curam eorum haberet, tradi eos jubet. Mittit inde, qui arcem accipiant, partim Polonos, partim Hungaros. Altero die cum rei divinae operam dare ante omnia Rex vellet, proque obtenta victoria gratias Deo agere, foetore projectorum passim cadaverum, quae insepulta hactenus Mosci reliquerant, arcem ingredi prohibitus, Moscos, qui arce ad hoc tempus remanserant, educi jussit. Ei rei praeponuntur, qui ab injuriis militis eos defendant; decedentibus duplex locus assignatus fuit; in alterum, qui in Regis ditionem atque fidem venire: in alterum, qui in Moscoviam redire vellent, concedebant. Utrisque liberum de se commodisque suis statuendi arbitrium permittebatur, major pars reditum in patriam et ad Principem suum eligebat: insigni in utrumque fide ac perseverantia, cum eorum nemo esset, qui non ad certissimam mortem, et exquisitos cruciatus proficisci se existimaret. Pepercit tamen iis Moscus, seu quod extrema necessitate adactos existimaret, seu quod adversis

Digitized by Google

rebus, ut de animo, ita de crudelitate remiserat: perque vicina praesidia Lucos, Zavolociam, Nevelam, Usviatam, eos distribuit: in quibus deditionis Polotiensis ignominiam virtute delerent. Ne a milite injuriam acciperent, summam Rex curam adhibuit: itaque accidit, ut cum inspectante Rege ex arce digredientes, quidam in tanta multitudine facile latiturum se ratus, aliquos spoliaret, eum Rex ipse clava in illum invectus, notaret. Ea res tantam illi venerationem in animis hostium faciebat, ut quo magis clementia atque fides ignota hominibus durissima servitute oppressis essent, eo magis in illo virtutes hasce admirarentur. Reperiebantur per aream arcis dispersa corpora nonnullorum militum nostrorum: quos illi, quod in tanta victus atque omnium rerum inopia evenire necesse erat, in subjectis arci sclopetariorum hortis herbas, quibus extremam famem tolerarent, legentes oppresserant: ac intra munitiones suas abstractos immani cruciatu lacerarant. Maxime in Germanorum unum atque alterum crudelius, quam in ceteros saevitum ab illis animadvertebatur. Cruretenus lebeti impositos igni circumjecto ferventi aqua vivos coxerant, manibusque eorum fune per lacertos trajecto a tergo revinctis, ventrem totumque corpus eorum crebris in longitudinem per idfactis vulneribus ad scissi thoracis modum foedissime laniarant. Fremebatur passim hanc ob causam a militibus. Rex tamen fidem semel hosti datam nulla ratione violandam ratus, iis qui in Moscoviam redibant, duas alas equitum, qui ab injuria eos tuerentur, adjunxit. Postridie supplicationes ob rem prospere gestam, cum in arce eam, quam diximus, ob causam haberi non potuissent, in castris habitae fuerunt; in Poloniam erant de iisdem habendis edicta missa. Praeda minor expectatione ac fama tam opulentae arcis reperta fuit. Repererat in ea Moscus auri argentique non modo publici ac sacri, sed privati etiam maximam vim: quam Nobilitas mercatoresque Polotienses sub periculum oppugnationis in aedem ad summum congesserant, sed capta urbe gazam omnem paucis donariis relictis in Moscoviam secum avexerat. Omnis militi concessa, minime tamen spei ejus satisfecit. Non minori fere in pretio, quam reliqua praeda, bibliotheca ibidem inventa apud homines litteratos habebatur. Erant in ea praeter annalium libros, plerique Doctores Ecclesiastici Graeci, ac in iis Dionysii Areopagitae de Hierarchia Coelesti et Ecclesiastica libri Slavica omnes lingua: quorum plerosque a Methodio et Constantino in eam linguam e Graeca traductos ipsorum annales tradunt. In Ecclesiasticis enim institutis a ceteris fere ejusdem erant ritus gentibus hoc vel maxime Mosci differunt: quod conciones apud populum, quibus is eruditur a Sacerdotibus nullas haberi patiuntur, sed quae a veteribus Doctoribus Graecis tradita sunt, in suam linguam hanc ob causam traducta, studioseque conquisita e scripto publice pronunciant; seu quod homines nullis litteris eruditi suo ingenio minus confidant: seu vero, quod propius vero videtur, ne pro curiositate ingenii humani nova inveniendi studio ab antiquitate ac veritate recedatur. Apparatus bellici, maxime autem pulveris tormentarii tantum reliquum fuit, ut licet per omne id obsidionis tempus magna ejus pars absumpta fuisset, nihil tamen adhuc ad longissimam quamvis obsidionem tolerandam defuturum iis fuisse videretur; commeatus etiam atque pabuli satis magna copia inventa ex labore et inopia exercitum brevi refecit. Sed dum e tot incommodis sibi quisque primo prospicere contendit, jurgia inter Nationes Polonicam et Hungaricam orta eo usque proruperunt, ut cuneo facto strictis utrinque gladiis mutuo in se irruituri consisterent. Jam ante miles Polonus circulari: fremere totis castris, contemni virtutem suam ab Hungaris: eos omnibus se anteferre: fructus victoriae praedamque omnem solos intervertere: pro illorum laude et commodis bella suscipi. Inter quas gregarii militis dissensiones, Senatorii etiam ordinis, Ducumque ipsorum offensiones nonnullae existebant. Nam et Mieletio cum Palatino Vilnensi etsi arctissima necessitudine conjuncti inter se essent, ex communione muneris alienationis nonnihil intercessisse videbatur: interque eundem et Zamosclum, et si non minor necessitudo inter eos intercederet, ne satis tamen alter ab altero amaretur, dubitatio suborta videbatur: cum hic si quid ad rationem muneris ejus spectans attingeret, offensum eum iri existimaret: Mieletius pro mutua necessitudine non satis auctoritatem muneris sui juvari a Zamoscio arbitraretur. Augebatur maxime animo ea dignitate atque auctoritate vir, quod a Bekesio aliisque exteris non satis Majestas tanti Magistratus, cujus in Regno hoc summa semper auctoritas fuisset, observari putaretur: Imperiique militaris Majestatem in se imminutam

Digitized by Google

videri moleste ferebat. Acuebantur dissensiones hae a Magistratuum, qui defuncto Joanne Chodkevicio amplissimi vacabant, petitoribus: qui ut a quoque vel juvari vel destitui se existimabant, ita alios in eum animabant. Militi quo dissidia inter eum tolleret, quod praeda expectationi ejus non responderat, donativum Rex dedit. Tenebantur adhuc in agro Polotiensi praesidiis hostium Socola, Turovlia, Susa, aliaque castella quaedam: quae nisi prius quam inde discederet, dejecisset, pacatam se regionem eam obtinere non posse Rex intelligebat. Maxime a Socola et Turovlia timebat: quarum cum illa a laeva ad Plescoviensem viam pertineret, et jam ante summissis inde copiis firmata fuisset, ne id posthac rursum fieret, majoribusque copiis inde aliquid tentaretur, verebatur; hanc quod ad Dunam flumen posita esset, itidem magnam totius ejus regionis infestandae opportunitatem habere videbat. Socolam Mieletium mittit. Hic equitatum peditatumque Polonicum, et militem Germanum secum sumit. Turovliam Bekesium cum Hungaris mittere in animo habebat: interim cum Martinus Curtius cum Cosacorum manu Palatino Vilnensi operam suam detulisset, is adjuncto ei Constantino Lucomscio Praefecto Ulensi missus eo fuit. Mosci, qui in praesidio erant, quod per eos dies tormenta atque ignes cessare animadvertissent, id quod erat, Polotiam in potestate Regis esse conjectura existimantes, ne quicquam retinentibus eos Praefectis per aversam portam se ejiciunt, fugaque castrum deserunt. Palatini qui in eo remanserant, ad Regem adducuntur. Susam, quod omnium esset munitissima, in eaque Moscus maximum apparatum belli, commeatusque haberet: et tamen citerius Dunam in solo Lithuanico posita praesidiis aliis excisis, omnique commeatu intercluso, ultro in potestatem ventura videretur, in praesentia tentare non placebat; quibus rebus perfectis, quae ad statum provinciae stabiliendum, divinarumque rerum curam pertinerent, administrare Rex instituit. Templum arcis etsi satis amplum esset, pro captu etiam loci magnifice ex lapide constructum, quod tamen a Graeci ritus hominibus teneretur, quorum et magna multitudo esset, in eoque jus ac possessio antiquissima videretur, ejus formulae Episcopo Russico, qui ante jam templi ejus titulum Vitobsciae ipse agens usurpabat, permisit: maxime vero quod ejus quoque rei rationem habendam sibi existimaret, ut cum longius bellum in Moscoviam proferre in animo haberet, intelligeretque quantum ad animos hominum in omnes partes permovendos religio posset, ne religionis amore, si eam relinquendam existimarent, a deditionibus absterrerentur. Ad Romanae Ecclesiae usus novum designat. Huic agros et possessiones, ex iis quae maxime vicinae erant, amplissimas addicit: certisque proventibus annuis ad perficiendam fabricam ac sacerdotum usus, dum ager e vastitate ad culturam perduceretur, e portorio interim assignatis, Societatis Jesu Sacerdotes in eo collocat: quorum et pietatem, et in reducendis ab errore hominibus diligentiam probabat, quamque eo magis necessariam futuram ibi judicabat, quo major in hominibus illis ac maxime agrestibus non modo divinarum rerum omnium ignorantia, sed impietas tanta esset: ut cum ad colendos agros hominibus non abundarent, plebs rusticana moribus suis ad proprias uxores, communes alias filiis infantibus duceret: cum his, quo pluribus liberis domum complerent, interim concumbebant, filiisque deinde, postquam ad justam aetatem ii pervenissent, eas tradebant, fossas, munitionesque ab exercitu institutas Hungarum militem complere jubet. Murorum partem dejectam, quomodo restitui velit, arcemque ipsam qua ratione muniri, demonstrat. Pecuniam, quaeque alia usui sint ad eam rem designat: praefectos constituit. Regebatur Polotia antiquitus, quemadmodum et Kiovia a Legatis Regiis Palatinorum honore ac dignitate, cum per universam Lithuaniam non plures quam duo Palatini, Vilnensis ac Trocensis, totidem Castellani essent, carebat. Postea amplificato Senatu Lithuanico, non modo Polotiae et Kioviae Ducatus, sed et Vitebscia digna visa est, quae a Palatino administraretur. Polotiae Palatinus erat, cum a Mosco caperetur, Stanislaus Dovojna: qui cum uxore Petronia e Domo Radivilorum in Moscoviam abductus, cum per aliquot annos in servitute et compedibus vitam traxisset, non prius inde rediit, quam ab Sigismundo Augusto, uxore ejus in captivitate mortua, aliquot aureorum millibus redimeretur. Cum de conjunctione inter Polonos ac Lithuanos sub Sigismundo Augusto convenisset, ac quo Lithuanicorum Senatorum numerus Polonicum aequaret, complures per Lithuaniam Palatini ac Castellani creati fuissent: quia agri Polotiensis nonnihil in potestate adhuc erat, ad Palatinum Castellanus etiam adjectus fuit; quo tempore

Digitized by Google

in illa Mosci ex eorum temporum successu non in factis modo, verum dictis etiam insolentia id quoque non irridicule ab eo dictum percrebuit: nihil Augustum Regem ex capto Palatino incommodi accepisse, qui pro uno quinque jam haberet: decem pro duobus habiturum, si ad priorem Palatinatum alterum ei auferret. Dovojna quoad vixit, titulo ac dignitate Palatini usus interregni tempore decesserat. Cum in Regnum Rex venisset, annitentibus, Lithuanis ne suorum Senatorum numerus minueretur, Nicolaum Dorohostajscium Palatinum Polotiensem crearat. Eidem nunc Polotiam administrandam commisit. Horodnicium quem illi Magistratum vocant, quique arcis munitionum curam habet, Francisco Suco tradit; praesidium ex equitatu peditatuque qui quotque permanere debeant, describit. Sigismundus Augustus Nobilitati Ducatus Polotiensis, quae bonis exuta a Mosco fuerat, aliis in locis bona possidenda ea lege dederat, ut si quando recuperatus ager is ab hoste foret, iis rursum cederent: Rex bonis eorum illis restitutis, haec ad sexennium nihilominus, dum sua ab hoste vastata rursum excolerent, permisit. Mieletius interim Socolam cum exercitu, ut dictum est, contendens in itinere cum viarum proximis pluviis inundatarum, tum commeatus maximis difficultatibus afficiebatur. Tormenta Rex Dunam secundo flumine Drissam usque ad cognominis castello illi fluminis cum Duna confluentem demiserat; ab eo loco per Drissam Socolam usque trahebantur. Cum ad Socolam fluvius Drissa etiam nonnihil exercitum moraretur: quod ponte, quem Caunae ex navibus factum supra ostendimus, alter ad Polotiam exercitus in transvehendis commeatibus uteretur, nec alterius tam subito expediendi ratio iniri posset, Joannes Zbarascius Palatinus Braslaviensis cum parte equitatus flumen tranat, aversaque a Socola parte Plescoviam versus in excubiis considet; ad reliquum exercitum traducendum Nicolaus Vrovecius claro loco natus equitum Praefectus operam suam Mieletio detulit, rateque ex robustissimis trabibus, iisque catenis ferreis aliisque firmissimis vinculis inter se devinctis ab eo effecta, exercitus transductus fuit: nihil aliud hoste moliente, cum non difficulter transitu impeditos prohibere potuisset, quam quod excubiae eorum more suo ad terrorem nostris faciendum obequitantes diversarum Gentium, quae sub Imperio Mosci sunt, Lasanorum, Astrachanorum, aliarumque Nationum copias suo quasque nomine citarent. Propter viarum malignitatem, et jumentorum proximis ad Polotiam incommodis amissorum inopiam currus miles nullos secum devehere potuerat. Itaque non metatis castris, fixis tantum secundum Drissam flumen tentoriis consedit. Germanicus peditatus secundum Drissam, Polonicus versus Nisciam fossas munitionesque, quae diversis locis coeptae deinde committerentur, ad castrum agere instituit. Hostis, quod nostrorum non adeo magnum numerum videret, et cum superioris obsidionis tum itineris incommodis debilitatos: suos omnibus rebus integros, simulato metu, quemadmodum ex captivis postea cognitum fuit, intra munitiones per noctem se continere, curatisque interim corporibus omnibusque rebus ad eruptionem paratis ante lucem eos adoriri in animo habebat. Forte accidit, ut Dobrossolovius, qui tormentis a Mieletio praepositus fuerat, tres globos candentes, quorum supra rationem demonstravimus, experiretur. Ex his duo cum incendium fecissent, ab hostibus suppressi fuerunt: unus cum imo fundamento adhaesisset, non animadversus haud multo post, quod muri ex abiete et arida materia facti essent, latissimum incendium sustulit; quod cum Mieletius conspicatus signum tuba, quo ad arma capienda omnes convocarentur, mox dedisset, Mosci inopina re turbati, simulque nostros irrupturos existimantes, cum restinguere incendium non possent, ac tantum repentini periculi objectum esset, diversis portis trepidi se effundunt. Szeremetus cum parte equitatus Plescoviam versus se recipiens in Joannem Zbarascium Palatinum Braslaviensem, qui ab ea parte hostem observabat, incidit, vivusque cum iis, qui circa illum erant in potestatem ejus pervenit. Qui ab altera parte cum Borisso Sejno se ejecerant, in Germanos inciderunt. Hi cupiditate ulciscendi tot annorum injurias, quibus in nomen Germanum crudelissime Moscus saeviisset, cujusque recens exemplum nuper capta Polotia vidissent, omnes in iisque Sejnum interficiunt. Qui reliqui in arce erant, supplices vitam rogare coeperunt: sed irrumpente milite Germanico ac omnes promiscue caedente, desperata salute cataractam quae ex superiori loco portae imminebat, demittunt: conclusosque in arce ad quingentos milites Germanos interficiunt. Interim Rozdrasevius Germanique quidam ac Poloni impigre portam effringunt; qua patefacta tum

Digitized by Google

vero pars caesa fuit, pars rerum omnium desperatione adducta ultro in ignem se praecipitans conflagravit. Magna ubique caedes fit; ut multi, ac praeter ceteros Vejerus Veteranus Praefectus, cum se multis praeliis interfuisse diceret, nusquam in ullius praelii loco densius strata constipataque inter se cadavera se vidisse confirmare non dubitarent. Multi inter occisos obeso corpore erant, iis focariae Germanorum apertis corporibus ad notas vulnerum medicationes, ac in his Sejno quoque adipem detraxerunt. Hinc Moscus epistola quadam sua, de qua infra dicemus, ad Regem scripta, inter alia cum hoc, tum quod caudentibus globis in oppugnando se usus esset: alterum tanquam immane crudelitatis facinus, alterum quasi non virtute atque acie, sed artificio quodam contra se niteretur, Regi exprobrat. Etiam in praeda operae pretium factum fuit; argentique signati apud plerosque Bojarici generis referti loculi reperti, militem superioribus incommodis attritum non refecerunt modo, sed et locupletarunt. Mieletius cum exercitu ad Regem reversus Magnum captivorum numerum, quorum partem publice Regi, partim amicis donavit, secum attulit. Rex Praefectis plerisque, centurionibusque ac militibus etiam, quorum paulo insignius facinus extitisset, cum Praefecturis, quae tum vacabant, tum aliis militaribus donis ob virtutem donatis, quae in quaeque stativa copiae ducendae essent, praescribit. Inde Disnam proficiscitur. Hic quod ulterius in Moscoviam proximo anno bellum promovere constituerat, tormenta omnia praeter ea, quae refectione opus haberent, relinquit. Inde litteras ad Moscum mittit; quibus ipsius instituto, quo ille post Livoniam vastatam usus fuerat, de successu expeditionis certiorem eum facit. Hae eo tamen argumento scriptae erant; ut non tam successu rerum secundarum efferri, quam tot hominum innocentium clade commoveri se testaretur; ejusque rei causam omnem in Moscum ac illius in se injurias conferret. Dum ad Polotiam Rex erat, Legatio ab Henrico Ordinis Teutonici Magistro eum convenit. Initio Regni cum hujusmodi nonnullae difficultates Regem excepissent; quae quo minus in tempore bello Livonico occurreret, prohibiturae eum viderentur; Radivilus Palatinus Vilnensis, qui tot annos tanto cum sumptu ac periculo sine ullo fructu in Livonia bellum geri viderat, Adolphum Holsatiae Ducem excitarat, qui fiduciario seu feudi jure Livoniam a Rege peteret, defensurumque se in ea bellum contra Moscum polliceretur. Hujus aemulatione Joannes Chodkevicius Castellanus Vilnensis Magistro ac Ordini Militiae Marianae Teutonicae idem ostentarat: missusque ab eo Joannes Taubius Livo illi persuaserat, si peteret, traductis in sententiam per largitiones primariis aliquot Senatoribus, non magno negotio eum assecuturum. Rex primo Vilnam Legatis rejectis, in Comitiis hisce de rebus agendum iis ostendit: mutui interim mentione extra conditiones injecta, quod in bellum hoc Princeps eorum conferret: qua de re cum illi mandata nulla se habere dicerent, ad Principem autem suum relaturos se recepissent, Varsaviae deinde missione flagitata, nulla alia re acta discesserunt. Rex conscenso Disnae navigio, secundo Duna non parum fluminis ejus amoenitate delectatus Drujam: inde terrestri itinere per Braslaviam Lithuanicam Vilnam venit. Accedenti Andreas Caligarius Legatus Pontificius tum complures ex Nobilitate obviam profecti fuerunt. Civitas Vilnensis tota in gratulationem effusa, compositaque oratione illum excipiens, duobus e locis maxime ante hac securitatem ac negotia sua interpellata commemorabat; uno a Polotia, altero a Cokenhausio; illud incommodum benignitate divina, ac virtute sua Regem amovisse: alterum quoque ut a cervicibus suis removeret; se illi precari. Inter alios Mosci quoque deditii obviam ei progressi panem ac salem, quibus suum Principem venerari in more habent, ei offerebant. Moscus nuntio amissae Polotiae ac praesidii Socolensis caesi accepto, Plescovia in interiorem Moscoviam se recepit; ac re ipsa forte tum perspiciens, unicum Regni robur fortes ac fideles populos esse, ex itinere ad eos, qui Susae in praesidio erant, litteras praeter morem ejus scriptas misit, easque diversis perferendas dedit: Intellexisse se Polotiam ac Socolam Dei permissu in hostium potestatem pervenisse: qua re cum undique eis interclusis non facile subsidio veniri possit; hortari ut tormentis praesertim ac pulvere reliquoque belli instrumento, quod secum deferre non possent, corrupto: imaginibus et sacris, ne a barbaris (eo enim ille numero omnes, qui in religione ab eo dissident, habet) ludibrio habeantur, in terram defossis, quacunque tuta ratione se recipiant; non quod de fide eorum dubitaret, sed ne virtutem eorum, quam ad majora superstitem esse velit, fortunae ac hostium crudelitati



Digitized by Google

objiciat. Pervenerunt hae litterae ad Mieletium, qui de tormentis potissimum ac apparatu bellico sollicitus, qui ad deditionem hostes hortaretur, misit. Eaedem autem cum in Palatinum Polotiensem etiam incidissent, ipse quoque eo accurrit. Hostes pacti, ut singulis cum vestimentis discedere sibi liceret, castrum tormentaque, et quicquid in eo apparatus bellici erat, tradiderunt; quibus rebus perfectis Mieletius in tres partes exercitum distributum in hiberna deduxit. Primis Christophorum Niscicium Legatum: alteris Martinum Casanovium: tertiis Sigismundum Rosnium praefecit. Jam ante Constantino Ostrogiae Duce excursionem in ditiones hostiles quae ad Borysthenem pertinent parante, Nicolao Sieniavio stationum Russicarum Praefecto, Rex mandarat, ut cum iis copiis, quae in Russiae finibus sub imperio ejus excubabant, cum illo se conjungeret; inque hosticum a Kiovia transgrederetur: verum Sieniavio longinquitate locorum impedito, et adulto jam autumno, non praetermittendum id gerendae rei tempus Dux ratus, collectis ex clientibus suis, quorum satis magnam copiam habet, aliquot millibus hominum, aliisque ex juventute compluribus se ei adjungentibus, cum filio Janusio et Michaele Visnovecio Castellano Braslaviense Borysthenem transgressus fuerat: expeditissimisque quibusque turmis praemissis, ac his longe lateque vagari, et terrorem in omnes partes circumferre jussis, ipse cum reliquis copiis Czernihoviam usque excurrerat: quam castris metatis magna vi oppugnare agressus, cum praesidio firmo eam teneri, idque et animis et omnibus rebus aliis ad defendendum locum paratum esse videret, se a peditatu tormentisque imparatiorem accessisse: reliquas copias maximis itinerum et tempestatum incommodis afflictas, missa obsidione vicina circum loca omnia diripuerat, totaque Soveriensi ditione vastata, ac populationibus ad Starodubam, Radchostiam, Poczopoviam, usque per leviores equitum turmas factis, praeda ingenti acta discesserat. Simili successu Joannes Solomirecius, qui post mortem patris extra ordinem Micislaviensem Praefecturam administrabat, Jaroslavum oppidum, pagosque complures diripuerat. Philo et Cmita Praefectus Orsanensis, cui turmae aliquot equitum assignatae erant, coacta ad eas non mediocri finitimis e locis cujusque generis hominum manu in ditiones hostiles transgressus, duobusque circiter millibus pagorum incensis, ac ad Smolenscam populationibus provectus, praeter agri solum nihil iis in locis reliquum fecerat: indeque magna cum omnis generis praeda; nullo detrimento accepto suos reduxerat. Rex cum aliis necessariis de causis, maxime vero ut bellum persequeretur, Comitia habenda sibi intelligeret, eaque jam in ante diem vicesimam tertiam Novembris Varsaviam indixisset, interim, quae ad Lithuaniae securitatem pertinerent, quaeque in omnes casus contra hostium impressiones opponenda judicabat, cum Senatoribus Lithuaniae constituit; qui eorum praesidio Provinciae domi remaneant, qui Comitia obeant, inter eos comparat. Vilnae Radivilum Palatinum Vilnensem, qui cum imperio militari erat, relinquit; simul magistratus, qui vacabant, distribuit. Quibus Radivilos prae ceteris complexus ad Episcopum Vilnensem, quae Georgio Radivilo designata jam ante erat, Palatinatumque ac imperium summum militare, alterum item praetorii militis, quorum illud Nicolaus pater, hoc Christophorus filius obtinebant, Christophoro castellanatum Trocensem et sigillum minus adjicit: Novogrodecensem Palatinatum alteri Palatini filio Nicolao; utrumque praeterea Marschalcatum, Nicolao Christophoro majorem, minorem Alberto alterius Nicolai, qui ante hunc Palatinus Vilnensis fuerat, filiis: Castellanatum Vilnensem Eustachio Volovicio, qui Castellanus Trocensis fuerat una cum sigillo majori dat: abdicante se eo Palatino Vilnensi, ut minus quod Volovicius habuerat, filio Christophoro traderetur. Praefecturam Samogitiae quae ardentibus multorum studiis ambiebatur, Joanni Kiscae confert. Vilna inde Grodnam movet; ubi venationibus, quo uno voluptario labore ex aliis laboribus maxime reficere se solet, dies aliquot dat. Moritur ibidem Gaspar Bekesius, de quo supra dictum est, non minus inimicitiis, quas cum Rege acerrime olim exercuit, quam virtute sua clarus. Natus hic in Transsilvania, ac in familia Petrovicii nobilis Baronis educatus, adulta postea aetate Joanni Sigismundo Transsilvaniae Principi adeo gratus extitit, ut cum sine haerede decederet, hunc successorem designare non dubitaret. Cum Rex popularium studiis praelatus ei fuisset, aemulatione inter eos exorta, dum statum Transsilvaniae turbat, Fugarissio atque aliis castellis a Rege exutus ad Maximilianum Imperatorem in Germaniam se contulerat: ubi copiis aliquot coactis vi deinde ac armis invadere Principatum conatus

Digitized by Google

fuerat. Verum profligatus a Rege iterum in Germaniam se receperat. Postea cum ad Regnum Poloniae aemulum ascitum, jamque extra omnem invidiam alteriorem in locum virtute consecundisse intellexisset, conscius sibi magnitudinis animi ejus, unum elegerat; cui et maxime se crederet, et a quo commoda ornamentaque omnia expectanda sibi statueret; suamque illi fidem atque omnem operam ultro detulerat: Rexque non modo omnem erga illum offensionem ex animo deposuerat, sed benigne susceptum, opibus etiam ac dignitate amplificaverat. Moriens conjugem et duos impuberes filios Regi ac Zamoscio commendavit. Dum haec geruntur, in Polonia non iidem omnium sensus, variique ac diversi animorum motus esse. Erant non pauci, qui cum amplissima quaeque a Rege polliciti sibi fuissent, ac vero in tanta publicarum rerum difficultate non posset vel effusissima Regis liberalitas omnium expectationi satisfacere, quod quae speraverant, non consequerentur, alieniori fere animo ab eo erant. Cumque quilibet e Nobilitate in electionibus Regum suffragium ferat, magna erat multitudo eorum, qui quod suffragio suo in adipiscendo Regno Regem sublevassent, ipsum Regnum debere eum sibi arbitrabantur: videntes que Radivilos tot honoribus auctos: Mieletio summae auctoritatis magistratum traditum: iis Zamoscium necessitudine conjunctum: tot honores ac dignitates conjunctis inter se affinitate hominibus congestas, angebantur animo, eaque in suam perniciem comparata interpretabantur; et quod beneficio non afficerentur, injuriam rati, summa in ea Republica facultate, in qua quae quisque sentit, pari libertate dicere possit, omnia suspecta facere, cunctaque vel praeclara facta Regis sinistre interpretando corrumpere conabantur. Jam ab initio cum Leopolim Russicarum rerum causa proficisceretur, non deerant, qui collecta gaza a Sigismundo Augusto relicta taedio praesentium in Transsilvaniam recipere se eum in vulgus fingerent: postquam Svirum diem exercitui edixisse eum intellexissent, nihil horum gerendi quicquam contra hostem animo suscipi, cujus potentia major esset, quam ut ullius viribus labefactari posset: sed quaeri colorem tributariis pecunias, quas in immensum oratione tollebant, itervertendi jactabant. Nonnulli altius provecti Reginae animum tentare coeperant: ostendere sperni aetatem ejus a Rege: divortium ab eo agitari: missum ea causa Petrum Volscium Episcopum Plocensem ad summum Pontificem: non minus ejus Regnum esse, quam Regis, ut quae et ipsa tanquam vetustae Jagellonicae stirpis ac de Regno optime meritae prosapia iisdem comitiis Regina appellata, iisdemque Regni Sacris initiata fuerit: quo illa in partes traducta gratiosum ad vulgus nomen nacti, eo majorem facultatem Rempublicam turbandi, ac consilia Regis impediendi haberent.

Querebantur fere, non satis fieri conditionibus a Rege, cum Regnum ei deferretur, in Transsilvania acceptis: homines adventitios in honoribus et Praefecturis collocari: Bekesium potissimum, cui Landscronensem Praefecturam Rex contulerat, notantes. Ad haec Ducem Curlandiae non suo loco et tempore deterioribusque e Republica conditionibus quam antea, possessioni Ducatus ejus confirmatum traducebant. Quae quum pleraque tempus refutasset: maximeque Leopoliensem profectionem, Svirensemque expeditionem falsissime in invidiam vocatas aperuisset, litteris de Comitiis allatis, jurgia inter Nationes Polonicam et Hungaricam exorta in majus exagerabant: externos homines induci: a quibus contemni imperium militare: vim summi magistratus enervari: Jam capta Polotia nova tributa Regem in conventibus et Comitiis petiturum: sed ut omnis Moscovia in potestatem ditionemque veniret, in tanta amplitudine finium, quam tantae molis administrandae rationem, quam utilitatem fore, quum interim longe magis necessariam praestabilioremque Reipublicae vulnera curationem requirerent? Quidam ut tres partes proventuum capitanealium a Praefectis exigeret, Augustanae cujusdam constitutionis, quam illi in eam sententiam interpretabantur, auctoritate postulandum censebant: quum si id fieret, perpetuo finem tributis id allaturum dicerent. Quae quum in vulgus moveri Rex animadvertisset, ac liberius omnibus, quam antea occurrendum arbitraretur, primo, quo agi de Republica poterat, Comitiorum die Joannes Zamoscius Cancellarius, accomodata ad rem praesentem oratione: Si ullum tempus fuisset, quo pro maximis in Rempublicam beneficiis numini divino gratias agerent, id hoc potissimum esse docet, quo tam praeclaram victoriam ab eo hoste adepti sint, quem propter summam potentiae, virtutis bellicae, victarumque ab eo gentium opinionem, formidassent omnes: nemo vinci potuisse existimasset. Contigisse id tamen singulari beniguitate divina, hostem non



Digitized by Google

modo victum, sed provincia Polotia, quae victoriae hujus perpetuum monumentum futura sit, ac superiorum victoriarum ejus dignitate spoliatum pene esse: omnes ejus triumphos, quos per tot annos de Livonibus et Suecis, quos de Casanis et Astrachanis subactis, quos de Tartaris, de Turcis, denique Tanaim et Volgam jungere, Caspiumque mare in Euxinum Pontum immittere tentantibus, deque tot aliis bellicosis et barbaris nationibus habuerit, hac victoria ei detractos in hoc de illo triumpho praelatum iri.

Quae quum quanta sint, inquit, erga nos Dei beneficia, intelligamus omnes, eadem nisi constantia ac virtute tueamur, inertia nostra fructus ex iis percipiemus nullos, ex quibus, si recte benignitate hac divina utamur, maximos percipere possimus. Magnum est, quodque superioribus temporibus vix sperandum nobis videbatur, amplissimum agrum ab hostibus tot annorum spatio possessum, quo maxima ex parte opes Lithuanicae quondam niterentur, receptum: hostem tot prosperarum rerum successu elatum in perpetuo victoriarum cursu repressum: aversa arma ejus in vastitatem ac perniciem ditionum harum intenta. Omnia haec, nisi reliqua, quae restant, belli ejus perficiamus, vereor, ut non modo utilitatis nihil nobis attulisse, sed ne optanda quidem tanto cum labore ac sumptu fuisse videantur. Hostem habemus potentissimum, cujus quae quantaeque opes sint, et nemo ignorat nostrum, et tot devictae ab eo nationes testantur. Hunc moderatene, vel hanc amissae provinciae contumeliam ferre, vel quieturum putamas? Fremit ille jam, et tanquam fera aliqua intra septa conclusa, omnes amissa recuperandi, et acceptas injurias ulciscendi exitus ac rationes quaerit. Demus huic vel cunctatione nostra vel pace cum eo facta, colligendi sui, acceptaque incommoda ac domestica vulnera, atque inscitiam ejus, quae hoc bellum nudavit, sanandi spatium: quis omnium tam securo est animo, qui non multo majoribus viribus ad sarcienda incommoda irruiturum in nos prospiciat, quem nec propter potentiam difficultas ulla a bello revocare, nec in pace propter perfidiam ulla jurisjurandi religio retinere possit? Sero nimirum resistendi ei rationes tum quaeremus, quem jam trepidum et perculsum si non levi momento impellere, facilius certe superare possimus. Quod ut non esset nobis verendum, illumque accepta injuria vel omnino quieturum, vel nihil ab eo periculi expectandum nobis esse, Deus nobis fidem faceret. Quis enim alius tantae rei idoneus auctor existat? at nonne tanta gloria bello hoc parta, quae deinceps de nobis hominum existimatio futura sit, commovebimur? aut ulla ratione opinionem bello hoc collectam tueri nos posse, si in tantas res gerendas ingressi in medio earum cursu destituere eas videamur: quenquam denique futurum existimabimus, qui non fortunae potius successus hosce, quam virtuti tributurus sit? Sunt enim, quae virtute ac ratione administrantur, quum exigua iis fortuna interveniat, eorum et media primis, et exitus utrisque consentanei: fortunae ut caeci sunt impetus, ita ultima raro primis respondentia. Quot sunt, qui in tanta ditionum-amplitudine difficultatem earum administrandarum verentur, nec expetendum latius imperium putent, quod sumptu ac labore magno partum, Reipublicae usu nulli esse possit: mirum sane videri debet, eo in Republica animo quenquam esse, *quo in sua* sit nemo. Quis enim omnino est, qui non decem possessiones, quam unam malit? graviora sunt onera amplae rei familiaris: eadem majoribus commodis opportunitatibusque pensantur. Reipublicae vero nostrae ego hanc rationem esse video, ut si nervos rerum gerendarum habere, si statum hunc civitatis tueri velimus, novum omnino Regnum necessario ei adjungendum sit. Nam cum ditiones omnes, quae ad eam accesserunt, in civitatem *iisdem* legibus receptae sint omnes: nulla in provinciae formam redacta: nulla tributaria facta: itaque in pari omnium libertate, onera etiam exaequata sint inter omnes: iis si levari volumus, quam ejus rei facultatem habebimus, nisi instituto maximorum quorumcunque imperiorum, nos etiam novum ei imperium adjiciamus: in quod tributis vectigalibusque in eo constitutis, gravior communium onerum pars derivari possit. Erat Russia ante, cum primum armis victa esset, tributaria: non parum tum subsidio ejus sublevata Respublica fuit: Lithuaniae quoque Magnum Ducatum, cum antiquis legibus a Regibus Poloniae regeretur, plurimum per seipsum ad submovendum Moscum, Tartarumque valuisse meminimus: conjuncto eo cum Regno, quantum ad publica onera accesserit, sentiendo unusquisque experitur. Quod si qui inopiam ac familiaris rei angustias inertiae suae praetendendas existimant: ii si voluptatibus, luxuriaeque modum faciant, ac quos

Digitized by Google

in inanes vel perditas res sumptus prodigunt, in meliores usus convertant, vel praeclarissimarum quarumcunque rerum gerendarum necessariis adminiculis minime se destitui re ipsa perspicient. Alios, qui domesticas res constituendas arbitrantur, non reprehendo: si tamen cogitent iidem, praeterquam quod intestinorum incommodorum sanatio semper potestatis eorum futura sit, opportunitatem belli adversus Moscum, qualem nunc habeamus, non semper nos habituros: potiorem etiam salutis, quam aliarum rerum curam esse debere. Sunt et qui minus hactenus satisfactum sibi existiment. Habent ii nunc campum quum virtutis suae illustrandae, tum demerendi Regis: proficiscantur in bellum: operam studiumque suum Reipublicae praestent: aque virtutis amantissimo Rege amplissima quaeque axpectent: si vel aetas, vel valetudo, vel fortuna cujusquam id non permittunt, non desunt rationes in togata etiam ac civili vita bonis artibus emergendi: obtrectationibus ac praeposteris Rempublicam turbandi studiis nemo, quae virtuti, ac bonis artibus debentur, praemia consecuturum se speret. Hac oratione habita, et si minime nuntii dubitabant, quin et bellum et tributum ulterius sciscerent: quod in privatis conventibus victoriae hoc successu laeta, ac in spem futurorum erecta, frequens in eam sententiam Nobilitas inclinarat: tamen ut aliorum de se opinioni satisfacerent, ex iis, quae publice jactari animadvertissent, cum de aliis quibusdam tum de conditionibus, quibus non satisfactum a Rege diceretur, et de aere praesertim alieno publico dissolvendo mentionem inferunt. Docebatur, si quas antea in Regnum pecunias ad tuendum, dum veniret, Regnum Rex praemisisset, quas secum attulisset, quas in militem, qui ante adventum ejus meruerat, erogasset: in sedandos motus Gedanensium: in hoc ipsum denique bellum de privata sua insumisisset, expenderent: si quid deinceps facere instituerat, considerarent, ut nihil nimirum privatum, nihil a publico secretum haberet, verum omnia sua, ac vitam ipsam Reipublicae impendere non dubitaret, facile constaturum, rectene quid in illo Respublica desideraret. Nam quod ad vectigalium quorundam luitionem pertineret: si privati commodi sui fructum aliquem sequeretur, satis perspici, longe majori eum emolumento ejus futurum, si in eas res, quarum proventus non exiguus sit, redimendas, quam in bellum pecunias conferret: verum ita animo paratum esse, ut in praesenti Reipublicae periculo, privatum emolumentum publicae utilitati ac dignitati postponere mallet. De tribus capitalium proventuum partibus ab initio cum proposuissent, responsum fuit, non contineri id verbis constitutionis Sigismundi Augusti, nec contra leges publicas, quibus a verbis constitutionum recedere prohiberemur, in eam sententiam verba trahenda, quae nobilitatem omnibus virtutum praemiis spoliatam in agros atque familiaris rei studia cogeret. Quem enim posthac fore, nisi iis praemiis ad virtutem excitetur, qui operam suam in bello, in legationibus, in publicis muneribus obeundis Reipublicae praestare velit: qui nullis commodis propositis, dignitate ornamentisque patriae serviat? Cum et de militaris Imperii imminutione exterorumque honoribus agitatum fuisset, ostendit Rex, nulla se in re magistratus ejus auctoritati derogatum voluisse; praefecisse se Bekesium Hungaris, non ut sua auctoritate bellicarum rerum quid administraret, sed ut Ducis Imperio subesset, interpretisque munere ad militem Hungarum apud ipsum fungeretur: externo milite necessitate adductum in bello hoc usum, quod Regnum hoc ut equitatu non modo comparari cum ceteris Regnis posset, verum plerisque fere praestaret: ita a peditatu minus instructum adhuc esset: aliorum exterorum opera in Transsilvanicis rebus, ac privatis ministeriis se uti. Multa de hoc genere, utendumne opera exterorum esset, quum inter nuntios nobilitatis disputata, tum a senatoribus ipsis, multa in eam sententiam dicta fuerunt: non esse improbandum, si qui pro aliena Republica periculum ac laborem suscipere, sanguinemque pro laude ac dignitate ejus profundere velint: non esse sapientis, quod externorum periculo consequi possit, civium sanguine quaerere velle: hac ratione maxima imperia primum coaluisse: indeque ad summam amplitudinem provectas esse: hoc ipso in Regno multas primarias familias ab exteris profectas esse: inter alias clarissimam Tarnoviorum domum ad exteros originem suam referre: aliciendos potius, qui suam virtutem ad Reipublicae dignitatem aggregare velint: posseque id commodo Reipublicae fieri: modo id prospiciatur, ne vel legibus, vel Magistratibus a civium corpore se sejungant, sed iis utrisque, una cum reliquis civibus pareant, vel eo potentiae excrescant, ut cives ipsos opprimere possint: vel honores iis mandentur: sed illi quidem in

Digitized by Google

privatis ministeriis versentur, publicis honoribus ac Magistratibus soli cives praesint: quodque in aliis Rebuspublicis observatum sit, agris ac ejus generis commodis virtus eorum interim remuneretur: in honoribus capiendis civium praecipua conditio sit. Silentium inde ea de re fuit: peditem quidem externum nemo erat, qui necessarium esse negaret. De Curlando ostensum, Ducatum eum a Sigismundo Augusto Rege, cum Livonia primum ad Regnum se adjungeret, longe gravioribus e Reipublicae conditionibus Duci collatum fuisse: recte atque ordine, quod priorum Regum auctoritate jam ante affectum fuerit, meliori Reipublicae lege a Rege transactum: quod diploma ipsum prolatum testaretur, itaque nihil alienum a moribus et exemplis majorum factum, quibus omnium temporum receptum fuisset, ut quae a superioribus Regibus feuda constituta jam essent, ea posteriores, si nihil in iis mutarent, vel adjicerent, nova etiam, si quae ipsi adjunxissent in jussu ordinum Senatus consilio adhibito conferrent. Legationis Episcopi Plocensis cum in Senatu mentio facta esset, causa ejus vulgata, quae jam in prioribus comitiis in Senatu proposita fuerat, suspicionem divortii agitati, et ipsam sustulit. Ita nullo repugnante, quod priori anno sancitum fuerat, in hunc denuo tributum jubetur. Praefecti consilio inter se habito redituum praefecturarum suarum alteram quartam, qualis Ravam in aerarium publicum inferretur, ultro Regi detulerunt: conditione adjecta, ne auctoritas perscriberetur, vel in exemplum deinceps traheretur. Postulatum inter alia a Rege fuerat, ut per legatos bellum gereret; ipse a periculo armorum abesset: quod cum animi sui magnitudine indignum Rex judicaret, ostensum praeterea fuit, quo plures voluntarii, si in conspectu Regis operam navaturi essent, invitarentur: ac ad minuendas controversias, quae ex Polonicorum et Lithuanicorum magistratuum aemulatione existere possent, praesentiam ejus non modo utilem, sed pene etiam necessariam futuram. Leges in comitiis hisce cum aliis de rebus, um quae ad feuda beneficiariorum Principum, ad imperium militare, poenasque scelerum pertinerent, a delectis ex utroque ordine conscriptae quaedam, non tamen perlatae fuerunt. Id solum Nisoviorum in officio continendorum causa, litteris quibus tributum promulgabatur, adjectum fuit: ut usque ad futura comitia extra ordinem animadvertendi in eos potestas Regi esset. Constitutum superioribus comitiis fuerat, ut qui Reipublicae causa in bello abessent, judicia interim in illos nulla redderentur, nisi contra quos vel rerum judicatarum executio peteretur: vel qui vim fecisse dicerentur: aut qui ad certam diem de pecuniis non solutis judicium se suscepturos cavissent. Exceptiones hasce variis calumniis in perniciem reorum nonnulli convertebant: modo majorum lites in eos, quos arripuerant, torquendo: alias longissimi temporis spatio pene intermortuas suscitando. Itaque interpretatio in hisce comitiis adjecta fuit: eae ut causae rei judicatae, atque vis solae exceptae intelligerentur, si quae recens judicata aut facta diceretur: obligationes autem in diem certum conceptae, quae intra proximum decennium interpositae essent. A comitiis Rex Mieletium, qui ab iis abfuerat, ut ad sequentem expeditionem se paret, operamque in bello eo navet, per litteras hortatur: ille excusat. Dum Varsaviae Rex est, nuntium redactae in potestatem Niscerdae, de qua supra diximus, accipit. Moscus cum primo Polotiam cepisset, nobilitatem atque ex agris plebem omnem in Moscoviam *deportarat*: postea inveterata jam agri ejus *possessione*, spatio temporis amorem pristini dominii exuisse eos ratus, nonnullos, ac in his Cossonium quendam non corpore modo, verum animo etiam ultra agrestem valente, cum filiis fratribusque itidem robustissimis hominibus pristinis sedibus reddiderat. Hic statim ac in potestatem Regis Polotiam rediisse intellexisset, quomodo cum aliquo munere ad prius imperium rediret, cogitarat. Cosacis Polotiensibus, quo statu hostium res Niscerdae essent, ostenderat; cumque hi eo, quod illis constituerat, tempore, missu Palatini Polotiensis Niscerdam accessissent, munitionesque quemadmodum a Cossonio acceperant, nec dum perfectas reperissent, sine negotio potiti ea fuerant. Cossonius nihilominus more suo inter Moscos fortuitum Cosacorum adventum existimantes, sine ulla suspicione versatus, Zavolociam eadem ratione tradere nostris voluerat. Iisdem Cosacis, diem quo ad Zavolociam accedant, praescribit: seque turrim incensurum, ac dum ei rei Mosci *intenti* sint, in arcem eos inducturum, constituit. Sed re interim detecta, cum duobus filiis in conspectu Zavolociae palo suffixus fuit. Sub idem tempus in Usviatae repentina excursione opprimendae spem Cosaci adducti fuerunt. Iis Nicolaus Zebridovius Floriani, qui Castella-

Digitized by Google

nus Lublinensis et praetorii exercitus praefectus olim fuerat, filius, quum hibernorum Vitebsciensium otium ferre non posset, se adiunxerat, relictoque equite fallendi hostis causa, per notas semitas a Cosacis ductus eo excurrerat: praesidium custodiis et omnibus rebus firmatum repererunt. Hostes nihilominus subito adventu eorum exterriti, subjectum arci oppidum incenderunt.

# *LIBER TERTIUS.*

Varsavia Grodnam proficiscenti Regi, ac in futuram expeditionem omni jam cura incumbenti duae potissimum difficultates occurrebant: rei pecuniariae altera, quae tardius expediebatur: altera delectus; prioris enim expeditionis incommodis afflicti, jumentisque ac instrumento omni per tempestatum et itineris injurias privati, difficultates tam longinquae militiae plerique prae oculis habebant, ac ob id pauci omnino nomina dabant; qui etiam ex his minus a bello abhorrere se videri volebant, temporis tamen angustia, quo minus ad id parare se possent, excludi se arbitrabantur. Pecunia utitur partim privata sua, partim a privatis mutuo sumpta, quae ad certam deinde diem solveretur. De delectu Zamoscius sibi curae futurum promisit. Hic quamvis in togato munere versaretur: tamen quod patrem Castellanum Chelmensem praetoriano exercitui praefuisse, reliquos etiam Majores suos plerosque bellicis rebus claruisse meminisset, quo gloriam a majoribus traditam retineret, ac domestica haec studia ipse quoque non intermitteret, et ante hac semper, et in superiore expeditione militem aluerat: fortesque viros aliquot circa se habuerat, et tunc communicata re cum Rege, equitem peditemque scripturum se professus fuit. Re vulgata, magna multorum animis alacritas innata fuit: passimque a plurimis nomina data: Ad hos Hungarum militem a fratre Christophoro Transsilvaniae Principe scribi curat. Cum ante hac peditatu non multum Polonia uteretur, propterea quod nobilitas fere omnis equis merebat: pedestrem militiam, quae laboris plus, dignitatis minus haberet, negligeret: atque ita peditatus omnis ex oppidana plebe, ac operis praesertim constaret, genere hominum non modo rei militaris imperito, verum otio etiam oppidano ad perferendum laborem belli corrupto: externus autem peditatus sine maximo sumptu ali non posset: superioribus comitiis ratio quaedam parandi peditatus agitata fuerat, ut ex regiarum possessionum ascriptitiis vicesimus quisque in militiam reciperetur: qui ita in militiam venissent, ab oneribus operisque rusticanis ipsi posterique eorum immunes essent. Hoc delectu jam uti visum fuit, missique per agros centuriones praefectique passim fuerunt, qui robustissimum quemque ac labori militari ferendo aptissimum legerent. Grodnae ex propinquo jam consilia belli agitare Rex instituit: ac Vilnae interim tormenta, praeter ea, quae reparanda erant, nova suo modo alia fundi jubet. Propendebat jam Rex animo in magnorum Lucorum oppugnationem: quod tamen quo diutius hostem celaret, ex instituto Ciasnitiam diem, quo conveniret, exercitui edixit. Nam cum id oppidum secundum flumen Ulam in capite duarum Lucensis et Smolenscensis viarum ita situm sit, ut paribus ab utraque urbe spatiis distet, ac Lucos quidem inde tendentibus Usviata flumen: Smolenscam euntibus Caspla se offerat, ad hostem ancipiti cura distinendum, cum primis opportunum id videbatur. Supra demonstravimus, missum a Rege cum litteris, qui de eventu obsessionis Polotiensis certiorem Moscum faceret. Humanius hic acceptus ab illo, quam quisquam ante eum, mensae etiam adhibitus, ac bombycina veste donatus fuit. Eum autem priusquam dimitteret, a duobus legatis suis Joanne Theodori F. Novogrodiae, Mikita Georgii F. Micislaviensi Ducibus, et Romanovicio Zacharino ad Nicolaum Radivilum Pa-

Digitized by Google

latinum Vilnensem, et Eustachium Volovicium Castellanum tum Trocensem litteras dari jubet: Cum controversiae duorum summorum Principum eo progressae sint, ut suscepto bello Poloniae Rex Polotiam expugnarit: Magnus Moscoviae Dux vicissim ad ulciscendam hanc injuriam toto animo exarserit, se cum reliquis primoribus ad Principis sui pedes se projecisse, omnibus precibus ab eo petiisse, ne in sanguinem Christianum saevire velit: iis illum permotum a bello adhuc sibi temperare: nunc idem ipsis atque aliis Regis Poloniae consiliariis apud suum Regem contendendum esse, ut ad pacem stabilem cum Magno Moscoviae Duce constituendam eum flectant: inprimis ei persuadeant, ut et ipse cum millte regrediatur, et militi tam in Lithuaniae quam Livoniae finibus imperet, ne maleficio aut injuria ulla Moscos lacessat: eadem Magnum suum Ducem recipere, reversurum ad sedes suas, suosque a vi et injuria ubique cohibiturum: interea utrinque elaborandum, ut missis oratoribus, paceque et concordia constituta, depositis a Principibus armis, metu omnes liberentur. In extremo litterarum excusant, quamobrem Basilius Lopatinscius, per quem bellum Rex Mosco denunciarat, adhuc detineatur: operam se daturos ostendunt, ut quamprimum ad sedes suas uterque reversus fuerit, cum mandatis de pace sine mora ad Regem remittatur. Fecerat hoc Moscus exemplo Sigismundi Augusti temporibus a Lithuanis introducto: qui, si quando legatos Rex ad Moscum mittere destinasset, ad Moscoviticos proceres litteras prius dabant, quibus ut a suo Principe fidei publicae litteras oratoribus, qui venturi essent, conficerent, postulabant. Re deliberata, in hanc sententiam ab senatoribus, quos diximus, Lithuanis respondetur: diligenter se de pace Regem appellasse: illum ut Christianum Principem pacem atque concordiam inter vicinos, ac Christiani praesertim nominis Principes omnibus rebus potiorem habere: bellum tamen cum id maximis illius in se injuriis provocatus, non nisi pacis causa susceperit, tamdiu etiam dum aequae pacis potestas a Magno eorum Duce sibi fiat, gerendum sibi intelligere: legatos vero, ut quos ad Principem eorum mittat, causam nullam ei videri: potius non committendum sibi censere, ut quos ex suis, quemadmodum ante fecerit, injuriis atque ludibrio ejus objiciat: si ille legatos ad Regem mittat, patienter Regem, quae dicant, auditurum, atque aequo cum responso eos dimissurum. Haud multo post Moscus ipse cum ejusdem argumenti litteris alium ad Regem nuntium mittit. Dimittitur is cum eodem responso, quod prior a Senatoribus ante acceperat. Mittit nihilominus denuo aulicum suum Joannem Nasczokinum cum iisdem postulatis: qui cum et ipse in eandem sententiam publice jam responsum accepisset, ostendit postea, alia se praeter superiora mandata habere, quae privatim exponat; facta potestate commemorat, Principem suum moveri plurimum clade hominum innocentium Christianorum: qua de causa et si sciat contra suum majorumque suorum morem id a se fieri: constituisse tamen de dignitate sua publicae concordiae id dimittere, ut de pace ipse legatos ad Regem mittat: id unum postulare, ut induciae interim sint, nec ulterius cum exercitu Rex progrediatur: legatos Vilnae expectet: quod id a majoribus quoque ipsius Magnorum Moscoviae Ducum honori semper datum fuerit, ut non *nisi in Regni* ipsius, aut Magni Ducatus Lithuaniae sede oratores eorum audirentur. Rex eodem omnia illa pertinere intelligens, ut tempus gerendae rei extraheret, respondit: si quos legatos mittere velit, dicendi quae velint, potestatem libenter se iis facturum, benigneque auditurum. Quod certo in loco expectari a se legatos velit, nullo id ceterorum Principum Christianorum exemplo peti: qui quandocunque usus sit, quemcunque in locum legatos mittant: commune ubique esse jus legatorum, nec certo loco finiri: posse se ubicunque futurus sit, vel in castris ipsis, in quibus inter strepitum armorum, vel maxime legatis opus sit, adiri. Detecta sub hujus adventum res fuit, quae omnium animos vehementer in se convertit. Gregorius Oscicus claro loco natus, et ante jam sub Interregni tempus consilia cum Mosco agitarat: et tum per litteras communicare cum illo non intermittebat. Attulerat ad hunc litteras a Mosco Nasczokinus, quas cum ille per speciem pellium, aliorumque mercimoniorum Moscoviticorum licitandorum aditu ad Nasczokinum quaesito accepisset: frequens praeterea eadem causa interposita, ac secreto nonunquam petito cum eo fuerat. Enunciata haec res a Mirevio quodam ministro Oscici Martino Ribinio fuit, qui Andreae Zebridovio Pocillatori Regio nomen in militiam dederat. Is rem ad Magistratus, Magistratus ad Regem detulit. Mirevius, qui praesente Rege res accidisset, ad Albertum Ra-

Digitized by Google

divilum Palatii Marschalcum statim vocatus, custodiae traditus fuit, ultro indicat, quae cum Ribinio antea communicarat, eorum omnium Bartholomaeum quendam ministrum Osciki conscium ostendit. Rex quatuor solis primariis consiliariis adhibitis rem deliberat. Ex iis Palatinus Vilnensis prehendendi ejus, si in urbe sit, negotium suscipit. Ille Trocis tum esse dicebatur; mittuntur mox eo frequentes aulici, qui comprehensum retrahant; adducto in Marschalci aedibus libera custodia circundatur. Datur aliis negotium, qui diversorium ac res ejus perquirant; reperiunt in arce quadam alba diversorum Senatorum anulis signata, nominibusque scriptura eorum ementita, subscripta: plerorumque item signa Senatorum ad verum expressa, quibus ille majoris fidei faciendae causa, quo cum aliis proceribus consilia ista miscere videretur, apud Moscum utebatur. Alii Covarescum in praedium ipsius duobus a Vilna miliaribus, ubi tum Bartholomaeus is erat, missi, materiam, malleos, ac cetera cudendae monetae instrumenta referunt. Bartholomaeus consilia cum Mosco illum sociare, litterasque ab eo accipere, et jam ante Interregni tempore bis ad Moscum missitasse fatetur. His de rebus cum Senatores nonnulli ad eum missi essent, proditionem negabat: signis alienis ad contractus subjiciendos, et privatum quaestum in judiciis se usum fatebatur: monetae crimen in Judaeum quendam, cujus opera et signa illa sculpta haberet, conferebat. Adductus in judicium ipsisque proditionis et rei monetariae instrumentis in judicio exhibitis, respondere jussus fuit. Negabat defensor ejus respondere eum teneri communi nobilitatis jure, quo in quenquam ex nobilitate, nisi legitime prius in jus vocatum, quaeri vetetur. Cum varie res haec a Senatoribus acciperetur, ac quidam non minuendam exemplo libertatem nobilitatis censerent: apud plerosque plurimum tempus valuit: ut Rege in belli administratione, ac castris fere versante, non tam ordinarii, quam militaris juris cognitio videretur; ad haec eos solos praescriptione hac juvari posse, qui integra fama essent, ostendebatur; quorum scelus in tot flagitiis et propria confessione manifeste teneretur, eos vita sua, privilegio nobilitatis, ac ipsa adeo nobilitate se ipsos indignos fecisse. Itaque jussus respondere, libellum, quem ante in hunc casum composuerat, publice recitandum dat. In eo consilia se cum hoste agitasse: eidem spem per occasionem Regem interficiendi fecisse fassus eo decurrebat, ut egestate ac aeris alieni magnitudine impulsum id spectasse se diceret, ut ab hoste pecuniam aliquam hac ratione emungeret: supplexque veniam petebat. De confesso supplicium more majorum, ac de Judaeo item sumtum fuit: ministris ob indicium vitae gratia facta. Venerat interim Vilnam Hungaricus peditatus. Hunc Rex Postovam terrestri itinere ire jussum, ibidem cum tormentis, et reliquo graviore belli instrumento navibus impositum secundo flumine Disnam: inde cum aliis tormentis, quae Polotia rediens antea ibi reliquerat, per adversum Dunam Vitebsciam praemisit. Vilnae Paulus Uchanscius, qui ad Summum Pontificem a Rege missus fuerat, ad Regem reversus, ensem notis caeremoniis dedicatum a Summo Pontifice Regi obtulit. Profectus inde Vilna, ad Scidutum villam quinque cis Ciasniciam millibus passuum, octava circiter mensis Julii die pervenit, reliquisque copiis per vicinos agros sparsis, ipse eo, qui demonstratus est, in loco, consedit. Ibi dum copiae aliae, quae expectabantur, convenirent, de belli administrandi ratione, ac quo potissimum hac expeditione cum exercitu se converteret, ad consilium retulit. Tres potissimae hac de re diversae sententiae erant: cum alii Plescoviam, Smolenscam alii: tertii Magnos Lucos eundum censerent. Prima, quae Plescoviam, iisdem quibus antea, cum ad Polotiam iretur, rationibus ducebat: iisdem etiam, quibus tum impugnata fuerat: quod iter in hosticum longinquius: quod terga tot castellis hostilibus nullo in propinquo praesidio relictis nudarentur: quod Lithuania hostibus objiceretur: maxime quod a Plescoviensi via longius jam recessum esset: iterum non tam repudiata, quam in aliud tempus dilata fuit. Qui Smolenscam eundum censebant, loci inprimis celebritate, et amplitudine: rerum eo loco gestarum fama: instituto denique belli res ablatas repetendi movebantur: et quod eo praesidio adjuncto, tota Severiensis ditio longe amplissima una in potestatem ventura esset. Dicebantur contra haec ab iis, qui Lucos petendos suadebant: a Duna flumine, atque Livonia, quorum liberandorum causa bellum hoc potissimum susceptum esset, Smolenscam eundo longissime recedi: cum Livonia praeterea Severiensem ditionem, nec urbium frequentia, nec loci atque moris opportunitatibus, nec vicinarum gentium cultu, comparandam: Lucos sitos in praecordio quasi Moscoviae loco, et

Digitized by Google

ad hostiles ditiones quascunque postea petere visum esset, infestandas: et sive per Smolenscam Lithuaniam, seu per Plescoviam Livoniam ingredi hostem volentem pari intervallo uno solo exercitu ibi collocato prohibendum opportunissimo: pares enim ad Smolenscam et Plescoviam aditus habere: unde ipsum Ducem Magnum huc plerumque exercitus suos cogere solere, quod in omnium circumjacentium ditionum pari vicinitate eam deinde, quae opportunissima ei videretur, commodissime ex hoc loco invadere posset. Rex, quemadmodum ostensum est, jam ante in hanc sententiam inclinabat; quod autem tanto ante temporis intervallo referendum publice hac de re non existimarat, ea de causa acciderat, quod ne qua vel ad hostem consilia interim emanarent, aut tempus vel res aliqua nova interveniret, quae mutandi ei consilii causam adferret, praecavendum sibi intelligebat. Hinc studiose Ciasniciam diem ad conveniendum exercitui edixerat: ut ibi et in re praesenti, loco ex quo tam Smolenscam, quam Lucos commodissime ac paribus fere spatiis perveniri posset, cum consilio constitueret: et hostem quam posset maxime, ab hac cogitatione averteret; quam ob causam in litteris etiam, quae ad illum scribebantur, praeter Livoniae ac Polotiae, Smolenscae quoque titulum, tanquam quae Regii olim juris fuisset, accurate eximebat, ut dum ab ea parte hostis timeret, illam quam Rex potissimum patere sibi volebat, neglectam relinqueret. Dimisso consilio eo, copiis recensendis, operam dare Rex coepit: primoque equitum Polonorum, qui ad Gedanum, ac Polotiam meruissent, atque proxime in hibernis fuissent, turmis vocatis, cum Rex praeter superiorum temporum consuetudinem, majorem quam ante hac in recensendo milite diligentiam adhibuisset, perque angustum pontem transgredientes in proximum collem subductus singulos ipse spectasset, paucissimis tamen equi ademti fuerunt: cum universae, et militum, equorumque et armorum genere essent ornatissimae. Post hasce, quae tum primum novo delectu in militiam nomina dederant, productae fuerunt. Inter eas, quae a Zamoscio, quemadmodum supra ostensum est, cum equitum tum peditum copiae scriptae fuerant. Erant in iis Senatorii ordinis nonnulli, alii evocati, qui militiam, cui magnam aetatis partem studuerant, longo jam tempore intermissam repetierant: qui exercitus ipsi pro Legatis rexissent: non pauci, qui magistratus, praefecturasque: alii qui officia ac honores in aula gererent: magna vero primariae juventutis multitudo. Equitum duplex genus erat, alterum gravioris armaturae Husarorum, ea qua supra ad Disnam uti illos ostendimus: Cosacorum alterum levioris. Hisce loco coryti bicubitales sclopetos ad humeros aptarat, breviores ex cinctu suspendendos dederat, acinace ad latus sinistrum et venabulo ex veteri instituto relictis. Peditem maxima ex parte e finitimis Hungariae locis, nonnullum etiam Varadino remotioribusque locis, aliquem praeterea ex Polonis, qui superiobus proximis bellis jam stipendia fecissent, plerosque tamen novo delectu contraxerat. Cumque ad famam benignitatis, qua peditatum ex iisdem locis Hungariae superiore anno stipendiis suis scriptum ad Polotiam habuerat, sub idem tempus plures indies confluerent, separatim his quoque per Joannem Thomam Drojevium Praefectum Premisliensem necessarium suum stipendia descripsit; quae cum omnes copiae cultu etiam a ceteris diverso ac habitu armisque atratis in duplici Ducis luctu, qui ad uxorem Christinam Radivilam unica ex ea filiola orbatus fuerat, ab omnibus iis veste mutata uterentur: fiebat ut hac quoque re prae ceteris conspicuae essent. Pridie quam Ciasnicia Rex moveret, quod eum diem Legatis, qui Vilnae apud eum fuerant, ad quem expectaturus illos esset, Rex praefinierat: summa celeritate nuntius a Mosco venit, nec expectato solenni ornatu, qui obeuntibus legationes ex thesauro Moscovitico praeberi solet, quod ea cum impedimentis subsequeretur, ne dies ante exiret, communi cultu praeter morem gentis ejus legationum Rege salutato litteras reddidit. Quando Regem adduci non posse intelligeret, ut Legatos pacis causa ad se mittat: se de jure moreque majorum suorum et suo concordiae causa discedere: Oratores primarios homines suos jam mittere: ante quintam aut summum sextam decimam Augusti diem affore: postulare, eos Rex Vilnae expectet. Nam ut alio loco, quam in ipsa aut Regni aut Magni Ducatus Lithuaniae sede Oratores sui Regem adeant, recepto superiorum temporum omnium more refutari. Responsum, Regem legatos, quos alter superior nuntius quam primum missum iri confirmasset, adhuc expectasse, ut Vilnae audiantur, multis sibi nominibus integrum non esse, longius jam Vilna ad exercitus suos progresso: quibus cum, quod militem sine magno suorum detrimento intra fines

Digitized by Google

suos habere non posset, quo videretur, moturum: si quo tamen loco Oratores Mosci ad se pervenissent, quae dicerent, non gravate auditurum. Hoc nuntio tali cum responso dimisso, postridie Rex e stativis, quae in agro Ciasniciensi habebat, Lepelam, inde Ulam castella propinqua excurrit, ut in re praesenti muniendane an delenda essent, statueret. Exercitum dimensis ante itineribus Vitebsciam movere jubet, ad eumque biduo post, in secunda a primis stativis castra recurrit. Aliae eo die a Mosco ad Regem litterae afferuntur, eodem pene quo superior proxima epistola fuerat, argumento: Legatos se summa cum potestate de pace agendi mittere: postulare, ut pro more majorum Vilnae audiantur: quod si impetrari non possit, tamen intra fines ut expectentur. Responsum ad hanc epistolam fuit: cum Oratores venissent, quae dicerent, Regem cogniturum, si justa atque aequa attulissent, neque in ipso belli ardore fidae justaeque paci non locum relictum iri. Interea cum exercitu Regem progressurum, ipse quid sibi de legatione sua faciendum esset, videret: se unum praestaturum, et oratoribus ejus, et eorum orationi, si justa foret, quocunque in loco conveniretur, locum apud se fore. Adjuncta Regiis litteris, altera ad nuntium, quem Ciasniciae apud Regem habuerat, epistola a Mosco fuerat: quam cum resignandam alii existimarent, Rex integram ad hostem remisit. His castris ac deinceps plerisque proximis, cum Rex de belli administrandi ratione quotidie ad consilium referret, et castra hostilia duo Velisium ad Dunam flumen, Usviata ad amnem cognominem sita ad Lucos haerenti a tergo in hostis potestate relinquenda Regi non viderentur: eoque magis, quod jam ante Dunam omnem potestatis suae facere cupiverat: ante omnia Velisium, ut rebus omnibus firmius, et ad omnia momenti majoris oppugnandum ratus, Zamoscium cum justa exercitus parte eo mittit. Huic ad copias, quas ab eo ipso adductas, ante expositum est, alias cum Polonorum Hungarorumque equitum ac peditum, tum Germanorum equitum scloppetariorum, ac in his Georgium Farensbekium Daniae Regis Marschalcum, qui patriae Livoniae operam navandi studio cum aliquo equitum ac peditum Germanorum numero sub idem tempus ad Regem venerat, attribuit. Deposcebant easdem sibi partes Lithuani. Respondebatur ab altera parte, quod nullus esset Polonicus Dux, Lithuanicum penes Regem manere oportere: quod ad limitanei militis Ducem pertineret, ita moribus majorum comparatum esse, ut militiae imperium summum penes Ducem exercitus, domi jurisdictio omnis circa Regem penes Marschalcum Regni esset: absente exercitus Duce, partes ejus Masrchalcus in castris exciperet. Cancellarii munus in consiliis publicis, judiciis, Legationibusque introducendis, precibus ac meritis singulorum ad Regem referendis versaretur, ad eundem, quoties Marschalcus abesset, ejus quoque potestas omnis rediret: limitaneae militiae Praefecti non tale munus esse, ut cum illis magistratibus comparari posset, quod ab initio privatim a Ducibus introductum, deinceps etiam commendatione Ducum conferatur. Diremit controversiam, quod res celeritate opus habebat: qui autem ex Lithuanico exercitu ire eo debuerant, nondum advenissent: Zamoscius non modo copias suas instructas jam habaret, verum ab omnibus aliis etiam rebus esset paratissimus; itinerum enim ac locorum, in quae iretur, difficultates animo providens, cum fabrorum aliorumque opificum, qui bello usui essent, ac tormentorum campestrium non exiguum numerum adduxerat: tum pulveris tormentarii, commeatus ac pabuli maximam vim compararat: jamque ante e praefectura Cnissinensi unum in locum omnia comportata secundo Memela fluvio Caunam, atque inde adverso Vilia flumine Michaliscos: Michaliscis terrestri itinere Postovam, inde Disnam, et mox Duna flumine Vitebsciam praemiserat. Iisdem temporibus a Temesvariensi Basza, qui quod per totam Hungariam, fama belli pervagata erat, et in proximo Hungarorum delectus haberentur, ne alio quam fama ferret, id erumperet, subveritus forte fuerat, Legati nullis certis cum mandatis speculandi tantum causa ad Regem venerunt. Vitebsciam Zamoscius cum venisset, biduum ibi commoratus, militem omnem eo contrahit. Interim quae ad disciplinam militarem tuendam, adque itineris rationem pertinebant, constituit, edictisque sanxit. Simul tormenta, quae a Rege acceperat, adverso Duna flumine cum reliquo graviore belli instrumento praemittit. His praesidii causa Stephanum Lazarum cum pedite, cui praeerat, Hungaro laeva ire jubet: tormentorum ac reliqui apparatus bellici Stanislao Costcae Succamerario Culmensi cura demandata. Primo agmini Lucam Dzialinium Covalensem Brodnicensemque Praefectum, affinem suum praeficit. Huic Nicolaum Vrovecium,

Digitized by Google

quem primo a patre suo disciplina militari imbutum in proxima expeditione Polotiensi sub Mieletio cum ala equitum militare jusserat: nunc quod non modo in periculis obeundis animi magnitudinem ejus, sed et ad quosvis militares labores tolerandos promtitudinem perspexisset, circa se habere instituerat, adjungit; ea itineris ratione praescripta, ut justo intervallo reliquum agmen praecederent; cum reliquo exercitu medius ipse incedebat: Stanislao Zolkevio, postea Palatino Belsense sibi legato, qui et antea in Podolia sub Nicolao Sieniavio Palatino Russiae contra Tartaros pro legato exercitus rexerat. Illum impedimenta sequebantur: quae agminis pars majorem fere, quam reliquae difficultatem habebat: propterea quod si in tanta carrorum et servitiorum multitudine, qua in regionibus vastis carere exercitus non poterat, mutuo ea inter se implicarentur, vehementer eam rem exercitum morari necesse erat. Huic rei ita occurrit, ut universorum impedimentorum agmen in tres ordines distribueret: et quo quaeque turmae aut cohortes ordine incederent, eodem impedimenta, ut quorumque essent, incedere juberet: singulis carrorum ordinibus a fronte et a tergo justa peditum manu praesidia attributa; quod quo diligentius observaretur, nec inter se currus implicarentur, cum procederent impedimenta, initio in pacato ad Vitebsciam a se facto, inde ordinum ductoribus tradito, per vices binos semper inspicere jubebat. Extremum carrorum ita incendentium agmen selectissimae cohortes peditum atque ultimo loco alae aliquot equitum claudebant. Matura jam in agris, qua exercitus iter faciebat, frumenta, ac maxime pabulum erat; cum autem Regem Zamoscius cum reliquo exercitu eadem via subsecuturum sciret, in partes universum agrum eum, per quem iter erat, descripsit: quarum unam exercitui, qui cum illo erat, metendam permisit: reliquas sequenti alii exercitui integras servari jussit, quae res diligentissime a milite observata fuit. Regi eadem die, qua Zamoscius moverat, Vitebsciam venienti Lithuanicae copiae tam stipendiariae, quam voluntariae se obtulerunt, eo et numero et ornatu, ut superioris anni detrimenta nemo agnosceret; simul Polonicae copiae nonnullae, quae e longinquioribus Regni locis tum primum ad exercitum pervenerant, utriusque item generis tam voluntariae, quam stipendiariae censae fuerunt. Zamoscius Suraszum interim, quod extremum Regiae ditionis oppidum erat, subitario opere per Casplam flumen ponte facto pervenit. Hic ut tormenta, quae adverso Duna fardius subsequebantur, expectaret, militemque ex itinere reficeret, ac de reliquo itinere consilium caperet, diem unum substitit. Velisium frequentissima olim urbs fuisse, nomenque a magnitudine, cujus hodie adhuc indicia amplarum fossarum vestigia quaedam ab accolis ostenduntur, accepisse putatur. Sub Lithuanorum imperio per pagos totus ille ager habitabatur, postquam Moscoviae Duces alibi occupatis Regibus Poloniae ditionis suae regionem eam fecissent, castro etiam Velisio veteri nomine retento, contra praesidium Vitebsciense eum *communierant*; ex instituto praeterea suo cum ab aliis partibus, tum maxime Cisdunana, a qua tam Velisium, quam Vitebscia, et quod postea conditum fuit, Suraszum sita sunt, quod eam minime patere vellent, inviarum silvarum objectu impediverant. More enim suo agrum hosti proximum per aliquot millia passuum studiose incultum ac desertum, ut plurimum *Mosci relinquunt*: quo crebrarum arborum, quas in solo vacuo enasci interim necesse est, densissimarumque silvarum tanquam vallum hosti objiciant: ita se maxime tutos contra hostiles incursiones existimantes, si undique quam vastissimas solitudines sibi circumdederint. Suraszum temporibus Sigismundi Augusti Stephanus Zbarascius Palatinus tum Vitebsciensis, nunc Trocensis, veritus ne Usviatae et Casplae, quibus in Dunam influunt, capita ad *conjungendam* Smolenscensem et Lucensem ditionem munitione aliqua hostis occuparet, quod ea flumina ita ex adverso in Dunam exonerant, ut Usviata Lucos, Caspla Smolenscam pertineat, praeveniendum eum ratus subitario opere communierat. Hoc in ipsum quasi initium silvarum incurrit. Zamoscius cum duas omnino vias secundum utramque Dunae ripam propositas sibi videret, intelligeretque si Ultradunana progrederetur, bis flumen transeundum: pontem alterum sub Velisio in conspectu quasi hostis faciendum: etsi de altera quaerendo reperiebat, non difficilem modo transitu esse; sed vix singulari homini iter per eam esse: exercitum post Vitoldum Ducem centum sexaginta *annis* neminem ea duxisse; ea tamen ire *constituit*. In silvam ipse se infert: locisque per quae patefacienda via erat, perlustratis, ac inde peditum aliquot cohortibus immissis, partim securibus silvas caedere, ferroque viam aperire: reliquos opere occupatis praesidio scloppetis

Digitized by Google

expeditos esse, operisque et excubandi vices partiri inter se jubet. Erat magni laboris res, primum arbores, quae in solo ubere tot annorum spatio in immensum se effuderant, exscindere; easdem deinde de via, quae instituebatur, comportare. Eum alius excipiebat non multo levior, cum praecipitia aut palustria loca pleraque essent, vel ponte ea sternendi, vel cratibus ac virgultis exaequandi; singulari tamen militum ac Nicolai praesertim Utrovecii studio, per viginti millia passuum ea die via patefacta, postridie illac iter exercitus faciens, ad locum Verschovinum appellatum, in quo pagus olim fuerat, totidem a Velisio passuum millibus pervenit. Propinquum Verschovino locum Vitoldi pontem etiamnum Cosaci nominant; quod fama acceperint, istac ponte effecto Vitoldum aliquando copias duxisse: eodemque tum etiam per latissimam paludem, paucarum horarum spatio celeriter ponte effecto, postridie minus emensus, quod montes crebri interjecti iter morabantur, decem a Velisio passuum millibus, summo silentio consedit: nulloque ne pabulandi quidem causa excurrere permisso, sequenti die oppugnandi praesidii consilium coepit. Objiciebatur hoc loco nova difficultas: quae hostis, quo is locus castro propior erat, eo diligentius muniendum ratus, incisis arboribus, iisque ex adverso dejectis ac inter se commissis, aliisque insuper coacervatis, per aliquot millium passuum spatium, omni muro firmiore munitione se sepserat, silvaque quae ne perspici quidem posset, etiam media die nocturnum aliquem horrorem ingredientibus incutiebat. Dat iterum negotium pediti, ut iter explicet. Eodem die Mikitam et Birullam notos Cosacorum Duces, qui excursione in ditionem Smolenscensem superioribus diebus facta, ab eo ad exercitum venerant, longo ambitu trans Dunam flumen ad obsidendam viam, quae ad Lucos pertinet, mittit. Excipitur ab his Cudravus Nobilis Moscus: qui cum duobus Comitibus egressus fuisset, unus eorum a Cosacis interfectus, alter elapsus fuerat. Ex hoc postridie in castra perducto quale praesidium Velisii sit, deque Cosacorum manu aliqua allatam fuisse ad praesidium famam, tantum in propinquo exercitum ignorari cognoscit; quibus rebus cognitis, relictis in loco cum praesidio certarum turmarum et cohortium omnibus impedimentis, praemissisque peditibus atratis et Vibranoviana cohorte, ac reliquo peditatu ipse ad extremum silvae propinquo a Velisio intervallo subito excurrit: quod ea loci natura erat, ut si hostis adventu ejus cognito, aditu prohibere eum voluisset, exigua hominum manu intra silvam cum plerisque aliis, tum eo maxime loco eum morandi summam facultatem haberet; simul si forte fama adventus sui ad hostem nondum perlata, per incustoditas portas irrumpere, ac repente praesidium opprimere posset. Vix extra silvam eo egresso, hostes tormento exploso adventus ejus signum dant; eodemque momento accolis omnibus intra munitiones receptis, quicquid circa eas aedificiorum erat, incendunt. Zamoscius militari nihilominus clamore sublato, subita equitum peditumque excursione obiri munitiones jussit. Est Velisium spatio satis amplo, turribusque novem munitum; ad meridiem atque orientem Duna flumine, a septentrione rivo quodam, qui per lacum in Dunam ibidem infra castrum illabitur, ab omnibus partibus maxime vero ab occidente altissimis fossis ambitur. Castris a septentrione metatis, munitiones a superiori Dunae parte Hungaros agere jubet: infra eos medio loco Polonos: Vrovecium cum atratis cohortibus ab occidente curare: ultra Dunam Lucos versus Cosacos in excubiis collocat. Perfecto paucis diebus magna celeritate opere, tormentis quatere muros instituit. Ea tum nostrorum tormentorum, quemadmodum ex captivis et tormentis ipsis fractis cognitum postea est, felicitas fuit; ut nullus fere globus mitteretur, quin ex illorum tormentis aliquot corrumperet. Inde ignitos globos Bornemissae, quem Hungarorum munitionibus Zamoscio praefecerat, periclitari placuit: incendioque ex Hungarorum munitionibus excitato, ac mox oppresso, idem Vrovecius cum tentare coepisset, pars pontis interscissi, quae reliqua ad portam castelli erat, ab atratis exusta fuit; simul duabus diversis e turribus altius fumus tolli conspiciebatur; re hac animadversa hostes primum repentino nostrorum adventu, cum a qua re maxime tutos se fore crediderant, tam invias silvas exiguo temporis spatio superatas a nostris intelligentes, nihil deinceps sibi tutum, nihil nostris difficile futurum judicarent: simul operis perfecti celeritate, tum vero praesenti periculo territi, deditionem fecerunt. Moscus Polotiensium praesidiorum expugnatione commotus, similem casum in aliis castellis, quae Lithuaniam versus ex materia omnia facta erant, veritus, cespite muros eorum tegere instituerat; qua re, quod cum per cespitem subitario opere non satis alte congestum ad parietem globi pe-

Digitized by Google

netrassent, tanto et firmius haererent, et restinguendi sui facultatem fere nullam relinquerent, vel maxime tum laedebatur. Commeatus, pabuli, pulveris tormentarii apparatusque bellici tantum repertum fuit; ut recreato omnibus rebus his exercitu, quantum praesidio satis esset, nihilominus relinqueretur. Rex Suraszi, quo interim pervenerat, dum in Duna pons componeretur, et de eventu oppugnationis Velisiensis cognosceret, subsistere constituerat: nuntio hoc cum Praefectis, qui in praesidio fuerant, a Zamoscio accepto, eo laetior, quod de ea gratulatione, castri, quod maxime integrum in potestatem suam pervenire cupiebat, detrimento nihil fortuna diminuerat, dum pons ex lintribus nota ratione componitur, ad videndum Velisium excurrit: moxque Suraszum se recipit; sub idem tempus litterae a Mosco afferuntur: quibus demissius, quam ut non simulata ab eo humilitas videretur, significabat, jam se Legatos de pace cum idoneis mandatis, quibusque controversias minui posse existimaret, contra et suam et majorum suorum consuetudinem dimisisse; quia fieri tamen possit, ut minus adhuc mentem Regis perspexerit, ideoque nondum omni ex parte ea Regi satisfaciant: petere se, ut aut Rex suam de his sententiam planius per litteras aperiat, aut Legatis suis id facere permittat: cum primis autem antequam Legatos audiat, intra fines exercitum reducat, abque omni in suos injuria prohibeat; sub finem litterarum a crudelitate, locorum Scripturae Sacrae nonnullorum auctoritate, more suo ac solito majori laudandae, quam observandae ejus studio Regem dehortabatur. Rex in eadem simulatione, qua ante usus fuerat, persistere eum videns, tribus pontibus universum exercitum in ulteriorem Dunae ripam mox traduxit. Postridie iter facienti iterum litterae a Mosco redditae fuerunt: Legatos suos maximis itineribus progredi, expectaret venientes, ne tridui moram magno detrimento rebus suis futuram cogitaret. Regem nihil de celeritate consueta remittere cupientem tardabat difficultas viarum; quod Moscus, eo, de quo ante diximus, instituto a Lucis etiam Lithuaniam versus centum et viginti fere millium passuum spatio densissimas silvas aluerat. Itaque hic quoque silvestria erant loca, vix singulis pervia; propter crebras autem paludes interjectas magna praeterea ex parte coenosa, per quae aegre jumenta evaderent. Accedebat huc, quod a primis omni pabulo, si quod forte erat, consumpto, apud majorem exercitus partem magna ejus quoque rei inopia laboraretur. Itineris is ordo observabatur, ut in primo agmine Lithuani sub Palatino Vilnensi Duce, et Christophoro filio limitanei militis Praefecto proficiscerentur: hos Joannes Zborovius Castellanus Gnesnensis aulici militis Praefectus, qui jam tum ad Regem venerat, sequeretur. Post illum Hungaricus tam equitatus quam peditatus incedebat. Hos Rex cum robore exercitus sequebatur. Regem Joannes Zbarascius Palatinus Braslaviensis cum equitatu Polonico: ultimum agmen Nicolaus Sieniavius Russicarum copiarum Praefectus claudebat; qui quod pacatis tum Tartaris nihil tumultus ab illis expectaretur, itidem ad Regem se contulerat: tormenta, aliusque bellicus apparatus omnis una cum eo, quem Zamoscius ab oppugnatione Velisiensi ad Regem remiserat, per Usviatam adverso flumine trahebantur. Cum Lithuani ferramentis ad silvas caedendas ac aperiendam viam idoneis destituit tardius procederent: Rex delectos ex Hungarico peditatu trecentos ad explicandam celerius cum Lithuanis viam praemisit; a quibus magna celeritate via expedita primum Lithuanorum agmen 18 Calendis Septembris ad Usviatam pervenit: Rex decem ab ea millibus passuum consedit. Usviata in modico colle intra duos lacus ac flumen Usviatam sita, ab occidente Usviata lacu, ab oriente altero Usviata, a meridie flumine ejusdem nominis, qui per utrumque lacum decurrens ad Suraszum in Dunam influit, clauditur. Coeperat ad arcem admovere munitiones jussu Palatini Vilnensis cum Lithuanis Georgius Socolinscius. Huic cum Hungari se adjunxissent, atque una nocte admirando labore ad portam tam prope, undo telum adjici posset, fossa perducta, continenti scloppetorum ictu neminem in adversa turri consistere paterentur: nomine simul et adventu Regio, quem ex latis castrorum spatiis ab castello in omnes subjectos campos despectum habente cognoverant, territi, qui in praesidio erant, deditionem eodem die fecerunt. Rex ab Usviata Lucos versus tendens principio eadem rursum viarum asperitate, perpetuis silvis densissime, quemadmodum ante ostendimus, inter se implicatis, ad haec solo coenoso et impeditissimo exceptus fuit. Post commodiore aliquanto via usus fuit, aridiore ac arenoso pene solo. Ubique tamen ut per loca inculta ac deserta magnam commeatus inopiam exercitus perpetiebatur. Re-

Digitized by Google

liquerat Rex ad tormenta, quae ab Usviata terrestri itinere tardius subsequebantur. Nicolaum Sieniavium cum Russicis copiis: apud hasce eo etiam vehementius laboratum fuit, quo eae propter impedimenta tardius incedebant. Sublevatae tamen deinde aliqua ex parte a privatis Zamoscii navibus fuerunt: quas cum ulterius terrestri itinere trahere secum non posset, Usviatam commeatus ac pabuli plenas dimiserat; sub idem tempus Volminscius a Christophoro Radivilo Lucos praemissus, aliquot ab urbe millibus cum stationibus hostium praelio commisso, aliquotque captis, ceteros in fugam vertit. Zamoscius, quod pons, quo alias in transmittendis fluminibus exercitus utebatur, penes Regem erat, rate quali ad Socolam exercitum traductum ostendimus, ad Velisium quas secum habebat copias traduxit. Accidebat autem, ut cum Velisio, quemadmodum dictum est, naves, quibus commeatus exercitui supportabatur, Usviatam ab exercitu dimisisset, tyrones plerique, qui nuper nomina in militiam dederant, nec magnum rei militaris usum habebant, quod ab eo praesidio, quo maxime confidebant, relinqui se videbant, angustias itineris ac silvarum, per quas duci se audiebant, magnitudinem veriti animis fere conciderent, compluresque passim diffugerent: in quorum unum atque alterum desertorum graviori poena constituta, reliquos facile Zamoscius retinuit. Proficiscebatur via militari, quae Smolensca Lucos ducit: ut dextrum latus Regis teneret qua via cum Moscus quoque exercitus suos ducere soleat, quos quemadmodum; supra dictum est, Lucis semper cogebat: omni ea pontes maximis ac robustissimis ex trabibus facti erant, quia tamen vetustate plerique vitium fecerant, non exiguus in illos ipsos reficiendos labor militi impendendus erat. Excubabant ad Lucos et prata Oranensia Tartarorum Nohajensium turmae aliquot, quas Ulaecius e Principum Tartarorum genere in Moscovia natus ductabat. Eas Chilcovus sub primam oppugnationis famam Velisium miserat. Cum Bobrojedovum quinquaginta a Velisio passuum millibus accepto jam in potestatem a Zamoscio castro venissent, ac ab agrestibus, quo loco res esset, cognovissent, Toropeciam versus se recipientes, inde agmen nostrum ex itinere observare instituerunt. Scripserat Rex ad Zamoscium, ut quam primum cumeo se conjungeret: qua de causa cum a Smolenscensi via ad laevam Zamoscius iter converteret, Tartarus interim, qui jam antea semel a fronte ad Polonam flumen rejectus fuerat, iterum recurrerat: si quos lentius insequentes extremum agmen observando excipere forte posset. Sed praeter quam quod ea ratione, quemadmodum ante ostensum est, copiae incederent, ut extremum agmen lectissimae cohortes, ac turmae aliquot equitum clauderent, Cosacos etiam, quoties ejus rei facultas daretur post agmen in insidiis considere Zamoscius jusserat: quibus si qui vestigia exercitus legerent, exciperent. Id cum forte ab iis, qui sub Vincentio erant, factum fuisset, ac in campum quendam e silvis aciem agmen nostrum explicaret, Ulaeciusque cum Tartari signa conspicati retro cederent, ipse ante alios progressus, ut se sequerentur, suos hortaretur, in Cosacos incidit: ab iisdemque circumventus captus fuit, reliquos Tartaros fugientes silvae texerunt. Zamoscius cum ad Oranensia prata quinque circiter millium passuum intervallo a reliquo exercitu consedisset, mox ad Regem inde accessit. Praemissi de exercitu Lithuanico a Radivilio antecursores Lucos versus fuerant: qui cum ad Lovatum fluvium progressi, itineris Duce, qui vadum illis commonstraret, destituti ad arcem pervenire non potuissent, Mosci interim, qui in praesidio erant, facultatem nacti Demetrium quendam, qui in Lithuania diu versatus tum ab exercitu Lucos transfugerat, cum litteris ad Principem suum mittunt; deque adventu exercitus, et quod pridie jam copiae nonnullae sub munitionibus se ostendissent, certiorem eum faciunt. Exercitu per angustias silvarum in aperta omni traducto, non parum jam ad summam rei profectum, ac quasi ad universam Moscoviam aditus patefactus existimabatur. Constabat enim inter omnes, si Moscus ad prohibendum transitu exercitum se convertisset: plerisque locis, vel exigua manu nullo negotium eum distinere, aque re frumentaria in tam inviis silvis, per quas viginti dierum spatio haesisset, interclusum incommodo etiam afficere potuisse. Rex cum ad arcem recta ducere constituisset, Zamoscium, qui situm naturamque loci cognosceret, praemisit. Velicoluki, ac si magna prata diceres, ab amplitudine ac frequentia urbis, circumjacentis regionis totius amoenitate, atque cultu nomen acceperunt. Arcis in modicum tumulum subductae, qui omnibus fere ex partibus lacu, altissimaque valle, quae lacum undique ambit,

Digitized by Google

continetur a meridie et oriente, a qua una sola parte lacus non coit, imam partem Lovatus fluvius ambit: angusta omnino semita inter lacus et suas ripas relicta, quae eodem, quo arx ac flumen ipsum, flexu in longitudinem sinuatur; vallo tum circumdata erat altissimo, quod non modo privatorum aedificiorum, sed templorum ipsorum, quae frequentia in ea sunt, pinnaculorum conspectum accedentibus eripiebat. Ad has munitiones, turres Germani cujusdam artificis opera scienter dimensas complures: unam vero a fronte, qua ab oriente inter lacum ac flumen patet, omnium firmissimam ac amplissimam adjecerat. Omnes autem cespite altissimo: major quidem haec viginti duos circiter pedes lato vestitae erant. Lovatus supra Jesericiam ex lacu quodam derivatus, a meridie, quemadmodum ostensum est, arcem perstringit: inde in septentrionem versus relicta arce, urbeque in duas partes scissa recto cursu per lacum Ilmenum sub Novogardia, priori nomine in Volchovam commutato, in sinum Finlandicum se exonerat: navigationisque hac opportunitate maxime Lucos locupletaverat. Urbem amplam atque ab utraque fluminis ripa latissime arci circumjectam, quamvis moenibus ac turribus ligneis, fossis etiam satis amplis munitam, quinto ante die, quam castra Rex ei admoveret, instituto suo omnibus prius rebus in arcem comportatis praesidiarius miles incenderat. Zamoscius justa equitum peditumque manu ac militaribus aliquot viris assumptis in viam, quae ad Toropeciam atque ulteriorem Moscoviam pertinet, provectus ab ea ad arcem rursus deflectens Moscis se ostendit. Hostes conspicati, primo suas copias Toropecia venientes rati, extra arcem progressi, mox signis agnitis summa celeritate se receperunt; quidam tamen ac in his Farensbekius subito in eos invecti aliquot assecuti interfecerunt. Zamoscius ab omnibus partibus diligenter situ loci perlustrato, ad Regem se recepit. Jusserat sequi se ab exercitu alios quosdam, qui diversa via excurrentes, ea qua venturus esset, sibi occurrerent. Hos a superiore arcis parte flumen transgressos Mosci conspicati, insidias ab ea parte posuerunt: itaque celeriter eae coortae fuerunt, ut Joannes Bornemissa summae inter Hungaros virtutis Praefectus, cum in turba ab irruentibus manus injectae ei fuissent, equusque loco humido haereret, veste relicta recipere se coactus fuerit. Moscus etsi suspicabatur Smolenscam potius Regem se conversurum: in hanc tamen quoque partem prae ceteris intentus, ad Toropeciam exercitum Chilcovo Duce contraxerat: qui seu Smolensca seu Luki peterentur, quo opus esset, suppetias suis ferret. Mandata his in omnes casus dederat, ut a praelio omnino abstinerent: in singulos modo, si quos ab exercitu digressos, aut per agros palantes nancisci possent, intenti essent. Ipsis Lukis Cnesium Theodorum Obolenscium Licovum cum summa auctoritate, secundum eum Michaelem Cassinum et Oxacovum praefecerat: quodque iis ipsis, quos constituerat, Praefectis non satis salutem arcis exercitusque crederet, Joannem Viejeovum primarium cubiculi Ministrum, qui Licovum ceterosque in praesidio: Dementium Czeremissam, ut Chilcovum, qui ad exercitum erat, observaret per eos dies miserat. Perspecta loci, quemadmodum dictum est, natura, Rex qua a meridie fluvius arcem alluit, cum exercitu pulcerrime instructo sub signis accessit: absque altera parte Zamoscio reliquas copias item latissime expansas adducente, horribilem speciem is universi exercitus uno tempore accedentis, inque tot acies explicati despectus hostibus praebebat. Postridie Legati Moscovitici, nullis adhuc versus arcem munitionibus directis in castra venerunt. Hi cum Smolensca Suraszum venissent, quod Suraszo Regium Imperium finiebatur, iis qui deducendorum causa pro more obviam illis missi fuerant; nolle se ulterius progredi, nec in Principis sui ditione mandata sua exponere se posse ostenderant. Cum illi id in ipsorum potestate fore respondissent: se quidem ad Regem redituros: ipsi si ad Principem suum reverti vellent, neminem impediturum: tandem, ut ergo vi se pertraherent: hortati comites fuerant risu excepti, neminemque ullam iis vim allaturum edocti, ipsi sibi consilium caperent, ridicule ad extremum vi tamen adactos se sequi attestati, secuti fuerant. Consilio pridie Calendas Septembris iis dato, eadem, quae ante dixerant, iterarunt: negarunt posse se ulla de re agere, nisi prius Rex universum exercitum intra fines reduxisset. Rex legatione tam absurda repudiata, eodem in consilio Zamoscio, ut quae cum illo de ordienda oppugnatione communicarat, administraret, mandat. Rediit sub idem tempus in castra Drobisius. Missus hic paulo ante a Radivilo Toropeciam versus, in turmam equitum a reliquo exercitu digressam inciderat, quae cum paucis excubitoribus aliquot colloca-

Digitized by Google

tis, quieti se dedisset, tanta celeritate impetum Lithuani in excubitores dederunt, ut una cum fugientibus ad ceteros quiescentes delati, priusquam ab illis sentiri aut arma capi possent, eos occuparent, nonnullos caederent: quosdam caperent, reliquos in fugam converterent. Zamoscius militem, quem penes se habebat, primo per amnem non admodum altum, sed uligine valde impeditum, et ad Lovatum restagnantem inter crebras hostium jaculationes, quae eo pertingebant, ponte: inde Lovatum infra arcem duobus vadis traduxit, adque rivum e regione arcis manantem castra more Polonico, curribus circumjectis communiit. Ad eas, quas ante habebat, copias reliquum peditatum omnem tam Polonicum quam Hungaricum Rex illi attribuit. Hungari cum Joanne Bornemissa et Stephano Carolo, qui Michaeli Vadasio successerat, statim transiere: locoque occidentem versus capto, quo ire se juberet ad Zamoscium miserunt. Cum ille exteris prae ceteris indulgendum ratus, ipsi sibi locum legerent, se permittere ostenderet: illi rursum ad ejus arbitrium rem rejicerent: ratus eum, quem instituissent, locum maxime ab illis probari, eundem, ut retinerent, munitionesque ab eo ad arcem agerent, Bornemissa tormentariae rei praeposito, mandat. Interim quod Polonicum quoque peditatum citius subsecuturum arbitrabatur, ad inferiorem fluminis partem, qua urbs antea fuerat, subito nonnullos disponit, qui fossas munitionesque ab ea quoque parte instituerent. Verum cum quod alios viminum ad corbes militares petendorum causa dimisisset, impedimenta eo die omnia traducere non potuisset, atratas cohortes aliquot praesidio illis relinquere necesse habuerat: praeterea reliquus etiam Polonicus peditatus tardaverat: qua re fiebat, ut pauci omnino in opere essent: iique cum majus nihilominus pro numero suo opus ea nocte perfecissent, accidit, ut tirones quidam ex iis negligentius sub arce versarentur, in quos postridie Mosci eruptione facta, priusquam subsidium eis ferri potuisset, unum interfecerunt, alterum coeperunt: signoque militari, quod lentius signifer proferebat, abrepto in arcem propere se receperunt. Haud multo post reliquae cohortes cum impedimentis, universusque Polonicus peditatus advenit, operaque summa celeritate perfecto, sequenti nocte et a Polonis et ab Hungaris tormenta constituta fuerunt. Eadem nocte intervallum, quod inter Lovatum flumen atque lacum orientem versus exiguum intercedere diximus, perfodere Zamoscio visum fuit; quod cum lacus fossae vicem arci praestaret, si derivatus fuisset, multo commodius per siccas fossas ad oppugnationem iturum militem judicabat. Peditatui universo Polonico ac atratis cohortibus Nicolaum Vrovecium praefecerat: praeterea vero inter primores quosdam comparaverat, ut cum ipse ad alia opera abesset, eorum aliqui in vices ad munitione curarent. Evenerat autem sors ea Petro Cloczevio Castellano Zavichostensi qui ut homo ad militaria munia promptus, dum ipso ad opus inter frequentes tormentorum ictus, qui continuo ex arce in intentos operi dirigebantur, contendit, globo trajectus interiit. Sub haec Rex Lovatum ipse transgressus, ut oppugnationem inspiceret, quod per tam altum eumque recentem cespitem non posse penetrare globos videret, ne iis jaciendis tempus eximi pateretur, Zamoscium monebat. Itaque in pinnacula, e quibus sedilia tormentorum, quae per vallum disposita erant dirigebantur jaculationibus ab Hungaris conversis, incensa mox ea fuerunt. Etsi autem ulterius ignis non progrederetur, quod sedilibus, quae diximus, exustis, in aggerem mox desinebat: illi nihilominus incendium conspicati, manu statim facta ad vallum successerunt: justoque temporis spatio sub eo versati, cum tandem hostis collecto animo ad repellendos concurreret, illique nihil eorum, quorum causa in eum locum progressi fuerant, succedere sibi viderent: sub noctem ad munitiones suas per lacum se receperunt. Legati interim qui in castris erant, incendio hoc in metum adducti, iterum admitti se petebant; cujus rei altera die potestate iis facta, quod ignis jam conquieverat, illique metu jam liberati sibi videbantur, eadem qua antea simulatione usi, primo Curlandiam et Rigam Regi offerebant, his deinde Polotiam adjiciebant: tandem pro captivis Usviatam et Jesericiam, ex quibus Jesericia sola in potestate Mosci tunc erat; multis ultro citroque verbis factis summa haec fuit, ut spem facerent, posse ad aequiores conditiones pacis causa Principem suum adduci, si tabellarium cum litteris hac de re ad illum mittendi potestas sibi fieret: Rexque ipse non acquiescere se conditionibus a Legatis propositis per litteras ei costenderet interim ab oppugnatione abstineret; id ut illis permitteretur, Senatores quidam Lithuani persuadere Regi conabantur: quod cum omnia tam diu frustra tentari vide-



Digitized by Google

rentur, omnibus incommodis belli se potissimum apud quos sedes, expositos, periculoque proximos cogitarent: ac si capta arx esset, defendendae ejus onus, quot in tot hostilium praesidiorum vicinitate, silvarum a Lithuania interjectarum magnitudine maximam difficultatem habiturum intelligebant, ad se potissimum rediturum. Rex etsi ad omnia potius descendere paratus erat, quam oppugnationem dimittere: urgentibus tamen illis, Zamoscium qui ad munitiones tum versabatur, assiduusque in opere erat, ut de statu oppugnationis, quemadmodum postulatum a Lithuanis fuerat, ex eo cognosceret, accersit. Duobus primariis Senatoribus Lithuanis adhibitis, quid a Legatis petatur ostendit: quaerunt ex eo Senatores ii, quid de successu oppugnationis polliceatur: nisi certam spem potiundae arcis afferat, satius esse petentibus jam dari, quod haud multo post difficultatibus ipsis cogentibus majori cum ignominia tribuendum foret. Respondet Zamoscius, ut in re, quemadmodum omnia sint belli, incerta nihil certi promittere possit, ita bene tamen potius cum consilio atque fortuna Regis, tum virtute militum fretum sperare: praesens vero oppugnationis tempus eximi pati, quem alium exitum habiturum quam ut si qua nunc expugnandae ejus facultas sit, ea postquam anni tempore in autumnum jam vergente consuetae regionibus iis tempestates, effusique imbres ingruerint, nulla prorsus relinquatur? Rex quemadmodum ante in animo habebat, inducias dandas non judicabat: ut suum interim negotium utraque parte, ea qua ante ratione administrante, litteras Legati ad Principem suum darent, permisit: iis suas addidit, quemadmodum petitum a Legatis fuerat, quibus diem certam intra quam rescriberet, illi praefiniebat: simul Hungaros, vallum subire, absque ima parte ejus, cuniculum aperire, huicque pulverem subjicere jubet. Itaque ponte ab eo loco, quo angustior lacus erat, subitario opere strato, reliquoque opere una nocte perfecto, pulvis sub crepusculum subjectus, ac a meridie demum incensus, turrim, quae ab ea parte erat, corripuit: cespiteque disjecto parietem propugnaculi nudavit; quem cum Hungari mox incendissent, Mosci incendium, quod maximum exortum erat, restinguere conarentur: nec nostri a continuis in Moscos ex omni tormentorum genere jaculationibus, nec illi a conatu restinguendi ignis, magno cum incommodo suo, prius cessarunt, quam nox interveniens, et nostris scloppetorum usum eriperet, et illis opprimendae flammae spatium daret. Ab altera parte munitiones hostium, quas per majus, quod demonstratum est, propugnaculum egerant, vineaeque, intra quas tormenta constituerant, quam maxima nostrorum tormentorum vi de vallo proturbantur: cumque impigre tormentis res administraretur, vineae omnes fere de vallo dejectae fuerunt, hostesque se ac tormenta subduxerunt. Plerisque cuniculum inde ad propugnaculum agendum existimantibus, Zamoscio ea de causa minus id probabatur, quod in solo humido ac palustri, intra flumen atque lacum medio vix cuniculo locum fore judicabat; quod vero propugnaculum id ulterius nonnihil quam reliquae turres, ita prominere animadverteret, ut nulla ab aliis propugnaculis tormenta rectis ictibus per frontem ejus dirigi posse: omnesque qui a lateribus in eam partem acciderent, transversi ferri viderentur, si ad eum locum miles succederet, quod a tormentis laedi non posset, vel per ipsum cespitem multo faciliore ac commodiore ratione ligonibus ad turrim viam patefieri posse sibi videri ostendebat. Itaque fossam versus propugnaculum duci jubet; quam rem Luca Sirneo cum atratis cohortibus impigre curante, cum ulterius progredi vellet, palis, quos justo spatio ante vallum ingentis magnitudinis confertissimos in terram defixos objecerant, prohibitus fuit. Postridie vineis ac tormentis hostium, quemadmodum dictum est, jam ante summotis, nonnulli ex nostris inter se cohortati nullo Imperio ad propugnaculum excurrentes, scalis admotis, vallum scandere coeperunt. His a Moscis partim a fronte dejectis, partim per aversam portam, quae ad Lovatum ab oriente pertinebat, erumpentibus circumventis, quidam ex iis gravissime vulnerati relicti fuerunt. Zamoscius, qui alia tum ad castra curabat, cum de irruptione ea nostrorum cognovisset: subito ad eas munitiones se retulit: conspicatusque vulneratos, quos diximus, aureis aliquot nummis depromptis, quos ut tironum animos ad maturandum impigre opus praemiis invitaret, ad tormenta semper expositos habebat, certam pecuniam si qui vulneratos retulissent, pronunciat: quibus relatis, ut levi initio successum ejus, quod animo proposuerat, periclitaretur, ligone uni dato, praemioque proposito, quid fieri velit, ostendit: interim si primo successisset, qui eum sequerentur, paratos esse, ac ad fossam inferiorem procurrere,

Digitized by Google

ibique se continere, et signum exspectare jubet. Contra eruptiones hostium Vibranovium opponit: eum cum scloppetariis aliquot secundum ripam fluminis proprius versus propugnaculum, atque aversam portam, per quam erupturi hostes erant, succedere: Vejerum praeterea ex munitionibus diligenter tormenta in erumpentes emittere jubet. Ille, quemadmodum jussus erat, accepto ligone, per fossam intra munitiones nostras ad palos usque, quos ostendimus, pervenit: inde summa celeritate per crebras hostium ejaculationes ad vallum procurrit, eique se applicans jam extra tormentorum hostilium ictum, cespitem ligone scalpere incipit. Hostes a diversa parte circumveniendi ejus causa se effundunt. His Vibranovius, qui ad ripam fluminis, quemadmodum dictum est, cum scloppetariis aliquot collocatus fuerat, a tergo se ostendit; eumque creberrimis praeterea tormentorum ictibus, qui ab omnibus partibus ex munitionibus in eos dirigebantur, peterentur, rejecti fuerunt: Unus vero ex iis Sabinus Nassovus strenuus manu inter Moscos, et qui e praesidio Susensi Magnis incommodis nostros affecerat, duobus globis frontem a Vibranovianis perstrictus, unoque a Vejero emisso sub pedibus ejus transeunte perculsus ad stationes a nostris pertractus fuit; ubi se collegisset, interrogatus de statu praesidii omnia dicebat, quibus spem potiundi ejus nostrorum minueret: non ejus generis arcem esse, quae cum superioribus a nostris expugnatis comparari posset: vallo crassissimo cingi: turres latissimo cespite protectas nec tormentorum ictibus, nec incendiis patere: propugnaculum illud unum munitissimae arcis instar esse; ternis ingentis magnitudinis trabum ordinibus singula ejus latera revincta: altissimo cespite vestitum: ne cuniculis quidem tentari posse, cum propter soli palustris humiditatem, tum quod fundamentum ex firmissimis palis, ac ingentibus solidisque saxis subjectum haberet. Haec Zamoscium omnia magis in sententia confirmabant. Nam et quod cuniculo ante aggressus eam non fuisset, bene cecidisse intelligebat: et quo major lignorum vis unum in locum congesta esset, eo et citius incendium tolli posse, majoresque vires sumturum judicabat. Postridie aliam fossam secundum flumen, qua Vibranovius antea constiterat, Duci jubet: subsidia in hac contra eruptiones collocat: tormenta item trans flumen contra aversam portam transducit: simul magnam materiae vim pomportatam, stupa involutam, sulphureque ac pice oblitam, Stanislai Costcae opera ad futurum incendium praeparat: quibus rebus perfectis summo mane, eodem, quo ante modo ligone dato, alterum rursum immittit: ei mox alios summittit: ut crescente tandem multitudine concurrentium, unaque cum ea opere, jam triginta circiter hominibus capiendis os in cespitem patefieret: ac ad turrim ipsam perveniretur. Forte eo loco fenestra olim fuerat, priusquam terra obtegeretur; per hanc Mosci scloppetis nostros, nostri item Moscos mutuo arcebant, simulque excussis ignibus, ligna, quae secum attulerant, inferebant: Moscisque hastis tandem per fenestram gerere rem instituentibus, eas arreptas illis extorquebant. Zamoscius interim ad alia castra paululum se receperat: veritusque ne perperam quid administraretur, ne se absente ignes inferrentur, vetuerat. Postquam admoveri ignem sensit, statim accurrit: jamque eo rem progressam videns, ut strenue eam urgeret, militem hortatus, taedas jam ante eum in usum praeparatas, quam frequentissimas subjici jubet. Multorum hic e Nobilitate etiam cum aliorum, tum praecipue Christophori Rozdrasevii Praefecti Larciciensis, qui sub ipsum illati ignis principium, absente Zamoscio, ad extremam fossam ac palos procurrens, omniaque pericula magno animo excipiens, promptissime rem adjuvabat, singulare studium enituit. Non deerant sibi tanto in periculo Mosci, coriisque madefactis, et quibuscunque aliis poterant rebus incendio occurrebant. Magna taedarum atque ignium vi toto die continuo in turrim conjecta, nullum tamen adhuc incendium erumpebat, qua de re variis in consilio sententiis dictis, cum quidam adhuc cuniculos tentandos arbitrarentur, Zamoscius, etsi in ancipitem curam ex diei ejus eventu conjectus erat, nondum tamen plane de suscepta incendii spe dejectum se ostendebat: posse et parvam scintillam in magnum incendium tolli: suspicari se tantum ignis atque taedarum hujusmodi lignorum ac aridorum praesertim strui admotum non sic abiturum; quod si minus tamen nunc successisset, sequenti nihilominus die denuo ignes inferri jussurum: omniaque interim majori diligentia praeparaturum. Ab altera parte Hungari irruptionem, qua ab ipsis aditus in vallum patefactus erat, flagitabant. Zamoscius, quod arduus indeque praeceps locus erat, ad Regem se relaturum ostendebat: interim in omnem



Digitized by Google

casum, quis ordo irruptionis servari deberet si tentanda Regi videretur, disponebat. Mosci interim in tam ancipiti discrimine versari se videntes, contra os, per quod Hungaros irrupturos metuebant, crebra tormenta collocabant: ab altera parte incendio quibuscunque poterant modis contraveniebant; sed nulla omnino restinguendi ejus ratio ostendebatur; quod ut quisque ad opprimendam flammam turrim ingressus fuerat, foetore atque fumo potius exanimabatur. Cum quo diutius ignis suppressus esset, eo majores vires concepisset, de secunda vigilia magna flammarum vi per cespitem subito erumpente incendium sublatum aedem Salvatoris, quae proxima propugnaculo erat, corripuit: indeque per pinnacula pervagatum reliqua privata aedificia populari coepit. Zamoscius, quod exercitum hostium in propinquo esse sciebat, ex cubias aliis novis de exercitu adjectis mox firmat: praesidia equitum supra Hungarorum et Polonorum munitiones disponit: in mediis castris in equis omnes consistere jubet: ad easque Stanislao Zolkevio relicto, ipse ad Hungarorum munitiones se confert. Interim ut et tot hominum vitae parceretur, nec munitiones, tormenta, ac apparatus bellicus reliquus, praeda denique militi debita incendio corrumperetur, ad deditionem Moscos hortabatur. Obsessi in extremo rem suam versari videntes, primario ad illum sacerdote misso conditiones nihilominus, tanquam integris rebus proponebant. Zamoscius retento penes se Sacerdote, Paulum Julanum cum Joanne Christophoro Drojovio ad eos mittit, qui quo loco res eorum sint doceant, unamque deditionis conditionem esse, ut clementiae Regis se permittant. Inter haec cum illuxisset, simul Rex ac plerique Senatores ex superioribus castris accesserunt. Confluxit et lixarum ac calonum ad spem praedae non exiguus numerus; jamque pars per vallum nitebatur; quod conspicatus Hungarus miles, fremens expertes laborum ac periculorum oppugnationis ad praedam convolare: tandemque ab hoste quoque crudelitatis ac saevitiae poenas exposcendas, illiusque etiam sanguine tot commilitonum mortibus, multorumque saevissime ab illo excruciatorum suppliciis parentandum dicens: dum inani clementiae studio jam toties illi parcitum sit: dimissum ad Polotiam, Susam, Velisium, Usviatam, per alia praesidia distributum: vires ejus auctas, crudelitatemque magis confirmatam, in arcem irrumpit: promiscue omnes interficit. Idem Polonus miles facit. Miserat jam antea Zamoscius, qui Palatinos primariosque Praefectos deducerent. Adducti ab iis fuerunt Praefecti tres, Joannesque Viejcovus, de quo supra dictum est; de eo cum ut homine magna apud Ducem gratia, secretorumque omnium conscio diligentius Zamoscius interrogasset, ille more Moscovitico ad supplicium et cruciatum se quaeri existimans, longius e conspectu Zamoscii versus castra productus, conspicatus in proximo Georgium Farensbekium, cum quo in Moscovia notitia illi intercesserat, ad eum vitae deprecandae causa se proripuit. Id fugam Hungarus miles interpretatus, subito *in* eum impetu facto, nullo opem ei ferre valente eum interfecit. Jam ignis ad fornices, in quibus pulveres tormentarii asservabantur, pervenerat; quo periculo oblato pars se subducebat, nonnulli a praeda et caede et nullo periculi metu avocari se passi in arce remanebant; inter quae subito ingenti fragore edito, pulvis incensus fuit; magnamque cum *vicinorum* aedificiorum, tum hominum, tum *nostrorum*, quam captorum stragem fecit. Eo igne tormenta simul, et quicquid in arce armorum erat, quorum ex Livonicis manubiis magnum numerum eo Moscus congesserat, instrumentumque militare, ac reliqua praeda omnis partim exusta, partim corrupta fuit. Ex majoribus tormentis unum solum accipitris imagine, ac circa id minora nonnulla, quae loco inferiori dirutis aedificiis contra os, per quod Hungari *irrupturi* erant, disposuerant, reliqua ignis fecit. Mortuos, quorum passim magni acervi jacebant, a lixis sepeliri: fossas e quibus oppugnata arx fuerat, a milite suppleri Rex jussit. Inde arcis restaurandae muniendaeque, quod sine ea regionem agrumque ab hoste captum nulla ratione retinere se posse videret, summam curam suscipiendam sibi intelligebat. Itaque adhibito architecto Italo Dominico Rudolphino Camerte, secundum eam rationem, qua ipse opus dimensus erat, in Polonos, Hungaros et Lithuanos, aemulatione Nationum eo citius perfectum iri existimans, id partitur. Erat, quemadmodum supra ostensum est, exercitus hostium ad Toropeciam; qui quemadmodum jussus erat, praelio dimicare in animo non habebat: in singulos saltem, si quos forte ab exercitu frumentandi, aut pabulandi causa digressos, excipere posset, intentus erat; Regeque obsessione ad Lucos occupato, quinquaginta circiter e nostris ea ratione oppresserat. Huic rei cum obsidione

Digitized by Google

jam finita occurrendum Rex existimaret, primum Georgium Barbelium Hungarorum equitum alae Praefectum, Polonis aliquot, ac Hungaris equitibus scloppetariisque ei attributis, contra hostem mittit; postea praestare ratus, si justas copias mitteret, quae pugnandi potestate ab hoste facta, occasione data fortunam tentarent, Joannem Zbarascium Palatinum Braslaviensem cum delectis ex omni Polonorum, Hungarorum. Germanorum equitum numero mittit. Huic mandat, ut assumto Georgio Barbelio, et qui cum illo praecesserant equitibus propius ad hostem accedat: ac si qua rei gerendae opportunitas detur, praelium committat Zbarascius sub vesperam castris egressus per totamque noctem itinere continuato, postero die Barbelium assequitur: communicatoque cum illo ac Farensbekio consilio quem Zamoscius tunc adversa valetudine impeditus, cum praecipua juventute ex comitatu suo miserat, refectis eo die ex labore jumentis sub noctem Albertum Kiralium, cum certo equitum Polonorum et Hungarorum numero de secunda vigilia praeire: eum unius miliaris intervallo cum ala equitum Barbelium sequi jubet: cum reliquo agmine mox ipse subsequitur. Kiralius noctu progressus in hostium excubias incidit; quas ad pontem, circa quem scloppetarii aliquot hostium in insidiis consederant, persecutus: iis rejectis, quod intempesta nocte non ulterius progrediendum sibi statueret, eo loco se continuit. Mane Barbelius, ac paulo post reliquus exercitus eum consequitur. Adjectis aliis nonnullis levis armaturae militibus denuo Kiralius praemittitur. Exercitus interim hostium, delectis ex omni suo numero quater mille circiter, qui nostros in sequentes morarentur, ac demum ipsi quoque subsequerentur, Toropeciam versus, et in Moscoviam se recipiebat. Ultimi cum de adventu exercitus nostri cognovissent, territi, continenter et non minus celeriter ipsi quoque eundo faciebant, ut fugae consimilis profectio videretur. Antecedebant exercitum ex Nobilitate quadraginta circiter equites, et ad Kiralium jam pervenerant. Hostes flumen jam transgressi erant, instructaque acie, si nostri flumen transirent, ut praelio cum illis decertarent, exspectare videbantur: mille equitibus cis flumen relictis, qui nostros distinerent, ac in suum locum pertraherent. Hi partim velitando, partim cedendo ad flumen eos pertrahunt: in cujus adversa ripa scloppetarios longo ordine disposuerant. Illis a Stanislao Zabocio ac equitibus Germanis, qui sub illo merebant, dejectis, nostri transmisso flumine, rejectisque hostium scloppetariis, a latere in aciem hostium invehuntur. Illi primum ad resistendum se comparantes, mox alia signa ac majorem exercitum advenire conspicati, ne unum quidem impetum eorum tulerunt: pars Toropeciam fuga petivit: nonnulli via regia Moscoviam versus fugerunt: alii in proximas paludes se abdiderunt. Nostri, etsi nox jam apperebat, per quindecim tamen fere millia passuum ultra Toropeciam hostem insecuti, ultra quingentos in fuga ea conciderunt: ducentisque captis, ac in his maxime insignibus Damiano Czeremessino, de quo supra dictum est, ac Joanne Nasczokino Offanasi filio, quem paulo ante discessum Regis Vilnam pro Legato ad Regem missum fuisse ostensum est, paucis e suis desideratis aut vulneratis ad exercitum redierunt. Toropecienses praesidiarii cum propius accederc nostros vidissent, rati ad obsidendos se venire, more suo statim oppidum exusserant: omnibusque rebus comportatis in arcem se receperant. Interim Philo Cmita Palatinus Smolenscensis non exigua levis armaturae equitum manu coacta, in agrum Smolenscensem excurrerat, secundisque populationibus aliquot invitatus Smolenscam longius progressus fuerat. Sed cum ad decem millium exercitu coacto vehementer eum hostis premeret, captivis, quos circa se habebat, interfectis, et levioribus aliquot tormentis relictis recipere se Orsam coactus fuerat. Jam cum Usviatae Rex esset, Nicolaum Dorohostajscium Palatinum Polotiensem ad Nevelam oppugnandam, miserat: quod ea via a Lucis regredi constituerat, Dorohostaisciusque ipse ac pro eo Lithuani partes eas deposcerent. Sita Nevela est supra Lukos Lithuaniam versus in complexu lacus, ex quo ejusdem nominis fluvius se derivat, jam ante sub Sigismundo Augusto Polonorum cum Moscis pugna nobilitata. Cum pro numero praesidii non satis multi milites, iique in hoc genere belli nunquam ante hac versati convenissent, ab eaque parte qua lacus castrum alluens difficiliorem oppugnationem faciebat, loco minus opportuno obsidere eam instituissent, hostis etiam continentibus jaculationibus et eruptionibus paucitate eorum contemta, acriter se defenderet, hucusque obsidio ducebatur. Lukis in potestatem redactis, primum ex atra tis quingentos eo Rex misit: haud multo post etiam Joannem Bornemissam cum Hungarorum

Digitized by Google

cohortibus et majoribus tormentis aliquot: antdem sollicitus de eventu obsidionis, quod iter, quemadmodum dictum est: facere illa constituerat: Zamoscium cum iis quas habebat, co piis ire eo jussit. Hic, cum aliquot jam millia progressus fuisset, nuntium redacti in potestatem praesidii in itinere accepit. Bornemissa enim, postquam eo venisset, ex priori nostrorum paucitatis contemtione hostibus erumpentibus, manu ipse cum iis congressus, nonnullisque interfectis intra munitiones eas compulerat: Inde magna diligentia in oppugnationem incumbens, ab ea parte qua cum continente conjungitur, proxime hostium munitiones maximo militis labore fossas promoverat: veteres a Lithuano milite propius institutas, auxerat; cumque continuo militis labore ad fossam, quae a continente castrum ambiebat, opus promovisset, progressu in validas contignationes transversis lignis confibulatas incurrerat, quibus decem pedes in latitudinem ab ima parte ad summum usque superinjecta humo labrum fossae hostes munierant; indefessoque studio securibus materia tandem amota, tanto silentio ad munitiones hostium pervenerat; ut non prius ab illis sentiretur, quam miles ad incendendum parietem missus, moenibus ignem subjiceret. Qua re ita hostes perculsi fuerunt, ut subito ne quidquam reclamantibus Praefectis deditionem facerent: Itaque oppresso mox incendio integra in potestatem venit. Tormentorum ac reliqui instrumenti militaris pro captu castelli justus apparatus: pulveris tormentarii praeter diligentiam Moscoviticam providendorum praesidiorum, quod in nullo adhuc evenerat, non plus dimidiato vase repertum in eo fuerat. Rex nuntio hoc deditionis accepto jam de discessu suo ac de statu Provinciae captae constituendo cogitans, ex itinere Zamoscium revocat. Duo omnino e propinquo praesidia, Toropeciense, ac Zavolociense imminebant, quae universae ditionis ejus possessionem turbare ei poterant. Plebe praeterea rusticana, ut in novo imperio infida. Lithuaniam versus maximis ac vastissimis solitudinibus interjectis, Toropecio et Zavolocia infestis relictis, praesidium ipsum undique ab hostibus et difficultatibus obsessum, ab omnique subsidio interclusum non satis tuto ibi futurum intelligebat. Zavolocia praeterquam quod Lucensi praesidio maximo incommodo futura erat, cogitanti jam de futuri anni expeditione, necessario etiam occurrebat; in insula non lacus ex quo Velica fluvius se derivans primo Opocam, inde Ostroviam, ac deinceps recta Plescoviam, atque infra ea in lacum Pelbam influit, tanquam in capite viae Plescoviensis sita, Plescoviam, quo suscepti belli series postulare videbatur, eunti, non exiguam moram objectura ei videbatur. Quod eo magis praecavendum illi erat, quod si per continuas rursum silvas Polotia Plescoviam contendentem hostis, quod hactenus omisisset, itinere forte prohibere institueret, eum locum magnam ad eam rem facultatem illi praebere: eo vero si potius fuisset, nihil Plescoviam fere usque praeter Ostroviam futurum intelligeret, quod iter ejus morari posset. Occurrebat omnibus hisce rebus cum oppugnationis difficultas, quae summa proponebatur; quod Zavolocia maximo lacu undique circumfusa, nullos omnino e terra nisi per pontem unum accessus habebat: tum anni tempus ipsum, quod iis in locis meuse jam Octobri alias pluvium eo majores tempestates atque incommoda allaturum existimabatur, quo minus imbrium proxima aestas habuisset. Mittit nihilominus Zamoscium hujusmodi cum mandatis, ut consilium ipse pro tempore capiat: ac potiendae quidem ejus spe oblata, exercitum ei admoveat: ab omni spe dejectus, itinere supra se a dextera capto Lithuaniam versus se recipiat. Illi aucto tormentorum numero ad reliquas copias, quas habebat, quingentos pedites Hungaros, et alam equitum, quam Gabriel Bekesius Gasparis *defuncti* frater ductabat, attribuit. Perfecta interim munitione arcis Lucensis, cum Rex consuetudine sua ipse semper ad opus esset, militesque, ne quod tempus ad opere intermitterent, hortaretur: eaque tormentis, commeatu, ac omnibus ad defensionem necessariis rebus provisa: descriptisque qui in praesidio manere debebant, tam equitibus quam peditibus ternis castris Nevelam inde Rex pervenit, Secuti Regem Nevelam fuerunt Legati Moscici; qui excidii Lucensis ipsi spectatores fuerant, et tum ad litteras, quas scriptas supra ostensum est, responsa a Principe suo expectabant. Nevelae per aliquot dies, ut Zavolociensis oppugnationis eventum expectaret, Rex substitit. Interim tabellarii et Regis et Legatorum ab obsidione Lucensi in Moscoviam missi revertuntur. Qui a Rege missus fuerat, longissimas litteras attulit, in quibus superiorum litterarum omnium argumento, more suo longa oratione repetito, quia Livoniam a Rege universam repeti intelli-

Digitized by Google

geret, ut quo a se jure possideretur, ostenderet, a Svientoslao quodam Micislai filio, genus suum deducebat. Eum antequam sacro baptismate Christiana religione initiatus fuisset, Jurg vocatum: ab eo Jurgo Horodum, quam arcem et urbem alias Derpatum Germani appellarent, conditam: inde cunctam Livoniam ad se unicum Micislai ejus haeredem longa successione pertinere. Priores Poloniae reges fratres appellare solitus fuerat: hunc non nisi vicinum: inter alias conditiones, quas ad Lucos a Legatis ejus propositas supra ostendimus, fraternum quoque nomen Regi detulerat. Responderat tum Rex, fraternitatem ejus se non morari: Livoniam, pro qua bellum susceperit, solam petere. Jam hisce litteris fraternam illi necessitudinem deferebat, ac etiam eo invito nomen hoc ad illum usurpaturum se ostendebat; summa haec erat, ut publicae concordiae causa titulum Livoniae cum Rege se communicaturum, quatuor praeterea castellis ejus, in quibus Cokenhausium praecipuum erat, cessurum se illi demonstraret, si Rex vicissim Lukos, Velisium et Nevelam vetustae ditionis suae, nuper sibi ademta redderet: ampliora mandata se Legatis suis perscripsisse. Ili postridio ad Regem adducti, cum Senatoribus agendi potestatem dari sibi petierunt; ter cum iis congressi tribus proximis diebus alia sex ad priora quatuor castella adjecerunt, in quibus Runeburgum potissimum, cetera ignobilia, castella erant. Nulla alia mandata deinceps iis proferentibus, re infecta a colloquio recessum, permissumque illis fuit, ut in Lithuaniam, inde in Poloniam Regem redeuntem sequerentur; dum nova a Principe suo mandata acciperent; quod ipsis ultro petentibus eo libentius Rex permisit, quod sibi quoque interim, quis Ordinum de futuro bello animus futurus esset, cognoscendi spatium dari non moleste ferebat. Captis Lucis, et Nevela, Jescriscia, quindecim a Nevela millibus passuum, tanquam sinu nostrorum praesidiorum undique cincta relinquebatur. Qui in praesidio erant ab omni defendendi sui spe interclusos se videntes, deditionis spem Regi fecerunt. Itaque missus eo Radivilus Palatinus Vilnensis antequam Nevela Rex discederet, in deditionem eos accepit. Interim Zavolociam cum exercitu Zamoscium pervenit. Totus autem ille tractus, cum per apertos ac patentes campos frequentissimasque villas iretur, non mediocri voluptate omnes affecit. Moscovitica enim ditio ut finitima, quemadmodum ostensum est, silvestris pleraque est: ita mediterranea bonitate agri, glebae ubertate, fluminum ac lacuum plerisque in locis opportunitate, villarumque frequentia nulli cedit. Lucensis vero ager rebus iis ceteris fere omnibus etiam praestat: unde dum ad Lukos exercitus erat, in summa omnium rerum copia erat. Oppidum Zavolociam, quod ad Plescoviensem Lucensemque viam fuerat, sub primum Regis ad Lucos adventum praesidiarius miles more suo deleverat: pontemque qui ab arce ad oppidum pertinebat, interciderat. Arx sita, quemadmodum ante demonstratum est, in lacu est; qui a Velica fluvio effusus, absque omnibus partibus latissime restagnans, latissimas tamen ab oriente et occasu aquas habet: quod inde ex alio superiore lacu flumen erumpens, occasum versus exitum habet; qua angustissimus est: non minus trecentos passus in latitudinem patet. Zamoscius praemisso Christophoro Rozdrasevio cum alis aliquot equitum in Plescoviensem viam alteram quae ad Nevelam pertinebat, Lucam Dzialinium, ac Nicolaum Vrovecium obsidere: ac si qui ex Nevelanis dediticiis ad praesidium id, quemadmodum facere solebant, adjungere se vellent, id ne faciant, ac in ulteriorem Moscoviam se recipiant, adigere eos jubet. Ipse ab exercitu Zavolociam praecurrens ambitu capto, absque omnibus partibus arce circumita, reperit Notum versus, aliam eodem in lacu contra castrum insulam esse: quae a plerisque partibus lacu, ab aliis uliginoso amne ac nativa fossa defenderetur: eadem brevissimum ad arcem trajectum esse. Itaque cum si eo exercitum traduceret, utrumque se consecuturum intelligeret, ut et contra quasvis vel maximas copias hostium tutissimo loco consideret: et eodem ex loco maximam oppugnandae arcis facultatem haberet, quam latissime ad majoris exercitus speciem hosti obiciendam signis explicatis sequenti die exercitu omni illum in locum traducto, castra communiit. Omnibus maximam difficultatem oppugnatio habitura videbatur, arce ab omnibus partibus propter aquas inaccessa, opere praeterea munita, anni tempore incommodissimo, quo pluviis, frigore, gelu, quae in propinqua exspectatione jam erant, continuo miles transderetur: Zamoscius non plane tamen desperandum putabat. Itaque quae ad oppugnationem pertinerent, administrare coepit. Erant e regione castrorum nostrorum tria propugnacula ingentis magnitudi-

Digitized by Google

nis: extrema duo ex maximis robustissimisque trabibus contignata: medium minus aliquanto: fenestris ad tormentorum usus, quemadmodum et relinquorum laterum propugnacula omnia apta. Haec quod non cespite vestita, sed veteri more argilla incrustata erant, magnam in spem Zamoscium adducebant, fore, ut decussa argilla et facillime, ut materia veteri et arida, nulloque humore nutrita incenderentur: et incensa propter tantam lignorum struem quam latissime incendium propagarent. Alebat spem ejus Saburovi, magna ob virtutem inter Moscos et apud Ducem auctoritate viri, arcisque hujus praefecti institutum: qui quod vel pulverem tormentarium frustra consumi, vel militem fatigari nolebat, summo silentio, quod non nisi in maximi metus significatione a Moscis fieri soleret, se suosque intra munitiones continebat; quamvis sub primum exercitus adventum decem circiter pabulatoribus nostris, quos oppresserant, minutim concisis, atque ex arce iis praecipitatis, terrorem adventanti militi incutere ea immanitate conatus fuerat. Zamoscius ratis interim, quae contis ad arcem adigeretur, militique ad oppugnationem tendenti transitum praeberet, Nicolao Vrovecio jungendae negotium dat; simul munitiones fossasque a castris contra arcem duci jubet; quibus postridie magno opere perfectis, tormenta mox constituta fuerunt: rateque interea temporis ex altiore quodam aedificio, quod reliquis incensis solum hostes reliquerant, ab Vrovecio perfecta, primum tormenta complura, ab ea parte, qua angustissimus lacus erat, disposuit: e quibus rectis a fronte ictibus propugnacula, de quibus dictum est, ferirentur: alia deinde a latere, quo meridiem arx spectat: ne et per aversam portam hostes erumpere, nostrosque pontem transgressos, ac a fronte arcem oppugnantes, circumvenire possent: et simul, si qui in superioribus propugnaculis constitissent, ut directis secundum latera ictibus tormentorum inde dejicerentur: quibus rebus administratis, oppugnationem odiri constituit. Erat ab ima arcis radice acclivis versus eam ascensus, quem hostes una altissimorum palorum saepe, binisque ingentium et acutissimorum cervorum ordinibus, justo inter singulos spatio relicto obsepserant. Contra ea haec Zamoscius comparabat; quia lana destituebatur, centonibus stragulisque equorum per universum exercitum conquisitis, quamplurimos ex iis saccos implet. Docet militem, quia loci natura a majorum tormentorum vi, quod ea deorsum mitti non possent, satis illum defenderet, contra scloppetos, postquam in adversam ripam transiisset, saccos eos supra cervos injiceret: sub iisque delitescens, fossas mox ab ea parte sub arce ageret, ex quibus deinde et hostem extra munitiones suas progressum reiiceret, et ignem in propugnacula inferret. His rebus ita constitutis, ratis ab eo loco, quo justo a castris intervallo, instituta erat, contra arcem protracta, magnoque militum concursu certatim in id omnibus incumbentibus, inter creberrimas, quae ex utrisque munitionibus fiebant, ejaculationes in adversam ripem directa fuit; sed quod brevior, quam ut pertingere eo posset, reperiebatur, utrinque tum ita discessum fuit. Christophori tamen Rozdrasevi, Praefecti Lanciciensis, magnae virtutis et nominis viri causa non mediocre a nostris detrimentum acceptum. Hunc dum ratis applicaretur, ad tormenta, quo rectius ibi omnia administrarentur, curare Zamoscius jusserat: ille cum nihilominus procurisset, globo ex hostium munitionibus supra dextrum oculum excepto concidit; inde ratis ut corrigatur, a peditibus Polonis retrahitur; quos dum hostes continentibus tormentorum ictibus ex arce petunt, qui funem regebant, perculsi eum dimittunt. Id conspicati tres alii e proximo pedites, cum tenere illam aliter non possent, in ratem insiliunt: ventoque vehementiore abrepti, ad hostium munitiones secundum proxima propugnacula deferuntur. Videntes hos Mosci aquis ab exercitu omni ex parte interclusos, navigiis plerisque quae in arcem omnia subduxerant, iuscensis, magno numero ad eos contendunt. Hi acriter primum scloppetis inde contis se defendunt, compluresque ex hostibus deturbant: tandem cum undique circumvenirentur, proximis cymbis, e quibus hostes dejecerant, arreptis, in eas desiliunt, rateque relicta evadunt. Interim eodem vento in adversam ripam ratis ferri coepit; in quam cum persequendae ejus finem nondum hostis faceret, Zamoscius equitibus aliquot submissis eam recepit. Rate eodem die refecta cum ex superioris temporis casu miles perterritus, quem antea praemiis ad promovendam eam Zamoscius provocarat, minus promptus jam ad ministeria haec cum periculo obeunda esset, Nicolaum Vrovecium necessarium suum ratem conscendere, saccoque uno ex iis, de quibus diximus, ante se collocato, dirigere in adversam ripam eam jubet. Vrovecius impigre im-

Digitized by Google

perata exsequitur: aliquotque gregariis militibus post se collocatis, ipse ab anteriore parte ea sola, quae demonstrata est, ratione tectus, creberrimosque globos objecto sacco excipiens, stationibus hostium, quae in extrema ripa excubabant, fuga in arcem se recipientibus, ad ripam ratem adigit. Miles et inprimis Hungarus confertim, quemadmodum jussus erat, pontem transgressus, sepem a ripa objectam securibus primum scindebat: mox inde, quo celerius labore perfungeretur, cum alienissimo anni tempore omnia pericula frigoris ac aëris injuriis leviora duceret, saccis in cervos non injectis, nullis fossis ductis, aut ulla re earum, quae imperatae erant, administrata, argilla necdum decussa, ad ignem propugnaculis admovendum convertitur. Non obscuram jam timoris et trepidationis significationem hostes dabant; verum dum hi longo temporis spatio cervos moliuntur: quorum cum bini essent ordines, singulorum ordinum demum ad minus pedum latitudo erat: dum Georgium Susium, qui faces ac ignes adferat, trans lacum mittunt: dum alia, quae ei rei usui sint, administrant, hostes recollectis interim animis, aversis omnibus portis erumpunt: integris curatisque corporibus nostros prae frigore et gelu ad rem gerendam pene inutiles circumveniunt: longissimis hastis, acutoque et falcato ferro armatis, bardeschos ipsi vocant, breviore armorum genere, ac frameis saltem utentes propellunt, pars caeditur: pars in turba mutuo se impellens in lacum praecipitata aquis mergitur. Zamoscius etsi deliberatum jam habebat, omnes potius acerbitates perferre, quam coeptam oppugnationem dimitteret: diei tamen hujus successu territos plerorumque animos ratus, consilio habito, quid in quoque ad futura pericula animi esset, explorare constituit. Consilio eo habito vix unus repertus fuit, qui habendam rationem temporis, fortunaeque concedendum, a quarum neutra jam sublevarentur, censeret; a reliquis omnibus vox nulla audita fuit, superioribus successibus suaque virtute indigna: principioque a Farensbekio facto, quidvis potius perferendum, quam infecta re ab obsidione discederent, omnes statuerunt. Misit mox Zamoscius Georgium Sibricum cum litteris ad Regem: ne incommodo hoc in oppugnatione, nimia militis properatione accepto permoveatur: ne ab obsidione se revocet, neu sua causa diutius Nevelae subsistat, rogat, castra se posuisse ad obsidionem ducendam aptissima, cum loci natura ac munitione, tum circumjacentium regionum fertilitate et abundantia: nihil sibi vel ad maximas quasque copias hostium sustinendas loco tutissimo, vel in agro frumentis, pecore, materia, aquis abundante, ad omnium rerum usum deesse posse. Haerebat Rex adhuc Nevelae loco, quod superioribus stationibus et Cosacorum direptionibus vastatus esset, quibus ex rebus commeatus ac pabuli inopiam existere necesse erat, inprimis incommodo. Sub idem vero tempus ab aëre etiam contagium quoddam, quod primum ex Orientis partibus profectum, in Italiam inde ac Galliam, aliasque regiones perlatum fuerat, universam quasi Europam pervagatum, Cracoviam quoque ac Vilnam, atque inde ad exercitum pervenerat. Erat id non tam letali aliqua vi timendum, quam progressu atque celeritate, qua proxima quaeque loca complectebatur, admirabile. Primo inferiorem dorsi spinam horrore plerumque occupabat: inde in capitis gravedinem et languorem, quos corripuerat, resolvebat, pectori inprimis grave; quibus tamen intra quartum vel quintum diem non decessisset, eos in febrim degenerans interimebat; letale fere iis, qui purgantibus medicamentis, aut venae sectione utebantur; quod utraque respirationem graviorem efficiebant: illa, quod humorem omnem a capite in pectus magna vi trahebant: haec, praeterquam quod corpus refrigeraret, debilitaret etiam vires, quibus ad respirationem opus esset. Nomen ut novo morbo certum nullum inventum fuit. Rex ad eas copias, quas ante Zamoscius habebat, nongentos equites Polonos, ac mille circiter pedites Hungaros cum Stephano Carolo ei adjecit, moxque Vilnam movit, Polotiae eo, de quo dictum est, morbo, ipse etiam tentatus. Zamoscius interim, quae ad oppugnationem pertinerent, Summo rursum studio apparare instituit: ratem quamvis ex satis magnis trabibus in latitudinem contabulatam, quo latior tamen et expeditior ad arcem accessus militi esset, duplicari jubet. Navigia cymbasque, quo pluribus circumfusis omnibus ex partibus oppugnatio administretur, viresque praesidii quam maxime distrahantur, per vicinas villas ac stagna magna diligentia conquirit. Reliquis omnibus navigiis subductis, unum solum hostes reliquerant. Id quum Monachorum loci ejus fuisset, ac ad majorum retiorum usus comparatum octoginta fere hominibus capiendis idoneum esset, quia tamen vetustate vitium

Digitized by Google

fecerat, rimarumque plenum esset, neglexerant. Zamoscius qua patebat partim recentibus coriis bubulis, partim musco obstructo, ut commode navigari eo posset, effecit. Iisdem temporibus, cum intellexisset, Joannem Szujscium Petri F. Palatinum Plescoviensem cum exercitu ad Porchoviam considere, Martinum Volscium veteranum praefectum cum expedito equitatu exploratum eo misit. Szujscius, quod de discessu Regis audivisset, neque per anni hoc tempus alium exercitum exspectaret, dimisso exercitu Plescoviam se receperat. Itaque accidit, quod evenire necesse erat, ut in nulla periculi exspectatione incuriosius omnibus agentibus, ac sine metu commeantibus complures Volscius opprimeret, missisque agrestibus, quibus parcere a Zamoscio jussus erat, nobiles aliquot captivos secum in castra adduxit. Rebus iis, quas diximus, ad oppugnationem comparatas, decem omnino diebus perfectis, Zamoscius majori navigio, quod refectum ab eo ostendimus, militaribus viris aliquot assumtis lacum invectus, quibus partibus maxime opportuna oppugnatio futura esset, accuratius cognoscit. Tormentis tria, quae contra castra esse diximus, propugnacula, quo et argilla detersa magis incendio paterent, et materia dilacerata apertis quasi venis celerius ignem raperent, continuo quati jubet. Cum peditatus propter tempestatum etiam injurias, contra quas minus tectus erat, nec animorum nec virium satis habiturus videretur: nobilitas equis missis, conjuratione inter se facta, ad arcem Duci se flagitabat. Conjungebant se cum his pari studio, qui sub Farensbekio militabant equites, nobiles nonnulli Germani. Zamoscius in media acie, qui cum facibus ac taedis ad incendenda moenia expediti essent, collocatis, a dextro cornu, contra quod superius propugnaculum oppositum esset, Polonos et Germanos: a sinistro ad alterum propugnaculum Hungaros, qui utrinque a media parte ignes inferentibus, contra eruptiones praesidio essent, constituit: Polonis Vrovecium praefecit, illique in omnes casus Andream Orechovium substituit. Cum Germanis Ottonem Uxkelium Farensbekius misit. Ratem ab utroque latere saccis, de quibus ostensum est, contra transversos minorum scloppetorum ictus muniri jubet. Ea adducta inter confortissimas hostium ejaculationes in adversam ripam applicatur: tempestateque sub idem tempus commutata, post continentes imbres cum serenitate majus pugnandi studium omnibus incessit. Jam primi ratem transierant: simul navigia milite, tormentis ac facibus instructa, omnibus ex partibus provolabant: interim ex utrisque munitionibus magno cum hostium detrimento crebrae ex nostris ejaculationes fiebant. Cum subito Regias litteras conclamare hostes coeperunt. Zamoscius superioribus diebus propterea, quod cum Luocnsi expugnationi magna ex parte praefuisset, tanquam crudelitatis ejus auctoris nomen suum horrori esse hostibus intellexisset, Regio nomine atque signo, quod pro Cancellariatus munere penes illum erat, litteras ad obsessos hoc argumento dederat: Jussisse Regem omni studio Zamoscium in oppugnationem incumbere: quod si tamen ultro in deditionem venirent, pro clementia sua conservandos statuisse, absque omni injuria prohibitos velle: quae quo diligentius observentur, cubicularium suum se mittere. Litteras hasce rejecerant primo; postquam quid in illis esset, edocti fuerant, ad sua praesidia Regem scribere debere responderant: hoc *non* ejus juris esse, in quo Regiae litterae reciperentur. Eas litteras tum primum voce, inde praefectis aliquot scloppetariorum missis flagitabant. Datae illis fuerunt litterae fidesque. Misit simul Zamoscius Joannem Thomam Drojevium, praefectum Premisliensem, qui arcem in fidem acciperet, Palatinosque ad se adduceret. Ille primo non Palatinos modo, verum militum etiam magnae partis animos dubios adhuc reperit: tandem cedentibus timori militibus, Palatini reluctantes ad Zamoscium adducti fuerunt. Deditiis fides servata fuit; matronae praeterea aliquot, quae Lucis captae fuerant, quod ne pudicitia earum in tanta itineris longinquitate ac militum multitudine negligentius haberetur, verebatur, a Zamoscio condonatae: mirantibusque Moscis, ac ultro fatentibus, se ejus aetatis atque formae matronas nostris redditurus non fuisse, postquam causam, ob quam id a Zamoscio fieret, intellexerunt, tum vero minus etiam mirum videri debere dicebant, si in tanta morum diversitate, fortuna quoque dissimilis esset. Ita arx et loci natura munitissima, et ab omnibus rebus ad defensionem paratissima, anni tempore, continuis imbribus, ac gelu hostes juvante integra recepta fuit. Globorum candentium, ne in hac oppugnatione usus esse posset, Saburovus excogitarat. Aliarum enim oppugnationum eventu monitus, parietem, qua crassior erat, interciderat: ac uno solo trabum ordine, quibus contextus erat, re-

Digitized by Google

licto, interiorem partem ejus satis lato aggere, quem cratibus continebat, vestierat; fiebat inde, ut globi per tenuem parietem subito transeuntes in aggere haererent, ibique sua sponte tandem supprimerentur. Memoria inde Zamoscius tenens Regem proximo anno per ea loca in hosticum ulterius progredi in animo habere, tormenta et graviorem militaris instrumenti partem Zavolociae deponere constituit: Stephanumque Carolum cum Hungarico milite in arcem traducere omnia jussit. Hic veteri ponte quemadmodum ostendimus, ab hostibus interrupto: rate, qua in oppugnatione miles usus fuerat, infirmiore, quam ut tantae molis tormenta promoveri per eam possent, alterius etiam pontis tam exiguo tempore efficiendi summa difficultate proposita, tormenta firmissimis, iisque pluribus rudentibus apta, quo uno rupto, alii subsidio essent, per lacum ipsum, qua durissimum solum, et maxime argillosum explorarat, cohortibus aliquot Hungarorum in adversa ripa collocatis, in arcem a munitionibus nostris traduxit. In praesidio Georgium Sibricum cum Hungari militis parte reliquit: Farensbekium cum mille circiter equitibus latiore circuitu capto Opocam versus proficisci, conversoque ad sinistram per Nescerdam itinere ad Polotiam rursum occurrere sibi jubet. Nam quod infra ad Velicam amnem sita ea esset, quae natura fluminis esset, cognoscere: si etiam oppugnanda proximo anno foret, situm ejus eo magis praeceptum ante habere cupiebat, quod eodem in loco sub Sigismundo Rege incommodum acceptum memoria teneret. Eadem futurae expeditionis cura itinera quoque reliqua omnia: flumina item, si quae navigabilia essent, pleraque ut explorata ante haberet, operam dabat; maxime quod lacum Usciam esse accepisset, ex quo ejusdem nominis fluvius se derivans in Usziciam lacum influeret, indeque mutato nomine in Drissam lacum effusus ejusdem nominis fluvium efficeret, earumque potissimum opportunitate Socolam a Mosco commeatu, aliisque rebus necessariis provisam, diligentissime omnes meatus exitusque ejus cognoscebat. Itinere inde ob imbrium ac frigorum injurias, silvarumque, per quas ibatur, magnitudinem, ac pontium plerisque in locis inopiam aliquanto incommodiore, huc praesertim, de qua dictum est, exercitum affligente, ut pacatis tamen circumcirca locis omnibus tuto per Polotiam, Vilnam ad Regem venit. Dum Rex hoc rerum successu expeditione Lucensi perfecta in Lithuaniam se recipit, Moscus quo animi, tristitiam adversis rebus collectam discuteret, repudiata priore uxore: quod ipsius moribus toties ei licet, quoties libet, jam sextum tum maritus delectu puellarium publico indicto novam induxit: idemque ex proceribus etiam, et consiliariis suis quosdam facere coegit. Delectus ejus, quemadmodum ex nobili quadam captiva, quae ipsa in delectu eo fuerat, cognitum est, haec est ratio: Proceres nobilesque omnes, qui filias aut propinquas nubiles aliqua formae commendatione in potestate habeant, edicto proposito, certo tempore omnes adducere jubet. Ad diem praeparata jam ante cum in usum domo spatiosa et ampla, per singula coenacula duodenos lectos habentia, totidem puellae distribuuntur; ipse uno scne comitatus omnia ordine circumit, ut quodque ingressus est, solio jam ante instructo considet; puellae in magno omnium Principi suo placendi, ac ad eam fortunam perveniendi studio elegantissime omnes ornatae, ad genua ejus ordine singulae advolutae, sudario auro ac unionibus contexto in genua injecto discedunt; quam ex his maxime probarit, ducit: ceteras vel agris, vel pecunia donatas dimittit. Rex Vilnae paucis diebus commoratus, Grodnam proficiscitur; ac jam de futura expeditione cogitans, quod tardius comitia sibi habenda, tributumque si quod in illis sciscerctur, serius exactum iri intelligeret, ne quod gerendae rei tempus dimittere cogeretur, privatas interim rationes mutuae sumendae pecuniae jam tum inibat. Praeter Marchionem Georgium Fridericum in Prussia Ducem, Augustum Saxoniae, et Joannem Fridericum Brandeburgensem Principes Electores de mutuo in bellum hoc praestando appellat; quo facto, duas simul res consecuturum se videbat, ut et suam erga illos omnibus in rebus fiduciam ostenderet, et eorum in re aliena studio Ordines invitatos ad perficiendi pro suis commodis belli voluntatem eo magis accenderet. Credita ab illis pecunia ad certum diem, exactisque jam comitiis allata, ac ulterius deinde die prolato, ad tempus soluta fuit. Interim Cosaci Nisovii cum Joanne Onisovio ab altera parte in Moscoviam Starodubum usque populationibus pregressi, omni agro longe lateque vastato, oppidum ac extimas munitiones arcis quasdam incenderunt, indeque ad Poczepovam excursione facta, ab arce repulsi, praeda tamen magna acta se receperunt. Proficiscentem Grodna Regem, Rigensium nuntii secuti fuerunt. Civitas ea a

Digitized by Google

Sigismundo Augusto in fidem iis conditionibus recepta fuerat, quae jus ac Majestatem imperii in eam Regii fere enervare, magisque ad ipsius etiam civitatis splendorem, quam utilitatem comparatae videbantur. Cum Rex iis legibus sociam eam, quam subjectam habere mallet, jam ante superioribus etiam expeditionibus, missis Legatis, de certis subjectionis conditionibus cum Rege egerat: reque Drohicini tandem in hoc itinere transacta, missus a Rege Joannes Demetrius Solicovius fuit, qui civitatem in fidem acceptam, jurejurando in verba Regis obstringeret. Cum primis de portorio constituendo actum fuerat. Nam cum omnis negotiatio Rigensis Dunae fluminis navigatione fere contineatur, eaque jam magna ex parte superioribus victoriis Regis expedita esset: praeterquo Cokenhausium, Ascherotum, Lenovartum, quae eo tempore in hostium potestate adhuc erant, quo morari eam posset, nihil reliquum esset: summae aequitatis Rex judicabat, ut quae res tanto publico cum molimento, atque impendio perfecta, ad civitatis privatorumque omnium fortunas maximam accessionem factura esset, eadem Reipublicae commodum aliquod afferret, nec alia conditione commercia eo transferri volebat. Homines prudentes quum sine vectigalibus et tributis non posse subsistere Rempublicam intelligerent: rectissime autem in iis provinciis ea constitui, quae armis recuperentur, convenerunt tandem, ut portorium maritimum omnium mercium constitueretur, ejusque proventuum duae partes Regi sine ulla conditione: tertia civitati in portus ac stationum refectionem cederet. Relinquebatur in ambiguo de bonis, quae Archiepiscopalis quondam juris fuissent: de vallo contra arcem a civitate objecto, ac aliis rebus quibusdam, earum omnium definitio in Regis in illa loca adventum rejecta fuit. Dum in Moscovia cum exercitu Rex erat, Joannes Tertius ejus nominis Sueciae Rex ad Narvam classem miserat; verum integris tum adhuc ab ea parte rebus Moscoviticis, piscatoriis aliquot aedificiis in littore exustis, re infecta recipere se coacta ea fuerat. Interim Varsoviam ad Comitia Rex venit. Ordines ut hunc rerum successum omnibus modis urgeant, ac non laetentur mode victoria, sed ea etiam utantur, hortatur: si universam Moscoviam, ac amplissimum illud Regnum vel appetendum vel sperandum non arbitrentur, cujus tamen maxima spes jam illis ostendatur, eousque saltem in armis maneant, dum Livoniam universam, quam ab initio jam praemium belli hujus sibi proposuissent, dignam et laborum suorum mercedem, et ad posteros virtutis monumentum relaturi adjungant: magnum incommodum in eo esse docet, quod ipse quotannis ad comitia tributi causa obeunda in Regnum revocetur: militem continuis itineribus confici: hosti respirandi suique colligendi spatium interim dari: quodque tributa tardius exigantur, multas rerum gerendarum occasiones mora hac corrumpi necesse esse; quibus incommodis, quo obviam eatur, ut biennale tributum sciscant, flagitat. Ordines tributum non recusare, a tempore, in quod flagitabatur, alieni videbantur. Priusquam autem ad ullam aliam rem accederent, capita rerum quarundam, de quibus leges perferri vellent, scripto comprehensa Regi offerenbat: utque sancirentur, petebant; ita responsum fuit, ut quae concedi posse existimabantur, concederentur: quaedam interpretatione lenirentur: pleraque in aliud tempus conferrentur. Responso eo accepto, dierum aliquot spatio interjecto, *idem quod* ante jam scriptum tradiderant, nullis contra Regiam declarationem rationibus aliis allatis, denuo tradunt. Rex ex Senatu aliquot, pariquo ratione ex nuntiorum collegio aliis delectis, ut iis de rebus utrinque moderatione adhibita dispiciant, negotium dat: quae ab his communicatis sententiis proposita fuerunt, scripto comprehensa denuo nuntiis traduntur. Ii diebus aliquot interpositis, idem quod antea fecerant, prius scriptum suum rursus Regi oblatum urgent. Appetebat interim finis dierum comitialium legibus definitorum; itaque certis conditionibus res tandem convenit: constitutionesque iis de rebus promulgatae fuerunt. Tributum inde primo simplex Regi permiserunt: postea Rege partim iis, quas ostendimus, de causis, tum quod praeterea militi stipendium omne nondum solutum esset: apud Principes, quos diximus, et alios privatos nova nomina fierent: novum ad haec bellum administrandum esset, nulla ratione satisfieri eo sibi posse demonstrante, duplex ea prius conditione sciverunt, ut si pax interim convenisset, tributa quoque cessarent: deinde iisdem argumentis a Rege illa refutata, ut collatis rationibus, quicquid stipendiis omnibus, ac aere alieno ob bellum hoc conflato, tum si quid deinceps in apparatus belli erogatum fuisset, exsolutis, reliquum ex tributo eo futurum esset, in Ravense aerarium inferretur. Venerant huc, quemadmodum supra demonstratum est, Legati Moscovitici, per universam Poloniam

Digitized by Google

tanquam in triumpho ducti. Hi novis mandatis a Principe suo acceptis, denuo hic ad colloquia admissi, primum Nevelenses conditiones urgebant: quibus rei transigendae a Lithuanis Senatoribus certam spem factam sibi dicebant; quibus cum aliis rationibus refutatis, tum quod majoribus postea sumptibus a Rege factis, Zavolociaque capta non integra amplius res esset: tandem more suo diu prius licitati eo descenderunt, ut ad alia, quae ante obtulerunt castella Livoniae, urbibus ac castris potioribus Felino, Derpato, Mariemburgo, Pernavia, ac Narva, Principi suo receptis, reliquis omnibus Regi decederent. Rex nisi omni Livonia hostis decederet, alia conditione pacem sibi faciendam cum eo non arbitrabatur. Haec sententia ordinibus proposita, publice quoque omnibus placuit. Adhibiti colloquio cum Moscis huic ex nobilitatis nuntiis aliquot fuerunt, quo tergiversatione Mosci perspecta, tota de re ipsi plenius collegas suos edocere possent. Utrisque in sententia permanentibus, infecta re a colloquio recessum fuit. Rex ita a comitiis discessit, ut biennii tributo ab Ordinibus sancito, non prius pacem se facturum cum hoste pollicereturr, quam is universa Livonia excessisset. Sub finem comitiorum nuntii nobilitatis per Stanislaum Priemiscium, quem a bello reversum nobilitas majoris Poloniae nuntium crearat, et tum nuntiorum illud nobilitatis collegium initio comitiorum Marschalcum e more prodiderat, Rege adito, ut remotis, quibus in Senatum ingrediendi jus non esset, dicendi potestas sibi fieret, petebat: re impetrata, rogant operam dare velit, ut ea expeditione bellum finiat: ita nobilitatem, maxime familias ejus rusticas, quarum salutem sine suarum quisque fortunarum detrimento negligere non possit, tributis exhaustas, ut majoribus ferendis pares vix sint futurae. Respondit Rex per Cancellarium, bellum pacis ac publicae utilitatis causa a se susceptum, minime ex instituto a se ali: hostem eo redactum, ut, si bellum continuetur, non adeo magno negotio confici possit: se tamen consentientibus ordinum studiis libenter concessurum: quamprimumque ad tradendam sibi Livoniam hostem adduxerit, impetuque ejus represso, Reipublicae otio ac securitati consuluerit, paci, quae cum publica dignitate atque utilitate conjuncta sit, nullam moram facturum. Publice inde more majorum Regi valedicentes, ut de domesticis etiam rebus, ac intestinis incommodis sanandis cogitationem suscipere velit, rogant: nominatim de Regum eligendorum stabili aliqua ratione constituenda petunt, utque iis de rebus, quamprimum commodo Reipublicae id facere possit, Comitia habere velit; quo majus antea discrimen Respublica adierit, cum partibus in diversa studia scissis, in duos Principes Respublica distracta fuerit, eo nunc, postquam metu hoc liberata sit, ne idem periculum denuo subeat, diligentius providendum esse docent. Accedere huc controversias, quae inter sacrum et profanum ordinem intercedant; quarum et ipsarum non levem rationem sibi ducendam, utque omnes tandem tollantur, plurimum Reipublicae interesse judicent. Ostendit Rex per eundem Cancellarium, non minori studio ad domesticas res recte constituendas, quam ad perficiendum ex sententia bellum se ferri, et qui bellicarum rerum laudem non aspernetur, eo majori tamen domi bene constitutae Reipublicae quam maxime diuturnae memoriae relinquendae studio se teneri, quod sine hac ne superiorem quidem gloriam stabilem perpetuamque esse posse perspiciat. De interregnorum ratione quoties cogitet, quanto in periculo superioribus temporibus Respublica fuerit, quibus electionum ac ambitionum studia ea tanquam fluctus quidam illam exagitarint: cum non minus hanc, quam in qua natus sit, omni studio sibi amplectendam, eo cariorem etiam habendam intelligat, quo majoribus honoribus atque ornamentis susceptum se affocerit, cohorrescere se animo, agnoscereque non nisi singulari benignitate divina in commodiorem statum eam pervenisse. Jam ut de certa electionum ratione deliberatio suscipiatur, intelligere se: si id fiat, quantum et in re ipsa difficultatis futurum: etsi quod verendum videatur, occulta aliqua Reipublicae vulnera ea nudet, incommodi inde metuendum sit, suam quidem operam atque auctoritatem Reipublicae ac Ordinum voluntati non defutura. Idem de concordia inter ecclesiasticum et civilem ordinem sese judicare, nihil ea posse suscipi utilius, atque ad Reipublicae stabilitatem magis necessarium: sed utramque ad rem consensu animisque ab omni odio et affectione vacuis opus esse. Proinde sibi quidem summae curae ea fore: hortari autem ipsos quoque, ut animos ad deliberationes rerum harum sedatos, nulliusque alterius rei, quam patriae ac publicae salutis et dignitatis studio deditos afferant. Hortatus inde, quemadmodum et superioribus temporibus fecerat, ut per absentiam suam otio et tranquillitati pu-

Digitized by Google

blicae pro se quisque studeret, ac animo ad quaevis pericula excipienda parato esset, fausta quaeque ac felicia, utque utrique, tam qui domi mansuri essent, quam qui in bellum ituri ita rem gererent, ut mox lacta utrimque gratulatione, in mutuos complexus ruerent, precatus iis fuit: ad quam vocem plausu a circumfusis excitato, Cancellarius eum ipsum plausum lactum omen futuri successus, ac non diuturni belli Regem accipere intulit. Sub idem Comitiorum tempus Sueciae Rex, quibus partibus hac expeditione bellum orsurus Rex esset, per litteras a Rege quaerebat. Rex pro eo, quod ante ad bellum hoc maxime Sueciae Rex hortatus se fuisset, ac mutua necessitudine celandum eum consilia sua non ratus, Plescoviam se eo anno ire in animo habere ei ostendit: petentique legato ejus ut militem, quem in Germania intercipiendae legationis Moscoviticae ad Principes Christianos missae causa scripturus Rex esset, voluntate Regis per ditiones ac portus ejus ducere sibi liceret, litteras, quarum auctoritate id facere posset, dedit. Iisdem temporibus Philo Cmita, qui Lucensi praesidio Praefectus a Rege fuerat, ne miles otio ac desidia interim corrumperetur, Chelmam Moscoviticam, quod castra supra Lovatum fluvium situm est, Martinum Curtium et Gabrielem Holubconem misit; qui quum ex captivis cognovissent, oppidum ante Moscos more suo incendisse, ex eo unam domum sub castro ad excubias agendas ab hoste relictam, noctu progressi, cum antequam illuxisset, eo pervenissent, Curtio domum praetervecto, ac a tergo excubiis se objiciente, fugaque in castrum interclusa omnes concidente, Holubco castrum incendit. Ab alia parte Sibricus Zavolociensis praesidii praefectus homines agri ejus omnes ad sacramentum evocarat. Quinque autem antiquitus territoria ad Zavolociam pertinent. Venerant in his Voronecienses advocato, Polonico more sibi creato. Oppidum autem Voroneccia est supra Zavolociam ad Sovcam flumen situm, propterque fluminis ejus opportunitatem, quod in Velicam flumen, indeque sub Plescovia in lacum Peibam ac sinum Finnlandicum influit, commerciis ac habitatorum numero amplum olim fuit. Castrum quod adjunctum habuerat in tot vicinorum ac munitissimorum aliorum copia desertum a Moscis fuerat. Itaque cum oppido nullo opere munito praesidium Zavolocienso facile potiturum cogitarent, quo id ante incenderent, maxime autem, quod oppidani ad sacramentum convenerant, ut ad deterrendos alios omnia cruciatus exempla in eos ederent, copiis aliquot collectis repentina excursione opprimendi ejus causa convenerant; verum re ab advocato cognita, cum illo in munere ac metu suo non invigilans certiorem mox Sibricum fecisset, hic profligatis Moscis, locum in quo castrum fuerat, cum Kiralio occupat, praesidioque ei imposito, corbibus militaribus pro tempore communit, agrestibusque ipsis, quibus loca vicina nota erant, ducentibus, crebras inde ex hostico praedas egit. Philo Cmita Chelmensis excursionis proventu invitatus eodem Sibrico ac vicinis aliis praesidiis sibi adjunctis, Priscam Russam quae ad magnam Novogardiam spectat, excurrit. Magna hoc loco Moscoviae Dux salinarum vectigalia habet, frequentia item ac ampla commercia sunt. Oppidum magis in salinarum ac negotiorum usus constitutum, utque loco a finibus remoto, nullo opere munitum sine negotio diripuit repletumque militem praeda reduxit.

## *LIBER QUARTUS.*

Solutis ad eum, quem superiori libro ostendimus, modum comitiis, Rex militem, quando in supplementum ad bellum opus erat, Zamoscium quam celerrime scribere, matureque in Lithuaniam adducere jubet. Ipse Grodnam recta, inde Vilnam proficiscitur. Interim ad Christophorum fratrem Principem Transsilvaniae de novo equitum ac peditum Hungarorum delectu scribit. Germani militis conquirendi Farensbekio per litteras negotium datur. qui

Digitized by Google

militis in inferioris Germaniae bellis exercitati copiam se habere posse ante ostenderat. Zamoscius, quo lectiorem peditatum haberet, Vrovecium ala equitum, cui praecrat, missa, peditem ex sola Nobilitate scribere jubet; sublevabantur apparatus hi interim, dum tributariae pecuniae conferrentur, partim ea pecunia, quam a Principibus acceptam supra ostendimus, quamque praeter eam Marchio in Prussia Dux subsidii loco miserat, partim propria Regis ipsius, maxime tamen equitum studio, quorum magnum numerum Zamoscius evocarat, eaque ad bellum hoc alacritas erat, ut plerique nulla in auctoramentum accepta pecunia ad diem nihilominus convenirent: complures in ipsis castris demum stipendiorum partem acciperent. Grodnam jam Rege progresso, nuntius cum litteris a Mosco ad eum venit: mox alios cum amplioribus mandatis, quibus convenire pacem posse existimet, affore. Interim ne ullum exercitum Rex cogat, neve ulterius progrediatur, posse cum et impensae et laberi parcere. Veniunt legati, colloquium petentibus datur. Re diu more eorum ducta, atque utrinque disputata, eo tandem descenderunt, ut Narva, Neuschlossio, Derpato, Adsevio, Novogrodco Livonico, Neuhaus a Germanis dicto, reliquam Livoniam universam una cum iis locis, quae antea receperant, Vejssenstejnio, Felinio, Pernavia, ac aliis omnibus Regi permitterent. Ostenderat Rex, nullam se prius pacis mentionem fieri passurum, quam universa Livonia Moscus cessisset. Urgebant Legati, ut cum sui Principis nomine ostenderetur, quid praestituturus esset, sibi quoque quid de ablatis Principi suo restituendis animi Rex haberet, demonstraretur. Repetebant autem uno Polotiensi agro excepto, qui pristinae ditionis Regiae fuerat, reliqua, quae superioribus annis bello capta erant, omnia. Demonstratum fuit, ita Regem Principi eorum illa restituturum, si praeter Velisium, quod nulla conditione dimissurus Rex esset, castrum quoque Sebieszum, quod id penitus intra ditiones Regias situm esset, quo certior ac stabilior pax esset, vel tradidisset Regi, vel demolitus fuisset, quod quo minus recusaret, Regem vicissim Drissam demoliturum: partis sumtus deinde in bellum facti nomine quadringenta aureorum millia Regi refudisset. Impetrarunt Legati, ut ad Principem suum referre ea sibi liceret, ac ut Regis nomine eadem ad illum scriberentur. Sub idem tempus Bochdanus Bilscius, cujus frater patruelis in amoribus Mosco erat, summamque apud eum rerum omnium fidem obtinebat, ad Regem translit. Miserat Moscus Legatos ad Rudolphum Romanorum Imperatorem, ab eo ulterius deinde ad Summum Pontificem Romam pervenerunt. Legatione ad summum Pontificem operam suam contra Turcam Christianitati pollicitus, et de Regis in se injuriis questus perhibebatur, et vel secreto, ut ad pacem eum hortaretur, petiisse, aut iis tamen querimoniis, ut suas partes summus Pontifex interponeret, non nolle se satis ostendisse. In Poloniam frequentibus nuntiis afferebatur, quum Graecae sectae homines pedes Summi Pontificis pro more deosculari diu recusassent, tandem tamen id ut facerent, adductos Summus Pontifex Antonium Possevinum, qui una in Moscoviam cum illis iret, iis adjunxerat. Hic Moscis per Regias ditiones itinere intercluso, ideoque per Germaniam Lubecam, ut inde Narvam trajicerent, se recipientibus, de legatione sua per litteras certiorem Regem fecit, ac si voluntate ejus id sibi liceret, per Poloniam et Lithuaniam iturum se ostendit. Rex non modo illi permisit, sed ipsius quoque Mosci Legatis idem se permittere respondit. Hi tamen, ne quid praeter praescriptum Principis sui facerent, Lubecam se contulerunt, indeque eodem, quo venerant, itinere in Moscoviam ad Principem suum reversi fuerunt. Iisdem temporibus nuntius mortis Christophori Transsilvaniae Principis Regis fratris allatus, quum Regi ipsi non levem dolorem attulit, tum Moscum, qui avocato Rege rebus Transilvanicis sui interim colligendi spatium sibi datum iri cogitaret, ut pacem atque eas ipsas conditiones, quas paulo ante ab eo propositas fuisse ostendimus, iterum revocaret, maxime animavit. Verum Transsilvanicis rebus, ne a cura belli avocaretur, jam ante a Rege provisum erat. Cogitans enim ultra incertudinem rerum humanarum aetatem fratris provectam, ipsum continuis articulorum doloribus confectum, antequam Varsaviam ad comitia iret, auctor fratri ac Provincialibus fuerat, ut filium ejus Sigismundum in omnes casus Principem designarent. Quibus de rebus quum Legati Alexander Kenditus et Vladislaus Samborius Varsaviam ad Regem venissent, ex ejus auctoritate, domum postea illis reversis, communibus Ordinum studiis Sigismundus in Principem electus fuerat: tristibus laeta Christophoro Principi fortuna tem-

Digitized by Google

perante, interque duo funera uxoris unum, ac minoris natu filiae alterum, Principatum Sigismundi filii interjiciente. Maximam in pacis spem omnium jam prope animi venerant. Nam nec propter quadringentorum illorum millium conditionem, si Moscus eam non accepisset, communibus Ordinum bellum finiri volentium studiis defuturus Rex fuerat, nec Moscus, qui universam quasi Livoniam pacis cupiditate dimiserat, illorum quae exceperat, castrorum causa bellum accepturus existimabatur. Itaque inducias etiam ad certam diem, intra quam denuo Moscus responderet, Rex ei concesserat. Verum intellectum mox fuit, jam tum Legatos, quomodo a propositis conditionibus discederent, cogitare. Vincentius erat, de quo ante mentionem fecimus, in finibus Moscoviticis, qui ad Smolenscam pertinent, ductor Cosacorum. Hic cum transgressis fines Legatis sese adjunxisset, posteaque eodem itinere Vilnam cum illis profectus, familiarius inter eundum ad eos sese applicasset, solicitare hominem, ut ad Principem suum transfugeret, coeperunt. Ille constanter primo pernegarat; cum urgeretur, tandem Vilnae ad Magistratum rem detulit, ex ejus sententia simulat transitionem, quae quo gratior Principi eorum esset, nec sine pretio operae ad illum veniret, ut aliquas magni momenti litteras, quas ad eum deferret, sibi committerent, postulat. Illi polliciti, ut prius tamen aliquo argumento fidem ejus exploratam haberent, ut in una prius re conficienda operam suam sibi navet, rogant, tempusque quo profecturus Rex sit, quaque iter facturus, exploret. Re ad Magistratum delata, quo magis fides ei haberetur, iter Regis ex fide descriptum datum illi fuit: quo a perfuga quasi pignore fidei accepto, litteras ad Principem suum perferendas ei tradunt. In iis ut magno animo sit, eum hortantur. Nam et paucas omnino a Rege copias cogi: et quod mortuo fratre Transsilvanicae res praesentiam ejus desideraturae sint, maxime cum Turca iis imminere dicatur, minus huic bello eum vacaturum. Per idem vero tempus, et quod Vilnae Rex substitit, Plescoviam, quam hoc bello petitum iri sibi persuaserat, omnibus rebus Moscus firmat; muros vetustate neglectos magnis operibus reficit: novas ad priores munitiones adjicit, praesidia ex aliis arcibus omnibus detracta, unum hunc in locum cogit. Ab altera parte Pontus Gardianus Gallus, quem Sueciae Rex collocata ei in matrimonium filia naturali militiae praefectum fecerat, extrema quaedam Livoniae castella, quae ad Osiliam et maritimam Livoniam pertinent, occupat. Jam ab initio cum primum in Poloniam Rex venisset, Sueciae Rex per Oratorem suum vehementer Regem ad bellum contra Moscum hortatus, foederis ac societatis contra communem hostem mentionem intulerat. Miserat tum iis de rebus ad eum Rex Joannem Herbortum Castellanum Sanocensem, propositaeque eae ultro citroque conditiones fuerant, ut Revaliam quoque Regi traderet, utque quae eis Narvam flumen essent, Poloniae Regi cederent: quae ultra Narvam Sueciae finitima versus Oceanum glacialem communibus copiis occuparentur, ad Sueciae Regem pertinerent; cumque bellum interim differendum sibi Rex non judicaret, quo tempore Polotiam ibat, denuo Laurentium Goslicium Vilna ad Sueciae Regem miserat, per quem in armis jam se esse ei ostenderat, et ut ipse a suis quoque finibus in Moscoviam cum exercitu irruptionem faceret, cum hortatus, auxiliorum et belli communicandi rationes quasdam proposuerat: ac ostendente tum Rege Sueciae, nolle se sibi praescribi, quas in partes copias suas mitteret, omniaque occupantis fore. Goslicius quemadmodum jussus fuerat, Livonia tamen ut abstineret, postularat, cujus causa et et maxime bellum Rex suscepisset, et quam optimo jure pertinere ad se sciret, Regemque jus in Livonia Reipublicae et suum negligere non posse praedixerat. Nunc cum id accederet, ut Livoniam fere omnem per legatos Moscus ei detulisset, quo in statu res essent, cum Sueciae Regem, tum militiae praefectum ejus iterum per litteras certiorem Rex fecit, utque Livoniam non hostis, sed suam opinione jam praecipientes, omnino ab ea sibi temperarent, ac aliis potius in partibus, si ita eis videretur, bellum cum hoste administrarent, postulavit. Vilna tormentis ac instrumento militari omni Postavam praemisso, ipse Disnam profectus fuit. Ubi de exercitu hostili ad Smolenscam coacto, ejusque in Mohilovienscm et Sclovensem agrum incursione cognovit. Erant in hibernis eorum locorum aliquot equitum turmae; ex quibus cum Cristophori Radivili, et Martini Casanovii turmae, diversis locis in palantes incidissent, secundisque aliquot praeliis cum copiis iis conflixissent, non diu in nostro commoratae, mox intra suos fines se receperunt. Rex tamen nuntio hoc de incursionibus hostis allato, continuo Christophoro Radivilo, qui tum Disnae

Digitized by Google

una erat, ad eas, quas antea habebat, turmas equitum, alias Polonorum nonnullas, quae iis in locis ad Borysthenem in hiberuis erant, peditatusque ac levium tormentorum, quae navibus Vitepsciam praemitteret, certum numerum attribuit. Ei mandat, ut recta contra hostem tendat, dataque facultate praelium committat; si hostis jam recesserit, capte per Velisium medio inter Bialam et Toropeciam itinere, ab ea quoque parte metum hosti ostendat. Eodem tempore Joannem Thomam Drojovium praefectum Premisliensem ad Turcarum Imperatorem misit. Causae legationis hae erant, ut quia fato Christianitatis, sicut reliqua Hungaria, ita Transsilvania quoque stipendiaria Turcae facta esset, vereretur que Rex mortuo fratre Christophoro novi Principis imperium gravioribus conditionibus Turca premeret: postularet, ut quibus priores Principes legibus principatum eum tenuissent, iisdem huic quoque eum permitteret: nec si quid contra ea fieret, Regem patriae suisque deesse posse ostenderet. Praeterea vero ut de Janculae Valachiae Palatini injuriis, quas frequentes is Regiarum ditionum hominibus afferebat, quereretur: utque illo amoto Petrus prior Palatinus in pristinum dignitatis locum restitueretur, peteret, Regemque nec Janculae vicinitatem aequo animo ferre, nec suorum injurias, uti nec deberet, neglecturum profiteretur. Prius Legationis caput mox obtentum: alterum in aliud tempus dilatum fuit. Sub idem autem tempus in Tartaris quoque tumultuatum fuit. Deuletes Girejus, qui novissime apud Tartaros imperitarat, plures liberos reliquerat; successerat huic in imperio, qui nunc rerum apud illos potitur, Mahometes Girejus, qui quum praeter alios fratrem haberet aetate proximum Adleum Girejum magni et ipsum animi et apud populares virtutis opinione, interficere eum non ausus, quum alias instituto Turcico apud Tartaros etiam plerumque ejus, qui in principatu succedit, securitatis causa ceteri Principum liberi e medio tollantur: quo minus tamen cupiditati ejus loci relinqueret, Galgam creavat. Is summus militiae praefectus est, eaque auctoritate, ut et vivo Principe proximam secundum eum potestatem obtineat, et mortuo in imperio succedat. Adleo a Persis capto, ac interfecto, eadem ratione Halium Girejum alterum ab eo fratrem magistratu eo tradito, successionis spe sibi devinxerat. Verum confirmatus postea aetate filii Saditi, amoreque paterno impulsus, dejecto fratre, filium ejus in locum suffoccerat, veritusque ne injuria hac irritatus cum altero minore fratre Salomete Girejo contra se conspiraret: ad parricidii crudelitatem, quam ante seu metu, seu miseratione retentus intermiserat, redierat, priusque quam illi moliri quid contra se possent, interficere eos conatus fuerat. Hoc periculi metu profugere illi coacti, cum diu exagitati in finibus oberrarent, a Cosacis excepti, adque Michaelem Visnovecium praefectum Circassiensem adducti fuerunt, a quo certior de iis Rex factus, ut in suum reditum retinerentur, jussit. Ipse instrumento belli graviore primo per Disnam in Dunam, inde ulterius per Drissam flumen, navigatione, quemadmodum ostendimus, jam ante explorata navibus praemisso, Disnaeque parte aliqua exercitus recensita Polotiam venit. Ibi dum aliis copiis recensendis operam dat, Christophorus Derszecus, qui petentibus Legatis Moscoviticis, a Rege ad Moscum missus fuerat, cum litteris ab eo redit. Longe alio eae argumento, quam superiores fuissent, scriptae erant; quae ab initio acta essent, multa et longa oratione repetita invidiose omnia interpretabatur, quae per legatos ante Regi obtulerat, irrita rursum faciebat, maxime quod Nevelensibus conditionibus stare Rex noluisset, quod ut Sebieszum demoliretur, bellicique sumtus nomine pecuniam ab se flagitasset, exagitabat; quod non in eodem statu rem esse, quo Nevelae fuerat, ac interim in oppugnanda Zavolocia majores sumtus se fecisse Rex diceret, cujus coactu aut rogatu Zavolociam cepisset, interrogabat; potuisse eum supersedere labore hoc, non sua voluntate factum, ut eam occuparet: pecuniam vero quod flagitaret, scire eum, nolle se tributarium ejus esse: impensas autem belli imputare, aut earum nomine pecuniam postulare, inauditum inter Principes esse. Sebieszum se puero, dum Sigismundus Rex rerum in Polonia et Lithuania potiretur, conditum, ejusque perpetuo postea, etiam quum Polotiam in potestate Reges Poloniae haberent, in possessione se fuisse: praeterea ut maxime ille Sebieszum, Rex Drissam deleret: tamen cum visum esset, Drissam iterum Regem restauraturum: denique semper aliquid reperturum, quod novum a se postularet. Nobilitatis nuntios ad colloquium cum legatis adhibitos criminabatur: idque in invidiam suam factum ferebat. Indignabatur et Oratores nullos a Rege ad se mitti: itaque se quoque nec post quinquagesimum aut quadragesimum annum Oratores ullos missurum confirmabat. Multa



Digitized by Google

de Livonico jure suo aspergebat. In Regem autem ipsum acerbissime invehebatur, modo quod non Regio genere natus esset: modo crudelitatem in victos, adipis detracti argumento, de quo supra dictum est, usus: modo in eosdem indulgentiam, qua ad transitionem eos invitaret, tum quod globis candentibus inusitata ratione Socolam incendisset, fraudem ac dolos ei exprobrando. Rex litteris hisce acceptis, ostendit legatis, etsi jure gentium hostium loco habere eos posset, qui pacis petitione simulata, speculandi, circumveniendique sui causa ad se venissent: nolle se tamen ob eorum perfidiam a perpetua mansuetudine atque lenitate sua recedere, itaque ipsi ad suum Principem reverterentur, litteris ejus per suum hominem se responsurum. Proficiscitur cum his Antonius Possevinus, quem a Summo Pontifice ad Moscum missum supra demonstravimus. Ei praefectos, qui Velisii capti fuerant, Rex condonavit. Zavolociam inde, silvis ut in pacato non magna molestia superatis, pontibusque et latioribus viis jam ante jussu Regio Zavolociensium opera munitis, pervenit. Hic etsi omnium fere aliorum opinione Plescoviam sine ulla dubitatione hac expeditione eundum tanquam praejudicatum jam videbatur, quo rectius tamen in re praesenti omnia statuerentur, ad consilium de eo Rex retulit. Valuit plurimum apud omnes fere cum vetus persuasio, tum ipsa rerum gerendarum series, bellique suscepti ratio, quod ea urbe in potestatem redacta, Livoniam simul universam, quae tum unica belli causa erat, ei accessuram inter omnes conveniret. Rex tamen, ac pauci cum eo an non Magnam Novogardiam rectius iretur, dubitabant, cujus etiam nobilitatis motus aliqui contra Moscum audiebantur; sed periculi plena res videbatur, relinquere a tergo urbem amplissimam, in quam omnes quasi hostiles copiae convenissent, quae magnam et bene ad Novogardiam gesta re ad reliqua perficienda moram, et si non tam bello, quam tempestatibus, contagio, aliisve incommodis in hostico offensum esset, gravem recipientibus se metum allatura esset. Derpatum unus Vejerus eundum censebat, cum eadem ratione, quod praesidii ejus magna parte ad Plescoviae defensionem deducta, facilior expugnatio ejus futura videretur: tum quod per eam ipsam ad reliquam Livoniam universam, quae una bello eo petebatur, aditus futurus esset. Vicit plurium consensus, rerumque ipsarum continuus quasi ordo, qui primo Plescoviam objiciebat, eo ut iretur. Etsi enim per Lovatum flumen, quod a Lucis Novogardiam tendens, magna ex parte in nostra potestate erat, regressus exercitui dari videretur, quod tamen naves omnes subtractae ab hostibus essent, nec aliarum fabricandarum tam exiguo temporis spatio in provincia nova et dubia facultas data esset: flumen praeterea Lovatus non per omne anni tempus navigabile esset, hac quoque re non multum juvari posse exercitus videbatur. De castellis, quae a lateribus imminebant, diu Rex dubitabat, tentandane oppugnatio eorum sibi esset, priusquam Plescoviam iret, an in aliud tempus differenda. Ex iis Crasnohorodam, cujus oppugnationem Sigismundi Augusti exercitus frustra olim tentaverat, et alterum Veliam Moscus, quod teneri ea posse diffideret, tormentis prius apparatuque omni deportato, sub idem tempus ipse delevit. Reliqua erant Sebieszum, Opoca, Ostrova. Sebieszum etsi ad laevam Dunam versus a tergo relinquebatur, navigationemque fluminis infestam reddere posse videretur: tamen quod per silvas, locaque magna ex parte invia, ac difficilia, iter illac esset, praestare visum fuit, vel in aliud tempus eam differre: vel si pax interim coiret, aliam quandam munitionem ei opponere, quam nunc majorum rerum gerendarum tempus, silvis, viarumque difficultatibus superandis, ac ipsa tandem oppugnatione eximere. Opoca non ita viae imminere videbatur, ut non commode declinari posset: praeterea flumen Velica supra Opocam nondum ejus altitudinis erat, ut tormenta apparatusque bellicus demitti per eum possent: quam commoditatem vel maxime quidam spectabant, ac ut navigabile esset, Plescoviensi tamen oppugnationi mora ulla minime interponenda videbatur. Accedebat huc, quod ex propinquis praesidiis Zavolociensi et Voroneciensi facile excursiones ejus prohiberi posse existimabantur. Interim opportune accidit, ut sub idem tempus Cosaci Crasnohorodam a Mosco desertam subitario opere communirent, quo praedis ex hostico agendis sedem in ea collocarent. Mittit eo Rex mox copias nonnullas cum levioribus tormentis aliquot, locumque militaribus corbibus dispositis diligentius communiri, Sebieszenseque et Opocense praesidia distineri inde jubet. Itaque Crasnohoroda, Zavolocia, et Voronecia occupatis, e quibus non difficulter Sebieszenses et Opocenses contineri posse viderentur, illis omissis, Ostrovia sola, quae in ipsam viam Plescoviensem incurreret, relinque-

Digitized by Google

batur. Ad Christophorum Radivilum, quem contra hostis ad Borysthenem excursiones missum supra ostendimus, sub idem tempus Philonem Cmitam etiam, ac Lithuanicos Tartaros a Vitoldo quondam Duce agris in Lithuania donatos, Michaele Haraburda illis Praefecto se conjungere, hostemque ancipiti metu distinere mutuisque populationibes priores excursiones ejus ulcisci jubet; litterasque ea de re ad Radivilum dat. Priusquam Zavolocia Rex moveret, tabellarium cum litteris ad Moscum mittit; iis etsi nec illius criminationes quidquam de dignitate sua detrahere posse statueret: et armatum hosti maledicere infra animi sui magnitudinem judicaret: ne tamen ille e silentio Regis, more suo majores sibi spiritus sumeret, ad priores ejus respondet. Quae acta ante id in invidiam a Mosco vocabantur, ut quaeque gesta sint, ostendit: conditionibus Nevelensibus cur stare non potuerit, demonstrat: nihil per injuriam, aut praeter morem aliorum Principum Christianorum ab illo se postulasse docet: ut Zavolociam oppugnaret, nullius precibus adductum se respondet; sed id ut faceret, pertinatia et injuriis ejus se coactum: quae nec se quiescere, donec armis jus suum consequatur, patiantur: nec ipsum nisi armorum metu admoto animum ad aequitatem advertere. Quantum in se fuerit, se fecisse, ut per Oratores ejus aliquoties testificatus ei sit, quo diutius causam duceret, quoque ad majores impensas tergiversatione sua se provocaret, eo graviores postea conditiones se ei ferre necesse habiturum. Sumtus in bellum factos, et aliorum Principum Christianorum more ac exemplo se repetiisse: et nihil aequitati convenientius esse, quam ut a quo injuria profecta fuerit, ab eodem omnis injuriae causa praestetur: quod quoniam illi grave videretur, sciret posthac non de Livonia, aut belli ejus sumtibus, sed summa rerum se dimicaturum. Quod Sebieszum puero se conditum diceret, qua maxime ratione jus suum ostendere se confideret, ea malam fidem ejus maxime detegi. Nam cum Regia Polotiensis ditio ad Dunam flumen semper pertinuerit, intraque eam nuper Sebieszum excitatum fuerit, satis argumenti esse in alieno injuste aedificatum fuisse. An autem ad priores conditiones, novas subinde Rex adjecturus fuerit, si prius iis conditionibus, quas Rex tulisset, assentiendo periclitatus fuisset, tum certi aliquid asseverare eum potuisse. Nuntios Nobilitatis ex ipsius utilitate ad colloquium cum Legatis ejus adhibitos fuisse, quo quae convenissent, majorem firmitudinem haberent. Quod Oratores ad eum non mitteret, non esse, quod se accusaret: neque non legem ullam de mittendis Oratoribus cuiquam perlatam, praeter quam vel usus, vel voluntas cujusque unicuique imponeret: omninoque judicii potius quam necessitatis rem esse. Quod facturum se negaret, ut nec ipse post quadragesimum annum ullos ad se Oratores mitteret, facile ei credi: magnam hanc bono etiam viro ne dum Tyranno vivendi usuram esse: non missurum igitur post quinquagesimum aut quadragesimum annum: at missurum fortassis citius: Regem quidem nihil hac in re temere sibi praescripturum. Docet et de Livonico jure. Ad convitia ejus respondet, neque se eum esse, qui contumeliam ullam accipere possit: nec in Moscum, cujus turpitudo et crudelitas omnibus nota sint, recte hanc alios insectandi personam convenire. Regem se non tam moleste ferre non natum esse, quam gaudere, quod virtute sua ad Regnum pervenerit: quod ea ratione ad honorem hunc evocatus sit, qua Summus Pontifex a Cardinalibus, Imperator qui Principem inter Christianos Principes dignitatem obtinet, ab Electoribus Germaniae: qua multi alii Reges ac Principes omnibus temporibus a sui quisque Regni Ordinibus. Interim praeclarum sibi ducere privato loco, nobilibus majoribus ortum, qui rebus Christianis egregiam saepe operam navarint, amplissimos honores gesserint, provincias administrarint, magnaque virtutis et pietatis laude floruerint, cum majores sui Reges non fuerint, virtute tamen sua Regnum se adeptum esse: cum illum, nisi ita, ut esset, natus fuisset: mores ejus quemvis potius alium quam Principem facturi fuissent: minimeque illi invidere, quod non plurimorum de eo hominum judicium, aut spectata virtus ejus potius, quam mulieris Glinscii Sigismundi quondam Regis proditoris filiae uterus, Moscoviae dominum imposuisset. Crudelitatem in detrahendo e nonnullorum cadaveribus adipe primum non a se profectam: deinde nihil in eo contra pietatis officium hominumque Christianorum morem, qui ut vivis tanto rectius consulerent, ex medicorum disciplina, vel in minutissimas partes mortuos dissecarent, admissum: ridiculam autem misericordiam esse ipsius, qui cum in vivos omnia cruciatus exempla edat, mortuorum cura se affici prae se ferat. Ejusdem generis esse, quod clementiam et lenitatem erga victos suam criminaretur. Non satis enim



Digitized by Google

sibi constare, qui modo crudelem, modo nimis lenem quereretur: indignareturque, quod non omnes, quos in praesidiis expugnatis Rex coepisset, excruciatos interfecisset. Quod Sokolam inusitata ratione flammis a se deletam vitio sibi verteret, in eo non tam fraudem aliquam illum arguere Regis, quam detegere propriam inscitiam suam: quae ut omnibus in rebus maxima esset, ita militaris rei multa praeclara juventa adhuc eum fugere. Respondet et aliis de rebus quam copiosissime: quae omnia accuratius hic commemorare, praeterquam quod epistola ipsa in manus hominum pervenit, non etiam nostri instituti est. Sub finem epistolae ad singulare certamen eum provocat: eamque Russice et Latine scriptam ei transmittit, neve nimis sibi placeret, quaeque aliorum de se hominum judicia essent, cognosceret, libros de immanitate ejus passim per Germaniam editos una ei mittit. Zavolocia Voroneciam Rex progressus, militarem disciplinam prioribus legibus partim emendatis, partim auctis accuratius eo loco sanxit: legesque de ea scriptas primum Senatoribus, deinde militi, Praefectis omnibus disserendi de iis facultate permissa publice proposuit. Quibus ab omnibus probatis Praefecti militares, ut Ducem exercitus crearet, eumque magistratum, qui solennis apud majores in Republica fuisset, restitueret, flagitarunt. Rex quod partito in plures imperio militari, superiori anno nec satis disciplinam castrensem observatam, se rebus vel minutissimis quibusque fatigatum, aliaque incommoda nonulla exstitisse ex eo meminisset, vocato privatim ad se Zamoscio, cujus utilem operam superioribus expeditionibus, multis maximisque rebus spectatam habebat, eum se magistratum hunc creaturum ostendebat. Zamoscius magnitudinem ejus, atque onus demonstrando, seque ab omnibus rebus, maxime autem muneris hujus exspectatione imparatum accessisse ostendendo, primo ut alii potius id traderet, aut ne sibi saltem tantum oneris imponeret, petere, postea vehementius etiam deprecari coepit: ubi nihil Rex remitteret, optemperaturum se tandem Deo, et illi seu ad gloriam seu periculum se vocanti recepit. Privatim cum Zamoscio re communicata, idem publice deinde facit, consilioque convocato, quid suae sit sententiae declarat. Re ab omnibus probata, per Andream Zborovium palatii Marschalcum, qua qui superioribus temporibus imperio militari praefuissent, nominatim vero Joannes Tarnovius maxima potestate fuissent, generalem exercitus Ducem perpetuum Zomoscium creat. Hic quemadmodum antea fecerat, ita tum in publico quoque praeter oneris ejus magnitudinem, quod per se gravissimum, maxima etiam cum invidia conjunctum esset, non eo etiam apparatu instructum se venisse ostendebat: ut tantum munus sustinere posset, qui scriptis iis, quas Rex jussisset, copiis, eo animo profectus domo esset, ut quemadmodum superioribus expeditionibus fecisset, partem saltem aliquam belli susciperet: cui summa rerum administranda esset, oportuisse eum prius omnium ad summam belli pertinentium *rerum* cogitationem suscepisse: omnia explorata, cognita, parata ante domo attulisse: ipsum inspexisse; legatos, ministrosque jam ante domi delegisse: quos etsi haberet, non haberet tamen plures, quam qui copiis tantum, quas ipse scripsisset, ducendis administrandisque suppeterent. Tandem quemadmodum antea privatim, ita tum publice magistratum accepit. Constitutis rebus iis, exercitum universum *recensere* Rex instituit. Prae ceteris, longe ornatissimae in lustratione hac Polonorum equitum turmae comparebant; cum longe plures ex amplissimis quibusque familiis, quam ulla alia superiorum expeditionum ad bellum hoc convenissent; inter alios Zamoscius ad priores copias suas, quas superiori aestate a se conductas, hieme in Samogitia contra hostiles in Livoniam irruptiones mandato Regis collocarat, aliquot ornatissimorum equitum millia adjecerat; *omnes hi ad* Ducis exemplum ut superiori anno atrato habitu usi fuerant, ita tum caeruleum sumserant. Par his suo genere peditatus erat: Vrovecianus praesertim ex sola Nobilitate scriptus. Nec multum de proximi anni studiis et apparatu Lithuani quoque remiserant. Itineris ratione a Rege cum Zamoscio constituta, a dextra Lithuani iverunt: iis aulicus miles, qui ad Gedanum fuerat, perque absentiam Joannis Zborovii a Christophoro Niscicio regebatur, attributus erat; partem copiarum aliarum cum Stanislao Tarnovio clarissimae familiae, Senatoriique Ordinis viro, quae locum castris deligerent, Ostroviam versus Zamoscius praemisit; cum eodem Vejerum et Vrovecium ire jussit. Tarnovius, quemadmodum jussus erat, castrum praetervectus in Plescoviensi via, qua praesidia in castrum ventura, nunciique exituri exspectabantur, consedit, quaeque ad oppugnationem pertinebant administrare coepit. Interim Zamoscius advenit, castraque ab inferiori parte

Digitized by Google

ad Velicam flumen ponit; biduo post Rex ipse consecutus fuit. Sita Ostrovia est in insula Velicae fluminis, quodque nullus a terra aditus habeat, inde nomen id, quod insulam Slavica lingua significat, accepit. Muros ex lapide satis firmos: propugnacula item complura habet: unum praecipue in septentrionali castri angulo, a qua eadem parte porta atque aditus in castrum est insignis magnitudinis, adque nostrae aetatis propugnaculorum formam diligenter, dimensum, eo positu, ut duo castri latera, unumquod ad Septentrionem, alterum quod ad Orientem spectat, defendat. Cum de oppugnatione cum Zamoscio Rex diliberaret, animadvertit, Occidentale castri latus, ita modico flexu lunatum, ut nulli recta linea secundum id latus tormentorum ictus dirigi possent, atque ita nihil fere ab ea parte a tormentis periculi militi metuendum videretur. Itaque duo propugnacula altera, quae in meridiem conversa erant, tormentis verberare instituit: quod iis a defensoribus nudatis, Occidentali parte jam ante, ut ostensum est, innoxia, sine periculo ad oppugnationem iturus miles videretur. Hungaris orientalis anguli propugnaculum, Polonis Occidentale attribuitur: perfectisque biduo munitionibus, et tormentis intra eas constitutis, ex utrisque muri quati coepti fuerunt. Ab Hungaris propugnaculo, quod oppugnabant, inde proximo muro continuis tormentorum ictibus verberato, ruinis quibusdam, quae tamen praecipitem aditum in castrum praeberent, patefactus ab iis murus fuit. Poloni, curante apud eos tormenta Vejero, in fundamenta propugnaculi, et inferiores fornices tormenta converterant; cum quod ab inferiori parte facilior in arcem aditus futurus videretur: tum ne superiore turris parte a se occupata, quod facere destinaverat, ut per fenestras ejus scloppetis inde rem gererent, exque interiore castri parte hostem propellerent, pulvere fundamentis subjecto circumveniri ab hoste possent. Hungari per ruinas, quibus ab eorum munitionibus murus apertus erat, irrumpere mox conabantur. Represso impetu illorum a Zamoscio, qui militem, quo ad majores res integrior accederet, sine causa vulnerari nolebat, cum rursum ab utrisque munitionibus summa vi tormenta contra muros displouderentur, magisque murus ruinis aperiretur, hostes eodem die deditionem fecerunt. Jam nox appetebat: itaque cum praesidiis adjunctis ulterius deduci non possent, atque interim separatum in locum e castro traducerentur, plebs rusticana Lucensis caedis memoria perculsa, subito magna voce ultro in verba Regis se adigit; quo clamore aliquoties repetito, cum vim illis adferri Zamoscius ratus accurrisset: narrabant juratos se Regi, fidosque posthac fore: eoque clamorem tam altum sustulisse, quo vel ab ipsis Moscis exaudirentur. Ceteri, in iisque Naszcokinus praesidii Praefectus, ejus, quem Legatione ad Regem functum, postcaque captum supra ostendimus, propinquus, dimissi fuerunt. Rex antecursoribus praemissis Plescoviam mox ipse progressus fuit. In primo agmine Balthasar Andreae fratris Regis filius cum Hungaricis, Palatinus Braslaviensis cum Polonicis aliquot copiis incedebant. Hi ubi ad Cerecam flumen, quod ab Oriente in Velicam influit, venerunt, ex Hungaris quidam flumen transgressi in tres partes copias suas distribuerunt. Prima ex iis recta Plescoviam contendit: duae reliquae diversis locis in insidiis consederunt. Ex iis primi cum hostium excubiis congressi, mox pedem referre coeperunt: hostes quod erat, insidias veriti, recedentes tamen secuti, postquam secundi ex insidiis consurrexissent, nihil amplius veriti, quod numero utrosque superarent, effuseque insecuti ad tertios protracti fuerunt: a quibus reliqui in fugam conjecti: tres Bojarici generis capti, ac in castra adducti fuerunt; ex quibus, quantum in urbe virium esset, quid praesidii animique hostes haberent, cognitum fuit. Simili eventu Sigismundus Rosnius, qui cum veteranorum Polonorum copiis, quas Lithuanis adjunctas supra ostendimus, missus fuerat, ac deinde Germani aliquot equites, inter quos Rederus Silesius voluntarius erat, excursione ad urbem facta, captivos aliquos adduxerunt. Zamoscius ipse primum Cereca flumine, inde Plescovia amne transito, situs cognoscendi causa urbem circumvectus fuit; accidit hic, ut cum Vrovecio uno assumto, aliisque subsequi se jussis, quo accuratius situm urbis e propinquiori loco cognosceret, sub ipsos quasi muros contra portam quandam successisset, conspicati cum hostes, alam equitum contra cum emitterent; eaque cum intra teli jactum ad eum accessisset, Zamosciusque etsi periculum videret, non tamen se commoveret, illa etiam insidias veretur, justum temporis spatium ex adverso neutris se commoventibus constiterunt. Interim qui tardarant accurrentes, impetu in hostes facto, in urbem eos rejecerunt. Rex ubi propius ad urbem accessisset, cognoscendi loci causa ipse quoque cum Zamoscio eam cir-

Digitized by Google

cumiit. Civitatis Plescoviensis in annalibus Plescoviensibus, qui in Polotiensi Bibliotheca inter alios reperti, in manus nostras pervenerunt, circa annum ab orbe condito 6412, antiquissima mentio est, quo Thorium filium Rurici Principis Russiae Olgam ex civitate ea in matrimonium accepisse, ex qua Sventoslaus filius natus ei sit, memorant. Inde varia cum vicinis gentibus bella ei intercessisse narrantur: maxime tamen Icolos populos, quorum ab eo tempore cum imperio nomen quoque interiisse videtur, foedere cum Novogardiensibus inito debellasse: cum Sudetibus, qui ea quondam loca tenuerunt, in quibus Derpatum nunc est, et cum Germanis Livoniensibus frequentibus praeliis contenderunt: cum vel a suis finibus eos prohiberent, vel intra eorum fines bellum gererent. A Germanis capta etiam urbs circa annum 6750, traditur. Ab Alexandro autem filio Jaroslai ex stirpe Monomachi haud multo post in libertatem rursum vindicata; qui profectus a Batti Principe Tartarorum, auxiliisque Tartaricis adjutus cum praelio Livonienses superasset, ex pacto deinde urbem recepit: continentia tamen deinceps quoque bella cum iisdem civitati fuerunt. Illud satis apparet, eam et opibus plurimum olim valuisse, et priusquam a patre hujus Basilio in servitutem redigeretur, non modo propriis legibus Magistratibusque usam, sed quod eo in loco magis fortassis mirandum fuerit, egregie etiam iis temperatam fuisse; cum primis *Posadniki*, quod si verbum verbo interpreteris, assessores significat: ex quibus Senatus constitutus fuerit, numerantur: in graviorum rerum deliberationibus, Legationibus audiendis, dimittendisque: foederibus sanciendis: eligendis Principibus: pace denique ac bello suscipiendo: legibus ferendis, populi summa auctoritas erat; qui in comitiis, *Viecis* ab iis dictis, quae ad omnes pertinerent, universus jubebat: Secundum Posadnicos Nobilitas erat honore iis proxima: tum vero diversarum societatum mercatorum, quorum et magnam multitudinem eo in loco fuisse, eorumque commerciis maxime civitatem crevisse apparet: Praefecti, qui Magistratus etiam jus ac auctoritatem habuerunt. Ditionem possederunt amplissimam: ad eamque cum Magni Luci, et Isborscum, tum quicquid intra eas est, pertinebat. Provincias hasce per Legatos Palatinos ab ipsis dictos regebant. His omnibus Magistratibus finita cum potestate Princeps praerat. Eum seu ad vitandas factiones domesticas, seu quod externo Regnum occupare volenti, facilius restituros se existimarent, modo a Russiae, modo a Lithuaniae Magnis Ducibus certis conditionibus, ac ut secundum leges suas jus sibi dicerent, petebant. A Lithuanis Dummunthum, Timotheum nimirum, postquam Christianus factus esset, appellatum circa annum 6774, ac postea filium ejus Davidem accepisse memorantur: posterioribus etiam temporibus ab Olgerdo filium ejus, qui sacris Christianorum initiari voluerit, Andreasque dictus sit; quosdam praeter leges sibi imperantes ipsi removebant. Tandem cum Russiae Magnis Ducibus convenerunt, ut certis deinceps legibus eorum Majestatem colerent, Principesque nonnisi ab illis, qui tamen secundum patrias leges civitati imperarent, quique nominatim a civitate petiti essent, acciperent. A Basilii caeci filio Joanne, primum Basilius Szujscius Legatus, deinde Basilius filius Plescoviensibus et Novogardiensibus conjunctim *Princeps* datus fuerat. Etenim sub idem tempus Novogardienses subjugarat, Plescoviensium auxiliis adjutus: quae illi partim ex foedere, de quo dictum est, partim aemulatione Novogardiensium miserant; cum paulo ante a Livoniensibus bello petiti, a Novogardiensibus spreti atque destituti, ab Joanne adjuti fuissent. Atque in eo quidem statu ad annum 6018, civitas permansit; quo a Basilio Joannis filio, ejus qui nunc rerum potitur, patre *libertate* spoliata fuit. Imposuerat eis Principem Basilius Joannem Michaelis filium Repcam, quem Najdenum postea appellarunt: ut qui non petitus, sed ultro quodammodo obtrusus eis esset. Contra hunc cum Novogardiae forte Basilius esset, misit ad eum civitas Legatos, qui querelas quasdam ad eum deferrent. Cum vero et Joannes Novogardiam ad Basilium accessisset, ipsius hortatu majorem Senatorum partem, quo praesentibus iis controversias eorum minueret, evocat: in vincula deinde omnes conjicit: Plescoviensibus denunciat, ut Consilium omne abrogent: Campanum insignis magnitudinis, qua ad Comitia obeunda Ordines convocabantur, ad se mittant: eaque ut *facturos* sciat, alios plures ex omnium Ordinum *hominibus* obsides sibi dent. Plescovienses partim amore suorum inducti, partim iis rebus praesenti periculo defuncturos se existimantes imperata faciunt: Obsides complures alios ad eum mittunt. Quibus acceptis Plescoviam

Digitized by Google

ipse Dux die mensis Januarii vicesimo quarto Oximae sacro venit, cui in memoriam rei bene gestae templum deinde ibi consecravit: primoque in aedem Salvatoris, inde Trinitatis, in cujus tutelam nominatim civitas se tradiderat, descendens, Vassiani Episcopi Columnensis, qui eo cum illo venerat, captamque tum urbem pronuntiabat, oratione confirmatus, urbem diripit: Senatum omnem, magnamque Nobilitatis partem in vincula conjicit: novisque coloniis immissis in Moscoviam secum abducit: ut non pauci tum essent e Nobilitate, qui ne patria moverentur: religioni ac societati alicui religiosorum fratrum se manciparent. Ab eo vero tempore in durissima servitute civitas permansit. Urbs in longitudinem porrecta, qua ac Occidentem spectat angustior, a meridie Velica flumine alluitur: qui eo loco non modo nomine, sed tot aliis fluminibus receptis, re ipsa magnus, quinque infra eum passuum millibus in Pelbam lacum influit: a septentrione Plescoviam amnem habet, qui non magno a Novogardia intervallo ortus, urbem cui nomen dat mediam secans, in Velicam illabitur. Ipsa in tres partes dividitur, quae singulae, diversis interjectis muris inter se separantur; alteram, quae occidentem spectat Zapscovam, tanquam ultra Plescovianam appellant: tertia et media inter has arx est, quae et ipsa in tres partes dividitur: exteriorem, quae ad meridiem atque flumen Velicam pertinet Cresemnoviam: alteram Domantovam: tertiam mediam dictam, non ad arcem, sed ad urbem ipsam, cujus quasi umbilicum tenet, appellatione relata. Septentrionale latus omnium longissimum ad octo millia passuum in longitudinem, muro omni ex lapide facto protenditur. Ad eum Moscus Polotia Lucisque captis, alium ab interiori parte terra inter binos trabum ordines, quibus ea contineretur, latissima interjecta, adjecerat. Propugnacula ab omnibus partibus ex eodem lapidis genere firmissima habet. Cumque veteris operis propugnacula non satis aequalia inter se essent, indeque fieret, quominus directis ex uno versus alterum tormentorum ictibus mutuo se protegerent, ex angulis eorum parietibus novis projectis, iisdemque altissimo cespite vestitis, fenestrisque per eas dispositis, ut pari inter se spatio prominerent, effecerat: ad eadem vero propugnacula, quod partim angustiora, partim infirmiora viderentur, quam ut maxima tormenta, eorumque vim, cum disploderentur, continere possent: turres alias itidem ligneas ex firmissimis trabibus magno itidem opere factas opportunis locis ab interiori parte interjecerat, magnaque majorum tormentorum vi compleverat. Loci facies ab omnibus partibus amoenissima est, cum duorum fluviorum confluxu, et qua patentibus campis, qua crebris collibus leniter assurgentibus, iisdemque frequenti junipero vestitis: quae a Voronecia usque non secus ac si magna industria consita esset, huc excurrens, hortorum speciem loco circumdat: tum maxime monasteriorum vicinorum frequentia, quae ultra quadraginta ex lapide omnia elegantissime exstructa, passim per vicinum agrum constituta sunt. Celeberrimum ex iis Sviatohorense est, cum religione, a qua sanctum montem locum eum appellant, tum loci munitione. In rupe enim durissima tribus circiter a Plescovia passuum millibus situm, firmissima praeterea turri, moenibusque castelli in modum munitum est. Moscus cum, quemadmodum ante ostensum est, Lucis captis ad Plescoviam moturum Regem minime dubitandum sibi judicaret, omnibus rebus, quae ad sustinendam obsessionem pertinerent, diligentissime eam instruxerat, magnaque copia omnia comportari jusserat. Cujus rei ultra ea, quae antiquitus ad defensionem urbis comparata erant, hoc loco eo majorem facultatem habet, quod in eum locum per Narvam amnem e Germania aliisque occidentalibus regionibus bellicum apparatum convenire necesse est. Itaque tantus omnium rerum ad bellum pertinentium apparatus in urbe erat, ut superiori anno Moscus nec illi loco satis fidens majorum tormentorum partem aliquam in ulteriorem Moscoviam deportare instituerat; quae cum gravitate sua tardius promoverentur, Ilmeno lacu non procul a Magna Novogardia ea obruit. Praecerat arci Basilius, et fratris ejus Petri ad Ulam flumen a Nicolao Radivilo sub Sigismundo Augusto caesi filius Joannes Szujscii, e Susdaliensium Ducum familia oriundi. Andreas Choroscinus, et Plescejovus; quorum Joannes consilio, Choroscinus corporis ac animi robore magnam apud Moscum auctoritatem habebant: indeque etsi aetate Basilius Joannem antecederet, summam tamen rerum omnium huic commiserat. Equitum in urbe ultra septem millia: peditum cum iis, qui ex oppidanis militares operas inter milites obibant ad quinquaginta millia fuisse constat: urbanae multitudinis totidem. Inter peditatus ductores Cosetscius cum animi magni

Digitized by Google

tudine, tum procera corporis statura Duci gratissimus, auctoritatis ac virtutis praecipuam fere opinionem habebat. Cosaki Nicolao Duce in Regia ditione Czercassi nato, sed qui diu Mosco operam navarat, hoc consilio aliquot eo venerant: ut ex instituto militiae suae per agros palantibus excipiendis, praedisque agendis insidias ponerent. Ad id enim militiae genus usu assuefacti, nullis armorum vix contra coeli injurias vestium indumentis, tecti acinace et hastili uno, plerique tamen etiam sclopetis rem gerentes, ad singulos circumsistendos, opprimendosque: itinera, loca, res hostiles explorandas: flumina cymbis ac trabibus trananda: densissimas silvas, ac invia quaeque penetranda cum levitate armorum, sitis, famis, ac laborum tolerantia tum usu atque exercitatione plurimum valent: ceterisque fere omnibus praestant; verum eos Szujscius convivio in urbem acceptos intra moenia retinuerat. Rex rebus iis cognitis, munitionibusque urbis perspectis, facile intellexit, non sine ratione ab initio jam plerisque eo potissimum eundum contendentibus, assensum se non fuisse, longeque minora, quam praesens ipse cognosceret, de statu urbis atque munitionibus sibi renunciata fuisse: se nec a peditatu, quem si summa vi urbem oppugnare vellet, triplo majorem adducendum sibi fuisse intelligebat: nec a pulvere tormentario ad oppugnandam urbem satis instructum accessisse videbat. Qui enim Susae depositus fuerat, negligentius igni ab iis, qui in praesidio erant, habito, conflagrarat: alterius autem ut praecepta jam opinione pacis nec ab initio satis magnam copiam Quaestores pararant: accedenteque insigni subvectionum difficultate, qua a flumine relinquebantur, vix eum ipsum, quem paratum habebant, advehere potuerant. Itaque varia animo agitanti praestare aliquando videbatur, si Plescovia relicta, vel Magnam Novogardiam recta contenderet, quam nonnulli minus munitam putabant: vel ad vicina castella Porcovam et Udovam se converteret: iisque in potestatem redactis, obsidione ex iis urbem premeret; quorum illud inter Novogardiam et Plescoviam situm magnam ad intercludendam a subsidiis et commeatu Plescoviam facultatem habere putabatur: hoc Ivanogrodensi arci, quae portum Narvensem efficit, imminebat: priori consilio cum eae, quae ante demonstratae sunt, rationes, et a Plescovia metus, tum ipsius Novogardiensis urbis fama, quam et ipsam non exiguas ad resistendum vires habituram constabat, itineris denique longinquitas, praecipitante jam aestate, ac tempestatum exspectatio locum non relinquebant. Alteram obsidionis rationem, ac viciniorum castellorum oppugnationem, praeterquam quod indignam susceptae expeditionis fama futuram putaret, hosti etiam animos additurum judicabat. Itaque cum animi magnitudine, ac virtute militis, qua pleraque alia consecutus esset, eas quoque difficultates superare se posse non desperaret, de loco castris capiendo dispicere coepit. Constituerat ab initio a Novogardiensi via, qua Plescovia fluvius in urbem, inde infra eam in Velicam illabitur, quod ad excludenda ab urbe subsidia, subvectionesque arcendas cum primis opportunum videbatur, castra facere; sed id ut dimitteret consilium, longitudo lateris ejus, quod quemadmodum ostensum est, ad octo millia passuum patet, latissimique ab ea parte ac patentes circum circa campi faciebant. In quibus cum subsidia equitum nulla tuto collocari posse viderentur, nec vero propter continuas hostilium tormentorum ejaculationes propius castra admoveri: verebatur ne peditatus, qui in opere ac munitionibus futurus esset, si nullum illi e propinquo ab equitatu subsidium ferri posset, in tanta equitatus ac peditatus hostilis tot locis simul erumpentis multitudine, maxime si ancipiti praelio subsidiis, a Novogardia missis, et eruptione ex urbe facta pugnandum ei foret, undique circumveniretur. Ostendebat Zamoscius, qui ut nihilominus in sententia permaneret, Regem hortabatur, circa flumen Plescoviam sinus nonnullos sibi videri, in quibus justae equitum copiae sub tentoriis collocari possent: quae in tempore deinde contra excursiones hostium auxilium nostris ferrent: hac ratione castris eo loco quam latissime Novogardiam versus explicatis, ab omni subsidio et commeatu, sine frequentibus excubiis, quibus si ab altera parte castra ponerentur, continuis defatigari militem necesse esset, multo commodius obsessos, intercludi posse: accedere, quod ab ea parte solum pene esset molle: ab aliis fere omnibus rupes durissimae id exciperent: quae et opus moraturae, cuniculos aut omnino exclusurae essent. Rex tamen quod priorem salutis, quam victoriae rationem habendam judicaret, ab orientali latere oppugnare urbem statuit; quo in loco et peditatus, qui in opere futurus esset, a sinistra Velica flumine defenderetur: et castra proxime

Digitized by Google

munitiones hostium promoveri possent; quod ab ea parte frequentes colles exsurgentes ab hostilium tormentorum ictibus frontem tutaturi essent: angulis praeterea, in quem ab ea parte urbs muris coibat, ipse etiam majorem rei bene gerendae facultatem dare videretur. Itaque transgressus flumen Cerecam, castrisque tum ibi metatis, iisdem Lithuanicas copias, et veteranum Polonum equitem, quos a dextra ire jussos diximus, recepit. Eodem Farensbekius Germanicum peditem, cum quo sub id tempus venerat, adduxit; in quibus etsi erant aliquot, qui in Belgio stipendia fecerant, propter tamen et temporis brevitatem, et quod Lubecenses minus comes in concedendo delectu se praestiterant, plerique ex vicinioribus etiam Germaniae locis, iique tirones, raptim scripti erant. Iisdem temporibus Bartholomaeus Budlerus a Duce Curlandiae cum aliquo militum numero, qui superioribus expeditionibus cum aliis in locis bellum Rex administraret, ad Livoniae fines in stationibus contra hostes fuerant, in castra venit. Voluntarii praeterea aliquot, cum ex Prussia, inter quos in primis Fabianus Donanus: tum praeter Rederum, de quo supra dictum est, alii etiam ex externa juventute, nonnulli fama expeditionis hujus exciti. Rex cum universo exercitu flumen transgressus, sub eos, de quibus dictum est, colles, castra posuit. Hungari a sinistra ad Velicam flumen, Lithuani a superiore parte ad Porcoviensem viam consederunt: medio inter hos spatio Poloni triplici carrorum ordine circumjecto, ea de qua ante ostensum est, ratione, ab utraque rivi illac labentis parte castra communiverunt; qui inter hos et Lithuanos tanquam angulus relinquebatur, Germanis attributus fuit. Venit sub idem tempus in castra a Turcarum Imperatore Legatus, gravis aetate homo. Hic Tartaros, quos supra profugisse ostendimus, ex foedere, quo utrimque perfugae reddi juberentur, repetebat. Ostensum fuit, quia nondum Rex eos vidisset, nec quid dicerent, audivisset, ubi in Poloniam rediisset, causa cognita Principi ejus responsurum. Etsi minor peditatus erat, quam pro amplitudine susceptae oppugnationis requirebatur: erat tamen et numero, et genere ipso militum ac armorum non contemnendus: equitatus autem, quemadmodum supra ostensum est, ornatior fere, ac instructior, quam in ulla antehac expeditione fuisset. Itaque per frequentissimam castrorum partem barbarus ductus, castrorum magnitudinem, equitum, quos obvios habebat, ornatum, equorumque praestantiam, ac universi exercitus speciem admiratus, faceret Deus, inquit, ut isti Principes, Regem ac suum Principem designans, conjuncti inter se animis essent: ne orbis quidem terrarum consensui eorum resisteret. Interim Hungarum militem propius urbem, ut locum munitionibus dirigendis caperet, progressum hostes conspicati, eruptionem mox in eum fecerunt; sed fortissime ab Hungaris ad portas usque eos insequentibus, nonnullis utrinque desideratis, in urbem rejecti fuerunt. Munitiones mox Hungari ab ea parte, qua castra habebant, contra Pocroviensem, quam appellabant, turrim, penes Velicam flumen: Poloni non longo ab his intervallo contra Sviniensem turrim agere instituunt: prius militaribus corbibus locis aliquot justo intervallo communitis, equitumque ac peditum stationibus in iis collocatis: quae militi in munitionibus occupato contra eruptiones hostium, si quas forte facerent, propinquo e loco subsidium ferrent. Magno labore eo loco propter soli duritiem, quod intra cubiti altitudinem in rupem desinebat, fossae ducebantur. Nihil tamen ea res Hungari militis impetum morabatur: qui ingentibus saxis securibus excisis, indefesso studio opus perfecit: non tam multorum jactura, quam insigni unius Petri Kendii juvenis claro in Hungaria loco nati: qui cum noctu more suo vigilias Moscis citantibus ad fremitum eorum procurrisset, e majori tormento trajectus interiit. Ceterum Hungari, quia ab ipso flumine nullo ambitu capto breviori spatio recta versus urbem munitiones suas dirigebant, perfectis jam fossis adversam turrim quatere coeperant: exiguoque tempore propugnaculo convulso proximi muri partem aliquam straverant. Polonis magno impedimento erat, quod ab eo, de quo dictum est, loco, longiore intervallo munitiones versus urbem institutae illis erant: latera quae Hungaris ab una parte Velica flumen, ab altera Polonorum munitiones tuta praestabant, ne circumvenirentur, vineis et subsidiis contra hostium impressiones munienda: inde perfectis tandem munitionibus curante apud eos tormenta Vejero, prius ex plerisque turribus, ex quibus ab omnibus fere partibus petebantur, defensores dejiciendi erant: quod denique in fundamenta, ac imam partem muri, iis quae ante demonstratae sunt, causis, tormenta convertebant; quas ob res cum ab eorum parte tardius murus perruptus fuisset:

Digitized by Google

Hungari nihilominus, qua ab ipsis murus stratus erat, irrumpere conabantur. Zamoscius cum de eo ad Regem referret, ostendebat, longe et ad securitatem et spem victoriae certius sibi videri, si dum e Polonorum quoque munitionibus aditus in murum patefieret, irruptio sustineretur: interim et pluribus locis moenia verberarentur: ruinae, quibus contra Hungarorum munitiones murus apertus esset, ampliores fierent, qui per eas in urbem aditus esset, cognosceretur: omnibusque rebus diligenter exploratis, quae ad oppugnationem pertinerent, ante praepararentur. Timebatur ab altera parte, ne tempore interposito, spatium sui muniendi, novasque fossas objiciendi hosti daretur: maxime vero quo minus consilio huic locus esset, difficultas pulveris tormentarii faciebat: ut necessario prius tentandum aliquid videretur, quam omni consumto una cum pulvere urbis ipsius potiundae spes decederet. Descenditur eo, ut mittantur, qui locum inspiciant, ac an quae transgressos fossae difficultatesve excepturae essent, explorent. Deliguntur ex Germanis quinquaginta circiter: quod erant inter hos, qui in aliarum urbium oppugnationibus assidue antea versati fuerant. Hortatur simul Zamoscium Rex, ut quae ad oppugnationem pertinerent, administraret: ne si de aditu non incommoda renunciata essent, vel minimum temporis spatium differretur. Interim Hungaricus Decurio quidam missu centurionis ad os, quod ab Hungaris, quemadmodum dictum est, in muro patefactum erat, profectus omnia facilia ac aperta renunciat aditum latum: descensum expeditum: exiguas ab interiori parte fossas objectas. Quo tempore, cum e primariis Senatoribus quidam differri nonnihil adhuc irruptionem suaderet, ne inter Polonicam et Hungaricam nationes aemulatio aliqua oriretur, si Hungarus prior irrupisset: ostendissetque Zamoscius, cur a Polonis aditus tam latus patefieri nondum potuisset, is unamquamque felem pro se venari respondit. Zamoscius itaque ad munitiones profectus, Polonis Germanos adjungit: quaeque oppugnationi usui sint, administrari jubet. Hungaris Bornemissa praeficitur: Rex sub ipsam fluminis ripam, ad quam Hungarorum munitiones pertinebant, progressus, militemque ad irruptionem paratum, paucis, quae tempus ferebat ad virtutem cohortatus, e propinquo eventum oppugnationis exspectare, instituit. Jam ante autem tormenta aliquot Velicam translata fuerant, absque inferiori parte muri, per quem ad oppugnationem iturus miles erat, ita collocata: ut adverso muro a fronte deterso, rectis inde secundum universum id latus interius ictibus defensores peterentur. Eques ex instituto militari idoneis locis supra munitiones, circa urbem atque vias, in omnes casus disponitur. Non poterat latere hostes, quid in castris pararetur: quod in omnes partes latissimus ex urbe despectus erat. Itaque ipsi quoque muros frequentes complebant. Zamoscius primum ex Polonico peditatu viginti expeditissimos delectos per adversam fossam muros succedere, quisque ab eo loco in urbem aditus sit, explorare jubet. Renunciant *illi* fossam ab ea parte esse, supraque eam pontem aliquanto depressiorem, per quem non difficulter tamen fossa superari possit. Mittit inde e Germanis quinquaginta eos: mandat his, ut quam proxime muros subeant, superare ruinas possint, progrediantur, signoque quod acceperant, dato, alios, quos quamprimum iis summissurus sit, exspectent: si non patere per eas aditum intelligant, sine ignominia se recipiant. Interim si illis successisset, signumque quod convenerat, datum ab iis fuisset, quae illis subsidia summittat, disponit: primo ejusdem Nationis militem, quod qui praemissi fuerant, id postularant: inde Polonum partim equitem, qui Georgio Muiscio Praefecto Sanocense, Stanislao Stadnicio, Procopio Penonscio, Andrea Orescovio, ac aliis quibusdam auctoribus, equis missis, ultro operam suam detulerat: *partim* peditem. Primo loco Penonscium et Orescovium cum turmalibus eorum, qui hastis rem gererent, locat. Inde Vrovecium cum pyxidariis. Post hunc Stanislaum Stadnicium cum altera equitum turma. Hic rursum Vibranovium et Sirneum cum suis quemque cohortibus in subsidiis esse jubet. Ultimo et separato loco Georgium Mniscium cum iis quos ductabat, equitibus constituit: partim ad tormenta munitionesque retinet. Germani cum ad fossam successissent, Joannes Garonna Gallus progressus primus aditum tentasset, gravi casu ab hostibus illo deturbato, ceteri cum angustiores ruinas, quam ut commode transiri per eas posset esse existimarent, conferti ad *fossam* constiterunt. Poloni qui a tergo urgebant, cum non dari sibi locum viderent, per medios illos penetrant: hostes turri lignea, munitioneque quam tignis in angulo turris, quem cum muro coicus efficiebat, ea de qua supra dictum est, ratione contabulaverant, cespiteque vestiverant,

Digitized by Google

jiciunt: in turrim magno ipsi labore avadunt, principesque Vibranerius ac Sirneus in summa turri signa figunt. Germani ad os, quod contra Hungarorum munitiones erat, quod per id latiorem aditum esse viderent, signa convertunt. Praescriptus idem, qui supra demonstratus est, ordo, et Hungaris fuerat, missusque ejus rei causa ad eos Franciscus Veselinius, primarius cubicularius regius. Verum apud Germanos primum eo turbato, Hungari quoque, cum Polonos jam irrumpere cernerent, signo prius a Rege accepto, per ruinas in turrim evaserant: primique Thomas Dercenus, et Matthias Kerkesius signa in ea constituerant. Hos Gabriel Bekesius arrepto signo, equitem, cui praeerat, secum trahens, secutus fuerat: moxque pluribus aliis signis illatis, cum ulterius inde in urbem contendere vellent, fossa jam ante ab hostibus ducta, ligneaeque munitiones nonnullae praetar opinionem abjectae impetum eorum tardabant. Hostes ab initio nostrorum in subeundis muris impetu perterriti, suos e propugnaculis pulsos, signa diversis in locis fixa jam videntes fugam circumspectare coeperunt. Interim Joannes Szujscius passim equo saucio volitans, modo minis, modo precibus, tandem ploratu et misericordia: ab altera etiam parte Episcopus urbis sacra et simulacra obtendens, dum in occupandis muris nostri retinentur, fugam pavoremque suorum sistunt. Primum tormentis ac saxis petere nostros coeperunt: nostris vicissim tela in eos adjicientibus, compluribusque utrinque sauciis, turri, quam a Polonis occupatam supra ostendimus, pulverem subjiciunt: nullamque in partem milite se commovente, binis aliis vicibus id repetunt. Quo turri tandem correpta nostri ferre ignem diutius non valentes primum descendere: ad extremum etiam cum ex propugnaculo Velicano, quod e nostris tormentis tam brevi tempore sterni non potuerat, ipsi transversis hostilium tormentorum ictibus ferirentur, recipere se coacti fuerunt. Inde in Hungaros omnes convertuntur: qui cum eas quas diximus illis objectas munitiones, superare se non posse intelligerent, cum diu hostium impetum sustinuissent, ac nox immineret; caesis omnibus prius sublatis more militari se receperunt. Desiderati eo die sunt ex Nobilitate Polonica ultra quadraginta: ex Hungaris pauciores, ac praecipui inter eos nominis Gabriel Bekesius. Magnum hostes quoque detrimentum acceperunt: caesi complures: in quibus primarii peditum ductores, Nicolausque Czercassius praefectus Cosacorum: plurimi vulnerati. Itaque litteris, quas ad praesidium Udovense dederant, quae exiguo postea tempore interjecto interceptae a nostris fuerunt, magnum terrorem ostendebant: utque sine mora iis de rebus Princeps certior fieret, subsidiaque sibi mitterentur, petebant. Zamoscius militi ob ejus diei laborem ac adversitatem consulendum ratus, equitem, qui cum Georgio Mniscio Praefecto Sanocense in subsidiis collocatus fuerat, integerque adhuc erat, quod conturbato postea ordine res ad eum non pervenisset, circa tormenta munitionesque excubare jubet: universo autem peditatui ac munitionibus Vrovecio in oppugnatione concusso, Stanislaum Pencoslavium praefecit. Altero die consilio habito, ante omnia de tormentario pulvere conquirendo cogitari coeptum fuit. Mittitur ad Ducem Curlandiae, Rigenses aliaque vicina loca. Exempla litterarum Plescoviensium, quae interceptae fuerant, passim describenda Zamoscius dat: quibus, si quis forte gravior de adverso oppugnationis exitu rumor in Poloniam perlatus esset, hostium incommodo perspecto is deleretur. Proponit eodem tempore Regi, quo minus casus aliquis, qui obsidionem eos relinquere cogeret, intervenire posset, optimum e re nata sibi videri, si integro adhuc exercitu castella, per quae miles distributus, longinqua obsidione, ac commeatus inopia premere urbem posset, aliquot communiantur: iis perfectis, quod voluntarius miles diu moram laturus non esset: commeatus praeterea difficultatem reliquo exercitui aucturus videretur: nec dignitatis Regis futurum esset, ut voluntariis dimissis imminuto exercitu remaneret, ipse in Poloniam, ad Comitia obeunda, supplementum scribendum ex curreret: se cum exercitu reliquo ad urbem relinqueret. Si hiems exspectaretur, voluntarios incommodis obsidionis, atque hiemis injuriis adactos, missionem flagitaturos: reliquum militem nullis rebus praeparatis, commeatu omni consumto minus animi et virium habiturum: castella vero eo tempore vel muniendi vel extruendi nullam rationem fore. Regi cum aliis multis de causis, omnia prius, quam ad id consilium descenderet, tentanda videbantur: maxime tamen, quod cum Possevinus, qui in Moscovia erat, de animo erga pacem Mosci significaturum se ostendisset, vevendum intelligebat, ne, si priusquam ille rediret, eorum quid suscipe retur, hostis defendendae urbis spe illi aucta, si forte de tradenda sibi Livonia consilii quid

Digitized by Google

jam suscepisset, id tum commutaret. Dum haec geruntur, pulvisque ac apparatus bellicus exspectatur, cuniculis interim munitiones hostium tentare placuit. Bini e Polonorum munitionibus versus fossam instituti, a rupe dura atque aspera excepti perduci non potuerunt. Hungari per summum solum fossa ducta, eademque cratibus intecta, unum eo modo perduxerant. Is cum latere hostes non posset, qui ut minus eum vidissent, ex eo ipso tamen, quod ab oppugnatione tam diu cessaretur, conjecturam de consilio nostrorum capiebant, alium secundum universum id latus in longitudinem, ex quo nostros observarent, egerant: ac tum eum pulvere subjecto intercipiebant. Iisdem temporibus subsidia e Moscovia per Udovam obsessis mitti cognitum fuit; quae cum per Pelbam lacum, ac Velicam flumen navibus ventura Zamoscius intellexisset, primum navibus aliquot conquisitis, continuas arbores cuneis ferreis in singulas impactis, per eosque catenis transmissis, ea qua flumen erat latitudine connectit: alias a superiori parte fluminis, qua venturus hostis erat, secundum adversam ripam alligat: ita, ut cum hostium naves transiissent, funibus adductae regressum ab ea parte hosti clauderent: alias ab inferiori parte versus urbem ita objicit, ut cum eum in locum pervenissent, irretitis utrinque navibus, nullam in partem effugium pateret. In naves, quas contraxerat, Germanos, qui earum administrandarum peritiores credebantur, imponit: Universae rei Vrovecium praeficit: eum eoque secundum utramque ripam expeditum peditem disponit. Advenerant commodum sub id tempus Albertus Resajscius Castellanas Varsaviensis cum centum circiter et quinquaginta: Stephanus Bilavius cum septingentis equitibus: Nicolaus Corffius et Vilhelmus Platerus cum Livonibus aliquot equitibus. Eos cum extra castra adhuc versarentur, Sviatohoram versus considere, ac quo tutiores contra hostiles incursiones essent, fossa castra communire jubet. Hostes navibus silenti nocte progressi, cum in insidias, ac nostras naves incidissent, ac ne primum quidem impetum nostrorum ferre potuissent, mox in ripam se ejiciunt: ibi ante lucem palantes excepti, ducentique circiter Bojarici generis capti, ac in castra adducti fuerunt. Haud multo post aliud a Derpatensibus subsidium obsessis mittitur. Verum id, cum appropinquanti maturius miles se ostendisset, celeriter se recepit. Aliquanto deinde tempore interjecto Nicolaus Chostovus inter peditum ductores secundum Coscecium praecipuae apud Ducem auctoritatis cum septem millibus subsidio obsessis venire ab exploratoribus nunciabatur. ItaqueZamoscius, quod vereretur ne superioris subsidii casu fama ab hostibus cognito, alio iter averterent, totum locum eum, qui a castris Sviatohoram usque ultra octo millia patebat, excubiis complecti statuit. Erant militares ante hac excubiae a castris ad flumen Plescoviam usque positae: ab eo vero ad Sviatohorensem viam, quod maximum intervallum esset, ne miles in tot excubias distractus nimium defatigaretur. Lithuani voluntarii ultro eam ad rem operam suam Regi deferebant. Chostovus cum diu in insula quadam Pelbae lacus haesisset, ac de priori subsidio, quod navibus advenerat, intercepto intellexisset, in terram exercitu exposito, noctuque devio per silvas ad sinistram itinere capto, Plescoviam contendit; noctu major militum pars dilabi ab eo coepit, ut ex septem millibus vix trecenti penes eum manerent: ipse ut diffugientes vel vi contineret, extremum agmen cogebat. Itaque cum superiorum noctium excubiis Lithuani fatigati, simul quod interea temporis nondum hostis venisset, de diligentia remisissent, praeterque morem excubiarum aëris injuriis coacti ignes excitassent, Daniel Islenovus, qui in primo agmine incedebat, cum iis, quae supererant, copiis, evitatis locis iis, in quibus ignes cernebantur, in urbem evasit. Chostovus, qui in extremo agmine, ut dictum est, erat, ac praeterquam quod totius noctis maximo in sistenda fuga suorum labore confectus erat, corporis insuper mole homo procera statuta tardabatur, cum e silvis egressum lux oppressisset, herbis per aliquot horas ceteris dilapsis se texit: ibique ab equitibus Andreae Visnovecii Palatini Voliniensis, qui tum ejus diei excubias excipiebant, repertus ac ad Regem adductus fuit. Qui eum deseruerant, partim caesi, partim magno numero capti fuerunt. Aliquot diebus post Theodorus Miasojedovus itidem cum copiis aliquot subsidio obsessis missus fuit. Hic cum jam fere excubias Lithuanicas praeteriisset, extremum agmen a Gabriele Czercassio deprehensum fuit: qui cum impetum in id fecisset, et clamore sublato Bilavius quoque cum suis accurrisset, centum circiter et quinquaginta concisi, ad sexaginta capti fuerunt: ceteri ad trecentos cum Miasojedovo in urbem penetrarunt. Dum ad Plescoviam haec geruntur, Sueciae interim Rex in aliena victoria suam praedam

Digitized by Google

facit: eoque quem in Germania ac Gedani, iis de quibus dictum est, litteris adjutus, militem conquisiverat, quemque e suis praeterea ditionibus contraxerat, per militiae Praefectum suum Pontum Gardianum Narvam occupat. Oppidum id ad Velicam flumen situm est, quod qua Pelbam lacum relinquit mutato in Narvam nomine, oppidoque a se apellato triginta circiter infra id passuum millibus in mare influit, eo alveo, ut ad urbem ipsam maximae onerariae naves appellant: eaedemque ulterius Plescoviam usque non incommode agi possent, nisi supra lacum Plescoviam versus viginti circiter cubitos altae cataractae cursum earum interciperent. Dum in Magistrorum Ordinis, priscorum Livoniae Principum, potestate erat, propterea quod omnes merces Moscoviticae Derpatum primo devehebantur, inde per Revaliam aut Parnaviam in mare exonerabantur, minus vel a cultoribus frequens, vel munitum erat. Postea Joannes superior in adversa ripa aliam multo munitiorem e regione illi arcem Ivanogrodum ab illo, a Livonibus Russicam Narvam ad suae, quam Germanicam appellabant, discrimen dictam, tam propinquo ab ea spatio excitavit, ut cum Narva ponte conjungi, absque utroque loco telum in alterum adjici posset: ex ea cum Moscus profectus Livonica quoque Narva potitus fuisset, cum Germanicis aliisque ultramarinis et occidentalibus nationibus commerciorum in ea sedem collocarat, omniaque eo negotia et merces transtulerat. Sub famam expeditionis ad Plescoviam Regiae, quemadmodum ex aliis arcibus, ita illa etiam majorem praesidii partem ad Plescoviam tutandam contraxerat. Gardianus cum tormentis quatere muros coepisset, ac Mosci, qui in Ivanogrodensi praesidio erant, Livonicae Narvae, cui metuebant, tuendae studio, pontem transiissent, tormentaque pleraque secum traduxissent, ac vero irrumpente jam in oppidum milite, territi, retrocedere coepissent, Itali aliquot, qui cum Hieronymo Cagnolo in Suetico exercitu erant, victoriam subito conclamantes, cumque reliquo milite ad portas usque eos insecuti, magnum eorum numerum conciderunt. Hac re, ceteri, qui in arcem evaserant, territi: simul tormentis, quibus se defenderent, quae paulo ante Narvam transtulerant, destituti, exiguitateque ipsa sua de defensione desperantes, deditionem fecerunt. Eadem praesidiariorum consternatione Jamhorodum quoque et Coporiam vicina castella in potestatem redegit; quibus rebus perfectis in penitiorem Livoniam, ut per reliquas arces, quae a Moscis tenebantur, arma circumferret, cum exercitu regreditur: primoque Vejssenstejnium castrum alioquin natura et opere munitissimum, in ea Moscorum trepidatione, praesidii exiguitate, nulla, dum Plescovia obsideretur, auxilii spe in deditionem accepit. Inde Parnaviae exercitum admovet. Post captam Narvam litteras a Principe suo ad Regem mittit, quibus is ad priores Regis litteras, quibus multo ante, ut a Livonia tanquam alieni belli praemio abstineret, amice hortatus eum Rex fuerat, circumducto die rescribebat: ac suum cujusque judicium, quibus in locis bellum cum hoste gerere, quasque ditiones ejus invadere vellet, esse debere significabat. Magna spes Regem tenuerat, fore, ut aequitate priorum postulationum suarum perspecta, locum eis Sueciae Rex relinqueret: non modo quod Livoniam universam jam olim in fidem Regum Poloniae venisse, eo minus ignorare Sueciae Regem sciebat, quod superioribus temporibus, cum frater ejus Ericus Revaliam occuparet, nullo jure id ab eo fieri propriis litteris suis testatum fecisset, verum etiam, quod postquam ipse maximo labore ac impensa ad Legatos de pace mittendos, universam Livoniam primo cedendam, inde descrendam pene hostem adegisset: ad paratam a se victoriam Sueciae Regem accessurum exspectandum sibi non arbitrabatur. Quare etsi injuria hac non parum commoveretur, in praesens tamen differendam judicabat. Iisdem temporibus a Regiis quoque Praefectis simili fortuna castra nonnulla Moscis in Livonia adempta fuerunt: a Duce Magno Kirempesium occupatum: Fabianum subitario opere munitum: a Biringio Pirchelium: Thoma Embdano Salium captum: a Dembinio Lenovardum et Ascherotum; quae utraque Dunae flumini imminebant, peditatu aliquo a Rigensibus, quibus gravis hostilium praesidiorum vicinitas erat, accepto, Scotoque milite, qui ad Regem ibat, retento exqugnata. Jamque Cokenhausium quoque castrum munitissimum, ab eodem Dembinio obsessum commeatus inopia brevi in potestatem nostrorum perventurum videbatur. Supra demonstravimus Christophorum Radivilum ad ulciscendas hostis in Mohilovensem et Sclovensem argrum excursiones cum parte exercitus Moscoviam versus missum a Rege fuisse, eique Philonem Cmitam ac Haraburdam cum Lithuanicis Tartaris conjungere se jussos. Cmita cum duobus circiter millibus

Digitized by Google

equitum, Tartarisque, qui sub Haraburdae ductu erant, Lucis egressus, octo circiter ultra Toropeciam millibus ad Nemesam flumen, ac monasterium quoddam, adventum Radivili exspectare instituerat. Sub idem autem tempus Moscoviae quoque Dux, qui non procul inde Stariciae tum erat, cum de nostri exercitus adventu nondum cognovisset, Michaelem Nosdrovatum, et Petrum Boratinscium cum tribus circiter millibus militum eodem consilio miserat, ut metu undique quam maximo facto, qui e suis in Regis fidem venerant, direptionibus ac populationibus vexarent. Eorum exploratores temere vagantes cum in pabulatores nostros incidissent, duo ab illis excepti, ac in castra adducti, ostendunt quindecim inde millibus passuum ad Salesam exercitum considere. Contra quem cum Radivilus, qui jam tum advenerat, Bohdanum Ogniscium septingentis circiter magna ex parte levis armaturae equitibus ex diversis turmis ei attributis misisset, ducenti circiter praeter imperium pugnandi aviditate cum stationibus hostium congressi, ad diversos pontes, circa quos scloppetarios hostes in insidiis disposuerant, pertracti aliquot ex suis amiserunt: verum aliis subsecutis, ac Gabriele Holubcone suis, ut de equis descenderent, scloppetisque rem gererent, mandante, summotis per hos a ponte hostibus, nostri hostium equites in fugam effusos ad quindecim fere millia passuum insecuti, aliquot ex iis ceperunt. Radivilus cum cognovisset ad Resovam aliam exercitus hostilis partem consedisse, versus eam via impeditissima, qua nulli ante eum exercitui iter fuerat, cum exercitu progressus, triginta a Resova passuum millibus substitit, inde Zucobeciam Jamam, quo nomine locum, in quo diplomata iter facientibus dari solent, appellant, se convertit, ac ad flumen Volgam castris metatis Halimbecum cum Tartaris, quos circa se habebat per flumen Stariciam versus contendere, populationesque ac incendia quam latissime in hostico circumferre jubet. Satis constat, Moscoviae Ducem, qui quemadmodum supra demonstratum est, Stariciae tum eventum obsidionis Plescoviensis exspectabat, cum adventantem exercitum, fugas agrestium, ignes passim sublatos ipse magna ex parte cerneret, ac quemadmodum ex Possevino, qui tum apud illum erat, cognitum postea fuit, non ultra septingentos milites circa se habebat, summa in trepidatione versatum, delectum ex omni genere hominum promiscue habuisse, fugamque jam circumspectasse. In praesentia mittit, qui agmen nostrorum speculentur, quamprimumque de eo sibi renuncient. Hi cum ad Ocomeciam alterum diplomatum locum, in quo Tartari pernoctabant, quinque millium passuum intervallo accessissent, diligenterque a nostris excubias agi, loco praeterea munito cos consedisse ex agrestibus accepissent, ad latus converso itinere paludesque, quae iis in locis erant, transgressi, ex Nohajensibus Tartaris ac pabulatoribus nostris aliquot oppresserunt. Interim Daniel Mursa ex iis, qui in mensae ministerio apud Moscum versabantur, ad nostros transit: qui cum de numero exercitus eadem fere, quae antea fama, ac captivorum sermonibus acceperant, ac inflatius pleraque praedicasset, orationique ejus tanti Principis inveterata potentiae fama facile fidem faceret, etsi memorabilis facinoris, si Stariciam processissent, patrandi spes nostris ostendebatur: iis tamen viribus, quibus potentissimi Principis vitam ac salutem septam esse credi debebat, minime pares se futuros rati: Dunam indeque Dubnam magnis itineris difficultatibus conflictati se recipiunt. Ex itinere, temere ab agrestibus rumore tradito, commeatu Toropeciam laborare, ad eam deflectunt, exercitumque ei admovent: verum paucis diebus post, cum falsa de statu praesidii delata ad se cognovissent, se receperunt. Radivilusque Cholmam recta, inde priscam Russam versus contendit. Collocata ad Opocam contra Novogardiam Cosacorum manus aliqua fuerat, quae partim praedis ex hostico agendis hostem distineret, partim subvectiones subsidiaque, si quae Novogardia Plescoviam mitterentur, observaret. Hi cum continue praedas ex hostico agerent, magnisque incommodis hostes afficerent, Tartari Moscovitici, parte eorum negligentius agente, parte ex instituto ad praedas agendas profecta, repentino adventu, eos qui in statione relicti erant, oppresserant. Tartaris a ceteris reversis rursum dejectis, Mosci alias suas duobus locis ad Russam et Misciagam stationes ab Novogardia nostris Cosacis opposuerant; contra eos igitur, qui ad Russam erant, Radivilus Cosacos, quos penes se habebat, ipse subsequens, praemisit. Hi hostibus fama adventantis exercitus jam ante territis, ac primo adventu eorum in fugam conversis, Obolinscium ac Bojarici generis aliquot capiunt. Eo deinde ex loco ad Regem et reliquum exercitum Radivilus revenit. Jam ante Antonius Possevi-

Digitized by Google

nus etiam, quem a summo Pontifice legatum ad Moscum ivisse, supra ostendimus, cum mox post discessum a Volga Radivili dimissus fuisset, ad Regem venerat, turmis aliquot equitum, quas e Novagardia de adventu ejus certior Rex factus, obviam illi miserat, in castra deductus. Afferebat hic, Moscum etsi in ea et sua trepidatione, et belli adversitate cum primis pacis cupidus esset, nullis tamen aliis conditionibus eam accipere obstinatum habere, quam quas jam ante Polotiae per Legatos suos proposuisset. Nam quod hiems, quae saevissima iis in locis frigora adferre soleret, instaret: militem, quem ne primas quidem injurias ejus toleraturum sibi persuadebat, per hiberna distributum iri, Regem superiorum annorum consuetudine ad comitia obeunda in regnum se recepturum, interim urbem obsidione, se metu solutum iri, facileque quamvis aliam sustinendi belli impetusque regii rationem deinceps se reperturum confidebat. Rege contra Possevino ostendente, nec se prius exercitum ab urbe deportaturum, quam vel urbe potitus esset, vel universa Livonia Moscus decessisset, hortabatur nihilominus cum Possevinus, ne omnem tamen spem pacis praecideret, locumque colloquio constitui pateretur, in quem utrinque legati convenirent, ac de pace inter se agerent: quod cum Rex permisisset, literas per expeditum equitem ad Moscum dat: his eo omnino animo Regem esse ostendit, ut non prius abscessurus, aut ullum belli finem facturus sit, quam universa Livonia Moscus excedat. Quare ne nimium ea in re poneret, quod frigoris saevitia coactum abscessurum tandem exercitum existimaret, videre se obfirmato ad perferendam eam omnes animo esse; tum ut obsidio sustineretur, debere eum tamen tot subjectorum sibi innoxiorum calamitatibus atque miseria commoveri: qui cum pro ipsius salute nullum periculum ac cruciatum recusent, summae cum iniquitatis condemnari debere, nisi ipsorum vitam suis commodis ac obstinatione potiorem habeat. Eos autem neque propter frigoris vim in silvis jam latere, nec iis ipsis, quod paludibus omnibus frigore concretis, perviae brevi nostris futurae essent, amplius protegi posse, eorumque iis ipsis diebus, quibus in castra venisset, magnum numerum partim concisum, partim captum se vidisse. Sub id enim adventus ejus tempus, subsidia, quae cum Miasojedovo venerant, quemadmodum supra ostensum est, excepta fuerant. Proinde ipse sibi consilium caperet, se quidem, ut serio tandem animum ad pacem applicaret, auctorem ei esse, egisseque hanc ob causam cum Rege, ut ne omnem tamen de pace agendi facultatem tolleret, impetrasse, ut Legatos ejus certum in locum, qui Mosco videretur, accedere, cumque suis Legatis de pace agere se passurum Rex receperit. Moscus litteris iis acceptis sine mora nuntium una cum suo tabellario, litterisque ad Possevinum remittit. Pagum Zapoliam nonaginta passuum a Plescovia millibus, in diplomatum usus et ipsum constitutum, ad conventionem deligit, publicaeque fidei litteras, legatis suis mitti postulat. Mittuntur litterae, locus accipitur. Exercitus interim, qui ad Plescoviam erat, maximis cum hiemis, tum obsidionis diuturnae incommodis afficiebatur. Itaque cum et a voluntariis palam missio flagitaretur, conditionesque pacis passim sermonibus agitarentur: non deerant, qui remittendum potius Mosco de Livonia aliquid censerent, quam cum exercitus incommodo diutius obsidionem ducendam: quod ut Summi Pontificis auctoritate persuadere Regi conaretur, Possevinum etiam tacite hortabantur, idque quo commodius perficeret, cum sententias senatus de conditionibus dicturus esset, eum vocari, praesenteque illo sententias dici debere censebant. Spargebatur in vulgus, Regem ut maxime Livoniam universam adjunxisset, omnem in Hungaros, vel fratrum suorum filios divisurum. Itaque stipendiarius etiam miles sermonibus tentabatur, cur pro alienis commodis suo cum periculo depugnaret: pro provincia, ex qua nec ad ipsum, nec ad Rempublicam fructus ullus perventurus esset, ut alii ditarentur, vitam sanguinemque suum ipse in discrimen adduceret. Resistebat rebus hisce summa constantia atque animi magnitudine Rex, maxime voluntarios obtestabatur, ne suo discessu exploratae penе victoriae, aut honestae pacis spem corrumperent. Praeter Regem Zamoscius omni contentione in id incumbebat. Ostendebat publice, ad omnia prius se descensurum, quam infecta re, aut non tali pace, qualem in superioribus comitiis Rex atque nomine Regis ipse ordinibus promisisset, discederet: quod si maxime necesse esset, eo usque tamen, dum comitiis habitis nova ab Ordinibus mandata acciperet, se perstiturum. Ut Possevinus in Senatum vocaretur, contra morem majorum esse disserebat. Virum enim prudentem, et inprimis gravem, etsi nihil curiosius in aliena Republica facturum sciebat, ne tamen vel inter-

Digitized by Google

rogationibus atque studiis aliorum, vel suo pietatis atque paris in eam sententiam pertraheretur, ut ipse quoque cum aliis remittendae Mosco partis Livoniae auctor esset, verebatur; quamvis eandem sententiam suam hac etiam ratione apud Possevinum deinde excusabat, quod cum ex instituto Reipublicae omnium aliorum Principum Legati publice audiantur, solius Summi Pontificis nuntii privatim Reges conveniant, ne exemplo suo privilegium minueret, illum ipsum vitaturum fuisse, existimasset. Consilio deinde iis de rebus habito, duae omnino manendi rationes proponebantur, ut vel ex castris atque munitionibus, quemadmodum hactenus factum esset, obsidio urgeretur, vel castellis exstructis, in iisque milite collocato, diuturna fame, ac commeatus inopia urbs premeretur. Utramque cum hiemis injuriis, tum soli frigore jam adstricti duritie, quae nec militem sub pellibus diutius versari, nec opus ullum fieri paterentur, omnes fere refutabant. Lithuani privato etiam iisdem de rebus consilio inter se habito libellum Regi offerebant; in quo cum et ipsi manendi consilium omne rejecissent, id petebant, ut quo hibernorum incommoda, quae superioribus annis continua pertulerant, evitarent, in agro Moscovitico miles haberetur. Interim diem certam Regi praefiniebant, intra quam nisi pax esset, nulla conditione diutius remanere integrum sibi esse ostendebant. Non poterant latere haec hostem, quod propter voluntariorum nullo imperio se suosque coerceri patientium licentiam ex calonibus, ac eo hominum genere, quotidie aliqui ab hostibus excipiebantur: iisque ipsis diebus Zaba quidam cum ejus, de quo dictum est, libelli exemplo ad eos transierat. Maxima inter haec flagrabat invidia Zamoscius: illum unum sententiae ejus esse auctorem, hominem a pueritia litterarum studiis deditum, atque in Italiae gymnasiis versatum consiliis atque obstinatione sua universum exercitum perditurum, Legatum cum exercitu in hostico relicturum, ipsum extra metum periculi ad comitia pro Cancellariatus sui munere obeunda in Poloniam rediturum. Etenim jam conventus nobilitatis Rex edixerat. Per eos quo loco res esset, litteris nobilitati ostenderat: neve vel exercitum reducere, vel ipse ab obsidione comitiorum habendorum causa discedere cogeretur, ut in iis conventibus nova tributa, et quae alia ad perficiendum bellum necessaria essent, sciscceret, hortatus nobilitatem fuerat, in omnes nihilominus casus, si res non teneretur, litteras, quibus comitia indiceret, simul miserat. Augebat Zamoscio invidiam disciplinae militaris tuendae studium, jam ab eo tempore, quo militem habere coeperat, contraque illos potissimum ab eo susceptum, quorum quod illustrior fortuna esset, peccata etiam, et peccatorum ad deterrendos alios poenas illustriores esse dicebat. Fremebatur non jam, quod in mulieres, quae castra irrepserant, gravissime animadverti jussisset, nonnullas capitis supplicio affecisset; sed quod aulicum Regium, qui in leges militares aliquid commisisset, in vinculis haberet, nec totius exercitus precibus condonare vellet, quod pueros nobiles, qui licentius in castris versati fuerant, ad palum alligatos publice spectandos praeberet, turmae Praefecti vicarium suspendio affecisset, ex nobilitate quosdam propter munditiem castrorum negligentius habitam clava pulsasset. Itaque carmina etiam in eum spargebantur, quibus scholastica vita illi exprobrabatur. His ita non movebatur, ut cum semel licentiae fenestra aperta in alios libelli jacerentur, jactataque ea res in senatu fuisset, ostenderet, nisi prius in seipsum injuria ea incurrisset, quaestione habita auxilium suum minime denegaturum iis fuisse: jam quum ab isdem ipse prius laesus esset, verendum sibi esse, ne pusilli animi putaretur, si sub aliena persona proprias injurias ulcisci videretur, rectiusque facturos eos, si suo exemplo contemnendo potius ea diluerent, quam vindicando ultro auctoritatem iis tribuerent. Signa militaria hujusmodi plerumque dabat, quibus modo desidiam, metum, avaritiam domum properantibus ultro exprobrando, modo ad perseverantiam et constantiam nobili homine dignam eos cohortando a desidia ad tolerantiam, si qui minus alacres essent, binis ut plurimum verbis revocaret. Tentarat sub initium motus ejus veteranus miles, qui ad Gedanum fuerat, coetus inter se agitare, quo de communi re, maxime autem de stipendiis debitis, deliberarent. Edixit mox, qui privatas coitiones fecissent, contra disciplinam ac imperium militare fecisse eos judicaturum, legeque in eos animadversurum: quod si quid de commodis suis agendum existimarent, vel se appellarent, vel praesente se de iis agerent. Itaque ad tentorium ejus convenerunt. Hic cum ille angustiis aerarii demonstratis, econtra quid amor patriae ac Reipublicae postularet, quid constantia boni haberet, concionatus fuisset, tandem non legatum se ad exercitum relicturum, sed ipsum

Digitized by Google

toto obsidionis tempore remansurum pronunciasset, utque idem ipsi facerent, universos hortatus fuisset, initio a Joanne Zborovio facto, reliqui omnes, quoad ipse maneret, se quoque perseveraturos promiserunt. Zamoscii consilium manendi secreto amici improbabant, monebant, videret, quam in se rem susciperet, cum periculi plenam, tum quae si secus caderet, magna cum invidia ejus superiorum rerum gloriam ipsius omnem corruptura esset. Iis unum ille respondebat, existimare se bonum Imperatorem, eundemque bonum civem non suae, sed publicae dignitati studere debere: si re infecta ab obsidione abscendendum sit, e re nata commodius futurum, ad se peccati ejus opinionem recidere, quam ad Regem aut Rempublicam universam. Allato jam ante a Duce Curlandiae et Rigensibus pulvere, ante Regis discessum denuo oppugnationem tentare visum fuit. Ab ea parte, qua Poloni antea e munitionibus suis muros quassaverant, hostes crebra propugnacula lignea objicerant, eademque fossis communiverant. Itaque in superiorem aliquanto partem ad dextram munitionibus translatis, inde rursum tormentis muros percutiebant. Sed eo quoque loco novum propugnaculum, tormenta vero adeo grandia hostes opposuerant, ut, quum quoddam septuaginta, alterum octoginta pondo globos jacularentur, trium aggere repletarum corbium militarium, ut ex ordine positae erant, seriem, uno ictu penetrarent. Hungari quod aditum in turrim, quae ad Velicam flumen, et munitiones eorum pertinebat, satis latum patefeceranl, modo ipsi per ruinas eas hostes propellebant, modo ab illis pellebantur. Conversi etiam ad muros ea ex parte a Velica flumine dolabris et securibus subruendos fuerunt; a quibus quum primum aqua piceque ferventi, aliisque ignibus in eos effusis, avertere eos conati hostes fuissent, Hungari nihilominus eo processissent, ut parte muri inferiori egesta, superiore tanquam testudine tegerentur, laedique amplius ab illis, quae in eos mittebantur, non possent, hostes ligna justae crassitudinis, ferreis aculeis undique horrentia catenis ferreis ad praelongam sudem aptata ex urbe supra muros, ad quos Hungarus subruendos constiterat, ita vibrabant, ut ex ea jactatione verbere subtus detorto tanquam flagello, qui in opere erant, verberarentur, magnisque incommodis afficerentur; nec tamen Hungarus remisit, quo ad majorem ejus muri partem stravisset; ad extremum, quod ab ea quoque parte nova propugnacula contra turrim hostes collocarant, fossasque duxerant, oppugnationis consilium omnino dimissum fuit. Erat triginta circiter a Plescovia passuum millibus via qua in Livoniam et Rigam itur, imminens monasterium Peczura a Moscis, quasi sepulcretum dictum, Divae Virginis, cujus eo in loco ex arbore enatam effigiem repertam colunt, religione, sanctitatisque ac miraculorum quorundam fama clarissimum, ob eamque plurimis ac amplissimis proventibus, de Novogroda Livonica agris nonnullis detractis, eique assignatis a Moscoviae Duce ditatum. Huic Mosci praesidium imposuerant. Magno id incommodo in ea vicinitate nostris erat. Nam et pabulatores nostros frequentissime excipiebat, itinera infestabat, eoque ipso tempore impedimenta a nonnullis praemissa, tum mercatores quosdam Rigenses excusserat. Ad quos damna ea pertinebant, quorum non erant pauci, maxime vero, qui impedimenta sua praemissuri illac erant, ut id potestatis suae faceret, a Rege contendebant. Proponebatur ab altera parte, milite ex oppugnationis tam diuturnae, ac, irritae laboribus nondum recreato, novam ullam tentari non satis tuto posse. Rex multorum continuis precibus victus, Farensbekium eo mittit. Huic mandat, ut situ loci cognito, quid sui consilii sit, certiorem se faciat, si non magno negotio potiturum se eo existimaret, militem tormentaque illi summissurum; si difficiliorem, quam ut eo tempore suscipi deberet, expugnationem futuram judicaret, integra re ad se rediret. Farensbekius paucis cum equitibus eo profectus, in itinere in hostium equites longe plures, qui Peczura contra pabulatores nostros egressi, sub id tempus redibant, incidit; quorum aliis caesis, ceteris profligatis, praelii hujus proventu invitatus, et quod nec fossa adeo magna, nec propugnaculis, aut situ magnopere munitum cerneret, utque homo militaris bene de successu oppugnationis speraret, oppugnationem suscipit. Mittit illi Rex Germanum militem cum tormentis aliquot majoribus, qui cum actis prius munitionibus muri partem aliquam stravisset, per ruinas irrumpere conabatur; jamque Vilhelmus Ketlerus Ducis Curlandiae fratris filius, Gaspar et Rejnholdus Tisenhausii, ac alii quidam in turrim proximam evaserant, atque in imam ejus partem per scalas se demittebant. Iis ab insequentibus fractis, ac per ruinas etiam quum propter angustias earum, tum quod hostes omnes conferti contra eas se obverterant, nulla irrumpendi facultate militi relicta, qui in



Digitized by Google

ima turri remanserant, ab hostibus capiuntur. Mittit iterum Rex ad eas, quas ante miserat copias Germanorum, Bornemissam cum quingentis Hungaris peditibus, et majoribus tormentis aliquot: Polonicum militem ad castra Zamoscius omnem retinuit. Hungari cum ab eadem parte, a qua Germani oppugnabant, inferiori tamen loco laevam versus muros quatere coepissent, jamque aliquam muri partem diruissent, Thomas Solandius manu aliqua colonum et Cosacorum Polonorum facta aversam a Germanorum et Hungarorum munitionibus turrim, ut hostem destineret, scalis admotis scandere coepit; iis jam repulsis cum Germani per ruinas muri, iterum irrumpere tentassent, omni hostium multitudine in eos conversa, rejiciuntur. Eodem successu cum donec Germani se recepissent, cessassent, ab Hungaris quoque irruptio tentata fuit: hostibus rem miraculo, nostris incantationibus et magicis artibus tribuentibus; verum animadverti hic potuit, non minus saepe in levioribus munitionibus negligentia, quam in firmissimis difficultate offendi, quod in his magnitudo periculi, ac ex eo natus metus virtutem militum plerumque acuit: in illis exiguitas rei contentionem animi ac curam, ut plurimum remittit. Non dubitandum enim aliqui existimabant, si conjunctis viribus, ac uno tempore incubitum in oppugnationem fuisset, non adeo magno negotio expugnari potuisse. Interim dum singuli per se, primum Germani, indo Hungari successissent, et hosti in unum locum vires omnes suas convertendi facultatem datam, et nostrorum impetum imminutum. Recipientibus se nostris Scoti milites, qui haud multo ante ad Regem venerant, opportunis locis subsidio collocati, si qui e muris telis aut scloppetis nostros petebant, certissimis ictibus conficiebant. Antequam discederet Rex, Legatos, qui de pace cum Moscis agerent Janusium Zbarascium Palatinum Brasla viensem ab Regno Poloniae, Albertum Radidivilum, Palatii Lithuanici Marschalcum a Magno Lithuaniae Ducatu designat. His Michaelem Haraburdam hominem ingeniosum, et Moscoviticarum rerum cum primis peritum, more majorum, scribam adjungit. Cum de conditionibus, in quas pacem fieri placeret, ageretur: urgebant proceres Lithuanici, ut Magni Luci, qui proximo anno capti ab hoste erant, quo facilius pax conveniret, hosti redderentur. Ostendebat Zamoscius, etsi quantum ad Lithuaniam tutandam momenti tam opportuna urbs, ac ea fertilitate, omniumque rerum copia abundans ager haberet, animadverteret, quo minus tamen id fieret, non usque adeo se repugnare, quod non ea religione ejus retinendi, cujus nulla in comitiis mentio facta esset, qua recuperandae Livoniae obstrictus Ordinibus esset: moleste tamen se ferre, ante tempus haec nullo cum fructu, nonnullo autem, ne ad hostes efferrentur, periculo jactari. Itaque Rex privatim re cum Zamoscio communicata, pacisque constituendae arbitrio ei permisso, quum quid ab eo fieri vellet, quid cum in Regnum venturus esset, ipse procuraturus esset, ostendisset, optimae spei et fiduciae plenus discessit; reliqui fere omnes ex praeteritis obsidionis incommodis, ac imminentis hiemis difficultatibus de reliquae obsidionis eventu judicantes, simulque imminuti ac attriti exercitus opprimendi tempus nullum hostem praetermissurum cogitantes, non secus ac si extremum, quos relinquerent, visuri esset, periculum eorum miserabantur, ut non decessent ex primariis Senatoribus, qui Regi Balthasarem, Andreae fratris sui filium cum Hungaro milite in castris relinquenti, ne id faceret, persuadere conarentur. Cum Rege universus comitatus aulicus ac voluntarii fere omnes proficiscebantur; itinere igitur per Ostrovam et Crasnohorodam capto, inde Ludsenium et Rosittenium, quae hostilibus praesidiis adhuc tenebantur, sine impedimento praetergressus fuit; sequebantur reliqua agmina properantius, omnibus ad Dunam flumen praevertere annitentibus. Itaque etsi subsidia contra eruptiones a Radivilo disposita fuissent, iis tamen dilabentibus, aliquot nostrorum carri abrepti a praesidiariis Moscis fuerunt. Transmisso inde ob navigiorum inopiam non sine difficultate ad Duneburgum Duna flumine Vilnam Rex venit. In castris Polonicus miles stipendiarius omnis cum Zamoscio remansit: tam is, qui ab initio cum eo ad Plescoviam accesserat, quam quem a Stariciensi excursione cum Radivilo reversum receperat. Lithuani cum Martino Curtio Legato sexcenti, qui ab eadem excursione in castra venerant, et quo ab ejus incommodis se reficerent, ut in vicinis pagis Porcovam versus collocarentur, a ductoribus impetraverant. E voluntariis Poloni aliqui, non multi tamen remanserunt.

Digitized by Google

# *LIBER QUINTUS.*

Zamoscius profecto e castris Rege disciplinam inprimis militarem, quam alias magna cura tuebatur, quo inter tot difficultates in hostico omnia diligentius circumspicienda sibi videbat, eo accuratiori studio sanxit. Ex praefectis, qui aetate, ordine, ac usu rei militaris ceteros antecedebant, ad quos de secretioribus quibusque ac gravioribus rebus referret, sex delegit. Senatorii ordinis Stanislaum Tarnovium Radomiensem, Stephanum Grudzinscium Naclensem, Castellanos. Ex aliis Ernestum Vejerum, Martinum Casanovium, Joannem Lesnovolscium, Sigismundum Rosnium: ceteris in rebus omnes ad consilium adhibebat. Interim quemadmodum Rex cum illo constituerat, eam in rem omni studio incumbebat, ut si pax cum hoste non convenisset, ad obsidionem quam diutissime continuandam, fameque ac omnium rerum inopia ad deditionem urbem adigendam, instructa omnia ac parata haberet. De hujus autem rei successu non dubitandum sibi existimabat, quod quantum in urbe virium, apparatus bellici, commeatus ac rei frumentariae esset, ex Suturma scriba Szujscii, qui in excursione quadam una cum fratre captus fuerat: seu, quemadmodum ipse, postquam in potestatem nostrorum pervenisset, prae se ferebat, transfugerat, exacte cognitum habebat, subductisque rationibus, si omnes ad importandos in urbem commeatus ac subsidia aditus praeclusisset, non multum ultra mensem Majum sustineri obsidionem posse reperiebat. Itaque sic se comparabat, ut vel ex iisdem stativis, quemadmodum eo usque factum fuerat, obsidione urbem premeret, aut si hiemis saevitia, ac commeatus, qui ante omnis fere ab exercitu consumptus fuerat, angustia, quo minus id facere posset, prohiberetur, recreato interim praedis ex hostico agendis milite, Peczurae peditatum omnem, ac tormentorum partem admoveret, quam ob causam et quae ante eo missa fuerant, tormenta non deduxerat: eaque occupata simili ratione Porcovam ac Udovam vicina castella oppugnaret: praesidiisque iis impositis hostes intra moenia compulsos contineret; si plus difficultatis oppugnationem eorum, quam ut tentandam putaret, habituram perspexisset, ligneis castellis ex vicinarum villarum aedificiis constructis, opportunissimas quasque vias, maxime vero, quae a Udova, Porcova, et Plescovia ad Novogardiam pertinent, occupare; cumque parte exercitus ipse Novogardiam versus in Prebusio Simeonis supra Ilmenum lacum sub tectis consistere; partem dum glacie concretus lacus esset, in Prisca Russa, et Ostaszcova pertinere, iisque ex locis omnibus tam Plescoviam, quam Novogardiam premere, latissimeque supra Novogardiam versus Tveram et Moscoviam vastitatem circumferre cogitabat. Ita tamen, ut quoad liceret, primam rationem atque Plescoviam quam diutissime retineret: nec nisi hiemis aut commeatus difficultatibus adactus ab ea moveret. Militem, quem circa Sviatohoram supra Plescoviam ad Udovense iter obsidendum loco opportunissimo collocatum, ante ostensum est, minime interim dimovendum arbitratus, ne tamen repentina impressione opprimi ab hostibus posset, majorem peditatum, ac minora tormenta aliquot, Stanislaumque Pencoslavium ei adjungit. Si hostis incursionem in eos faciat, die vexillum militare, quo proposito quamprimum ad opem iis ferendam accurri possit, nocte ignem tollere eos jubet. Simul ne discessu Regio metu omni liberatum se hostis putaret, in omnes rei gerendae occasiones intentus erat. Quae cogitanti ex superiorum temporum pabulatorum licentia, qui partito in duos imperio militari, magna praeterea voluntariorum parte nullam Imperii necessitatem recipiente, sine metu vel Imperii vel hostis vagabantur, nec raro sub ipsos muros succedebant, accidere posse facultatem rei gerendae ratus, die D. Nicolao sacro, qui vel maxime a Moscis observatur, idoneis locis milite in insidiis collocato, carros aliquot propinquo a moenibus spatio agi jubet; verum diei religione quamvis objectam praedam hostibus spernentibus, idem altero die fieri imperat. Consederant partitis insidiis in vicinarum fossarum, quae imbrium casu factae erant, una Hungari equites: in altera Stanislaus Zolkevius adolescens, et Joannes Cretcovius Prijemscianae tur-



Digitized by Google

mae legatus cum Polonis. Hostes ad primum praedae aspectum mox erumpunt: protracti in locum insidiarum ab Hungaris celeriter consurgentibus profligantur. Poloni, qui remotiori ab iis loco erant, propterque praeruptum per oppositos colles ascensum, ambitum capere cogebantur, confligendi cum hoste facultate non data, a dextra impetu in eum facto, inclinatum in effusiorem fugam praecipitant, conjunctimque cum Hungaris ad moenia usque insequuntur. Etsi qui primo loco consederant Hungari, lectissimi equites essent, ac in his Petrus Bathoreus, Georgius Sibricus, ac Joannes Callajus, omnesque generosissimis equis Thracicis vehèrentur, Moscoviticorum tamen equorum, quamvis ii magnam partem parvi ac deformes sunt, pernicitatem assequi vix potuerunt; primo tamen impetu triginta circiter interfecti, ac duodecim Bojarici generis, in iisque maxime strenuus, ac militaribus facinoribus aliquot notus Petrus Coltoviscius capti fuerunt. In commodo hoc accepto Szujscius aversa porta majoribus aliquot tormentis magno labore, ad imas muri et propugnaculorum fenestras demissis, locoque opportuno non procul a fossis urbis magna sclopetariorum manu occultata, subinde viginti circiter equites, qui nostros cis flumen Plescoviam in stationibus positos lacesserent, atque in insidias pertraherent, emittebat; verum cum excursione hostium nunciata Zamoscius ipse cum tribus turmis equitum flumen transiisset, quique in insidiis consederant, ad primum unius equitis conspectum, quem propius ad locum insidiarum accedere Zamoscius jusserat, sclopetos ad unum omnes incassum explosissent, sola fere urbis propinquitas, et fossa equiti objecta, quo minus conciderentur, hostes texit. Dum haec ad urbem geruntur, advenerunt interim Legati a Mosco ad colloquium missi, Demetrius P. filius Jelecius, Romanus B. filius Olphirionis, proque scriba illis adjunctus Nicolaus Bassorecus. Iis Possevino cum praesidio Polonico ultra Porcovam obviam profecto, ac mox nostris quoque legatis subsecutis, paulo post initium agendi de pace factum fuit. Ab initio de Sueciae Rege foedere comprehendendo propositum fuit. Etsi enim praereptarum arcium injuriae non parum animum Regis alienassent, quod tamen superioribus comitiis Annae Reginae precibus adductus, quae sororis suae Sueciae Reginae amore, ac assiduis litteris victa, genua Regis amplexa, ne sine Sueco pacem faceret, orarat, daturum se operam, ut pace comprehenderetur, pollicitus ei fuerat: ac Possevinus quoque homo inter Principes Christianos pacis conciliandae cupidissimus, hoc idem summo studio contendebat, ut actionum de pace initium ab eo fieret, legatis mandaverat. Qua in re dum haeretur, Bohdanus quidam omnium legationis ejus arcanorum conscius a legatis Moscoviticis ad Palatinum Braslaviensem transfugit, ab eoque ad Zamoscium statim mittitur; ab eo haec legatos mandata habere Zamoscius cognoscit: Si Regem exercitumque a Plescovia discessisse intelligerent, quacunque causa interposita colloquium tollerent, si obsidionem obstinate continuari sentirent, sine fraude de pace agerent. Eam autem hoc ad extremum concluderent, ut si Rex Lucos aliaque quae superioribus annis coepisset, praeter Velisium ac universum Ducatum Polotiensem, quae Regi concedebat, sibi redderet, universa Livonia ei decederent. Legati, cum Regem quidem discessisse, obsidionem nihilominus urgeri animadverterent, accesserant ad conditiones aliquas pacis: sed cum ob saevissimas hiemis injurias commeatusque omni vicino agro vastato angustias subinde incommodum aliquem rumorem de exercitu expectarent, varias interim moras interponebant, deque levissimis quibusque rebus, ad Principem missitabant; scripserat ex itinere ad Zamoscium Possevinus, ostendisse sibi legatos, magna cupiditate Moscum alicujus vel exiguae saltem portionis agri Livonici ad titulum Livoniae usurpandum retinendae teneri. Zamoscius Novocastrum, Serenescum, Novogrodcum, deserta nec magni fructus castella ea conditione relicturum se illi rescripserat, ut penes Regem Luci, Zavolocia, Nevela remanerent. Cum illi de Lucis nulla se mandata habere renuntiassent, sine Lucis ne palmum quidem terrae in Livonia se ei permissurum ostendit. Interim Zamoscius cum copias quasdam, quae Plescoviensibus subsidio mitterentur, Novogardiam contrahi rumor ad exercitum perlatus fuisset, Spitconem Jordanum virum strenuum, cujus cum alias, tum in pugna Dersaviensi praeclara opera extitit, turmis aliquot equitum ei attributis eo misit. Hic stationibus hostium, quae non procul a muris se ostenderant, cum trepidatione intra moenia compulsis urbi ipsi, omnique vicino agro magnum terrorum intulit. Eundem opportuno deinde inter Porcovam et Novogardiam pago considere jussit, cum ad subvectiones subsidiaque si quae Plescovien-

Digitized by Google

sibus ab hoste submitterentur, prohibenda: tum ad pabulationes laxiores nostris faciendas, maxime autem metum undique hostibus ostentandum. Supra eum vero Cosaci, quos ad Opocam collocatos fuisse ante ostensum est, ad Zajonscovium ultra Russam a Zamoscio deinde translati omnia infesta reddiderant. Jamque ante eandem ob causam, ex Cobilogradensi etiam castello, quod adstricto glacie lacu Pelba, qui ad Plescoviam, Derpatum, et Cobilogradum pertinet, ex Derpatensibus praesidiariis aliqui insederant, Simonem Charlenscium dejicere praesidium jusserat: indeque ad Prebusium supra Plussam flumen, qua lacu concreto iter ex Derpato, et Udova versus Novogardiam erat, cum collocarat; unde deinde ulterius populationes proferebantur; quibus rebus fiebat, ut quod ab initio sibi proposuerat, nec ipse Plescovia propter commeatus difficultates avocaretur, quod in omnes fere partes libere pabulari nostri possent: et populationibus, qua supra Priscam Russam ac Novogardiam versus Tveriam, qua ad Volohdam flumen, ac Ladoham lacum longe lateque factis, cum opportunissimis viis occupatis undique gravissime hostes premerentur, indies metus eis augeretur. Miserat ad Zamoscium Jordanus duos nobiles Moscos repentina excursione oppressos. Ex iis de Joannis majoris natu Principis filii morte cognitum fuit. Hunc, cum pater opum suarum magnitudinem ac thesauros jactasset: ille vero iis Regis thesauros virtutem ac animi fortitudinem praetulisset, quibus etsi illis, quibus pater abundaret, inferior esset, nihilominus ditiones ejus igni ferroque vastaret, magnaque parte Regni eum exuisset, vel ut quidam dicerent, cum obstinatius a patre exercitum, quo cum Regio exercitu dimicaret, flagitasset: iratus vero illi pater, scipionem in caput impegisset, non multo post, sive ictus, sive animi doloris vi, in paroxismos epilepticos, atque inde in febrim incidisse, ex eaque deinde extinctum narrabant; quae res supra reliquas fortunae adversitates eo majorem dolorem Mosco attulit, quod hic etsi imperio patris priori uxori, cum qua optime illi conveniebat, nuntio remisso, aliam duxerat, sine liberis tamen decesserat: alter vero filius Theodorus junior natu, mentis vitio ad Regnum atque omnes adeo res inutilis censeretur. Ab altera parte Szujscius, quod immensam frigoris vim cerneret, febresque passim ex ea in castris vulgari e transfugis intelligeret: propter vehementiam enim hiemis, quo minus aliqui transirent, fieri non poterat, ad servatae urbis famam, quomodo castrorum captorum, at deleti exercitus gloriam adjiceret, quaerebat. Erat tertia fere pars castrorum morbis implicita, cum ut quisque frigoris ea immensi prope asperitate correptus esset, quod qui effugeret, nemo erat, febri etiam statim corriperetur, ita tamen ut pauci omnino ex ea morerentur. Non minus autem Zamoscius, cum in tanta aëris inclementia, cum hoste potius, quam cum frigoris injuriis conflictari militem cupere cerneret, praelio dimicandi facultatem sibi dari expetebat. Ejusque rei, ut extra muros atque munitiones hostem pertraheret, cum varias rationes quaereret, omnia consilia ejus vehementer frigoris, quam diximus, saevitia impediebat. Tanta autem ejus vis erat, ut ubi quis extra tabernaculum vix pedem protulisset, omnibus fere membris, iis potissimum, quae maxime aëri patebant, naribus, auribus, atque facie, gelu astrictis emoreretur: quodque de Moscovitici coeli natura cum miraculo nonnulli prodiderunt, ejusmodi in iis locis frigora esse, ut aquae casu ipso dum funduntur, congelentur, id experiendo multi cognoverint. Maxime autem, quod necesse erat evenire, excubiae saevitia hac frigoris vexabantur, taraeque omnino obibantur, ex quibus non plures plerumque aliqua corporis parte mutilata referrentur. Memorabilis cum primis ex turma Sigismundi Rosnii nobilis equitis casus fuit: cui cum utrumque crus plane jam frigore emortuum esset, isque in febrim inde ac mentis alienationem incidisset, interim vero medicus ferro crura resecasset, ubi ad se rediit, non secus ac si partem aliquam ornatus requireret, de pedibus amissis interrogare coepit. Alius quidam ludicro pene eventu, maximum tamen et ipse periculum adiit; relictus a Basilio Surannicio in primis excubiis non procul a fossis urbis concubia nocte fuerat; cumque frigore plane obrigiuisset, atque equus, uti fieri solet, ex frigore subito gravius se concussisset, is qui nec equum, nec se in equo plane jam enectus continere posset, de equo decidit, pedeque ferramentis, quae ab ephippio dependent, retento, sub ipsas portas equo incitato magna voce alienam opem, cum ipse explicare se non posset, implorans, pertrahitur. Mittit mox Zamoscius, qui eum eripiant, quod si sine periculo facere non possint, ne ipsi temere periculum adeant, mandat. Hostes qui in muro constiterant, fraudem subesse rati ultro irridebant, satisque jam fraudum ac dolorum esse,

Digitized by Google

nec ea ratione amplius se capi posse exprobrabant. Ita incolumis hic a nostris recipitur. Id autem tum tempus anni erat, quo intensissima iis in locis frigora esse, vulgari sermone Moscorum ostenditur, qui Nicolai et Christi frigora appellant, cum maxima designare volunt. Moscovia autem omni sub ipsis fere trionibus posita, nullo fere loco, nisi iis forte, quae ad glaciale mare pertinent, quam in Plescoviensi agro vehementiora frigora existere solent. Itaque et animalia pleraque omnis generis, quae ceteris in locis nigro aut fusco colore sunt, ut corvi cum primis, noctuae, gallinae silvestres, ursi, lupi, lepores, aliaque ejus generis, seu coeli natura, seu frigoris vi, candida hic esse vulgo animadversum est. Noctium vero eam longitudinem esse, ut cum longissimae sunt, diei non quinque omnino horarum spatium sit. Magna tamen in omnibus hisce incommodis tolerandis militum constantia erat: Zamoscius etiam, quantum ejus fieri poterat, ratione ac diligentia ea sublevabat. Excubias quaternis vicibus permutabat, earum ternas per alios obibat; sub crepusculum autem ac primum diluculum per Stanislaum Vlodeconem affinem suum, quem Zbarascio Palatino Braslaviense ad colloquium cum Moscis misso, sibi legarat, quod eo tempore eruptiones hostium maxime expectandae erant. Quo pauciores autem frigoris incommodis afficerentur, pro superiorum temporum consuetudine paucos admodum, qui non tam eruptionibus hostium resisterent, quam de adventu eorum certiores ceteros facerent, in stationibus et excubiis collocabat. Etenim jam ante toto eo tempore, ex quo exercitus urbi admotus fuerat, morem hunc Zamoscius observarat, ut vel diligentissime excubiis dispositis, in ipsis nihilominus castris contra repentinas eruptiones subsidia parata haberet, alboque circum castra misso per vices semper aliquot eam ad rem describeret. Hinc etsi, quod in obsidionibus fieri solet, non raro eruptio tentata esset, saepiusque se hostis offenderet, nulla tamen unquam in castris trepidatio orta, aut unquam omnino ad arma, nisi semel forte mox a discessu Regio, cum ad acuendam militis diligentiam ex industria tumultum Zamoscius auxisset, conclamatum fuit. Ii enim, ad quos cujusque temporis vices pertinebant, cum conscensis equis hosti obviam progressi fuissent, ceteris prope ignaris eum rejiciebant. Tum vero eo accuratius observandum id sibi existimabat, quo propter frigoris saevitiam, ne ea miles affligeretur, pauciores excubitores ponebat: cum ut maxime firmiores posuisset, aëris tamen injuriis ad rem gerendam pene inutiles futuros cerneret. Itaque in ipsis interim tabernaculis, quae partim e vicinarum villarum aedificiis, partim cavernis in terra effossis, cratibusque ac palea intectis, contra coeli incommoda ex tempore sui quisque usus causa pararat, more stationum per vices semper aliquot excubare, equosque quos statim inscenderent, atque arma expedita habere jubebat, qui eruptione aliqua nunciata recentes, ac ab injuriis aëris illaesi, conscensis mox equis hosti occurrerent; qua re et securitati castrorum et militis quieti, atque commodis maxime consulebatur. Stationum igitur ea exteriorum in frequentia, ac numero adeo earum ex transfugis a Szujscio cognito, castrorum oppugnandorum, stationibus prius repeutina eruptione oppressis, consilium coepit, hunc in usum septingentos circiter equos, quos obsidionis incommoda reliquos fecerant, conquirit, ad eosque promtissimum quemque rescribit. Binae contra urbem a castris stationes erant, una ultra Velicam flumen, quae Peczurensem viam observabat: altera cis flumen supra castra. Ex altera parte, qui ad Sviatohoram erant, curabant. Szujscius trecentos circiter equites delectos ultra Velicam contra eos, qui ad Peczurensem, ut ostensum est, viam, in stationibus erant, eo consilio, quemadmodum ex captivis postea cognitum est, mittit, quod illis occupatis, si quod futurum praevidebat, qui a superiori castrorum parte custodias agebant, statione sua relicta flumen glacie concretum ad ferendam suis opem transirent, castra nudatum iri, sibique nullo obsistente repentina eruptione ea invadendi locum futurum cogitabat. Obvenerant diei ejus stationes Zboroviana turmae; quae cum trecentis equitibus constaret, Thomas Orinscius cum quadraginta circiter eorum ultra Velicam flumen positus erat, cum ceteris Laurentius Scarbecus turmae legatus supra castra cis Plescoviam flumen excubabat. Jam ante autem ea in universum custodiis omnibus mandata Zamoscius dederat, ut erumpenti hosti nulla pugnandi copia facta ambitu capto, versus castra statim se reciperent, non modo quo subsidium illis propinquiori e loco facilius ferri posset, verum hostis etiam longius ab urbe ad pugnandi necessitatem pertraheretur. Id igitur cum Orinscius fecisset, Szujscius peditatus partem statim urbe emittit, qui quod locus is om-

Digitized by Google

nis convallibus interseptus esset, valle quadam occupata receptuque intercluso vehementer sclopetis eos premebat. Interim Zamoscius Scarbecum, qui quemadmodum ostensum est, in superioribus stationibus erat, flumen mox transire, impetumque in hostes dare jubet: simulque ipse equo conscenso, iis qui in subsidiis, de quibus ante dictum est, consederant, ut se sequantur, imperat. Scarbeco promtissime flumen transgresso, Szujscius ubi primum stationibus nudata castra animadvertit, mox reliquum peditatum ac equitatum omnem diversis portis ad castra oppugnanda mittit. Interim qui ex instituto, quemadmodum ostensum est, in tabernaculis excubabant, se quique a Zamoscio jussi fuerant, ad certamen jam se expedierant, primique Hungari, qui eam ad Velicam flumen castrorum partem tenebant, inde Joannes Cretcovius, cum turma Stanislai Prijemscii: Sarnacius cum Hieronymi Gostomscii: quarum legati erant, post hos alii tanta celeritate procurrerunt, ut eodem quasi in vestigio, uno conflictu atque impetu trecenti circiter ex hostibus caderent, caperentur ultra sexaginta, magna vero eorum pars vulneraretur. Szujscius qui e proximo muro eventum eruptionis expectabat, caedem hanc et fugam suorum cernens, revocatos intra urbem mox recepit. Desiderati et ex nostris praelio eo aliquot fuerunt, cum valle ab hostibus occupata circumventis auxilium ferri ab aliis non potuisset. Piontcovius nobiles eques captus, ac ab hostibus abductus fuit. Orinscius cum diu fortiter hostes sustinuisset, globo e superiori loco per humerum et intestina trajecto, periit, Petrus Grudzescius cum per hostes manu viam sibi patefecisset, adque nostros jam et ipsa pene castra in tutum penetrasset, e muro tormenti cujusdam majoris ictu interemtus fuit. Ex Hungaris equitibus Franciscus Cobor et Barrabas Balog viri militares ceciderunt. Quod nisi subsidii iis, qui cum Orinscio circumveniebantur ferendi causa: celerius a castris progrediendum nostris fuisset, facile universas copias hostium ad ipsa castra pertrahi, iisque deletis debellari fere tum potuisse, minime dubitandum videbatur. Erat is quartus mensis Januarii dies; sub noctem Zamoscius, quod maxime omnes Moscos cupidissimos suorum humandorum sciret, Nicolaum Vrovecium in loco praelii excubare, ac si forte hostibus ad tollenda corpora egressis, gerendae rei facultas accideret in omnes occasiones intentum esse jubet. Ea nocte nullam in partem se commoverunt. Altera Martino Lesnovolscio notae virturis Praefecto negotium dat, qui cum quibusdam urbe egressis, ac proxima, quae ad eam jacebant, cadavera subtrahere incipientibus, una cum altero equite se ostendisset, celeriter in urbem refugerunt, semperque postea intra moenia se continuerunt. Zamoscius rei gerendae nullum amplius locum futurum, quodque pietati ac humanitati deberi arbitrabatur, ultro hosti offerendum ratus, ad obsessos mittit, potestatem se illis mortuorum facere, ac vel per militem conferri corpora, ac tradi iis jussurum, aut si ipsi per se tollere ea velint, fide publica integrum id illis futurum ostendit; qui in muris erant, laudibus hanc ejus pietatem Christianique animi sensum magnopere extollebant, reque cum Szujscio communicata, ut sequenti die circa meridiem ad se redeat, quo ea de re constitui posset, rogabant. Ad tempus Stanislaus Zolkevius adolescens singulari ingenio praeditus, Melchior Zavisza stabuli Zamoscii praefectus, aliique nobiles juvenes Thracicis generosissimis equis vecti, splendidissimeque omnes ornati injussi una proficiscuntur. Agnoscit ex transfugis Zolkevium quidam, ostendit hostibus, praeterquam quod propinqua cognatione Zamoscium contingeret, multorum etiam secretorum conscium esse; solebat enim Zamoscius, quod praeter aetatem, eximiam in eo indolem ac ingenium perspiceret, in secretioribus rebus ad Regem referendis ipsius plerumque opera uti. Hac re Mosci inducti, mutato consilio, ac pietatis in defunctos offitio, praesenti, quod ostendebatur, commodo posthabito, verbis rem extrahunt, interim majores scloppetos complures, et quingentos circiter scloppetarios in muro clam disponunt. Zolkevius cum varie rem duci animadverteret, ut tandem se explicent, eos hortatur, continuo unus e scloppetariis coortus scloppeto in Zaviszam irruens, irrito tamen propter armorum firmitudinem ictu eum ferit: simul ceteri scloppetos omnes uno tempore displodunt. Zolkevius, quique cum eo erant, conversis equis celeriter se recipiunt; eis e muris aliis mox scloppetis, et quo longius provecti essent, eo majoribus inde tormentis hostes persequuntur; incolumes nihilominus in castra nostri redierunt, quod tantum globorum nimbum evasissent, omnibus mirantibus. Jam ante Joannes Ostromecius, qui ad tormenta cum aliis curabat, hujusmodi rem ad Zomoscium detulerat. In arca ferrea duodecim tubos sclop-

Digitized by Google

petarios, quo citius rumperentur, ex industria tenuatos, ordine disposuerat, eosdemque subtilissimo pulvere, ac arcam ipsam implerat; in medio eam scloppeti partem, quae rota atque incumbente silice ignem ad pulverem incendendum elicit, tensam paratamque constituerat; arca ea in ligneam cistam imposita, fibulam, quae attracta rotam luxare, ignemque excitare solet, duabus chordis, una ad inferiorem ligneae cistae fundum, altera ad ipsum ferreae cistae operculum alligarat: ea ratione, ut sive ferream arcam ex lignea quis eximeret, seu ipsius ferreae tectum moliretur, necessario utraque re pulvis inflammaretur, tubisque atque arca ferrea fracta astantes percellerentur. Hanc si ita ad Szujscium misisset, minime sibi obtemperaturum, quin eam excuteret seque ipse in fraudem induceret, existimabat. Noluerat tum Zamoscius permittere, ut hujusmodi artibus contra hostem res gereretur. Jam publica fide ab illo prius violata: Zolkevioque ac aliis omnibus qui in concilio Zamoscio aderant, urgentibus, ut ejus in se perfidiam ea ratione ulcisci sibi liceret, Ostromecio rem totam permisit. Hic captivum hominem idoneum nactus, per aliquot dies benigne habitum, tamquam magni secreti conscium facturus juramento adigit, fidemque ejus sibi obstringit. Fingit Joannem Mollerum quendam se esse: cum Farensbekio quondam apud Principem Moscorum militasse: postea etiam illo ad Regem se conferente, auctoritatem ejus secutum: ac etsi aliquo apud Regem loco esset pristinam tamen Moscorum Principis in se indulgentiam requirere: eamque ob causam interfecto prius Imperatore exercitus, cum pro artificio suo rei tormentariae remotis arbitris communicaturus cum eo esset, ad illum rursum transire in animo habere. Interim cistam eam, ut ad Szujscium perferat rogare: in eam preciosissimas quasque suas ac alias magni momenti res se confecisse: brevi ipsum opera prius ea, de qua dixisset, Principi Moscorum navata subsecuturum: magni autem sua interesse, ne priusquam ipse veniat, cista resignetur. In eandem sententiam ad Szujscium litteras perferendas illi dat. Moscus duplici laetitia elatus, quod et libertatem recuperaturus, et tam gratum nuntium ad Szujscium perlaturus esset, perque excubias ab Ostromecio traductus ad Szujscium pervenit, qui cum eo tempore aliis rebus occuparetur, ceteros qui ad consilium tum forte convenerant, nullo ad cognoscendum sibi spatio sumpto, aperire statim cistam jubet; concurrunt complures rei novitate, atque innata hominibus curiositate ducti. Ferocissimus omnium Andreas Chorostinus alter Palatinus, et aemulus Szujscii, quemadmodum postea cum ex Alexandro qui pace facta ad Plescovienses a Legatis missus fuit, de quo infra dicetur, tum pace facta ab aliis multis compertum est, pede in cistam ligneam imposito, ferream manu sua ipse extrahere nititur. Interim fibula convulsa, pulvereque inflammato, arca ferrea ac tubis dissectis, non modo astantes omnes dissipantur, verum tecti etiam pars aliqua vi ignis ac fractorum ferramentorum convellitur; prae ceteris maxime insignes, Andreas de quo dictum est Chorostinus, et Chosecius periere. Erat et de Szujscio suspicio, cum ex aegritudine per continuos aliquot dies copiam sui non fecisset: maxime autem apud nostros opinio haec confirmabatur: quod cum assidue antea in muro versari, per questationes volitare solitus fuisset, nunquam posteo se ostenderet. Verum hac de re contumeliosae postea litterae scriptae a Szujscio ad Zamoscium fuerunt: ab iisque ad singularis certaminis provocationem descensum inde fuit. Verum Zamoscio constituto die cum demonstratis ante insignibus in designatum locum progresso hostis non prodiit. Disputabatur nihilominus interim, quemadmodum supra ostendimus, ab utraque parte de conditionibus pacis. De Sueciae Rege ab initio jam Mosci responderant, non recusare Principem suum, quo minus pacem cum illo faciat, verum debere eum more majorum ad Novogardiae Palatinum mittere, qui de conditionibus pacis acturus, cum illo esset: praeter exempla institutaque majorum nihil omnino faciendum sibi esse; qua de sententia cum deduci non possent, inde ad summam Livoniae, ceterarumque arcium utrinque reddendarum conditionem ventum fuit. Plurimum de hac controversiae fuit: cum Provinciam, quam novem et viginti annorum bello, multoque sanguine suo vix peperissent, ac in qua multi Russici generis nati essent: plurimi etiam domicilii constitutis inveterassent, non minus aegre quam si de Moscovitico solo ipso ageretur, relinquerent. Ad extremum de Derpato atque Novogrodca Livonica, cum reliquis urbibus, atque castellis fere omnibus cessissent, vehementer resistebant, quod in illam religionem suam jam invectam, Episcopumque in ea a se constitutum: Hanc Divae Virgini matri Peczurensi sacram dicerent. Tandem cum praeter expectationem suam, minus ad volun-

Digitized by Google

tatem ipsorum ad Plescoviam res fluere, ac ne summam quidem cum aliarum fere omnium tum frigoris difficultatem ab obsidione nostros revocare jamque maxima hiemis parte exacta mitiora tempora instare intelligerent: maxime autem Possevinus, qui quo minus suspecta fides sua apud Moscos esset, cum illis diversabatur, ne ullo cum fructu in re tam pia tantum elaborasset, summa apud utramque partem libertate in pacem incumberet, res convenit. Pacti ut vasa sacra Derpato ac Novogrodco tollere sibi liberet, nec Episcopus sacerdotesve eorum contumelia afficerentur, universa Livonia quam in sua potestate Princeps eorum haberet, decesserunt: Regis nomine econtra Lucis, Zavolocia, Nevala aliisque castellis nonnullis, quae superioribus annis ab hoste cepisset, Velisio ac Polotiensi agro omni recepto, illis cessum fuit. De Narva aliisque castellis, quae a Sueco occupata erant, diu disceptatum fuit, cum nostri Moscorum tergiversatione, in potestatem Sueci venisse ea dicerent, Mosci nihil ad se praestationem eorum pertinere contenderent, quae nec ante a se inter arces Livonicas, quas Regi obtulissent, nominata fuissent, nec nunc tenerentur. Tandem cum in eo haereretur, ita controversia suspensa, ut juri suo in Narvam reliquasque arces: quae a Sueco tenerentur minime Regem defuturum legati testatum facerent: Vejsenstejnio autem, quod jam ante Regi Moscus obtulisset, diserte legati ejus decederent, de captivis deinde actum fuit. Cum Mosci utrinque captivos sine pretio reddi vellent, Regis nomine, quod ex Moscis primarios homines complures, illi ex Regiis captivum insignem nullum fere haberent, Zavolacia, Nevela, ac Sebieszum ac extremo loco Sebieszum pro captivis posceretur: Moscus vero non tantam hominum, quantam possessionum rationem habendam sibi judicaret, in aliud tempus, quo ad exigendum in pacem a se mutuo sacramentum legatos utrinque missuri essent, tota haec res dilata fuit. De tormentis ac apparatu bellico, quae in praesidiis essent, ita convenit, ut relictis, quae cum quaeque caperentur, in arcibus fuissent, quae utrinquae illata essent, secum quisque deferret. Iis igitur conditionibus decennalis pax perfecta fuit, cum nec Moscum in eo amissarum provinciarum dolore opportunioribus temporibus per motus aliquos interegni aut alias occasiones ablata recuperandi spes desereret, et Rex tanta clade atque vastitate Moscoviae illata, quae tam paucorum annorum spatio resarciri nullo modo posset, si provincia Livonia omnibus interim necessariis rebus a se firmata bellum Moscus redintegrare vellet, majores res gerendi facultatem sibi non praecidi non moleste ferret. Legati juramento statim eas firmarunt: de Principum juramento, ut majores Legati exigendi sacramenti causa prius a Rege ad Moscum, inde a Mosco ad Regem mitterentur, constitutum fuit. In litteris foederis conscribendis, per aliquot etiam dies controversum fuit; quod Mosci ab initio universae Russiae Tsarum: postea cum de eo jam decessissent, secundum Moscoviae et Vlodimiriae aliosque complures titulos Astrachanensium tamen et Casanensium Tartarorum Tsarum, Principem suum apellari volebant, nostri praeter morem majorum nihil se illi tributuros contenderent, jam paulo ante autem Parnaviam, quae a Suecis obsidebatur, commeatus inopia vehementer laborare, ac vix quatuor septimanarum spatio tolerare Moscos posse, per Thomam Embdanum, aliosque quorum diligentia in cognoscendis rebus hisce utebatur, Zamoscius cognoverat; a Joanne Zborovio praeterea, qui maximis vadimoniis, necessariisque suis ac familiae suae negotiis coactus in Poloniam redierat, certior factus fuerat, ad res novas Livones sollicitari, rumoresque spargi, Regem si Livoniam recepisset, inter Hungaros universam distributurum. Quod quum ii fieri non posse, nisi ipsi omnes sedibus suis everterentur, perspicerent, non parum ea re multorum animos commoveri necesse erat. Proponebantur eodem tempore Sueci nomine edicta, quibus suorum cuique bonorum, et quas pristinis temporibus, majores cujusque beneficiario jure tenuissent, possessionum restitutio promittebatur, adque possessionem bonorum adeundam, ad quos ea pertinerent, invitabantur. Inter alios Biringius, qui aliquot castella Regia in potestate habebat, ut ex Moscis Parnavia decedentibus cognitum postea fuit, litteras ad Moscos dederat, quibus si diutius sustinere obsidionem non possent, ut Sueciae potius quam Poloniae Regi eam dederent, hortatus eos fuerat. In hoc igitur Livoniae amittendae discrimine, etsi vel vitandem, si subsidia sibi a Rege quem admodum cum eo constituerat, summissa fuissent: aut saltem mense Junio, ultra quem obsessos non toleraturos, perspectum habebat, fame atque commeatus inopia in potestatem Plescoviam venturam Zamoscius non desperabat: ad pacem tamen animum tandem advertendum sibi judi-

Digitized by Google

cabat. Venerat sub idem tempus in castra a Suecis missu Praefecti Narvensis mercator quidam: qui de injuriis, quas finibus suis a milite nostro, qui supra Udovam in Prebusio collocatus erat, illatas dicebant, quereretur; cui cum praeter opinionem Succorum benignius responsum fuisset, venit postea ad Zamoscium a Ponto Gardiano Laurentius Cagnolus Italus: cujus in Narva occupanda maxime insignis opera exstiterat: honorificisque verbis pro Rege Zamoscio salutato, ac litteris ad Regem a Ponto scriptis illi redditis, ut ad Legatos Moscoviticos ipsius voluntate proficisci sibi liceret, petebat. Zamoscius etsi quae in Livonia agerentur, non ignorabat: comitatis tamen suae ad exterum hominem, rationem sibi habendam ratus, in praesentia humanae ad postulata ipsius respondit: non potuisse in mentem venire Regi, cum praesertim tamdiu in castris fuisset, ne quisquam a Sueciae Rege ad se venisset, deinceps Legatum ullum missum iri: atque ita nec Regem ulla hac de re mandata sibi reliquisse: nec se sine Regis mandato: ac voluntate quidquam ei permittere posse: litteras vel per tabellarium ad Regem missurum: aut si ipse ad eum ire vellet, praesidium se ei adjuncturum. Cagnolus responso hoc accepto, tabellarioque cum litteris relicto ad Pontum se recepit. Eum, tabellario ad Regem e castris nondum profecto, perfectae pacis nuntius in Livoniam consecutus fuit. Jamque Alexander qui de pace facta Plescoviensibus renunciaret, a Legatis Moscoviticis Zapolia missus ad Zamoscium pervenerat; quem cum ad prandium Zamoscius invitaret, maximi beneficii loco habiturum se respondit, si ad urbem quamprimum aditus sibi permitteretur. Nam dum ipse epulaturus ibi esset, obsessos interim sanguinem bibituros: his enim verbis utebatur: pransurum se apud eum, ubi laeto pacis nuntio suis impertito, reversus ad eum fuisset. Zamoscius praesidio ei adjuncto, ad urbem perduci jussit. Cum sub Pocroviensem turrim, quae ad Velicam flumen pertinens ab Hungaris tormentis, quemadmodum ostensum est, quassata erat, successisset, ac quis esset ostendisset: tanta eorum, qui in muris constiterant, laetitia, atque gratulatio exstitit, ut subito sublimem raptum in muros extollerent: nullaque vel suorum vel nostrorum circum fusorum verecundia prohiberi se paterentur: quo minus ad pedes ejus projecti eos oscularentur, Archangelumque ac pacis nuntium laetis acclamationibus appellarent; ad nostros deinde conversi fratres ejus appellabant: utque sine metu propius jam ad se accederent, libereque vagarentur, invitabant. Altero die idem Alexander cum aliis nonnullis ex Nobilitate ad Zamoscium in castra redit: quia pax jam convenisset, ut lignatio sibi libera permittatur, ipse vero quam primum exercitum deducat, petunt. Respondit Zamoscius, etsi de pace transactum esset, litteras tamen in quibus conditiones pacis perscriptae essent, nondum ad se allatas: multo minus qui praesidia traderent, a Principe eorum venisse: convivio deinceps eos excepit. Quod cum lautissime instructum fuisset, qui maxima apud nostros commeatus inopia laborari sibi persuaserant, omnium non modo necessariarum rerum, verum plurimarum, quas nunquam ipsi cognovissent, apparatum eo magis admirati fuerunt. Etenim Zamoscius quemadmodum superiori anno fecerat, ita jam initio etiam expeditionis hujus praeter pulverem tormentarium, quo peditatus, quem conscripserat, uteretur, apparatumque bellicum, commeatus quoque maximam copiam, nonnullam etiam elegantioris victus, externorum hominum excipiendorum causa contraxerat, partemque ejus, quam Gedani et Rigae compararat, a Duce Curlandiae, civitateque Rigensi jumentis conquisitis, supra Cokenhausium, quod tum in hostium potestate adhuc erat, exposuerat: indeque adverso flumine Disnam, ac ulterius Zavolociam navibus devexerat: aliam carris deportarat. In eo vero prandio cum cistae quoque ad Szujscium missae mentio facta fuisset, cum de Chorostino, ea quae supra demonstravimus, Alexander prae se ferebat: tum nisi pax interim convenisset, ne ingenio a nostris superati viderentur, vicissim se illis trecenta aurea poma objecturos fuisse dicebat. Id satis apparebat, nullam fere rem aegrius eos ferre: jamque ante priusquam pacis conditiones convenissent, Hungaris propius ad muros succedentibus saepiusque cistam illis exprobrantibus adeo eo commoveri se testabantur: ut cum iidem in flumine glacie adstricto cistam aliquando illis objecissent: crebris tormentorum ictibus doloris ac iracundiae suae flammas in eam ejacularentur: eodem autem modo frequentius deinde ad Zamoscium ventitabant: a quo cum semper benigne habiti fuissent, ac vero captivorum quorundam permutandorum causa in Procopium Penonscium turmae Praefectum convivium tum forte agitantem incidissent: qui antea commeatus ac rei frumentariae difficultate coactum, ultra Za-

Digitized by Google

moscium exercitum reducturum existimarant: ut non modo Imperatorem ipsum, verum exercitum universum in maxima copia versari videbant, sequenti die Theodorum Miasojedovum aliosque frequentes ad Zamoscium mittunt: ut pace facta exercitum tandem abducat, obsidioneque urbem liberet, petunt: quod nisi intra triduum faciat, nolle se pace teneri ostendunt. Respondit Zamoscius, existimare se pace jam facta non ex animo haec ab illis dici: quam non ingratam illis accidisse, gratiorem quidem, quam generi hominum ex stipendiis viventi sciret: exercitum cum commodum futurum esset, se abducturum. Interim Palatinus Braslaviensis ipse in castra venit: nec alia conditione pacem convenire potuisse, quam ut nulla mora interposita exercitus reduceretur, docuit: reddendarum quoque arcium eas conditiones placuisse, ut aulici ab utroque Principe ad arces, quae restituendae essent, quam primum mitterentur, qui ubi advenissent, rusticorum ac agri possessio statim traderetur. Interim ab iis, qui possessionem adirent jumenta decedentibus ad res suas deportandas praeberentur: quae si praebita essent, tum octavo ab adventu aulicorum die, praesidio ipso quoque decederetur: si quae ex vilioribus rebus deportari commode non possent, eae consignatae interim deponerentur, ac primo inde tempore iis, quorum essent, restituerentur. Videbat Zamoscius magnam hisce in rebus difficultatem. Nam cum in regione continuis bellis vastata, magnam jumentorum paucitatem exsistere necesse esset, in Moscorum fere potestate fore intelligebat, pro suo arbitrio retitutionem extrahere. Ut tamen quid animi haberent, periclitaretur, ac fiduciam simul suam iis ostenderet, Ostroviam antequam dies reddendae ejus venisset, tradi illis jussit: ac licet ea sola in re cum recipiendae reliquae Livoniae, tum pacis stabilitatem omnem positam intelligeret, ut obsidionis ac exercitus metu in fide Moscos contineret: ne tamen a se violati jurisjurandi Legatorum initium profectum jactare possent, revocatis omnibus ex partibus pabulatoribus, peditatum omnem cum tormentis, ac graviore belli instrumento, Novogrodcum versus, quo in castello deponere ea cogitabat, octo dierum itinere antecedere se jubet: inde diversas alias turmas ad recipiendas arces Livonicas sigillatim praemittit: eas agmen quod aegris praesidio erat, sequebatur: post id impedimenta agebantur. Ipse cum reliquo exercitu die 6. mensis Februarii Plescovia movit, spectabant transgredientes copias, partim ex muris atque propugnaculis urbis, partim e ripis fluminis, aliisque eminentioribus locis frequentes Mosci: maximo ultimam hanc exercitus partem admirabantur: quae cum ad viginti quatuor millia equitum accedere videretur, magis tamen fere splendore, ornatuque, atque equorum praestantia, quam numero ac multitudine eos in se convertebat: ita plerisque integris, ut nihil vel parum omnino ex hiemis ac diuturnae obsidionis incommodis decessisse illis videretur. Hoc ordine ad Seskelium interim aliosque vicinos pagos supra Derpatum eo consilio exercitum traducit: quod eo ex loco et in Moscoviam, si pacis conditionibus a Moscis non satis fieret, facilem se receptum habiturum, et in Parnaviam intentum se esse posse judicabat: ac si Succicae copiae, quemadmodum iis denunciarat, ab ea non decessissent, ex tempore et re ipsa consilium capere. Etenim jam ante, mox a facta pace Joannem Lesnovolscium aliquot cum turmis equitum miserat: qui urbi ac arci praecesset, Gardianoque si obsidionem nondum solvisset, ut ab ea tamquam Regii jam juris urbe abstineret, denunciaret. Mosci etsi Ostrovam jam recepissent: dies etiam, qua Novogrodcum se reddituros constituerant, lapsus esset: ex industria tamen moras interponebant: seu quod in exercitum, si forte dilaberetur, intenti essent: seu quo e remotioribus praesidiis ad extremas oras, finesque ipsos Moscoviae omnes sui interim convenirent, tutoque res suas deportare possent: ne si primis recedentibus ultimi, qui Cokenhausii, Parnaviae, ac in longinquioribus aliis locis erant, tardarent, injuriis ac vexationibus nostrorum paterent. Quam moram maximo suo atque exercitus cum incommodo fieri Zamoscius videns, Vroveciam jam ante cum tormentis Novogrodcum versus a se praemissum aditum in castrum quaerere jubet. Hic cum aditum aliquem amicitiae ad Praefectum sibi fecisset, familiariter deinde commeare ad eum coeperat. Itaque aliquanto post Zamoscius ipse, qui interim advenerat, cum Palatino Braslaviensi, ac sexaginta circiter militibus sigillatim sequentibus, rogantique ex more portitori, centurionem venire nostris respondentibus, castrum ingreditur. Venerat sub id tempus Petrus Volcoviscius. Hic cum Palatinum Braslaviensem ex colloquio ad Zapoliam, cui ipse etiam Volcoviscius interfuerat, agnovisset, incusassetque

Digitized by Google

Praefectum: quod cum centurionem se recepisse diceret, Palatinum recepisset: respondit Palatinus, non se modo, verum Zamoscium ipsum adesse. Qua re turbatum eum Zamoscius videns: tu quidem, inquit castrum hoc jam Principi tuo perdideras, nisi ex conditionibus pacis ultro id tradere deberes: nullumque ea in re dolum a se quaesitum, sed ut castrum, quod Principis sui esset, videret, ingressum se ostendit: utque decederet, hortari hominem coepit. Illo jumentorum inopiam incusante, ex iis equis qui tormenta trahebant, certum numerum ei dat: quibus sublevatus rebusque omnibus exportatis, castro tradito excessit. Est Novogrodcum amplitudine quidem non magnum, sed cum vicinitate Moscoviae clarum, tum ob eam ipsam opere, maxime autem triplici muro, crebrisque turribus ac uno insigni propugnaculo diligenter munitum. Inde Seskelium recta Zamoscius venit, ubi cum per aliquot dies substitisset, dum an Derpatum Sigismundo Rosnio, quem ad accipiendam urbem pro Legato miserat, redditum a Moscis esset, cognosceret: posteaquam ne jumentis quidem acceptis, quae in magna jumentorum inopia a Duce Magno ac aliis conquisita non parvo numero Zamoscius eo miserat, decedere Moscos intelligeret, Derpatum ipse contendit: inque proximum ad urbem Monasterium divertit. Inde Nicolaum Zebridovium, et Stanislaum Zolkevium filium ad Praefectum mittit: ut mox se recipiat, urbemque ac arcem ut conventum erat, tradat, postulat: quod nisi intra tertium diem faciat, continuo se exercitum in Moscoviam reducturum ostendit. Advenerat jam a Mosco Basilius Holovinus, ex primariis aulicis ipsius. Hic gemitum ducens meminisse se ejus temporis dicebat, quo Moscis etiam ferocibus esse licuisset: morae tamen causam esse, quod a jumentis atque carris nondum satis paratus esset. Itaque, ut ad tridui spatium unum solum diem adjici pateretur petebat. Cum ex propriis jumentis ducenta circiter Zamoscius illi adjecisset, Derpatum quoque 24 mensis Februarii die recepit. Vicesimum nonum jam annum Derpatum Moscus tenuerat. Itaque ut ab ea, in qua geniti magnam partem essent, vel adolevissent, maximo cum dolore atque lacrimis plerique divellebantur. Inprimis feminae ad suorum partim maritorum, partim liberorum, parentum, ac propinquorum sepulturas concursantes naenias suas more suo decantabant. Est enim omnis gens Moscovitica si quaequam alia, in sepulcrorum ac mortuorum cultu cum primis superstitiosa. Diversum autem hac in re ab aliarum gentium institutis hoc maxime habent, ut non statim mortuos sepeliant, sed per annum unum loculis conditos in fornicato aliquo coenaculo asservent: ac exacto demum anno multis cum lacrimis ac planctu terra condant. Fuit Derpatum amplissima olim Livoniae urbs: quod vel hodie adhuc publicorum, privatorumque aedificiorum cultus indicat. Agrum etiam Livonia Derpatensi meliorem feracioremque nullum habet. Priusquam Germani in Livoniam immigrantes religionem Christianam, linguamque suam ea in loca inferrent, a Sudetibus gente barbara omnis is tractus a mari supra Pelbam lacum Plescoviam usque tenebatur: qua cum Russis frequentia bella intercessisse Moscorum annales narrant. Postquam a Christianis ora ea coli coepit, Episcopis usque ad Hermannum Vesselium paruit: Hunc cum post captam Narvam ac Neuhausium una cum Derpato in deditionem Moscus accepisset, postea contra fidem datam in Moscoviam deportarat: non minori in vivum Episcopum perfidia, quam odio in mortuos usus: quorum nimirum ibidem paulo post et cadavera e templo sepulcrisque ejecit. Urbs aliquandiu deinde a Livonibus et Moscis aequo jure habitata fuit: aliquanto tempore interjecto cum Livones injuriis Moscorum coacti in necem eorum conspirassent, Livonibus ut majori Moscorum numero non difficulter ab iis superatis, ac plerisque interemptis, ceteris in Moscoviam deportatis, Moscos solos deinde incolas habuit. Jam ante Novogrodco discedentes Mosci ignem fundamentis subjecerant: qui mox a nostris deprehensus, suppressusque fuit. Derpati, quod praecipua aedificia, duo sunt: arcis alterum, in quo prius Episcopus, postquam in Mosci potestatem venerat, Vladica habitabat: alterum ad Principis usus factum: quod Dux ipse privatis aliquot primariis domibus occupatis, moreque suo exornatis pro se exstruxerat: cum existimarent, in arcem Zamoscium diversurum: eorum enim moribus capitale est, in Principis aedibus quemquam habitandi causa esse: arci diversis in locis pulveres subjecerant, quorum aliqui intra viginti quatuor horarum spatium, partim intra quadraginta octo absumtis funiculis incensi post illorum digressum tollerentur. Zamoscius cum in Principis domum recta divertisset, rusticorum quorundam, qui in purganda arce oc-

Digitized by Google

cupati erant, nece periculum redemptum fuit. Hosti nihilominus diligentissime fides conservata fuit: ac non modo in nullos, qui reliqui e Moscis in Livonia erant, hanc ob causam vindicatum: verum cum puer etiam quidam Plescheovi Derpatensis Palatini propinquus, non tam interceptus a nostris, quam more puerorum pueriles quasdam voluptates sectatus ultro ad eos se contulisset, vehementerque ea re Plescheovus perturbaretur, magna diligentia conquisitum reddi eum jussit. Haud alia vero ratione reliquae etiam pleraeque arces a ceteris Praefectis receptae fuerunt: Moscis initio, priusquam de Derpato reddito iis constaret, dexteritate potius atque ingenio nostrorum ex iis dejectis, quam decedentibus. Derpato recepto ad regios quoque Praefectos, qui Zavolociae, Lucis, ac aliis castellis Moscoviticis praecrant, ut Moscis ea traderent, litterae datae fuerunt. Ad hanc, nempe diem nullius a nostris quoque possessio praeter quam Ostroviae tradita Moscis fuerat: tum autem ex fide omnes redditae. Interim Gardianus quoque postquam Lesnovolscius, quae supra ostendimus, a Zamoscio ei denunciasset, finibus obiter pro arbitrio ei demonstratis, obsidioneque soluta exercitum Parnavia abduxerat: eque campis contractum per praesidia distribuerat. Eodem autem tempore de Vejssenstejnio quoque Ernestum, Vejerum, et Michaelem Conarscium ad eum Zamoscius misit: qui Vejssenstejnium a Mosco Regi cessum ostenderent, ac an possessionem ejus impediturus esset, quaererent. Responditiis Regem suum ipsum Legatos ad Poloniae Regem de controversiis hisce missurum.

Atque hic quidem exitus belli fuit, minori animo a Mosco gesti, quam quo vel in prioribus quibusdam usus fuerat, vel id ipsum susceperat: pristinaque ejus potentiae fama requirebat. Praeterquam nempe quod in silvis, fluminibusque superandis exercitum impeditum, cum facillime id facere posset, priusquam in aperta Moscoviae ac viscera Regni ejus penetraret, transitu prohibere ne conatus quidem omnino sit: nullam etiam justis viribus pugnandi potestatem unquam ab eo factam non paucis mirum visum est. Id eane de causa fecerit, quod Legatorum missionibus suis rei gerendae tempus eximere se posse, ac inanibus interim sumtibus vires Regis minutum iri sibi persuasisset: an quod superiorum temporum fortuna edoctus, parum in acie suis se committere posse statueret: seu etiam quod solet facere Deus, ut quos pro scelere eorum punire velit, iis consilium prius, ac animum eripiat, ipsum quoque perpetuus crudelitatis comes et vindex metus nihil in rebus suis ratione providere, aut fortiter suscipere siverit, non affirmarim. Hoc satis constat, et ab initio, facillimo momento inter silvarum paludumque ac fluminum eas difficultates, Regis exercitusque impetum vehementer reprimi potuisse: ac si in summum discrimen rem adduxisset, haud fere majorem cladem accipi ab eo potuisse, quam dum de summa rerum sollicitus, certamenque omne defugiens diversis in locis singulos suos a multitudine exercitus circumventos nostris objicit, accepta ab eo est. Omni enim Moscovia a Borysthene supra Starodubam ac Radohostiam ad Czernihovam usque: a Duna deinde flumine, qua Stariciam usque, qua supra Novogardiam ad Ladogam usque lacum longe, lateque vastata, tot praesidiis expugnatis, multis in deditionem acceptis, trecenta circiter millia hominum interiisse: ad quadraginta capta constat: ut aliquot vicibus instaurari bellum tanto hominum numero potuisse videatur, puerorum quidem quanta multitudo capta sit, ex eo conjici potest, quod privatus ex nobilitate nullus fere sit, qui non unum atque alterum: multi qui plures in servitute habeant, quod quidem incommodum specie, quam superius, minus, re ipsa majus est. Juventute enim e quibusdam provinciis, maxime autem Lucensi, Zavolociensi, Plescoviensi, ac Novogardiensi omni fere sublata, quae nunc ab adultioribus coluntur, mox sobole omni deficiente, ultro desertum fere iri apparet. Oppida ac castella, quae ipse in potestate habebat, ultima hac pactione ad octodecim dimisit: Derpatum nimirum, Felinum, Lajisium, Mariemburgum, Cokenhausium, Parnaviam, Volmariam, Rumburgum, Hasselum, Novogrodcum, Marienhausium, Ludsenium, Rossittenum, Tricatum, Bersonum, Landescum, Sesuegium. Vejssenstejnii autem cum id ad Sueco teneretur, jus atque repetitionem, quae vero bello ante capta a Rege tenebantur, numero non pauciora, Polotiam, ac in eodem Ducatu Susam, Socolam, Crasnam, Usviatam, Sitnam, Jesericiam, Cosianum, Nescerdam: supra Vitebsciam, antiquioris possessionis Moscicae Velisium, cujus ad centum viginti millia passuum ager patet: in Livonia Vendam, Lenovartum, Duneburgum, Pirkelium, Salium, Kirempesium, Elsenum, Fabianum: cum ipse ex

Digitized by Google

iis, quae a Rege armis parta possidebantur Lucos, Zavolociam, Ostrovam, Nevelam, Chelmam, tum ab ipsomet deleta castella, Crasnam, Crasnohorodum, Voronecium, Veliam sola reciperet. Quibus tamen in omnibus detrimentis nullum fortassis majus censeri debeat, quam quod portubus cunctis Baltici maris amissis, a Borysthenis autem navigatione jam ante Turcarum armis exclusus, a mari fere omni praeter quam glaciali importuosissimo, ac periculosissimo, atque aliarum fere nationum occidentalium, ac meridionalium commerciis in penitiorem Moscoviam tanquam relegatus: compedesque quo minus libere vagari possit, injectae ei videantur.

# *LIBER SEXTUS.*

Pacato cum ad modum, quem superiore libro demonstravimus, Mosco, nihil prius Rex habuit, quam ut provinciae constituendae causa, ipse in Livoniam Rigam usque procederet. Quam cum 12 mensis Martii die ingressus fuisset, postridie Zamoscius ad eum venit. Jam ante autem alii etiam Senatores Polonici aliquot, ac Lithuanici satis frequentes comitati eo Regem fuerant. Ad eos Ducem Curlandiae ac ex Nobilitate Livonica quam frequentissimos Rex litteris evocat: quaeque ad provinciae ejus statum pertinere videbantur, cum omnibus iis communicatis, ut scripto sententiam suam explicarent, hortatus eos fuit. Erant, de quibus deliberabatur, capita haec potissima: de templis cultuque divino instaurando: de Episcopo restituendo: provincia ordinis judiciorumque causa in partes certas dividenda: Magistratibus ac aerario publico constituendo; de quibus cum quid quisque sentiret, ostendisset, Rex etsi non ignoraret, a majoribus suis etiam sine ordinum auctoritate provincias ab iis partas privato consilio constitutas: quo tamen gratius beneficium suum esset, si cum omnes operam studiumque suum ad eam provinciam recuperandam contulissent, ex omnium consilio certa ejus formula describeretur, in Comitia totam rem distulit: Legatos tantum partim ex comitatu suo, partim ex Nobilitate Livonica designavit, qui provinciam universam inspicerent: agros reditusque eorum omnes, ac jura describerent, omnibusque iis de rebus ad se referrent: quo rectius deinceps in Comitiis statui de iis posset. Possessionum autem omnium quatuor genera facienda judicabat; quorum primum esset, quod ad publicam securitatem pertineret, finitimarum arcium: quaeque ad illas, ut ex propriis proventibus muniri, omnibus necessariis ad defensionem rebus ornari, retineriique possent, adjiciendae essent: earum alterum, quibus tum Episcopatus cultusque divinus, tum aerarium publicum stabiliretur: tertium earum esse debere statuebat, quae privatis certo jure deberentur, aut cum iisdem, si hereditariae possessiones eorum Reipublicae causa restitui iis non possent, permutarentur: Extremum quibus bene meriti et quorum prae ceteris in hoc bello opera eminuisset, virtutis causa donarentur. Inde militibus Magistratus praefecturaeque quae vocabant collatae: quibusdam stipendia assignata fuerunt. *In toto* autem hoc bello id a Rege observatum fuerat, ut si qui in eo periissent, qui publicas possessiones jure aliquo tenerent, easdem liberis eorum quamvis infantibus, partim etiam puellis confirmaret; multis etiam ex plebe cum superioribus expeditionibus, tum maxime hac ob praeclara facinora aliqua Nobilitatis jus datum fuit: qui cum plerique a Zamoscio in insigniorum communionem recipi se poterent, viris fortibus non invitus tribuit, ut cum ipsi ante virtute sua Nobilitate dignos se fecissent, a se gentis suae insignibus non indigni judicarentur: iisque aliqua re auctis, vel minutis, aut aliquantum immutatis, qui id a se petiissent, plerosque donavit. Quibus ita *constitutis* cum Rigensibus de iis rebus, quas in adventum Regis rejectas supra ostendimus, actum fuit. Occuparat civitas a morte Archiepiscopi Vilhelmi, cum sedis ac templi Archiepiscopalis possessionem, tum omnia quam ad id pertinerent, jura ac proventus: adque Augustanae

Digitized by Google

Confessionis formulam omnia templa revocarat. De hoc capite ita convenit, ut D. Jacobi, et quae proxima ad illam est, D. Mariae Magdalenae aedes ad Catholicae religionis usus cum omnibus, quae antiquitus ad eas aliquo jure spectassent, proventibus redirent: penes civitatem curia, quae Archiepiscopi fuisset, prope muros urbis sita una cum domibus Canonicorum, ac arcis desertis, quam ante id collatae non essent permanerent: cum 5 census aliqui annui percipi olim publice iis ex locis soliti fuissent, ut eorum nomine certam pecuniam annuam D. Jacobi aedi ejusdemque sacerdotibus civitas penderet. De vallo, quod contra arcem civitas objecerat, assensum a Rege fuit, ut eo quo nunc esset loco maneret: cumque se quoque ab omnibus partibus arcem vallo circumdaturum ostendisset, id solum adjectum fuit, ut ad ejus modum, quo arcem muniturus esset, urbis quoque vallum aequaretur: ab eademque arcis parte in muro urbis porta aperiretur. Inter Curlandiae etiam Ducem, ac civitatem de navigatione, ac portorio controversia erat: cum ille per fluvium, qui ex ditione ejus infra Rigam in Dunam allabitur usum portus Rigensis, merciumque exportandarum jus ac immunitatem sibi defenderet, civitas negaret. Eos ut inter se componerent, hortatus Rex fuit: quod si convenire non posset, in Comitiis cogniturum de ea se ostendit. Venerat Rigam et Magnus Dux. Hic ejus quam possidebat, Livoniae partis confirmationem petebat: adque homagium accipiendum, ac juramentum praestandum sese offerebat. Ostensum huic, more majorum non nisi in Comitiis id fieri posse. Ultima loco Nobilitas desideria sua ad Regem detulit. Quae cum ad universae provinciae statum pertinerent, responsum et huic fuit, humanitatem ipsam postulare, ut cum Ordines Regni tantum laboris, atque sumtus in provincia ea liberanda suscepissent, ne sine eorum auctoritate iis de rebus statueretur. Angebatur potissimum animo Rex, ne cum Moscus, qui in finibus Livoniae ex praesidiis Livonicis, quae deduxerat, non contemnendas copias coactas habebat, Narvam iis oppugnaturus diceretur: si minus forte paratus tum Suecus esset, minusque ad resistendum virium haberet, utrique eam perderet. Itaque mox Petrum Visgerdum Lithuanum cum litteris ad Moscum mittit: ostendit, accepisse se ex Legatis suis, quos Zapoliae habuerit, pacem inter eos, atque ipsius Legatos certis conditionibus convenisse: eam se ratam habere: cum autem arces Livonicas, quae a Sueco tenerentur in conditionibus praeteritas intelligeret, si a Mosco oppugnarentur, jus suum ac Reipublicae, quod semper excepisne, negligere se non posse id se pro sua fide ac religione dissimulare non debuisse: hortari ne forte ea res pacem turbet, ut dum majores Legati, qui pacem utrimque firmaturi sint, ac si quid dubitationis in conditionibus adhuc sit, de eo cum illo conventuri, ad eum perveniant, omnem vim ab illis abstineat. Constituerat iisdem de rebus Regina ad sororem Succiae Reginam, per Christophorum Varsavicium litteras dare. Cum tardaret, Rex qui in ea, cum voluntatis Mosci, tum aliarum rerum incertitudine nullam moram interponi volebat, non dubitandum sibi existimabat, quin Dominicum Alamannium Culinae Praefectum, quam primum ad Suecum mitteret; prae ceteris idoneum ad Legationem hanc ratus, quod ab eo jam tempore, quo primum de matrimonio inter Regem Succiae Ducem tum Finlandiae et Reginam Catharinam per Joannem Baptistam Tencinium potissimum actum fuerat, Alamannius, qui in familia Tencinii tum fuisset, omnium rerum conscius et sequester fuisset; indeque tam Regi quam Reginae notus esset; Reginae etiam, apud quam potissimum negotia haec propter summam cum Regno Poloniae necessitudinem, et quod non parum apud maritum posse existimabatur, agenda videbantur, non ingratus putaretur. Summa Legationis erat, ut repetitis iis, quae ab initio belli utrimque intercessissent, tertii anni bellum nullam aliam fere ob rem, quam solam Narvam ac ut communi pace Suecus comprehenderetur, a Rege susceptum ostenderet: reliquam enim Livoniam fere omnem Legatione Vilnam ad Regem missa jam ante Moscum cessisse; eo magis contra opinionem Regis accidisse, quod dum ad Plescoviam cum exercitu Rex esset, quo iturum se pro mutua necessitudine amice ante ei aperuisset, hostemque ab omni auxilii suis in Livonia ferendi facultate exclusisset, cum ab aliis potius partibus in Moscoviam illum irrupturum exspectasset, non modo Narvam, ac vicina castella, praesidiario milite; quem Plescoviam, ex praesidiis omnibus hostis contraxerat, nudata, commeatuque ac omni spe auxilii destituta: sed Vejssenstejnium quoque quod jam hostis cessione Regis esse scivisset, dissimulatis litteris Regis, ac iis fere copiis,



Digitized by Google

quas Gedani magna ex parte ministri ejus conquisiverant, occupasset; Pernaviam obsedisset: potuisse Regem, si id tentaturum eum praescivisset, et sumtu et labore ejus anni belli supersedere: jam vero et cursum rerum praeclare contra Moscum geri coeptarum, et obsidionem Plescoviensem, cujus cum graviorem partem jam superasset, facile reliquam etiam superaturus fuisset, interrumpere, ac sine ipso etiam pacem facere necesse habuisse; nè dum pro ejus commodis laboraret, majus in Livonia incommodum, de qua sola bellum tum erat, ab eo acciperet; pro quibus injuriis omnibus ut Regi reique publicae satisfaceret, postulare jussus fuit. Secreto mandatum ei fuit, ut cum hereditatis Sigismundi Augusti: pecuniarum ei creditarum: dotis ab eodem promissae, nec dum numeratae, aliarumque rerum quarundam petitionem Suecus relaturus existimaretur, ostenderet quidem, aliam earum rerum petendarum rationem esse, certumque de iis jus, ac morem judiciorum antiquissima Regni consuetudine receptum: aliam injuriarum, quibus ab illo Rex affectus esset; quaeque cum iis rebus nihil commune haberent: si tamen ita animatum videret, ut de Revalia quoque ac omni jure Livonico simul decidere paratus esset; dotis et mutui, quod peteret, solutionem sine ulla exceptione ei promitteret: reliquarum controversiarum disceptationem communibus arbitris Regem permissurum: ut communi etiam pace comprehenderetur, apud Moscum elaboraturum ostenderet; qui si ne iis quidem conditionibus permoveri se pateretur; vel pacem cum Mosco certam opera Regis ei fore, vel mille equites in bellum Moscoviticum, sumtu suo Regem ei praestiturum reciperet: ex eorum nimirum genere, qui beneficiis Sigismundi Augusti ornati, haud multi in militiam eam conventuri essent, idque pro libertate Gentis Polonicae salva pace publica suo arbitratu facere possent: stipendio autem ac sumtu Regis tamdiu futuri apud eum essent, quoad eadem pace, quam cum Rege haberet, ipsum quoque Moscus comprehenderet; quod si eo tempore de Livonia, quam teneret, universa transigere Suecus alienum existimaret; docere jussus fuit, non recusaturum Regem, quo minus communium amicorum interventu quicquid inter eos esset controversiae, componi pateretur: si quid etiam debere illi videretur, praestaret: modo de Narva interim in omnes casus utrique satis prospiceretur: nedum ipsi inter se de ea disceptarent, a Mosco occuparetur. Id ea ratione commodissime fieri posse, si Regis praesidium in eam immitteret. Cum non Moscus propter pacem, quae cum Rege ei esset, si praesidium Regium Narva receptum fuisset, oppugnare eam non posset, non modo Narvae, sed aliorum etiam praesidiorum suorum Livonicorum, quibus Narva objecta esset, securitati sine incommodo ac molestia sua eum consulturum: simulque omnibus copiis suis conjunctis, ad defendendam Finlandiam longe futurum paratiorem; si nec arces controversae contra vim hostilem defendendae ei *essent*, nec copiae in diversa praesidia distrahendae. Interim de arbitris inter se conventuros: et vel minutum controversias omnes eorum interventu iri; vel si tolli eae non possent, Regem Narvam illi redditurum, aliasque juris sui persequendi rationes initurum; ne vero fraudi ei esset, quod propter commune periculum Narvam sibi tradidisset, idoneae in eum casum ei cauturum. Profecto jam Alamannio, Varsavicius cum litteris a Regina Rigam venit. Dedit et huic Rex eadem fere, quae Alamannio data fuerant, ad Sueciae Regem mandata. Jussit autem, ut si priorem Legatum aliquid constituisse intellexisset, non exposita Legatione se reciperet: si infecta re dimissum comperisset, ostenderet: quod majores Legati eo ipso tempore in Moscoviam a Rege mitterentur: Comitia etiam brevi indicturus Rex esset; summam illum, et ut pace a Mosco *comprehenderetur*, et de aliis rebus suis cum Ordinibus agendi facultatem habiturum: hanc causam fuisse Regi, ut etsi jam ante iisdem de rebus Legatum ad eum misisset: tamen et Reginae conjugis suae precibus et mutua necessitudine adductus, denuo se ad illum mitteret: haneque explicandarum omnium harum controversiarum opportunitatem ei significaret. In conditionibus nihil quemadmodum ostensum est, mutatum fuit. Antequam Riga Rex discederet, majores Legatos, de quibus dictum est, in Moscoviam designavit, Joannem Zbarascium Palatinum Braslaviensem, Nicolaum Talvosium Castellanum Samogitiae, Michaelem Haraburdam. Mandata haec iis data fuerunt, *ut* juramento in pacem a Mosco exacto, *de* Sueciae praeterea Rege eadem pace comprehendendo agerent. De Narva autem, ac aliis castellis Livonicis, quae a Sueco tenerentur, si tentaturus ea Moscus esset, quemadmodum per litteras Rex jam ostendisset, non defutu-

Digitized by Google

rum iis Regem, vel etiam pacem, si id fieret, ratam habiturum testificarentur. De captivis quia ante Moscus postularat, ut utrinque pariter captivi redderentur, non parem utriusque captivorum rationem esse ostenderent; cum in Regis potestate praecipui ipsius ductores essent; illi ex Regiis insigniorem nullum: ex Nobilitate paucos: reliquos ex promiscua plebe haberet. Itaque ut vel Zavolociam ac Nevelam, aut alterutram saltem earum Regi pro illis permitteret, postularent; cum ante integrioribus adhuc rebus suis pro paucioribus captivis Usviatam ac Jeserisciam obtulisset, quarum haec nondum tum in potestatem Regis venisset; vel cum ipse ante Sigismundi Augusti temporibus certa pretia in singula capita exigere solitus fuisset, eodem exemplo suo suos nunc redimeret. Revenit sub idem tempus Rigam a Mosco ad Regem Possevinus, multis incommodis et aerumnis peregrinatione ea perfunctus. Laborarat hic potissimum apud Moscum de dissensione, qua a Romana Ecclesia, sicut ceteri Orientales plerique ita Moscus quoque dissidet, tollenda: atque Ecclesiae communionem eodem reducendo: tum pro suo in Rempublicam Christianam studio foederis contra Tartarum cum Rege sanciendi ultro mentionem intulerat; quidque animi Moscus de conjungendo contra barbaros bello haberet, explorarat. De extremo hoc ostenderat Moscus, pacem jam cum Tartaro se fecisse. Venere una cum Possevino Legati, ad Summum Pontificem ac Rudolphum Romanum Imperatorem a Mosco missi: alter item quem Constantinopolim cum muneribus, quibus caedem filii expiaret, ad Patriarcham Constantinopolitanum ablegarat. Utrisque litterae commeatus publici datae fuerunt. Remisit iisdem etiam fere temporibus ad Regem Matthiam Prevostium; qui cum litteris, quibus ipsius Rex respondebat, de quibus supra dictum est, Zavolocia ad eum missus fuerat: et mercatores, quos per tempus belli retinuerat. Ad litteras paucis respondit; intelligere se eas in medio ardore belli ad se datas, asperius aliquanto scriptas esse: jam cum pax atque amicitia utrinque restituta sint, ad eas, quas bellum tum nonnihil exasperarit, pacis tempore respondere necesse sibi non arbitrari; quod cum etiam, qui litteras attulisset, tamdiu retinuerit, cum propter bellum armis viae omnes obsessae fuerint, fieri aliter a se non potuisse. Dimissis Legatis, quos ad describendam Provinciam designatos supra ostendimus, Vilnam Rex profectus fuit. Ibi Legationem Tartaricam audivit, quae a Mahomete Girejo Tauricanorum Tartarorum Principe haud multo ante venerat. Petebat donativa: de Cosacorum injuriis et vexationibus querebatur; quae quidem etsi extiterant non infrequentes: augebantur tamen ex industria a Tartaro: quo domestici metus, ac vicini periculi simulatione longinquam Persicam militiam effugeret, in quam a Turcorum Principe sub idem tempus evocabatur. Responsum a Rege fuit, donativa more majorum datum iri; iisdemque quibus antea fuisset, legibus, pacem cum illo futuram. De Cosacis idem etiam, quod ante aliquoties ostensum: manum hominum ex diversarum gentium colluvie coactum, vagam, ac nullis certis sedibus consistentem, nullius etiam in potestate esse: ut tamen quantum fieri ejus posset, ab injuriis et infestatione prohiberentur, sedulo ac cum fide operam datum iri. Insolentius id a barbaris acceptum fuit, responsoque audito, Princeps Legationis in ipso quasi discessu publice restificatus est, ut omnia fierent, nisi tamen Cosaci in officio continerentur, pacem se non servaturos. Jam ante Minoris Poloniae, ac Russiae Nobilitas, Legatis missis, de tributo in suis conventibus a se decreto certiorem Regem fecerat. Hoc vel tempore priusquam Vilna Rex discederet a Majoris quoque Poloniae, Moscoviticae item, ac Podlassicae Nobilitatis Legatis aditus, de simili tributo in illis quoque conventibus sancito cognoscit. Gratiae utrisque actae, deque animo in Rempublicam Regis optime sperari jussi fuerunt, cujus constituendae ac Livoniae simul, quam communi omnium consilio, ac ope partam, communi etiam Ordinum judicio Rex reservasset, ordinandae causa intra eum ipsum annum Comitia Regem habiturum in responso ultimis hisce dato adjectum fuit. Quibus de causis, quibusque cum mandatis tum ad Moscum Visgerdus Lithuanus, tum ad Sueciae Regem Alamannius a Rege missus fuerit, supra ostendimus. Moscus litteris Regis, quibus, ut a Narva ceterisque Livonicis praesidiis abstineret, hortatus eum Rex fuerat, statim assensus fuit. Apud Suecum ingrata Legatio fuit: nec multum in Regina etiam ad mitigandum animum ejus praesidii fuit: cum praeterquam quod iracundia ejus omnes ad placandum cum aditus omnibus obsepserat, de injuriis, quibus ob non praestitam dotem hereditatemque fraternam, ac non comprehensum pace maritum



Digitized by Google

affectam se existimabat, ultro quereretur. Itaque cum ea Alamannius inde renunciaret, ex quibus istas quoque res ultra superiores injurias magis exasperatas appareret, Rex, qui Vilna Grodnam jam venerat, senatoribus plerisque eo evocatis, ex illorum sententia Comitia eo maturius indicenda statuit; in quibus de Succi etiam injuriis ad Ordines referret. Interim in Livoniam ad Magistratus et praefectos, quo loco res essent perscriptum: utque viderent, ne per negligentiam detrimenti quid acciperetur, moniti fuerunt; cum Lithuanis actum, ut si quis praeter opinionem in vicinia Livonia motus accidisset, suppetias ferrent: cum Duce item Prussia; ut finitimo et ipso Livoniae Principe per Reinholdum Hejdenstejnium eadem communicata fuerunt: cumque Majores Legati ad Moscum missi, quibus mandata de pace Sueciae Regi apud Moscum conficienda, data supra ostendimus, in itinere jam essent: ne ullam ejus rei mentionem facerent, et ipsum rem suam agere permitterent, per celerem tabellarium significatum iis fuit. Grodna sub mensem Augustum Varsaviam Rex processit; eo Varsavicius quoque e Suecia eodem, quo Alamannius, Legationis exitu ad eum venit. Ibidem vero dum Comitiorum diem exspectat, Jancola Valachiae Palatinus in potestatem ejus venit. Hic, quemadmodum supra demonstratum est, e Saxonibus Transsilvanicis, loco humili et obscuro ortus, Valachiae Principum genus mentitus fuerat; Achmetis autem Bassae opera Provinciae ejus principatum nactus, cum ab initio statim, quo animo erga Regem futurus esset, ostenderat; praeterque decessorum suorum morem nullos unquam Legatos ad Regem miserat; tum postea variis injuriis Regem, hominesque ejus affecerat: litteras Regias ad Turcarum Imperatorem aliquoties interceperat: resignarat: resignatas remiserat: Regem Senatumque Regni omnibus modis in odium ac invidiam adducere conatus fuerat: in finitimas aliquot villas Nobilium latrociniis, ferro, ac incendiis grassatus fuerat: homines regios, qui rerum suarum repetendarum, jurisque obtinendi causa ad illum venissent, pulsatos in carcerem conjecerat; quibus injuriis cum Rex permotus, quemadmodum ante ostendimus, Turcarum Imperatorem de iis appellasset; utque illum a Valachia, a finibus molestiam hanc amoveret, ex dignitate alioquin sua consilium capturus, postulasset, res dilata fuerat. Hoc tempore in aulam Turciam successore ei summisso evocatus, compilata provincia, omnibusque rebus convasatis, ac manu aliqua hominum facta in Caesareae ditionis Hungariam transfugere constituerat; qua recta transeundum illi erat, a Transsilvanis obsessas vias existimabat; itaque cum ambitu capto per Pocutiam Polonicae ditionis provinciam perrumpere conaretur, atque ab ea parte Nicolaus Jaslovecius Praefectus Sniatinensis, aliique nonnulli ex ditionibus regiis fama fugae ejus exciti cum persequerentur, ab iis captus Leopolimque perductus fuit. Scripsit mox Rex ad Nicolaum Seniavium, qui finitimae militiae in Russia praerat, ac Nicolaum Herbortum Praefectum Leopoliensem, ut jure Gentium supplicium de eo sumerent: bona publicavit: misitque Quaestorem Palatii Hiacynthum Mlodsevium, qui in publicum ea redigeret; uxori et liberis alimenta annua constituit. Appetiit interim tempus Comitiorum. Ea in ante tertium mensis Octobris Rex indixerat. Nam cum in adventum tantum majorum Legatorum, quemadmodum Rex postularat, oppugnandae Narvae impetum suum repressurum se Moscus promisisset, ne si Majores Legati idem tenere non potuissent, ad consilium pro tempore capiendum imparatior esset, non committendum sibi arbitrabatur, quin primo quoque tempore ad Ordines de eo referret. Praeterea vero provincia Livonia Magistratibus, ac legibus fundanda, praesidiis, commeatu, instrumento omni bellico, aliisque contra repentinos casus ad defensionem necessariis rebus providenda erat: munitiones collapsae instaurandae: novae instituendae; quae et in regione partim continuo tot annorum bello vastata, partim ab hoste ita tradita, ut quae armis ab invitis exprimuntur, tradi solent, omnia deerant: et Rex ex omnium Ordinum sententia, quemadmodum supra ostendimus, constituenda sibi existimabat. Adhaec nonnihil Tartari etiam, de qua supra dictum est, bellum denuntiantis oratio eum commoverat. Ad quam cum crebri etiam rumores ex Russia de tumultu allati accessissent, ita ut in procinctu jam Tartari esse nuntiarentur, jam ante quidem viginti duas turmas equitum, qui ad Plescoviam stipendia fecerant, ad Seniavium Praefectum militiae Russicae praemittere Zamoscium jusserat. Ut vero in praesentia arma ab illis non sumerentur: quia tamen facili momento impelli eos videret; ut in ditiones suas transirent, dignitatis nihilominus suae esse statuebat, ut pro fama rerum a se gestarum ea consilia susciperet, quibus

Digitized by Google

illos suis quoque rebus timere faceret; remque publicam non modo ab incursionibus eorum, sed metu omni vastationum in perpetuum liberaret; rationesque quibus id salva pace Turcica fieri posset, proponere, de iisque cum Ordinibus agere in animo habebat. Stipendia praeterea militi solvenda erant. Etsi enim in conventibus particularibus tributum hanc in rem decretum fuerat: longe minus tamen ex illo redigebatur, quam in ea ipsa, ac alia debita nonnulla sufficeret; resque per se opinione minor, exactorum praeterea quorundam seu negligentia, seu culpa, quod vel minus quam deberent, vel tardius ea inferrent, minui dicebatur; de quibus et ipsis ut cognosceretur, necessario ad Ordines referendum existimabat. De certa Regnorum ac electionum ratione stabilienda, etsi quid publico nomine superioribus Comitiis a se postulatum fuisset, et ipse recepisset; memoria teneret: hoc tamen tempore, quo superiorum interregnorum vulneribus nondum plane cicatrix obducta esset, ad eas res accedere, quae sine eorum vulnerum attractatu agitari non possent, intempestivum ei videbatur. Etsi autem idem majoribus quoque Senatoribus plerisque cum pro more per litteras prius sententias eos rogasset, videretur: quod tamen prioribus Comitiis enixe id a se nuntiis Nobilitatis petentibus relaturum se de eo recepisset, non posse se jam a priori promissione sua recedere existimabat; eademque cum de concordia etiam inter sacrum et profanum Ordinem tentanda sententia ipsius fuisset, ut ab ejus temporis ratione alienam tractationem eam existimaret; iisdem quas ostendimus, de causis, id tamen caput etiam ferendum ad Ordines suscepit. Addidit his, si quid judiciorum rationi deesse videretur, aut quam illa emendationem desiderarent, operam suam hac quoque in re Reipublicae non defuturam; quae quia magis, ut Ordinum studiis, ac suae in eos voluntati satisfaceret, adjecerat, summam deliberationum omnium, ad ea quae priori loco recensuimus, capita referebat. Haec postquam primo ad Senatores, inde ad conventus Nobilitatis, qui in singulis palatinatibus ante Comitia ex more haberi solent, delata fuerant; non eodem ab omnibus animo accepta fuerunt; iidemque fere animorum motus, ac hominum sermones renati, quos in superioribus Comitiis nonnullis exstitisse ostendimus. Alii quod suffragio suo in electione Regem sublevassent, cum Regnum ipsum eum sibi debere existimarent, minus vel se exspectatione sua, vel quae ipsi concupissent, alios consecutos dolebant. Non pauci ad hos diversarum partium supererant, qui in superiorum interregnorum contentione victos se meminissent. Quidam qui in Concionibus, ac conventibus Nobilitatis plurimum hactenus potuerant: nomen gratiamque in vulgus ac opes inde paraverant, omnia praemia in milites conferri mussitabant: iis artibus, quibus ipsi plurimum pollebant, nullum amplius locum relinqui moleste ferebant. Universae vero Nobilitatis animi, ut qua quisque re maxime permovebatur, ita varie afficiebantur. Alii non id agi jactabant, ut de modo aliquo electionis tractaretur, sed ut successor privato consilio imponeretur; interim cum Regio imperio alienae potentiae vicarius ac adjutor constitueretur, Zamoscium notantes: huc devinctos beneficiis milites spectare: retentos in pace ex iisdem non paucos a Zamoscio, ut oppressa per metum Nobilitate per vim ac arma Regnum occuparetur. Diversum de religione sentientibus libertatis ejus imminutio, circumscriptionique metus objici. Judiciorum emendatione non correctionem aliquam a Rege quaeri a nonnullis disputabatur; sed quo cum in universum ea sustulisset, ad se denuo ea transferret: omniaque secus omnino accipiebantur: ita ut alia ejusdem rogationis capita, quae Regiis opponerentur, detorto ad metum injiciendum sensu in vulgus a quibusdam ederentur: erumpente nonnihil inter haec invidia etiam in Zamoscium. Publice quidem plerique honores Hungaris collatos exagitabant: Landscoronam fere desiguantes, quam vidua Gasparis Bekesii marito, qui in castris ad Polotiam ob virtutem jure Nobilitatis Polonicae donatus fuerat, ac fratre ejus Gabriele, qui in irruptione Plescoviensi perierat, amissis, una cum orbis liberis tenebat; et sub id tempus Francisco Vesselinio nupserat. Interim non deerant, qui Regi, si de successore agi vellet, operam suam ultro deferrent; cumque Rex, etsi ita de Republica se meritum sciret, ut non minus, quam aliorum Regum, suae quoque familiae ratio haberi deberet: ab hoc tamen tempore id tentare alienum, studiaque Ordinum ultro potius exspectanda sibi existimaret; spretos se rati, ac aliorum opera confici id posse Regem sperare eo magis incendebantur. Nobilitas etsi quid maximis Regis in se ac Rempublicam beneficiis deberet, agnoscebat: libertatis tamen aliarumque carissimarum quarum-



Digitized by Google

cunque rerum metu injecto haesitare; cunctantiusque agere: omnia denique suspecta habere. His igitur animis cum in Comitia ventum esset, Zamoscius pro munere Cancellarii verba nomine Regis faciens orsus a voto, quod cum ex superioribus Comitiis discederetur, ipsi fecissent, quoque ut salvus atque incolumis ab expeditione ea Rex ad se rediret, ac ipsi laetis animis in mutuos amplexus ruerent, optarant; quod a Deo contenderant, ita cumulate iis praestitum ostendit, ut non modo incolumen salvo exercitu, sed re etiam bene gesta, immortalique gloria parta, reversum ex hostico Regem viderent: quod in ipsorum potestate totum fuisset, ut mutuis gratulationibus ac fraterna benevolentia se exciperent, certorum hominum malevolentia impeditum ait; quorum opera id factum sit, non arbitrari nunc sibi inquirendum; videre autem jam Petilios in Republica quosdam exsistere: optandum ne mox Catilinae etiam aliqui exsisterent; quae praefatus, domesticarum rerum nihil aliud hisce Comitiis proponendum sibi Regem statuisse docet, quam quae ipsi non modo vivente adhuc Sigismundo Augusto, ac superioribus Comitiis Andrejovicusibus, ut ferrentur, sanxissent: sed postea etiam cum saepe alias, tum proximis Comitiis efflagitassent: Itaque illorum precibus Regem adductum de modo liberae ac ordinatae electionis referre. Cum de ratione certa eligendorum Regum statuere eos debere diceret, non id dicere, ut de relinquendo jure electionis, ac patrimonio hoc libertatis, quo nihil a majoribus eorum relinqui iis potuerit praestantius, cogitarent: sed quomodo eam, quum maxime integram conservarent, et in perpetuum munirent; quae cogitatio num necessario ab illis suscipi debeat, non aliorum exemplis confirmandum sibi existimare: eos ipsos, si superiorum interregnorum actiones, ac gravissimum discrimen, in quod Respublica adducta tum fuerit, secum perpendant, aestimaturos: nullam hic Regis rem agi, sed propriam ipsorum: optare tamen se, ne huic suo tempori desint, superiorumque annorum benignitate divina, qua mirabiliter Rempublicam conservatam intelligant, ad futurorum potius consiliorum spem erigant, quam ad securitatem ac negligentiam abutantur. Quod si artibus quorundam in suspicionem mentes eorum adductae, quemadmodum aegri salutares cibos, ita ipsae sana consilia concoquere non possint: totum in ipsorum potestate futurum, seu statuere quid hac de re velint, seu omnino eam relinquere. Eandem de altero capite, concordia inter Ordines facienda, quod secundo loco proponendum Rex judicasset, sententiam ejus esse. Optime ipsos meminisse, quo studio et in Adrejoviensi conventu, ut deinceps de eo referretur, egissent, et quantopere postea idem a Rege contendissent. In communi omnium fere Regnorum, ac horum temporum fato nos praecipua tamen fortuna usos, ut concordiam civilem egregie hucusque tutati simus; hanc hisce rebus fere retineri, ut ab injuriis et contumelia utrinque abstineatur: jure ac causa cognita non vi aut extra ordinem quid statuatur: maxime vi ut qui cujusque est, omnibus tribuatur: Id autem tam ad bona, quam ad honores etiam ac praerogativas pertinere: hac una re justitiam perfici; justitiam fundamentum esse Reipublicae, et qua illa contineatur concordiae. Nemini dubium esse, quin duobus hisce Ordinibus ecclesiastico et civili Respublica haec potissimum subsistat. Proinde ipsi, quorum res ageretur, viderent, suscipiendamne an relinquendam hujus rei deliberationem existimarent. Judiciis num quid decesset, omnium optime ipsos, qui in iis versarentur, judicare posse: non posse sane dissimulari, ita brevi tempore calumnias in iis crevisse, ut non pauci gravioribus studiis relictis, totos se causidicis ac captionibus excogitandis, quibus alios irretirent, dare dicantur. Regem operam suam, si qua in re emendatione opus habeant, iis detulisse: qua, si placeret, uterentur: invitis Regem eam non obtrusurum. Ingressus deinde in orationem de Livonia, statuque omni ejus demonstrato, quidque cum Mosco hactenus de locis, quae a Sueco tenerentur, actum esset, commemoratisque Sueci injuriis eo potissimum incumbit, ut quo nullum in ea vicinum inveterascere patiantur, iis persuadeat: omnem societatem imperii infidam: in provincia nuper parta, dum animi hominum adhuc dubii, nondum legibus ac institutis coaluerint, periculi plenam: neminem prudentem in novam provinciam, ejusdem praesertim cum indigenis linguae ac nationis vicinum admisisse: aut qui admiserit, non eum statim poenituisse. Inde de Tartari minis Cosacorumque, qui subinde bellum Reipublicae conflarent, injuriis refert. Fuisse superioribus Comitiis rogationem latam, qua extraordinaria jurisdictio ad certum tantum tempus permissa Regi fuerit: aut illos in officio continendos, aut de bello cum Tartaris suscipiendo cogitandum. Extremum de stipen-

Digitized by Google

diis militum fuit. Scitum quidem superioribus conventibus tributum: id num in stipendium, ac nomina apud exteros Principes facta dissolvenda: in defensionem Livoniae: bellum Tartaricum sufficeret: per quos item stetisset, ut tardius et minus quam deberet, illatum fuisset, ipsi inquirerent: in erogando quidem et fidem, et diligentiam summam reperturos: ita milites meritos ait, ut ante omnia ipsis consulere debeant, qui pro gloria ac dignitate nominis Polonici non modo cum ferocissimo hoste, urbeque omnibus rebus munitissima, sed in regione trionibus exposita, cum saevissima hieme, cum aëris coelique injuriis, ac natura fere ipsa ab omnibus rebus imparati, ac seminudi fere propugnarint: Nihil hic se de Livonia dicturum provincia olim florentissima, ac nunc etiam omnibus opportunitatibus abundante per ipsorum constantiam parta; quantum apud exteros nomen ipsorum virtus omnibus peperit, eos ipsos testes esse posse, qui quae post discessum Henrici, cum Tartari metu ac trepidatione omnia complerent, auctoritas eorum apud exteros fuerit, meminissent: et quae nunc de virtute eorum existimatio omnium sit, intelligerent: postquam potentissimo hoste superato, amissas aliquot provincias recuperarint, novas adjunxerint. Nec tamen pluris haec a se fieri, quam quem iis ipsis parandis simul Respublica acquisivisset, plurimorum fortium virorum inaestimabilem thesaurum: qui ita jam et animis parati, et in armis exercitati sint, ut nullum tantum periculum exsistere possit, quod non promptissimo animo pro Republica suscepturi ii sint: Horum spem ne destituerunt, qui ne dignitatem nominis Polonici jacere paterentur, fortunas omnes suas, sanguinem vitamque ipsam profundere non dubitarint: denique non alienis hominibus beneficium praestaturos, sed necessariis, fratribusque quae virtuti ac laboribus eorum deberentur, stipendia persoluturos. Haec esse de quibus referendum Rex existimasset: viderent nunc ipsi, num cum iis, quae alieno nomine in vulgus a nonnullis sparsa essent, convenirent. Conversus deinde ad Regem, optare se, inquit, ut pro tantis ejus rebus gestis, vel ea gratia ei referretur, quae in bene morata, ac grata civitate pro multo minoribus non Regi, ac tam amanti Reipublicae Regi, sed cuicunque exercitus Duci referri soleret: non egere tamen animi magnitudinem ejus consolatione sua: plus enim in illa praesidii ad quoscunque fortunae impetus, ac malevolorum injurias perferendas esse, quam in illis ad eam frangendam virium: Non esse dubitandum has ipsas quorundam hominum injurias illustraturas magis laudem atque nomen ipsius: Quem enim, qui ipsius res gestas olim cognosceret, non magis, quot in tot a quibusdam objectis difficultatibus, tantas res gerere potuisset, quam quod omnino eas gessisset, admiraturum esse animi magnitudinis ejus, ne injuriis quidem absterreri se pati, quo minus quemadmodum perpetuo fecisset, porro bene de Republica mereri pergeret. Milites allocutus, non debere eos existimare ostendit, tam ingrati animi notam, tantamque injuriam in tam fortibus ac bonis civibus haerere posse: Ultimo loco nuntios hortatus fuit, ut cum primis publicae dignitati, atque utilitati studerent. Optare se, inquit, adesse alios, integros ac bonos etiam cives, quorum magna praeter ipsos multitudo esset, qui domi liberis suis educandis ac domesticae rei operam darent: facile se iis persuasurum, nihil ut Reipublicae commodis potius haberent: eorum omnium partes illos suscepisse, tantoque magis in omnes res intentos esse oportere, quibus reliqui, qui domi remansissent, non suam modo ac suorum, verum, Reipublicae etiam salutem commisissent. Peracta rogatione, sententiae a Senatoribus dici coeptae fuerunt; ut de ratione electionis, ceterisque, quae proposita fuerant, perferretur, omnes fere statuere: duobus tantum exceptis, quorum alter, nullis hominum consiliis a Deo Regna mandari; alter non posse ulla e Republica ac ne oportere quidem ambitum excludi censebant. In Nuntiorum Nobilitatis concilio principio Cancellarii oratio exagitata fuit: maxime vero, quod jam Petilios nonnullos esse dixisset, videndum ne mox etiam Catilinae exsisterent. Cum contra ab aliis ostenderetur, non universum Ordinem, sed certos homines, ac ne homines quidem sed vitia notata: a quibus qui abesse se intelligeret, orationem quoquecam ad se non pertinere sciret, res discussa fuit; negotium inde Sventoslao Orzelscio datum, qui totius Nobilitatis nomine pro bene gesta Republica gratias Regi ageret: deque sermonibus qui contra dignitatem ejus a nonnullis habiti, aut in vulgus sparsi dicerentur, ei satisfaceret; qui cum in hujusmodi orationem ingressus fuisset, ut in auctores eorum Regum inquirere, ac cognita causa animadvertere debere diceret, adverso quorundam Collegarum murmure, ac mox convitio pene exceptus fuit.

Digitized by Google

De re ipsa, maximo de Electionis forma certa constituenda variae inter eos sententiae fuerunt: quibusdam omnino ferri de eo oportere negantibus, quod in re, qua maxime libertas contineretur, quoties aliquid fieret, quo minus late ea, quam antea, pateret, libertas ipsa semper minueretur, angustioribusque quam antea fuisset, finibus circumscriberetur: alii contra ita maxime libertatem Electionis stabiliri disputabant, si fraudes atque ambitus Legibus excluderentur: praeterea tanquam affecta jam re, ac contracta superioribus Comitiis tractatione inprimis Andrejovieusis foederis religione objecta eam urgebant: plerique suscipi quidem eam, non finiri tamen volebant: ut quae de ea dicerentur, ad suos referrent, quo rectius sequentibus deinceps Comitiis ex universae Nobilitatis sententia statui de ea posset. Dum inter eos disputationibus hisce tempus extrahitur, interim primis octo Comitiorum diebus, quibus capitalium rerum causae nova lege judicantur, elapsis, ad aliarum causarum cognitionem Rex accessit. Adeunt eum Nuntii: ostendunt multos contra leges in Regiam evocari: ut ex Senatu nonnullis negotium Rex det, qui cum aliis ex suo corpore, quos ipsi iis adjuncturi sint, de evocationibus cognoscant, quaeque in ea causa sint, ut aboleri debeant, aboleantur, legitimis ratis manentibus, petunt. Respondit Rex esse magistratus, ad quorum curam haec pertineant: qui si muneri suo deesse doceantur, non recusare se, quo minus eo, ut alios illis adjungat, descendat: interim quemadmodum coeperat; porro cognitionibus operam dare pergit. Prima Stanislai Carncovii causa ob non relata in thesaurum instrumenta quaedam causae Brunsvicensis, quae a Sigismundo Augusto in Germaniam missus acceperat, in judicium adducta fuit. Collocata in matrimonium fuerat Henrico Duci Brunsvicensi a Sigismundo Augusto Sophia soror ejus, deque rebus dotalibus in eventum non susceptorum liberorum restituendis pro more stipulatio interposita. Soluto morte Henrico paulo ante excessum Sigismundi Augusti sine liberis matrimonio, missus ad sororem ab Augusto Carncovius fuit, qui res istic inspiceret, consilioque viduam juvaret; quam in rem cum instrumenta pactorum dotalium tradita ei fuissent, penes se ea retinuerat. Obiit haud multo post Sigismundus Augustus: creatus fuit Rex Henricus: idem mox ex Regno excessit. Mortua interim Sophia, sorores Anna Poloniae et Catharina Sueciae Reginae successione haereditatem petere coeperant. Cum aliquot annos a Julio Duce Brunsvicensi ducerentur, animadversum postea fuit, non in ea causa haereditatem eam esse, ut successorio jure peti deberet: sed a Reges Poloniae, Remque publicam pactis, ac interposita stipulatione pertinere: missusque juris ejus persequendi causa ad Ducem Julium, Laurentius Goslicius Decanus Polocensis, cum monumenta ea, quemadmodum jussus erat, tradere ei Carncovius noluisset, nihilque praeter pauca quaedam exempla, quae ex tabulario Varsoviensi exceperat, proferre Goslicius potuisset, in eo fere fuerat, ut non satis petitionem suam probare posse videretur. Itaque cum jam non modo de re, sed existimatione etiam publica ageretur: eo acrius illa a Carncovio primum per litteras, inde petente Zamoscio per Stephanum Grudinscium Castellanum Naclensem speciatim eam ob causam ad eum allegatum repetita fuerunt. Cum lenitate sua nihil profici Rex videret, per Procuratorem fisci in jus vocari eum jussit. Haec igitur dum agitur, haud multo post altera ejusdem causa in cognitionem venit. Ea res ita se habet. Carncovius hic nobili ac claro loco natus, plurimum in Nobilitatis conventibus, apudque Nobilitatem universam gratia ac auctoritate poterat, a Sigismundo Augusto ad Referendarii munus provectus sub excessum ejus Polocensem Praefectaram acceperat: ac quamvis Anselmus Gostomscius Palatinus Ravensis perpetuas controversias de ea cum illo haberet, possessionem tamen ejus retinuerat. Post discessum Henrici, Stephano Rege in Regnum jam ingresso, ac plerisque ad Regis auctoritatem se adjungentibus, diversarum partium Legatione suscepta, ad Maximilianum Imperatorem in Germaniam iverat: Cum Cracoviam Rex venisset, instarentque apud eum Ordines, ut in unum atque alterum quorum insiguiori ac praecipua pertinacia esset, exemplum statueret, praefectura Plocensis Stanislao Criscio Palatino Moscoviae collata fuit. Comitiis postea Thorunium a Rege indictis; cum in iis cognitionibus operam dare Rex necesse haberet: more autem majorum ita comparatum sit, ut secundum Cancellarios Referendarii munere in iis Reges utantur, Carncoviusque nondum rediissent, Nicolao Firlejo, qui at ipse Caesarianarum partium fuerat, una cum Castellanatu Becensi Referendariatum Rex contulit. Aliquanto tempore interjecto, revocatus ab amicis, maxime

Digitized by Google

fratre Alberto, qui Majori Poloniae Praefectus tum erat, litteris Regis ab eodem ad fratrem impetratis, in Poloniam Carncovius rediit: benigneque a Rege acceptus optime de Regis erga se animo sperare jussus fuit: ejusque quam fecisset, jacturae, a largiore liberalitate Regis cum accessione compensationem exspectare. Interim Roma ad Regem scribitur, coadjutoriae Archiepiscopatus Gnesnensis confirmationem, quam certo jure sibi vindicaret, inscio Rege, exteris nonnullis Principibus sequestris a summo Pontifice eum petere. Accedebat, huc ut dum ad Polotiam Rex esset, in conventu Lublinensi, qui primus tum judicorum appellationis a Nobilitate habebatur, novas res a quibusdam tentatas praecipuumque earum auctorem Carncovium fuisse, certissimis indiciis ad Regem deferretur; quae res non mediocriter rursum animum Regis illi immutaverat. Mortuo interim Jacobo Uchanscio Archiepiscopo, Stanislaum Carncovium Episcopum tum Cujaviensem, a quo in auguratus Rex fuerat, ut promisso suo inaugurationis tempore Ordinibus a se facto satisfaceret, in illius locum Rex nominavit. Etenim cum in dissensione electionis Uchanscius, ejusque exemplum secuti ceteri Episcopi praeter Cujaviensem omnes fere diversas partes secuti fuissent: ille ad inaugurationem etiam vocatus parere noluisset: itaque a Carncovio coronatus Rex fuisset; petiit ab eo Nobilitas, ut dejecto Uchanscio Carncovium in locum ejus proveheret. Respondit Rex, si dissensionis Uchanscio causa id peteret, malle se, quod consecuturum se non diffideret, lenitate eum adjungere; si alterius ornandi, post mortem Uchanscii, quae comini aetate decrepita non longe abesse possent, rectius illis praestiturum, quod nunc incommodiori tempore praesentari vellent. Carncovius interim Sninum possessionem Archiepiscopalem tenebat: eamque cum dimittere nollet, in jus ab Archiepiscopo ad Regem vocatus fuit; comparare jussus respondere primum nolebat; dictum fuit, ostenderet, quo jure in possessione esset: nam si coadjutoriam ipsam sibi vindicaret, nemini dubium esse, quin de jure regio Regis solius cognitio esset: si privato titulo bona ea occupata possidcret, ad tribunalia terrestria, quae de rebus soli ordinarie cognoscerent, remissum iri: petiit interim procurator ejus diem ad monumenta producenda, quam qui petit, jure quo utimur peremtorium terminum propria submissione ac sponte sua praefinire sibi putatur. Ad diem non integrum esse sibi illa jam proferre excipit: quod Romae ea sint, copiamque exhibendorum non habeat. Inter haec Nuntii rursus Regem adeunt: rogant ut evocationes omnes in regiam exemplo Sigismundi Augusti, qui citationes omnes, quae in causis fisci editae fuerant, uno decreto sustulisset, judicat. Postulatum, docerent, quae eae essent, nolle Regem contra leges quiquam negotium fieri: neque etiam aequum esse, sine causa judicium quemquam subterfugere: quod si urgerent, quod ante ipsi petiissent: praemittere Regem, ut ex Senatu et ipsorum collegio convenirent, qui legitimas ab illegitimis evocationibus discernerent. Illi nihil ad haec respondent: secretum saltem cum Senatu petunt. Potestate a Rege facta, idem in Senatu faciunt: postulant, ut quemadmodum dignitate reliquam Nobilitatem praeirent, ita in adducendo ad aequitatem Rege tuendoque jure Nobilitatis Principes ceteris antecederent. Responsum, ostenderent, quos contra jus evocatos aut qua omnino in re Jus Nobilitatis minutum putarent: si quid contra leges susceptum probarent, non defuturum Senatum muneri suo. Qui verba faciebat, publicam causam se agere: debere singulos qua in re privatim injuriam sibi fieri existimarent, pernuntiare dicebat. Procedit in medium Carncovius: se contra leges in regiam pertractum ait. Ostensum, quae ad primam causam pertineret, non posse eam ulla ratione sejungi a Republica: repeti instrumenta ab illo fidei ejus commissa: quibus debitum Reipublicae doceretur: repeti eo jure, quo quivis privatus erga eos, qui in ministerium se illi tradidissent, uteretur: qui aequo jure libertatis cum alia Nobilitate uti vellent, cui molesta haec in regiam evocatio videretur, posse eum intra modum vitae privatae se continere: domi vivere: abesse a ministeriis regiis, quibus qui se illigasset, indignum esse cum postulare, ne rationem quidem eorum, quae ultro susceperit, reddat; deteriorique conditione in publica re Regem esse, quam quemlibet privatum in sua: qua tamen de re constitutio Sigismundi Primi esset, cujus sententia eo pertineret: repudiari denique totum a publica utilitate; qua si in rebus quam moram nullam patiantur, non prius respublica jus suum consequi possit, quae longo temporis intervallo Comitia habeantur, saepe maximum periculum aditura sit. Alteram maluisse Senatum ad Comitia evocatum fuisse: jam vero postquam procurator ejus diem ad monumenta petierit, ultro ipsum omnem sibi

Digitized by Google

praescriptionem judicii vitandi praecidisse. Ad haec ille, ad Ordines provocasse se, cum ad monumenta provocarit: haec se viva monumenta Reipublicae existimare; ad Senatum deinde redeunt: ut a singulis praesentibus sententiae dicantur, petunt. Dictae hujusmodi sententiae fere omnes fuerunt: non recte facere, qui constitutionem Sigismundi Augusti de causis fisci ad regias causas omnes traherent: esse constitutionem, qua actiones, quae ad personam Principis: ad majestatem imperii: jus denique ac possessiones regias pertinerent, diserte a causis fisci, ac vectigalium interversorum discernerentur: videndum quae eae sint, ac num omnino fieri possit, ut promiscue omnes Rex tollat: cum hac ratione non modo suum ac Reipublicae, sed aliorum quoque jus, in causis quae ad delationem quorumdam susceptae ad eorundem utilitatem pertinerent, quod in ipsius potestate non esset, voluntatibus petentium ista condonaturus esset. Nuntii in suo proposito nihilominus persistebant; perque complures dies disputatione hac extracta frequenter in concilio suo tumultuabantur. Demonstrabat iis Rex quamquam iniquum esset, ne discerni quidem inter legitimas ac illegitimas evocationes eos velle, videre praeterea etiam se nulla eos hac de re agendi a suis mandata accepisse: permittere tamen, ut ad suos referrent: quo in proximis conventibus certi aliquid statui de eo posset: interim rem integram se iis servaturum, neque ullas alias causas, praeter Carncovianas duas, quas in judicium adductae jam essent, cogniturum. Erant qui ab Archiepiscopo ob templorum sacrorumque violationem evocati fuerant: qui eo vehementius sibi metuebant, quod rumor per dies eos sparsus fuerat, constituisse Regem severissime jus de iis diceret: opinionemque eam Rex auxerat, quod dum in venatione non procul a possessionibus Archiepiscopi esset, Lovitium ab Archiepiscopo invitatus ad eum accesserat, familiariterque per aliquot dies cum illo fuerat; non pauci etiam alii sex causis evocati cum Nuntios, quo facilius judicio se subducerent, creari se passi fuissent: omnia etiam tentanda sibi statuerant: quo antequam periculum causae dictiones ad se perveniret, sub Carncovii persona judicio omnes eriperentur. Itaque etsi liberabantur metu eo, cum praeter Carncovianas causas, nullas alias judicaturum se Rex ostenderet: qui attamen semel ita in causam ingressi fuissent, ut existimationis de se aliorum causa non temere recipere se possent, ne hac quidem ratione ab instituto suo deduci se patiebantur. Alii sermonibus corum permoti, ut in metu gravissimarum rerum, in quibus libertas agi praetenderetur, tempus aliquod interponi, dum certius de eo cognosci posset, non moleste ferebant; quidam cum in re nihil periculi esse intelligerent, opinionem metuebant: ne tanquam auctores libertatis destituissent, in vulgus traducerentur. Fiebat hinc, ut qui omnino ista improbabant, cum ab aliis impugnarentur, ab aliis non juvarentur, in tanta diversa sentientium multitudine ipsi nihil possent. Latae nihilominus sententiae contra Carncovium fuerunt prima jam multo ante, qua monumenta restituere jussus fuit, in qua causa ne ab ipsis quidem Nuntiis magnopere contendebatur. Altera causa cum varie ad id nonnullis decurrendum videbatur, post discessum Henrici coadjutoriam impetrasse diceretur; eique rei fidem faceret, quae alterius Posnaniensis Episcopatus nominationem a discessu Henrici in illum collatam. Regi ipse exhibere non dubitant; quare cum Varsaviensi foedere, quae ab absente Henrico quidquam petiisset, contra Rempublicam facturum eum judicatum esset conventionis ejus vi urgendum censebant. Rex ultimo Comitiorum die decretum tulit: coadjutoriam sustulit; de possessione, quae ab illo tenebantur, cognitionem ad ordinaria Nobilitatis judicia, in quibus quo jure eas possideret, doceret, remisit. Hunc ad modum stato Comitiorum tempore extracto, ingenti cum omnium dolore, Zamoscio praesertim omnes obtestante, Livoniae saltem Russiaeque curam susciperent, ne vel illam magno labore, ac sanguine suo partam omni ope nunc destitutam rursum amitterent: vel hanc barbaris diripiendam proderent; Constantino etiam Ostrogiae Duce, Palatino Kioviensi recentissimos quosque nuntios de Tartarorum expeditione proferente, nihil tamen actum fuit. Appellatus per eos dies frequenter a Lithuanis Rex fuit, ut Livoniam Lithuanicae formulae faceret. Ubi nec in Senatu, nec in concilio Nuntiorum magnopere a quo quam illis contradicebatur: in hoc potius non deessent, qui quo Lithuanis adjutoribus facilius, quo contendebant, a Rege extorquerent, non inviti decessuri illis de ea viderentur; Surrexit Zamoscius; reliquosque intuitus suo suorumque commilitonum periculis Livoniam hosti ereptam dixit; de quo si qui ambigerent, ad Moscum ipsam se provocare:

Digitized by Google

non dubitare, se vel hostis ipsius professione id evincere: ea igitur ne a Regno sejungeretur, si a nemine contradiceretur, se tamen pro omnibus intercessurum. Venerant ad Comitia Legati Moscovitici, ut juramentum in pacem a Rege acciperent; quemadmodum regii jam ante ipsorum Principem jurejurando obstrinxerant; Praestitum id a Rege maxima omnium Ordinum corona fuit, ara in comitio ad id constituta, Archiepiscopoque; postquam tabulae foederis a scribis lectae fuissent, in verba ei praeeunte. Praeter juramenti exactionem, ut de captivis utrinque permutandis agerent, mandatum habebant, quod cum tenere non potuissent, ut in locum certum captivi comportarentur, redimendique eos potestas, quorum essent, fieret impetrarunt. Referebant nonnihil et de finibus controversiae ex eo potissimum ortae, quod de Velisiensi agro, ne a Polonicis Ordinibus a quorum copiis captus erat, vindicaretur, in Zapoliensi foedere a Lithuanicis scribis adjectum fuerat; ut quemadmodum olim is ad Palatinatum Vitebsciensem pertinuisset, ita posthac pertineret: Moscique ab eo tempore, quo in potestatem eorum Velisium venisset, magnam partem Toropeciensis agri ad eum adjectam contenderent. Placuit ut utrinque Legati ad fines regendos mitterentur. De castellis Livonicis, quae Suecus occuparat, jam ante per Bojaros Moscoviticos cum Legatis, quos a Rege in Moscoviam missos dictum est convenerat, ut per totum pacis tempus a eis Narvanis Moscus, ab ultra Narvanis Rex utrinque abstinerent. Excepti inde convivio fuerunt more majorum, splendidissimeque habiti; hominibus elegantioris cultus fere rudibus cum epularum magnificentiam, tum apparatus varietatem; multo magis tamen Regem ipsum admirantibus. In tam insigni publicam rerum perturbatione, seu potius negligentia prae ceteris tamen militum conditio maxime miserabilis videbatur. Plerique enim non modo tamquam ad paratum stipendium cujus spes facta illis erat, sed ad magnam honorum, ut bene gesta re agrorumque spem ii praesertim, qui Nobilitate ob virtutem donati, praesidia etiam ista, quibus Nobilitatem tuerentur, ac alia praemia speraverant, omnium rerum egentes, ac nudi alienissimo anni tempore eo venerant; ut non pauci e Nobilioribus etiam, a Plescoviam occubuisse se malle dicerent, quam ad tantam egestatem, atque omnium rerum difficultatem redigi. Iisdem autem temporibus. Joannes Szujscius etiam quem in defensione Plescoviae egregiam operam navasse supra ostendimus, a conspectu Principis sui abjectus in luctu ac aegritudine erat; sed militum difficultatibus conquisita undique pecunia cum ab aliis destitutam fere Rempublicam a se tamen deserendam Rex non existimaret, quoad ejus fieri potuit, occusum fuit; agenteque cum iis Zamoscio tanta animorum alacritas innata iis fuit, ut non modo diem solutionis ad Pentecostes proferri pateretur, sed dum modo certo aliquo loco collocarentur, ex quo commeatus sibi suppeterent, si interim Tartari irruptionem facerent, etiam sine stipendio, quocunque ducturus eos Zamoscius esset, ituros se pollicerentur. Solutis Comitiis cum jam Nuntii discessissent, Rex cum Senatu Livoniae etiam, quantum potuit, curam impendit: initioque a divinarum rerum cura facto, quod plerique in Provincia ea Episcopatus temporum ac bellorum injuria suppressi essent, Vendam quam potissimum ad accipiendam novam sedem Episcopi idoneam judicabat, oppidis castellisque aliquot ac possessionibus ad eam adjectis, Episcopatui attribuit: aque S. Pontifice, ut Episcopatum auctoritate sua ibi fundaret, petiit. Provincialibus etiam jura certa, ac forma Provinciae, ut aliquam tamen sui curam habitam cernerent, pro tempore descripta fuerunt. Venerant a Nobilitate Legati Varsaviam: alii praeterea frequentes privati suarum quisque possessionum, e quibus se, vel majores suos a Moscis dejectos dicerent, recuperandarum causa. Summa publicorum postulatorum erat, ut pacta inter Sigismundum Augustum, ac Provinciae ejus Ordines, quo tempore se in potestatem illius dedissent, conventa, rata Rex haberet. Eorum haec fere erant capita: ut non nisi Germanicae gentis in Provincia ea magistratus essent: Possessiones quas tum singuli haberent, aut postea consecuti fuissent, quo unquam optimo jure possedissent, possiderent: Jura ac Privilegia singulorum integra conservarentur. Addiderunt ad haec ipsi, ut judiciorum certa ratio constitueretur: ne castella demoliri, quemadmodum Rigae a Rege imperatum iis fuerat, cogerentur: ut in captivis suis recuperandis a Rege juvarentur. Responsum fuit: quod ad vetera a Sigismundo Augusto concessa iis Privilegia pertineret, tenere eos memoria, quid ab eo tempore, quamque varia intercessissent: quid etiam hujus temporis esset, pro sua prudentia perspicere: debere eos se credere judicio Regis,

Digitized by Google

qui cum salutis eorum auctor fuisset, ornamentorum, ac commodorum Provinciae ejus non minorem curam se habere ostensurus esset. Sigillatim vero, quod praecipuae auctoritatis in illa Provincia Magistratum Germanicae gentis peterent, cum ab honore eo ex Provincialibus, si qui ad eum idonei futuri essent, neminem exclusum Rex vellet: eo futurum acerbius, si ipsi propriae salutis liberatisque auctores dignitate tam praeclarae victoriae remotos vellent; daturum operam Regem, ut cum Provinciae praeficeret, qui ex aequitate, ipsorumque jure ac legibus omnia administraret, tum vero in Provinciali publico consilio constituendo, judiciis ceterisque officiis Praesidum, Succamerariorum, et reliquorum praecipuam vetustae quoque Nobilitatis Livonicae in Provincia ea rationem habitum iri. Inter jura ac privatas singulorum possessiones id discrimen factum: ut, quae a superioribus Livoniae Principibus, legitimisque ejus magistratibus ad Guilhelmum Marchionem Brandeburgensem Archiepiscopum Rigensem profecta essent, jure ipso rata haberentur: quae a posterioribus collata essent, quod ea tempora inde consecuta fuissent, quibus multa non ordine fierent, Provinciaque nullo fere certo Imperio teneretur, de iis Regem ex publicis Provinciae commodis, cujus ut opibus ac nervis contra omnes casus muniretur, praecipua ratio habenda ei esset: et cujusque meritis: genere denique ipso possessionum statuturum; ad eaque cognoscenda primo quoque tempore conventum Provincialibus edicturum, in quo sua quisque Jura exhiberet. Cum autem superiori tempestate amisisse plerique Privilegia sua dicerentur: eos quos, et a quibus, quoque tempore, et sententia litteras habuissent, aperire debere, eaque omnia suo idoneorumque testium juramento comprobare: Judiciorum forma iis, de quibus supra ostensum est, constitutionibus descripta, tradita illis fuit. Castellorum demolitionem, hoc potissimum consilio Rex imperarat, ne vires Provinciae, quemadmodum superioribus temporibus factum fuerat, distraherentur: eandemque ob causam, ex suis quoque non pauca dejecturum se edixerat. Idem hic iis responsum fuit, non debere eos detrectare, in re qua publicam potissimum Provinciae salutem Rex spectaret, quo minus ejus exemplum imitarentur. In captivos redimendos certus Bojarici generis numerus promissus iis fuit. Magnus Dux cum difficultatibus quibusdam suis, quemadmodum Rigae a Rege monitus fuerat, ipse Comitia obire non potuisset, Legatos miserat: per quos eadem fere quae Rigae, proposuit, quae cum sine praesentia ejus explicari non possent, ad sequentia Comitia necessario dilatus fuit. Quibus rebus confectis, crebris nuntiis de apparatu Tartarorum Varsaviam allatis, Varsavia Cracoviam Rex proficiscitur, venientem Legatio a Tartaro adiit: quae, nisi continuo conditiones quas ferebat, Rex acciperet iisque satisfaceret, bellum denunciabat. Ad eam Sinan Basza litteras adjunxerat: quibus Turcam etiam injurias Tartari non neglecturum ostendebat. Jam ante autem, quemadmodum ostensum est, justam equitatus partem in Russiam Zamoscius praemiserat: ad eam quam potest maximum numerum militum adjicit: quos addictos adhuc habebat, omnes contrahit: novos suis stipendiis alios conscribit: ex Nobilitate nominatim fortissimum quemque evocat: praeter eos Constantinus, Ostrogiae Dux suas copias, quas non contemnendas e clientibus suis coactas habebat, promptissime Reipublicae offerebat. Itaque in Russiam Zamoscium contra Tartaros Cracovia Rex mittit.

Digitized by Google

# XVIII.

# PAULI ODERBORNII,

## JOANNIS BASILIDIS

## MAGNI MOSCOVIAE DUCIS

## V I T A.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XVIII.

# PAULI ODERBORNII,

## JOANNIS BASILIDIS MAGNI MOSCOVIAE DUCIS

# VITA.

## *LIBER PRIMUS.*

NEMO unquam ab ulla hominum memoria, ex his, qui Regia dignitate et Summi Imperii fastigio claruerunt, vel majori crudelitate, vel insigniori libidine, Joanne Basilide, adversus cives et exteros est usus: quippe qui tot hominibus: qui potentia, virtute, atque opibus nitebantur, sine omni culpa et noxa occidione caesis, ipse domi nulli gratus, et vix tolerabilis, ab ineunte statim aetate, ad summam rerum Moscicarum dominationem, tam felici, quam inopinato eventu facile pervenerit: ita ut hinc liquido constet, Dei immortalis clementiam summam esse, qui adeo lento gradu ad poenam procedit, tyrannosque et Principes crudelissimos ita fert, ut felici passu per omnes fortunae gradus decurrentes, in excelsam summi honoris sedem provehantur, et aliquanto melius vivant, quam isti rerum humanarum rectores, qui solidae doctrinae opinione celebriores sunt, qui sobrictatis et castimoniae laude ornatiores, qui vitae modestia, innocentia, religione praeclariores habentur. Certe si quid in me ingenii, aut elaboratae florentisque facundiae esset, quod sententia quam sit exiguum, crudelissimi et impiissimi hominis improba facinora litterarum monumentis ad posteritatem transmittere vellem. Illo enim nemo durius cives oppressit, nemo atrocius et foedius hospites adflixit, nemo arridente fortuna adversus subjectos superbior et immitior fuit, cujus studia plena immanissima inhumanitatis, truculentiae, atque injustitiae, ita in Sarmatia, in mundo, totaque Europa, atque Germania audiuntur et damnantur, ut ubique terrarum nemo sit, qui tyranno infernalium tortorum supplicia optare non videatur: a quo barbara vis, caedes, cruciatus, mors, fames, vastitas, et dira malorum omnium incommoda generi humano allata sunt. Quoniam autem magni refert, quomodo quis nascatur, et multo maxime, quibus rationibus et exemplis a teneris formetur et instituatur: videamus nunc barbarus ille noster, quibus majoribus prognatus, quibus opinionibus imbutus, quibus exemplis formatus domi sit. Quomodo enim credibile est, eum Principem recte tractaturum rem alienam, qui suae domi ne-

Digitized by Google

quiter atque turpiter vivere consueverit? Certe in imperio laus non est, nisi is, qui imperat, imperio dignus est.

Natus est Basilides in celeberrima urbe Moscovia, quae toti Imperio dat nomen, ac inter Scythas et Russos summam obtinet claritatem. Nam hujus civitatis Princeps universae Moscorum genti praeest, et latissime dominatur: estque ex eorum Principum insignium numero, qui titulis superbire, et Caesarum Regumque Majestatem prae se ferre consueverunt. Hunc maximum Scythiae tractum Moscoviam recentiores vocant, vel a Mosco, vel a Moscva flumine appellatione sumta. Quanquam nec desunt alii, qui ad hujus vocis defensionem veterum sententiam ex Argonautico carmine adducunt. Plinio autem et Ptolomaeo hi populi Roxolani, Straboni Roxani dicuntur, qui quondam adversus Mithridatis Eupatoris Duces dimicarunt. Nunc Russos et Moscovitas dicimus, quorum Imperium in orientem et occidentem, in meridiem et septentrionem longissime extenditur. Sed quid vetat universae regionis commemorationi vacare, ut documenta sumere volentibus longae inquisitionis labor absit, utque lector praecedentium cognitione imbutus, ex secuturis plus fructus et voluptatis habeat. Moscorum genti urbs Moscovia hoc nomen dedit, ipsa a parvo Moscva fluvio in regione Tverensi nato sic dicta. Hic Russorum Imperium aulam et speciosum domicilium habet, qui se Russiae, Vlodimiriae, Novogrodiae, Moscoviae, Plescoviae, Smolensciae, Tveriae, Jugariae, Permiae, Viateiae, Bulgariae, Casaniae, Astracaniae, Czernihoviae, Rezaniae, Vologdiae, Russiniae, Bilojae, Rostoviae, Jaroslaviae, Bieloscriae, Udoriae, Obdoriae, Condiniae, Severiaeque Magnum Principem et Dominum appellat. Orienti obvertitur Vlodimiria, a Vlodimiro Russorum olim Principe nomen sortita. In hac regione civitas est 36 millia a Moscovia distans, in qua gentis Dominus aliquando consedit. Novogrodiae inferioris titulum a lignea civitate assumsit, quae ad Volgae et Occae fluvio confluentem sita, arce murata insignis habetur, quam et Basilidis pater Basilius contra Czeremissorum impressiones condidisse dicitur. Sunt autem Czeremissi homines barbari et Christianae religionis indefessi hostes, qui sectam Mahometis colunt, quibus fide et moribus vicini Mordui Moscorum sceptro parent. Prae ceteris autem Rezanensem provinciam negotiantes commendare solent. Ea enim et agrorum fertilitate, et rerum aliarum proventu, nobilissimarumque ferarum copia excellit. Rezania civitas, quae provinciae nomen indidit, inter Tanaim et Occam sita est, de quibus fluviis longe maximis quaedam dicenda erunt. Occa non procul a Mesceneco oritur, lautissimorum piscium ferax est, et campos, quos irrigat, fertilissimos facere putatur. Vorotiniam autem, Cerpacum, Corsiram, Columnam, Rezaniam, Calugam, Casinogorodiam, Muriniamque alluit, inde cursu ad Septentrionem reflexo infra Novogrodiam inferiorem Volgae miscetur. Effundit Semum et Sosnam, ex quibus Semus primo in Meridiem profluens, et mox cursu in Orientem converso Severiensem Ducatum praeterit, oppidoque Putivlo salutato non procul a Czernihova Desnam bibit. Sosna recto cursu in Tanaim descendit. Sed de Tanai veterum et recentiorum opiniones variant. Nonnulli eum ex Riphaeorum montium jugis oriri scripserunt, sed id Herodotus et recentiores negant, nec enim verum est. Nam non procul a Tula civitate ex ingenti lacu Ivanovoosero nascitur, et fratrem habet Scadum. Hic versus orientem currens, Uppae etiam undas haurit, et deinde celeribus rotis in Occam sese devolvit. Ille orienti primum obversus, emensisque Casanensium et Astrachanorum desertis, tandem septentrionem meridiemque respicit, et mox Temerindam sive Maeotidis paladem plenis passibus intrat. Mosci Tanaim Dononem vocant. Alius quinetiam ejusdem nominis fluvius in Ducatu Severiensi oritur, qui supra Azophum in Tanaim defertur. Diximus de Rezania. Jam si a Moscovia in meridiem dextrorsum proficiscare, Severiensis sese Ducatus ostendit, qui a Borysthene ad Mesenecum oppidum longe lateque extenditur, et densissimis ferarum silvis notus est. Possedere hanc terram per multa saecula Lithuanorum Duces, postea Jagellone Christiana religione imbuto Polonis paruit. Principante autem Casimiro spontanea defectione, Severienses sub Russorum dominationem concessere. Oppida in hoc tractu multa sunt et opulenta, Novogrodum puta, Siverscum, Starodubum, Putivlum, Czernihovum et Branscium. Quid quod et Smolensciae dominatus barbari Principis titulos auget? Prodidit hoc oppidum Michael Glinscius. Ille enim cum Lithuaniae Marschallum Joannem Zabrecinium per insidias circumventum contrucidasset, mortis metu in Moscoviam

Digitized by Google

profugit. Basilius autem saepe Smolenscum oppugnaverat, sed novercante belli fortuna nihil erat effectum. Tandem bellicosum exulem nactus exercitum ei tradit, et Smolensco bellum inferre jubet. Glinscius execrabili audacia contra patriam pugnaturus magno rem animo aggressus est, et civitatem ingentibus copiis obsedit. Cum vero nec vehementi oppugnatione, nec terribili tormentorum vi et apparatu quidquam profecisset, ad dolos et machinas argenteas confugit, praesidioque effusissima largitione corrupto haud difficulter oppido praedivite et celeberrimo potitus est, quod in hunc usque diem sub Moscorum imperio permansit. Interjecto deinde tempore, quasi clades alternante fortuna Mosci insignem apud hoc oppidum a Polonis plagam accepere. Constantinus enim Ostrogius supra 80. Moscorum millia in hoc districtu occidit. Alluit Smolenscum Nieprus fluvius veteribus Borysthenes dictus, qui in Moscovia ad pagum Dnieperscum fontes habet. Recentiores Dnieprum Borysthenem esse negant, Berezinamque ab aestivo occasu in Nieprum influentem pro Borysthene habendum censent. Ceterum Borysthenes meridiem primo respiciens Vietmacam salutat, postea cursu in orientem converso Drohobuszum, Smolenscum, Orszam, Dubrovam, Mohilovamque praeterit, tandem meridici obversus Kioviam urbem alluit, atque inde per deserta Tartarorum ad Precopienses delatus, in pontum Euxinum, qui Axenos veteribus fuit, multis fluminibus receptis immergitur. Ventum nunc est ad Bilojae Ducatum, qui tamen tantae amplitudinis non est, ut longa commemoratione sit opus. Ipsa civitas Bilaja vel Biela ad Obscam fluvium condita videtur, quae et proprios aliquando regulos habuit, quorum stirps in Basilio defecit, et Mosci populum Principe carentem statim armis aggressi, sui eum juris fecerunt. Rszoviae districtum celeberrimus Volga fluvium clarum facit, de quo silentium praestare omnino non licet. Ille enim non tantum ipsam passim Moscoviam, sed et Casanensium et Astrachanorum Regna sinuosis cursibus pererrat, et 70 secum flumina trahens in maris Caspii fauces defertur. Hunc Ptolomaeus Rham, Tartari Edellum vocant. In silva autem Volconscilessia profunda palus est, ex qua amnis emergit, qui in lacum Volgonem effunditur: ita Volgo plurimorum fluminum commistione auctus nobilissimo Volgae fluvio originem dedit. Ad cujus ripas Tverum quoque oppidum videtur, loci felicitate et Tvertzo flumine, monetaque argentea, quam cudit, nequaquam incelebre. Porro Novogrodiae Magnae Ducatus tantae olim potentiae fuit, ut sola appellatione exteros terreret. Tritum enim apud Saxones verbum est: Quis contra deos et magnam Novogrodiam? Rurieum Varegum hic habitasse ferunt, cujus nepotes Lithuaniae, Finlandiae, Succiaeque et Norvegiae imperarunt. In ipsam civitatem, quae magnitudine ingens est, Volscovi amnis brachia extenduntur. Peravi, hoc est, Dei fulminantis idolum hic quondam cultum fuit, cui in urbe perpetui ignes servabantur. Tandem Basilius cum Theophilo urbis praesule bellum gerens exercitum ejus delevit, omnemque eam ditionem sui juris fecit. Russa oppidum vetustissimum est, cujus civibus flumen salsum Neptunus dedit, ex quo deductis in domos canalibus sal coquunt. Plescoviam Stephani Regis bellum clariorem fecit, ea a suis aliquando Principibus dominata sacerdotum proditione in Basilii potestatem venit, qui statim eversa Republica veros cives per vim ejecit, eosque vinculis constrictos in Moscoviam relegavit, substitutis in eorum locum Moscis, quos fideliores futuros arbitrabatur. Urbs ipsa aedium magnificentia, civium frequentia, divitiarumque abundantia celebris est, muris quoque fortissimis cincta, et adspectu jucundissima Dina provincia septentrionalior est, cui Dina fluvius, ex Jugae et Suchonae amnibus ortus, appellationem dedit. Extenditur haec regio ad centum milliaria Germanica, sed munitionibus valde vacua est. Ad Jugae autem ostia quondam civitas Ustljuga fuit, a qua provincia meridiem versus sita, nomen habet. Hi populi Novogrodianis aliquando tributum pependere: panis usum non valde curant, piscibus fumo duratis et ferarum carne contenti. Vologdam inter orientem et septentrionem ponunt, eamque opacis silvis et solo uliginoso infamem esse perhibent, cui fluvius Vologda nomen indidit. Bielooserus lacus longitudine et latitudine ad tria decemque milliaria extensus, gremio suo fluvios triginta sex excipit, solo tantum Sosna in Volgae fauces emisso. In mediis undis arx est munitissima, quae hactenus contra omnes maximorum bellorum impetus invicta stetit, in ea etiam thesauri Principis asservantur. Sinaus Varegus hic olim consedit, cujus tum Germani fratres Plescoviae et Novogrodiae imperium tenebant. Jaroslavia

Digitized by Google

insignis civitas est, ad Volgae ripas condita: ea multis annis suis Principibus paruit, quorum dominationem Joannes Basilides ad se rapuit, simili perfidia erga Rostovienses usus, quorum ultimum proditionis falso insimulatum membratim discerpsit. Rostovia Archipraesulem habet, nec procul inde Chlopigrodum distat, nundinarum frequentia celeberrimum. Gothi enim, Livones, Russi, Scythae, et Lithuani mercaturae faciendae gratia quotannis huc confluunt. Susdaliae Ducatus, uti quondam nobilis fuit, ita nunc in summas angustias est redactus. Basilius enim adfines suos, Susdaliensium Dominos, quorum fortunam et famam ferre prorsus non poterat, in alienam terram exulatum ejecit. Viatcam olim Tartari possederunt, ea palustris est, et aquis irrigua, mellis etiam ferarumque proventu, et piscium copia cum felicissimis quibusque provinciis comparanda. Fluvius Viatca, qui regionem nominavit, in Camam sese exonerat, apud cujus ostia Czeremissi crudeles populi latrocinantur.

Permienses a Permia dicuntur, quae civitas ad Viscorae fluvio ripas jacet. Incolae regionis pro pane ferarum carnibus utuntur, et idioma a Ruthenico diversum habent. Hiemo peregre profecturi calceos ligneos oblongos pedibus inducunt, et baculo deinde vel hasta suffulti, rapidissimo cursu per invia et nives feruntur. Ex Jugaria ad septentrionalem Oceanum sita, Hungaros prodiisse autumant. Ii enim cum longo tempore ad paludes Macotidis consedissent, loci sterilitate, ut credibile est, offensi, ad Danubii ripas commigrarunt, occupataque Pannonia, eam suo de nomine Jugariam primum, et postea litteris paululum immutatis Hungariam appellaverunt. Et Jugrii quidem in hodiernum diem idem cum Hungaris idioma usurpant. Longissimo autem in septentrionalem plagam tractu Petzora extenditur, a Peczora fluvio, qui glaciali Oceano miscetur, sic appellata. Ex hac regione falcones albi, venationibus Regum utilissimi, pro tributo Moscorum Principi adferuntur. Obdorii ab Obbo amne nominantur, qui ex lacu Kitaisco ortus ab oriente in septentrionem labitur. His Vogulici, et Hugrii vicini et Moscis subjecti sunt, a quibus aureae anus idolum sancte colitur, quod oraculi Delphici instar futura quaerentibus respondere solet. Condoria Obdoriae fere conjuncta, perpetuo gelu et inviis nemoribus damnata est. Lucomorii in speluncis ferarum et solitudinibus degunt, et sunt nonnulli, qui eos hirundinum more intermori et reviviscere ajunt, quae quidem fabula magis, quam vero proprior est. Post illos Loppi barbaria et sagittandi peritia celebres sunt. Horum regio omnium frigidissima putatur esse. Solstitii aestivalis tempore quadraginta diebus noctibusque solem vident. Sed ab his ad populos meridiem orientemque versus habitantes properandum est. Czeremissi, de quibus supra, Mordovotes et Vashines inter Viatcam Vologdamque solitudines incolunt. Illorum feminae sagittando viris habentur pares. Mordui longissimo ad Volgam tractu sedent, qui vicinitate et animorum conjunctione gaudentes pagos condiderunt, et agros diligenter colunt, viri alioqui immanes et strenui, qui et ipsi secta Mahometis utuntur, et tamen hostilibus semper odiis cum Tartaris dissident, earumque impressiones magnanimo semper conatu propulsant. His admixti sunt Czeremissi alii, quos montanos appellant, eo quod ad vastissimorum montium radices plerumque commorantur sine ministerio civili, sine veste cui incubent, ut a primis annis duritie, parsimoniaeque assuescant.

Sed missos nunc faciamus difficiles vastissimarum regionum labyrinthos, et telam, quae coepta est, contexamus. Basilidi pater fuit Basilius, qui antea Gabrielis nomen tulerat, vir magna crudelitate, et Graeca fraude potius, quam adapertis sensibus insignis, apud quem nec cupiditas, nec augendae dominationis studium ullo modo terminabantur. Itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo et perfidia pari jure dilectae. Nulla apud eum turpis ratio vincendi, blandus pariter et insidiosus alloquio: amicitias utilitate, non autem fide colebat. Gratiam fingere in capitali odio, instruere inter concordes odia, et tandem utrumque de medio tollere, solennis illi consuetudo Tyrannidem in suos prius quam in exteros auspicatus, fratresque Germanos Georgium et Andream in vinculis habuit, quos velut aemulos Imperii, hortatoresque civium ad divisionem Regni tollere gestiebat. Sed dissimulatum animum prius ad favorem popularium conciliandum intendit, excusatius facturus, quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Cognatus fratrum falso ad populum accusavit, adfines interfecit, ut quibus consortium Regni debebat, ne spiritus quidem consortii relinqueretur. Viros Principes per Moscoviam aut generis splendore, aut opibus

Digitized by Google

potentes partim aperta vi, partim insidiis circumvenit, eosque ne Regiae dignitatis aemulos haberet, vel occidit, vel extorres in alienas terras ejecit. Exemplum flagitii singulare, Rex ordinis sui persecutor, fratrumque frater proditor. Malarum in eo artium, bellicarumque etiam rerum peritia singularis fuit, longo usu, et variis utriusque fortunae experimentis comparata. Super haec vigebat in eo crudelis auctoritas et vis imperii ad explicanda finiendaque consilia, magnumque semper auri pondus ad proditionem urbium comparatum in castris habebat. Quas ob res corruptis largitionibus hominum animis feliciter interdum bella conficiebat. Nam et apud Smolenscum prius pecunia hostes, quam armis vicit, erga Plescovienses et Novogrodienses consimili fraude usus. Et Plescovienses quidem passi sunt inter plurima mala etiam civilem discordiam, si quidem cum plebs novas tabulas et divisionem agrorum divitum impotenter flagitaret, diu re in civitate tractata, cum exitus tumultuum non inveniretur, ad postremum praesules et sacerdotes civitatis adversus plebem nimio otio lascivientem, auxilia a Livoniensium Magistro, mox ab Novogrodianis petiverc, utrisque negantibus, ad Basilium, quem ipsi hactenus oppugnaverant, decurrunt. Tanta discordium insania fuit, ut quem semper hostem habuerant, eum ad tutelam patriae vocarent. Erat Basilius vir fastu ingenti praeditus, ut iis accidit, qui in secundis fortunae flatibus facile contumescunt: jamque calamitate vicinorum insolentior et facinorosior redditus, et dissensionem civium, occasionem invadendae dominationis existimans, primo tacite cum praesule civitatis per internuntios et munera agit, et inita societate paciscitur, ut prodita urbe profectus ejus constitueretur. Postea insidias, quas civibus paraverat, in ipsum praesulem vertit. Namque cum velut arbiter civilis discordiae exercitum urbi admovisset, statuto tempore, quo de componenda pace cum praesule loqueretur, ipsum cum sacerdotibus aliis cepit, captumque, et vinculis constrictum in Moscoviam misit, atque ut in illo subitum se ex amico fecit hostem, sic ex optato rerum successu repente crudelior evasit, et adversus invitos potentiae suae, a quibus aliquando vexatis armis, per quas saepe repulsus fuerat, non solum gladios distrinxit: verum etiam nefandissima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit, civesque in servitutem cum conjugibus et liberis tradidit. Novogrodii ab ejus patre jam olim subacti fuerant: eo autem tempore in spem libertatis erecti, et praesulis Theophili flagrantissimis concionibus incitati, armis patriam defendere et proelio decertare statuerunt. Profectus est contra eos Basilius, qui armis, munitionibus, et denique ingenti tormentorum apparatu civitatem vehementer conterruit. Is impetus uti repentinus nec exspectatus, summos, infimosque et sacratos quoque homines ad arma excivit. Sed dimicatum est a civibus nullo ordine, cum inopinati hostes et desperatio ipsa conturbatis hominibus omnem consilii et disciplinae rationem penitus eriperent: adeo ut Mosci felici audacia progressi, stratis civibus, nobilissimisque Ducibus aliquot interfectis, ipsoque etiam Theophilo praesule, qui impigre perturbatam suorum aciem reparare contenderat, multis telorum ictibus pene oppresso, intra moenia hostium consistere quiescerequo minime dubitaverint. Ita vexatis in vicino urbibus, Basilius ad exteros insidiarum et fraudum machinas convertit, cum quibus fidem sancte nunquam coluit. Ad Carolum et Ferdinandum Caesares Germanos avaritia potius, quam animi propensione ductus, Legatos in Hispaniam et Germaniam misit. Praecipue autem permagna promissi fideique vanitate erga Divos Poloniae Reges est usus: quibus non semel pace suscepta, ac jurisjurandi religione sancita, ad tranquillitatis fiduciam adductis, et contra barbaros, nominique Christiano infestos populos bella gerentibus, fidem impie fregit, pacta omnia violavit, et redintegrato bello, vel a necessaria eos contra ethnicos defensione, vel pulcerrimis pro Republica Christiana coeptis revocavit, et obsistere suis injuriis coëgit. Contra solos Casanenses Tartaros fallax tyrannos infeliciter dolos exercuit. Cum enim oblata praeclarissime occasione in summa spe ingentis victoriae Machmedeminem Casanensium Principem ob concitatam rebellionem armis mulctare statuisset, fraude, pecunia, virisque instructus florentissimas copias in expeditionem duxit. Cives abeuntem circumsistebant, suadebantque ne se temere infidis barbaris committere vellet, sed in tuto alienae insaniae exitum spectaret: non esse eo progrediendum, unde nullus omnino regressus sine periculosissimi proelii alea praeberetur: satis enim recte ipsum omnino facturum, si cunctando hosti aliquem in finibus subsistens terrorem incuteret. Alii econtra eundem esse



Digitized by Google

censebant, neque enim de eventu dubitandum, si Basilius jam tot populorum victor, tantis lectissimorum peditum equitumque copiis instructus nulla majore interposita mora aperto in campo et vera virtute dimicaret. Machmedemini auxilio venerant Czeremissi, viri acres et bellatores impigri, et ipse postquam effectus esset Imperator, non jam vanis vel suspicionis vel timoris offendiculis animum cruciandum putabat, sed gloria et laude incensus, gravissimi muneris nomen verae virtutis operibus sustentare cupiebat. Proinde hortabatur omnes, ut patriae sibique dignam Tartarico nomine operam eo die praestarent, memoriaque tenerent Moscos jam antea pulsos Tartarorum armis, se que inprimis infantem puerum, perpetuis ab ea gente injuriis acceptis, multos annos frustra pacem cupivisse. Quid cunctamur, inquit, commilitones, in hac parum decora deliberatione, quasi hostes nostros, si in eos armis erumpamus, minime simus deleturi? Perrumpemus hercle, et cuncta obvia sternemus, et ego praestabo me hujus periculi principem, ne martem in mea lingua potius, quam in dextra esse putetis. Nec mora, circumstantes ferme omnes fervidis et alacribus ingeniis sublata manu Principi favent. Nam et omnibus suspecta erat Basilii potentia: siquidem subactis Casanensibus, ut credi par erat, ceteros pari insolentia vexaturus videretur. Igitur Machmedemines Casanensium Dux Summus, longo sermone suos ad alacritatem cohortatus, terribili buccinae signo faciendi proelii indicium dedit. Nec Basilio obtinente victoriae avido, et per se impigro bellatori, animus consiliumque defuit. Peridoneos namque Duces circumductis coaptatisque tormentis, ordinibusque veteranorum intra fossas constitutis, ac expanso in recurvas alas equitatu ita irruentes hostes est complexus, ut illi intrepide atque insolenter congressi, partim confixi Moscorum sagittis, partim tormentorum pilis discerpti, a fronte et a lateribus sternerentur. Tum Machmedemines veritus ne universus exercitus absque ulla spe victoriae deleretur, cum expedita parte Tartarici equitatus adcurrit, conglobatisque ordinibus et signis iterum erectis tanta fortitudine et patientia per aequa pariter ac iniqua depugnavit, ut nequaquam ulterius lacessendus videretur: temeritatem enim virtus aequavit, quando (uti praeclare spectatum est) nemo Tartarorum ferociam animi vel inclinata primo proelii fortuna amiserit. Ita inopina vis fati humana virtute potentior Moscos bellica laude florentes repentino saevoque turbine involvit et obruit. Castris enim et armis exsuti, rerumque omnium tumultuossissima conturbatione territi terga verterunt. Putabat namque Basilius eam infamiae notam, quam tum summo cum dolore animi subibat, aliquando in meliore belli fortuna posse resarciri, si vim imminentis tempestatis non omnino oppressus effugisset. Interjecto deinde tempore Mengligerus Rex Tauricae filium Saipgirejum Casanensibus magnopere id petentibus Principem dedit, et juvenis ab excelso ingenio bellicae laudis appetens, insignique patris auctoritate et vicinorum societate et auxiliis subnixus, omnium suorum et patris maxime hortatu concitabatur ad promovenda arma. Dictitabant enim eum cuncta, quae concupisset, facillime consecuturum, et quas vellet impositurum leges Basilio, si perterritis superiori calamitate Moscis victoria uti vellet. His de causis Saipgirejus divisis agminibus Moscoviam omnia ferro proterens petivit. Cumque ipsum Basilium in tributi pensionem juraro coepisset, agros nemine prohibente depopulatus est, domos incendit, fruges protrivit, abegit jumenta, homines cecidit, caesorumque capita lanceis suffixa, ingenti cum terrore in hostico circumtulit. Incredibile dictu est ut eum non difficilia itinera, non arces hostium munitae, non tela, non gladii, non denique profectionis longinquitas a proposito detruserint, ut solus in patrio solo Moscus fugaret ac caederet. Ad eum modum Basilius dum in hanc maxime curam incumbit ut sui Imperii quam longissime extendat, non mediocre rerum suarum periculum adiit, barbarusque barbarorum armis egregie vexatus, pene de omni dignitatis gradu dejectus est. Nec enim raro ita fieri solet, ut Principes illi qui aliorum opes et felicitatem evertere conantur, ipsi in foedam rerum omnium conturbationem incidant. Id intelligens ferocissimus ille Ajax seipsum ad modestiam aliquando excitabat, ut alios tyrannos doceret. Nos, inquit, posthac sciemus Diis cedere, ac discemus Atridas venerari: Duces sunt, quare illis obtemperandum est; quid ni? nam et quae firmissima ac potentissima sunt Magistratibus cedere solent: faciunt hoc nivosae hiemes; nam frugiferae aestati cedunt: Cedit et noctis obscurae circulus, cum lucida dies orbem illuminat: Et saevorum nymborum flatus aliquando sopiunt frementem pontum, atque ipse validus somnus nunc

Digitized by Google

membra ligat, nunc eadem rursus dimittit. Cur igitur et nos non discamus esse modestiores? Sed Basilius Ajace pejor et fastuosior vir erat supra hominum fidem malis artibus instructus; semper enim rapax, semper immanis et saevus, ut dignitatem augeret, Imperiumque armis proferret, modo hunc, modo alium principatu populorum et amplissimis fortunis exsuere consueverat, haud dubie in Tartaros viris atque opibus insignes hereditatis spe similiter sacviturus, nisi admirabili Dei providentia exercitui suo interitum, supremam vero civibus infelici bello calamitatem attraxisset.

Tali patre Basilides natus, non honestiorem pueritiam, quam principia originis habuit. Siquidem ab ineunte statim aetate, moribus et animo crudelis, quomodo reliquum vitae tempus exacturus esset, facile demonstravit. Annos deinde pubertatis egressus, caedibus et libidine patriam replevit, et omnibus pariter injuriosus, vitam latrociniis transegit. Dicamus nunc ovum ovo simile non esse, parentumque scelera in filios propagari negemus. Certe nempe si fortes creantur fortibus et bonis, si est in juvencis, si est in equis patrum virtus, si nec imbellem feroces progenerant aquilae columbam: deformes econtra et enerves animas ex imo gurgite turpitudinis oriri necesse est, et Basilides quidem Paternae impietatis et injustitiae haeres utroque sexu famosus fuit. Maternum enim genus adeo pudibundum habuit, ut multi eum dubia et incerta matre natum opinentur. Quippe Basilius pater (ut rem altius repetamus) cum antea turpi vita in stuprum et libidines proclivis juventam exegisset, affinitatibus Imperium firmaturus, legitimam conjugem in matrimonium recipere constituit. Erat tunc apud tyrannum Georgius Micrus e Graecia oriundus, vir ingenio liberali, eruditoque praeditus, et quo mortalium animi facile capiuntur, alienis moribus obsequentissimus, ita ut lectissimi totius aulae proceres et nobiles cum obnixe colerent. Nam propter eximiam animi moderationem, rerumque peritiam tam carus omnibus erat, ut partam existimationem (cujus cura in exsule debet esse potissima) non tantum mirifice sustentaret, sed et indies eam abunde augeret. Is propter summam et inveteratam apud Principem auctoritatem filiam illi suam nuptui dare pervolet, quae admirabili venustate et oris habitu ceteras anteibat longissime eoque conubio ob singularem probitatem non indigna videbatur. Igitur suadebat Basilio ne exterorum principum affinitates magnopere expetere vellet, eos enim fide instabili et ingenti Spiritu ita plerumque elatos esse, ut nequaquam suas filias in barbaram regionem, qualem Moscoviam existiment, missuri videantur: novam quinetiam et peregrinam virginem novos secum et peregrinos advecturam mores, eamque incredibili sumtu et effusis tantum largitionibus obtineri posse. Jam si diversam a Ruthenorum ritibus sectam et religionem secum ea adferat, incredibilem rerum omnium commutationem statim subsecuturam. Nam inter dissidentes de religione sinceram pacem nequaquam servari posse; atque, ex tali Principio Regnum Moscicum continuo in pejus et interitum ruiturum. Proinde si rebus Imperii sui populisque subjectis consultum vellet, si dignitatem et pecuniam retinere, et quod pluris intersit, si domi pacem habere cuperet, ex suorum civium potius quam peregrinum Principum familiis uxorem acciperet. Esse non in Moscovia virgines cum Europaeis formae felicitate et animi vigore certantes. Haec effeminati et enervis animi virum amorumque delitiis deditum vehementer angebant, quod aut remittenda foret splendidioris affinitatis cupido, unde nominis famam abunde tueretur, aut monitoribus tam praeclare de se meritis obtemperandum. Itaque rebus omnibus ad nuptias instructis, ne unius Graeci hominis eloquentia a proposito depelleretur, non inanes quoque popularium et Procerum suorum voces audire constituit, sumturus consilium ex sententia universorum.

Erat enim Basilius sicuti naturae crudelis et maxime fallax, ita in consiliis diversus et parum constans; adeo ut in tota gerendarum rerum ratione, si primae spes eum deficerent, in secundis minime consisteret, et reliquas omnino praepropere elapsuras arbitraretur. Convocata concione et re diu tractata, decernitur in consilio ducendam esse ex civibus uxorem, abstinendumque a peregrinis: De illis enim dubium adhuc et perplexum negotium esse dicebant, verebanturque ne fortuna spes conceptas eludente, ipse demum Princeps inter miseras promissorum ludificationes forte deceptus repulsam ferre cogeretur. Is erat dissuadendi illius matrimonii praetextus. Hanc autem aliorum animis opinionem injecerat ipse Micrus aerario principis praefectus, ad quem summa consiliorum omnium a senatu respiciebant, quod cupere efferre filiam suam, eamque



Digitized by Google

augere item opibus accessioneque maxime Regii connubii caeca ambitione studeret. Id consilium quamquam utilitatis laudem ferre videretur, quod proceres patriae commoda nequaquam negligenda censuissent: ipsi tamen Georgio uti speraverat, magnopere non profuit. Quoniam princeps rebus omnibus ad nuptias paratis, audiendis amplius aliorum sententiis minime vocandum existimans, lectas ex tota regione nobilissimas virgines adesse jussit, ex quibus cunctis admirantibus Salomeam Joannis Sapuri filiam eximiae venustatis virginem uxorem duxit. Nam fata quoque quae omni humana ratione vehementius impellunt, cum haud dubie vel invitum ad id matrimonium pertrahebant, quod esset adhorribili partu, et ab immani, cunctisque prope gentibus funesta sobole nomen habiturum. Nam ex Salomea nonnulli Basilidem fatali quadam foecunditate natum existimant. Eam Basilius totos viginti annos in matrimonio habuit, sed cum nulla spes suscipiendae prolis appareret, princeps longa spe fessus et importuna sterilitate factus ferocior, inauspicatum conjugium felicioribus nuptiis permutare, Salomeamque repudiare constituit. Adjuvit enim obstinati hominis insaniam intempestivum gignendae prolis desiderium, et in animum coeca libidine perversum induxerat, se iteratis nuptiis heredibus masculis hauddubie, nequaquam relicto fratribus Imperio, potiturum. Nec multo eorum Salomeam omni mundo muliebri preciosissimisque insignium gemmarum monilibus per sacrorum Principem spoliavit, crinibusque abscissis eam in monasteriorum latebras ad Susdalienses migrare jussit. In ea constituta difficultate infelix femina sese ultro telis circumstantium objectans, ne in tantae ignominiae foeditate superesset, ab Joanne Schigona Principis Ministro baculis caesa est, quod liberius et petulantius quaedam in dominum suum prolocuta videretur. Tunc illa praesentem maritum apud circumstantes criminari, et primo invisum postea etiam suspectum cunctis reddere, nunc crudelitatem, nunc libidinem, nunc proditionem ei et furorem objectare. Sed Basilius eam, seu metu virtutis, vel verecundia dignitatis interficere ausus non fuit. Itaque velut omnis calamitas in solo exilio esset, turpi latebra eam a suo conspectu et consuetudine exclusit. Discedens mulier quiritatu lacrimis funestam omnem regiam fecit, avitosque lares et incunabula majorum, templaque ac Deorum simulacra contestata est, se nunc insidiis et vi circumventam indignissimis modis vexari: Sed vivere tamen superum atque inferum numina et regales Deos, quos tantarum injuriarum violataeque Regiae Majestatis vindices futuros speret; ita explosa et derisa in monasterium Susdaliensem introducta est, effuso obviam populo, ac si sua Regina, non captiva mulier adventaret; nec conjugem Principis Susdalienses avidius vidissent, quam exulem et desertam feminam viderunt. Interea Basilius novas nuptias circumspiciebat, et assidue dabat operam, ut magis potentibus in Republica sua viris jungeretur. In superandis invidiae difficultatibus, promerendisque civium animis plurimum valebat Michaelis Glinscii ingenium, qui singulari prudentia, virilique officio, nulli unquam vel tenui rerum occasioni deerat, qua excitari Basilii nomen, et vetera hominum studia accendi posse viderentur. Natus hic erat in Lithuania splendidissimo genere, et in Republica admotum potenti. Qui tametsi antea patriae religionis et libertatis fuerat studiosus, eximiaque dignitate inter Proceres liberae gentis versaretur: semper tamen Moscicarum partium erat habitus. Accidebatque propterea, ut quanto majorem gratiam, apud mediocres infimosque homines pararc conaretur; tanto ipse cum Basilio fratre apud nobiliores civium ordines vividiore, et (uti postea praeclare docuit eventus) perniciosiore invidia deflagraret. Adeo ut cum in Senatu de bellicis civilibusque negotiis ageretur, Magnates Lithuanae aeternaeque libertatis suae studiosi contrariis suffragiis illius semper consilio atque sententiae obviam irent, quasi ei ad elevandam minuendamque auctoritatem conspiratione quadam illuderetur. Orta est deinde gravis simultas et controversia inter Glinscios et Marschallum Lithuaniae Joannem Zabrecinium, quem illi potentia et immoderata licentia militari feroces, insidiis circumventum non procul a Grodna cum ministris aliquot interfecerunt, lectaque servorum juventute, cum nec facultas fugam, nec inopia remoraretur, cursum in Moscoviam ad Basilium direxere, tanta celeritate incitato ad festinandum servitio, ut neque viae silvestres admodum lutulentae, neque inflati amnes, neque fortissimae in finibus Lithuanorum excubiae quidquam impedirent, quo minus incolumes in optato loco sisterentur: quos ut profectos nuntiatum est, non aliter quam si Lithuania capta esset omnes trepidavere, exitiosam sibi

Digitized by Google

fugam eorum ominati sunt, nec ferocibus viris alta atque ardua in gente barbara meditantibus fortuna defuit. Exsulantes enim velut Deorum munus in Moscovia excepti, tantusque ex eorum adventu ardor barbarorum animis accessit, ut non tam de bello Polonis inferendo, quam de praemiis victoriae cogitarent. Interjecto deinde tempore Basilius Michaelem ad expugnandum Smolenscum misit, ratus aut cessuram urbem non multum muro validam magnis viribus oppugnanti, aut si hostes auxilio ire pergerent, ad futuram occasionem universo proelio dimicandi, quam sibi cunctis artibus parandam arbitrabatur. Erat Glinscius rebus omnibus instructissimus, tormentorumque praesertim apparatu, quae non uti apud alias nationes tardissimis boum jugis, sed insuefactorum ac agilium equorum cervicibus trahebantur. Habebat exercitum omni armorum ornatu conspicuum, ita ad patriam civitatem delatus, prolatis statim tormentis, tanta vi quassare moenita est adortus, quanta maxime ab ullo alio Duce qui interfuerant, ullibi factum fuisse meminisset. Dirutis namque propugnaculis, et multis hostium in opere et defensione versantibus ad ingeminatos tormentorum ictus interfectis, triplici acie instructa murum subiit, tanta alacritate et contentione militum, ut quisque ante alios efferendo sese progredi conaretur. Certatum itaque aliquoties vehementissime et crudelissime. Non deerant enim sibi in tantum rerum discrimine Lithuani, qui ab idoneis locis tormenta majora minoraque incessanter emittebant, et e summis ruinis sulphureos saxaque et ingentes trabes provolvebant; ita Glinscius cum detrimento repulsus, alia rem via aggressus est, et ab his infaustae oppugnationis initiis ad fraudem et dolos confugit. Erat ille Dux eloquens, et summa auctoritate maxime insignis, sed ob desertam et proditam patriam civibus valde exosus et terribilis, et quod spes ipsas et studia hostium vehementer debilitare solet, vir etiam in bello fortunatus ab omnibus habebatur. Igitur dum in civitate vulgus in partes scinditur, et quid contra hostem agendum sit, variis sententiis disputatur, Glinscius praesidium et militem veteranum in quo praecipuum civitatis robor erat, donis et multa pecunia corruptum in suas partes facillime pertraxit. Tum demum praefecti et ceteri duces vocato in concionem populo edisserere coeperunt, jam videlicet prope ipsum ardentis proelii discrimen perventum esse; jam satis magnam stragem equorum atque hominum editam; Glinscium rebus ferme omnibus superiorem, habere exercitum dimidio ampliorem et exercitatiorem, cui nulli milites stabili et campestri in acie pares futuri videantur. Non esse igitur fatali pertinatia cum fortuna diutius luctandum, quando pro comperto haberet Glinscium militum suorum virtuti et armis et carrorum item munimentis confisum, nequaquam re infecta ab urbe discessurum. Jam si qui sint qui obstinata insania exitiali repugnandi proposito deservire malint, quique nihil tanta et miserabili hominum clade commoveantur, posse eos peditatum confestim in hostes educere, se quoque cum universo equitatu illaturos signa, atque ita disjunctos et in castris muniendis haerentes ac impeditos Moscos facile concisuros. Sed Glinscium Ducem esse a generosa militarique ferocia valde terribilem, cui si fortuna et inprimis Dei voluntas victoriam donet, eos campos, in quos nunc sint egressuri, et ab foedo hominum interitu, et ab inusitata, cunctisque saeculis memorabili et funesta clade nomen habituros. Ad eam ducum orationem cives vehementissime consternati, deditionem facere statuerunt, et Glinscius, qui diutius in obsidione haerendum esse putaverat, opinione celerius oppido et arce potitus est. Ejectus deinde per vim Sarmatici generis civibus, barbaros Moscos in possessionem misit. Cumque ad Basilium esset reversus, strenui quidem et fortunatissimi Ducis nomen obtinuit, sed tamen apud nobiliores gentis ordines tacita invidia deflagravit. Erat enim valde onerosum, et molestiae pariter odiique plenissimum fortunitati ducis in peregrino homine nomen. Ita proditionis insimulatus in vincula conjicitur, et cujus paulo ante maxima et insignis apud Principem fuerat auctoritas, unius horae momento, magistratu, imperio, ac dignitate, penitus spoliatur. Fortem tamen virum inique cum calamitatibus colluctantem illa ipsa fortuna, quae ancipiti rota res mortalium versare consuevit, veluti pudore adducta feliciter erexit. Factus est enim insperato Dei beneficio Basilii affinis; qui post dimissam Salomeam sicuti memoravimus Basilii Glinscii filiam Helenam, praestantis formae virginem matrimonio sibi copulavit; iis potissimum ut ferebatur de causis, quod Helenae matrem ex genere Petroviciorum ab Hungaria ortam Ruthenicae religioni addictam fuisse meminisset, et quod Michaelis virtuti plurimum confideret, quem filiis suis, si quos

Digitized by Google

isto ex matrimonio susceperus esset, tutorem dare omnino in animo habebat. Fratres enim suos Georgium et Andream tyrannidem aliquando invasuros arbitrabatur. Michael autem opportuno tempore ex captivo liber, ex libero Principis affinis, ex affine regiorum liberorum tutor appellatus, eum honorem consecutus est qui ad recuperandam existimationem, et ad parandos opes, et denique ad plenissimam rerum omnium felicitatem, januam pandentibus fatis aperuit. Impleverat tum forte uterum Salomea, et jam rumor longe lateque per omnem Moscoviam volabat, eam indignissimis modis vexatam et a matrimonio Principis depulsam esse; quae tamen plus in Deo quam in marito spem ponens in coenobio filium enixa sit, qui illatas matri injurias, olim vindicaturus esse videatur.

His vocibus incensi omnes certatim rei veritatem confirmabant; ipsae quinetiam aulicae quaedam feminae non oculis tantum haec se vidisse, sed audiisse etiam vagientem puerum dicebant. Insperatus ille novae prolis nuntius (ut est natura mortalium, quae improvisis vehementius afficitur) Basilio incredibilem attulit conturbationem, simulque virum prolis desiderio flagrantem magis ac magis accendit, ut explosis vanis sermonibus ad indagandam veritatem majore adhibita diligentia properaret. Itaque in senatu principis decernitur legationem ad Susdalienses esse mittendam, quae Salomeae fortunam, valetudinem, consilia et novam enixa esset partum specularetur. Legati fuerunt Theodorus Cachus et Potatus Principi a secretis; his perductis in sanctissimum Susdaliense monasterium veterrimae Russorum religionis, Salomea, sumtis in manus altaribus, contingensque ipsa simulacra, et pulvinaria Divorum, inauditis ultimisque execrationibus adjurat, se sincera fide matrimonium Basilii coluisse, neque in contumeliam ejus se alium maritum, aliosve quam filios ejus liberos cupivisse; quia autem perjurio infidi mariti decepta, et in exsilium missa sit, eo miserior, quod mori statim non potuerit. Nunc tandem Deum immortalem tot perjuria et tam crudeles vexationes vindicasse, se spe impletam et metu solutam filium peperisse, cujus vultus et blandientes oculos nunc quidem non sint visuri, sed venturum eum aliquando in conspectum civium suorum. Legatis prae moerore manebant lacrimae, cum in femina exulante tantam religionis curam, tantumque contemta morte veritatis studium inesse conspicerent. Illi ad suos et Principem reversi, omnia in majus extollentes, constantiam pariter, et fortunam Solomeae ostendunt. Natum illi filium elegantem esse, quem in hominum conspectum producere nequaquam velit, et quasi satis munimenti in religione habuerit, ita eam omnia Principis mandata contemsisse. Ferunt Basilium hac relatione ad immanem ferociam et crudelitatem excitatum Salomeam ex coenobio in durius exitium detrudere cupivisse; sed consiliariorum quorundam monitu fuisse retardatum, qui viros religionem professos, et sanctissima coelestium Deorum templa temere levique de causa minime esse invadenda praedicebant. Igitur Princeps furorem ad innocentes quasdam feminas convertens, graviter eas verbis verberibusque mulctavit. Ipsa autem Salomea rebus supra vota fluentibus pacem nacta, parvulum educavit, omnique studio ad spem Majestatis, quae promittebatur instituit. Et certe sunt non pauci, qui hunc Georgium Salomeae filium ad Imperii dignitatem neglectis aliis evectum, eique Basilidis nomen inditum esse affirmare ausint: quod ipsum tamen si quis inficiari velit, ad Helenam Basilii Glinscii filiam omnio respiciendum est, quam depulsa Salomea Basilius in matrimonium recepit. Ea si Joannem hunc Basilidem et Georgium liberos habuisse putanda est, quorum tutor communibus suffragiis Michael Glinscius ille electus fuit, videbimus opinor, *maternum illi* genus aeque sordidum atque inhonestum fuisse; sublato nempe e vivis Basilio Helena dehonestamentum generis sui facta est, quam assiduae in lupanari compotationes et cum adultero Ivano Ovczina quaesitus ad libidinem thorus magnopere defecerunt. Eo tempore summa consiliorum penes unum Michaelem Glinscium omnino erant, ille de honore Principum et sui generis infamia sollicitus, reprehendere viduam coepit, per omnia sacra obtestando ne in exsecrabili proposito persistere vellet: quando mox ob enormi aliquo turpitudine honestatis fines transgressae poenitentia simul atque infamia sempiterna laborandum foret. Sed haec apud feminam venereis cupiditatibus deditam nihil valebant, et Michael pro familiari admonitione odium sibi tantum apud viduam creabat, ut statim nuntios mitteret, qui denunciarent ei, abstineret a regno pupillorum postremis patris precibus fidei suae traditorum.

Huic mandato tum Glinscius fiducia affini-

Digitized by Google

tatis et sanguinis confidentius adversaretur, in suspicionem venit quasi Princeps pueros Polonis tradere, et tyrannidem occupare decrevisset: ad cujus rei probationem adultera immittit judices, testes subornat, qui omnes accusationis veritatem confirmabant. Quibus rebus compulsi Proceres Michaelem uti virum sanguinarium rerumque novarum auctorem cum ignominia dignitate exsutum in carcerem compingunt, in quo animo pariter et corpore captivus, eaque prorsus calamitate indignus mortis erubescendo genere consumtus est. Sed nec Helenae inultum scelus fuit. Quippe reservata a Deo immortali in certum diem impii flagitii poena, brevi post omnibus invisa, et insidiis circumventa vitam veneno, ut meruerat, amisit. Jam enim perdita amore vulgatissimae meretricis nomine in omni Moscovia infamis erat. Ipsum etiam Ovczinam, qui foedis libidinibus miserabiles toti genti tenebras intulerat, ex fuga retractum, et carnifici traditum Proceres avidis oculis in frusta dissectum sperare sustinuerunt. Tam teterrimis libidinis, et nequitiae sordidus Joannis Basilidis nativitas imbuta fuit, qui persaepe in epistolis ad Poloniae regem scriptis vanissimis generis sui deliramentis usus, se a Prusso quodam nunquam inter mortalem viso aut cognito (quem Octavii Caesaris fratrem, generis vero sui auctorem esse contendebat) propaginem quartam decimam esse impudentissime affirmare solebat. Incidit autem nativitas ejus in turbulentissimum Europae statum.

Sub id enim tempus Turcarum Imperator Belgrado, cum Danubium atque Savum transisset, rectis itineribus in Hungariam venit, superatoque martis certamine Ludovico, et eo in paludibus submerso, tantum finitimis regibus terrorem incussit, ut Leo Pontifex Barbarorum potentiam in immensum excrescentem formidans Romae supplicationes indiceret, ipseque insigni concepta pietate discalceatus ad templum proficisceretur, et reipublicae Christianae incolumitatem Deiparae Virginis commendaret. Inter Joannem quoque Sepusium et Ferdinandum Regem illud de Hungaria dissidium ardebat, quo cum nobilitas omnis et ordinis dividerentur, bellum fuit exortum, Germanicis ac finitimis populis funestum et exitiale. Nam Joannem Turca suam in fidem recepit, et tradita Buda Regem eum constituit. Inter Gallum autem, Venetos et Pontificem foedus tunc renovatam est, quo communibus omnium viribus Carolus Caesar oppugnaretur. Cum enim uni ei ad maxima quaeque audenda incredibilis potentiae facultates parari, et tot regna in unum collata conspicerent; Galliae pariter, Italiaeque, et Pontificio praesertim nomini non temere periculum impendere existimabant. Sed Caesar mulctato primum Pontifice et Roma foede direpta Gallis postea bellum intulit valde atrox et maxime diuturnum, quo Europa prope omnis, diffusio late incendio, per novem annos deflagravit. In his rerum Christianarum tumultibus natus Basilides non obscurum et ipse mortalibus omnem dedit, quod scilicet maximarum turbarum et confusionum auctor futurum esset: et antiqui quoque vatis carmina eum Principem non obscuris formae ac ingenii lineamentis exprimere videbantur, qui propriae patriae, Livoniaeque praesertim et Sarmatiae summas clades esset allaturus. Puerilem aetatem sub tutoribus egit, inter quos, sicut ostendimus Michael Glinscius primas facile obtinuit. Scribunt tunc statim in eo prodigiosae naturae indicia apparuisse, omnesque pueri mores saerum quiddam et immane prae se tulisse, ita ut de illo nemo id dicere posset, quod de se ipso Jason dixit: Ajo me afferre doctrinam Chironis: redeo enim ex antro a Choricle et Philyra, ubi castae Centauri filiae educarunt, fuique ibi annos viginti, nec factum ibi nec dictum turpe locutum sum. Sermo pueri fuit stolidus et monstrosus, mores maligni et perversissimi, ex quibus Magnates gentis de ingenio et tota ejus vita conjecturam facientes eum indito poculis veneno occidere statuerunt, quando ab dira ejus potestate et luctum et calamitatem universis mortalibus impendere praevideremt. Sed voluntas Dei, quae humanis consiliis non mutatur, Basilidi avitam et paternam hereditatem adeunti peropportune fuit.

Anno etiam aetatis vigesimo secundo aut circiter imperio potius tanta agrestium ac popularium omnium gratulatione ac laetitia exceptus est, ut cuncti ejus adventum se vel fructuosissimis messibus fertiliorem sentire faterentur, utpote qui senibus ac pueris puellisque in viam effusis, ac rustica munera passim offerentibus, non modo pecuniam largissima manu rependeret, sed etiam appellando humaniter ac sciscitando, benevolentiam prae se ferret admirabilem et singularem. Non autem diuturnum miseris hoc gaudium fuit. Nam paulo post in summos ac infimos quacunque et levi de causa ita crudelitatem aspere admodum exercuit, ut sontes pariter ac insontes acerbis

Digitized by Google

simis poenis et cruciatibus vexaret. Quippe avaritia caecus bonis cives spoliabat; inque libidinem, proclivis conjuges Principum ad stuprum rapiebat, virgines ante nuptias vitiatas sposis reddebat: locupletes quosque aut civitate pellebat, aut occidi imperabat, bonaque eorum invadebat. Rempublicam quidem ut postea dicemus, legibus ordinabat, sed nihil eorum, quae constituerat, ipse faciebat: Injustitia, libidinibus et furore majoribus suis longe superior, ita ut omnia ea, quae de pessimo Principe Pollux scripta reliquit, de nostro Basilide commodissime possimus interpretari. Fuit enim tyrannicus, crudelis, efferus, violentus, occupator alieni, avidus pecuniarum, rapax, populi devorator, superbus, elatus, difficilis aditu, incommodus ad conveniendum, durus ad congressum, incomis ad colloquium, male iracundus, irritabilis, terribilis, turbulentus, voluptatum servus, intemperans, immoderatus, inconsideratus, inhumanus, injustus, inconsultus, iniquus, impius, mente carens, levis, inconstans, male facilis, immitis, affectibus deditus, incorrigibilis, contumeliosus, bellorum auctor, gravis, molestus, incoërcibilis, intolerabilis. Pacis artes apud illum contemtae fuere, odium benevolentiae, saevitiam, violentiam, rapacitatem, dementiae, comitati et benignitati semper praetulit, libidinibus, vinolentiae, commessationibus, aleae, morionibus, scurris, stultitiae socordiaeque deditus. Fuerunt complures Ethnici, qui ex rebus bene pro republica gestis, nihil in aedes suas intulerant, praeter gloriam. Fuit unus et alter, qui hanc quoque contemserint, veluti Fabius Maximus et Antonius Pius: In Basilide cupiditas fuit infinita, subditos immodicis exactionibus oppressit, multos ad famem, ad laqueum, et rerum desperationem inhumanissime adegit. Beneficentiam nunquam sincere exercuit, de morionibus tantum, delatoribus et voluptatum administris bene mereri solitus. Adveniente illo in regionem aliquam aut civitatem, cives elegantiorem supellectilem abdebant, filias insigni forma recludebant, adolescentes ablegabant, opes dissimulabant, ac modis omnibus contrahebant sese, reipsa satis indicentes, quam haberent de tyranno opinionem, cum id facerent, quod homines adveniente hoste aut praedone facere consueverunt. Leges sicuti Dionysius ille Syracusanus et Epitades plurimas tulit, alias super alias ingerens, easque ut fit a populo negligi patiebatur, quo cunctos ad hunc modum sibi redderet obnoxios. Ad puniendum semper propensior fuit, quam ad ignoscendum; sive quod per se crudelis, sive quod longissime a moribus Dei abesset, cujus ira lentissime ad vindictam procedit. Scelera commissa suis privatis commodis aestimabat; si quis de impiissimo homine aut de pestilente ejus dominatione verbum aliquod liberius dixisset, statim laesae Majestatis crimen admissum esse affirmabat; eumque virum igni et aquis semper oppugnabat. Nero crudelissimus etiam Princeps delationes non libenter admisit. Basilides non semel ob minimam aliquam suspitionem homines membratim discerpsit, eosque cum uxoribus et libris crucibus affixit. Monitores proditores vocabat, a quibus autem corrumpebatur, qui nec ipsi decora, nec patriae conducibilia tractabant, qui in sordidas voluptates qui in commessationes, in aleam, in assentationem proclives erant, qui bellis eum involvebant, qui abducebant a recto, qui expilationes populi, qui tyrannidis artes docebant, eos inter carissimos habebat, ac ipse per leges suas tanquam ararearum casses securus perrumpebat, muscis duntaxat et miscris subditis irretitis. In eo tamen unico fortasse laudandus, quod magistratum pure creavit; eos enim adscribere solebat, non qui censu velerent, non qui plurimo emissent, non qui improbissime ambirent, non qui cognatione conjunctiores, sed qui ad functionem mandati muneris essent aptissimi, in hos quoque severissimam statuebat animadversionem, erga eos, si convicti fuissent, supplici genere diversissimo usus. Quosdam enim praefectos qui aut cives vexavissent, aut expilassent negotiantes, virgis lacreare solebat, nonnullos baculis caedebat, alios serica veste splendidissime indutos per civitatis regiones huc atque illuc circumducebat, nullis quidemequis, sed carnificum turba currum trahente, qui scuticarum strepitu et fragore auras verberabant. Postea cum ad aulam reducerentur, an verberibus mulctati essent, interrogare solebat, illis metu consternatis et mussantibus, nunc inquit, vestrarum poenarum nuntios audivistis; cavete autem ne ipsum legum mearum rigorem experiamini, quod tunc fiet, cum denuo actio male gesti muneris contra vos fuerit instituta. Nonnullis etiam quibus privatim poenam irrogare cogitabat, ferrato scipione utrumque pedem perforare erat solitus. Quosdam pelli ursinae insutos in forum publicum protrahebat, ut ita canum laniatu rotati miserabile ceteris spe-

Digitized by Google

ctaculum praeberent. Puniebat item ministros suos aulicos, et saepissime patientiam abrumpebat, si renovatis improborum injuriis post primam delicti veniam contumeliose laederetur. Exercuit et summum jus in damnandis, qui vetitis diebus in publico ebrii et melicrato repleti conspicerentur: Adeo ut eos toto anno in carcere et durissimis vinculis captivos detinuerit, ex quibus triduo ante Paschatis diem liberari tantum consueverunt. Instante autem Natalitio Christi et Paschate vulgus civium ad aulam accedens bibendi licentiam audacter rogare solet, ea ad dies quatuor et decem impetrata, postea per certos homines tabernae purgantur, et omnis generis potiones tanquam voluptatis et illecebrarum ministrae e domibus ejiciuntur. Ceterum nulla in re vehementius et diligentius, quam in puniendis alieni aeris debitoribus laboravit, eos omni beneficio indignos existimans, qui nequaquam grata manu alienae fortunae muneribus uterentur. Nemo enim vel civis vel peregrinus, qui emendo aut vendendo nomina fecisset, nemo vel minus debitor unquam fuit, qui fustuarium inclementissimi Principis non senserit: ex his adventitios et parum notos homines, civesque adeo suos, et summos infimosque homines certis diebus egredienti ex templo populo monstrare, et per regiones civitatis circumducere erat solitus, eo praesertim libentius, quum obsoleta veste indutos et bene baculatos conspiceret. Alieno enim aeri obnoxios in republica ferre nolebat, eosque ad omnes exercendae perfidiae occasiones paratos esse dicebat. Populi negotia certis anni temporibus audiebat et excutiebat; tum humillimo cuique fas erat injurias deferre, et liberrime conqueri de impotentia acerbitateque potentum, qui contra leges et consuetudinem subditos nulla moderatione vexavissent. Ne vero quisquam re infectia ex aula discederet, scribas et judices magno numero advocabat, libellos supplices ipse inspiciebat, quos in pileum primarii cujusdam scribae conjectos absoluto fere judicio in conspectu omnium effundere, et inter illos distribuere, consueverat, ita ut diceret supplicantes eadem hora sic audiendos et dimittendos, ne quis omnium in civitate pernoctandi occasionem et necessitatem habuisse videretur: nec ulla in in re crudelius severitatem exercuit, cum sontes pariter ac insontes neglecti muneris invidia notatos acerbissimis plagis et contumeliis oneraret. Atque haec in Principe maligne improbo laudem fortassis mereri poterant, nisi parvae adfectatae virtutis scintillulae densissimo proborum vitiorumque fumo obscurata fuissent, quibus domi pariter et foris indelebilem pudendi nominis infamiam contraxit. Majorum enim suorum dictis factisque inconstantiam, fraudem ac insidias Basilidis non modo omnem in se admisit, verum etiam auxit; pacta cum vicinis regibus foedera violavit, sub amicitia semper belli molimina quaerens; idque tum maxime egit, cum literis missis ad D. Sigismundum Augustum de securitate oratoribus praestanda, qui ad se de pace mitterentur scriptis, subito Polociam invasit occupavitque. Henrico Gallo pace promissa ad tranquillitatis fiduciam adducto, contra omnem jurisjurandi religionem Pernaviam eripuit, aliasque Livoniae arces in potestatem suam redegit, consimili fraude erga Stephanum Regem usus, cui cum fiduciam pacis attulisset, repente Livoniam iterum armis oppugnavit, quo tempore, quae in trucidandis per acerbissimos cruciatus captivis truculentia: quae flagitiosa in vexandis honestissimis nobilissimisque feminis turpitudo; quam inexplebilis in hauriendo sanguine Christiano sitis, et in omni genere injuriarum immanitas fuerit, omnino commemorari satis non potest. Ad inveteratam autem perpetuamque malitiam suam, istam quoque injuriam adjecit, et contra gentium jus legatos maximorum regum effrenata superbia non semel violavit. Missi ad eum a Sigismundo erant ex ordine senatorio splendidissimi Oratores Joannes Crotoszinius Palatinus Inovladislaviensis, et Nicolaus Talvoisius Samogitiae Castellanus, ut de gravibus reipublicae rebus cum eo tractationem inirent: Quos tamen sine omni amicitiae et datae fidei respectu contumeliose tractavit, et modis indignissimis violavit: hominem nobilem ex aulicis regiis spoliavit, et cum res quasdam pretiosiores inspiciendi causa accepisset, superbe retinuit, negotiantibus qui una venissent, ingentem mercium lectissimarum vim eripuit: equos in oratorum illorum conspectu productos ferro dissecari curavit, et semper ea quae ad contumeliam Regiae Majestatis Regnique Poloniae ac Magni Ducis Lithuaniae detrimentum pertinere possent, cupidissime suscepit. Sed quid de regum legatis dicere attinet? Cum magnos quoque Principes et regia stirpe natos truculentissimus ille carnifex immaniter crudeliterque afflixerit. Id enim ex relatione praestantium virorum bene scimus, quod scilicet levissimis delationibus adductus Magno

Digitized by Google

Cimbrorum Duci, cui Livoniae imperium jurejurando desponderat, sanguinem proprium cum melicrato mixtum bibendum porrexerit; cujus deinde satellitum in frustra dissectum est, et ille pugnis vehementissime caesus, ut vitam a praesenti mortis periculo servaret, genibus innixus multa passuum millia perreptando gemens tremensque ad tentorium tyranni delatus est.

Tum ille consurgens ait, ausus ne es nefandissimum caput Livoniae imperium sperare? te ex patria tua profugum et extorrem in familiam nostram adscripsimus, atque ita ex inope repente dives factus contra benefactorem tuum perfidiam exercere potuisti? Quid quod paulo ante ter insimalatus affectatae dominationis, non dico Regem, patronum certe tuum superbe sprevisti, Vendamque civitatem nostram et omnem adeo Provinciam insidiis circumventam subigere parasti: sed vigilarunt oculi Dei qui te frustra omnia conantem arbitrio nostro subjecerunt. Ita quoniam aliena affectasti, aequum est ut omnia ea quae largissima manu tibi dedimus, nunc tandem amittas; nec plura prolocutus regiam ipsi vestem detraxit, verbrorum contumeliis haud dubie crudele supplicium additurus. Igitur cum hinc caedes commilitonum indigne peremtorum, inde hostium multitudo, hinc mortis metus, inde crudelitas tyranni et barbari exercitus attonitum et consternatum principem urgerent, quoniam ex eorum manibus liberari non poterat, supplicandum ratus, ultimis deprecationibus veniam rogavit, quam post multas demum horas accepit, nec aliter quam dum contemnitur liberatus est. Ab eum modum Basilides per vestigia paternae tyrannidis decurrens, sicuti crudelitati, ita et libidini ejus successit. Ethnici aestimatione rectissima ob continentiae laudem celibrant Peleum, celebrant Bellerophontem, celebrant Cyrum: Pausanias a Coa, Alexander a Darii conjuge, Scipio ab Allucii sponsa abstinuere: Ipse quinetiam tot probris coopertus Julianus castitatis nomine apud Marcellinum celebris est, quem dixisse ferunt: Pudicitiam celsius consurgentem vitam sic ornare, sicut pictor ingeniosus vultum spectiosum veris colorum pigmentis splendidius effingere consuevit. Basilides autem quovis Paride et Caracalla effeminatior more negotiantium nuptias subinde novis nuptiis permutavit, civiumque suorum conjuges coegit, si vivere vellent, ut certis diebus virginis suas prostituerent, quas deinde ad stuprum raptas immissis militibus spoliavit, ornamentaque puellarum in suam paedem vertit: quarundam parentes ditiores interfecit, quasdam ad prodendas parentum pecunias torsit. Cum his artibus aliquot annos regnasset, tandem relicturus, animum ad matrimonium contrahendum appulit, et septem omnino uxores secundum successionis ordinem habuit; quod quidem vix credibile foret, nisi ea nos ex splendidissimis legatis magna cum admiratione audivissemus, quorum fidem ultimus ad tyrannum istum internuntius Elias Pilgrimovitius praeclaro testimonio suo abunde nobis confirmavit, de septem uxoribus tres repentinis mortibus interire, duas ob sterilitatem thoro expulit, septimam eo tempore duxit cum Poloniae Rex devicto et everso Velicoluco ingentes in Moscovia copias cum admirabili omnium terrore circumduceret. Tunc enim ne quis eum acceptis cladibus commoveri existimaret: et nuptias ipse celebravit, et filio Ivano sponsalia fecit, ita ut in extremo rerum discrimine impudentius etiam populo suo insultare videretur. Nam cunctis eae nuptiae graviores repentinis funeribus fuere. Quod cum intellexisset, ne quid afflictis solatii deesset, filios eorum filiasque nubere, proposita recusantibus morte compulit; utque ipse etiam genio turpissime indulgens dementiae insolentiam addidit. Quippe eunti per publicum Ramana aquila, velut argumentum Majestatis praeferebatur; veste purpurea, et coturnis Regum et aurea corona utebantur, ut civibus non libidine tantum, sed effrenata etiam intempestivaque superbia molestus esset. Sed missa nunc illicitae libidinis et ebrietatis censura, religionem barbari Principis examinemus. Quid autem? numquid aliquem Russiae Flaminem ab inferis excitabimus, quod Socrates apud Platonem facit, qui nobis patrios ritus exponat, religionisque Ruthenicae summam sconscribat? minime gentium. Non enim figmentis hominum, aut somniis ullis indigemus, quando eorum ceremonias, et preces, et ritum, et pietatis cultum coram cognoverimus. Russi S. Andream religionis autorem habent, quem enavigatis Ponti Euxini undis in has terras delatum apud Kioviam consedisse, et populis colendi numinis rationem *primum* ostendisse affirmant.

Nunc ejusdem cum Graecis sunt professionis, unum Deum in trinitate, et trinitatem in unitate venerantur. Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere ajunt. De Pontificibus Romanis non bene sentiunt, ex quorum

Digitized by Google

magno numero septem tantum pro Catholicis habent, horum successores doctores vocare consueverunt. Sacrorum Principem Metropolitam appellant, qui dignitatis gradum accipit a Patriarcha Constantinopolitano. Porro totam sacram scripturam patrio idiomate conversam et typis expressam habent. Patrum lectio in ipsorum templis frequentior est. De fidei articulis communem cum Graecis opinionem alunt; et originalem quidem labem nobiscum vehementissime deplorant, naturam hominis extreme corruptam esse asserentes; ita ut in locum imaginis Dei, sanctitatis veraeque justitiae, nunc contemtum numinis, injustitiam, impietatemque successisse opinentur. Ajunt non esse in carne nostra bonum, omnesque homines in tenebris et densa ignorationum nocte sepultos violare mandata Dei; et ex pravo corde tanquam ex perenni fonte omnium malorum rivulos descendere. Ideoque opus esse existimant, ut infantes in luminis auras editi statim Christo offerantur, mysticaeque ablutionis Sacramento imbuantur; nam unico tantum baptismo peccata deleri dicunt. Verum enim vero cum non infantes tantum irae coelestis Dei obnoxii sint, sed in ceteris quoque hominibus peccata praedominentur, vere solideque coram Deo et homine peccata agnoscenda, et contrariis vitiis virtutes operandas esse docent. Fidem salutis fundamentum ponunt, sed vivam fidem, et eam quae a bonis operibus testimonium habeat, ideo fieri non posse putant, ut quis bonorum operum excellentia destitutus Deo jungatur et vivat. Desperationem vetant, dictitantes iram Dei brevissimam esse, qui et enormia flagitia condonet, eaque oblivione deleat sempiterna; de sanctis D. Nicolao, Mariae Virgini, Eliae at Joanni Baptistae praecipuum honorem habent. Somnio de liberi arbitrii valore multum tribuunt. Spontaneam quoque paupertatem ita affectantes, quasi ea sempiternam spectanti beatitudinem maximopere sit necessaria. Inter cetera autem beneficia quibus humanum genus cumulat Deus, non postremum et hoc esse testantur, quod imperia orbis terrarum consevrat, quod certos homines ordinat, qui respublicas piarum et impiarum gentium administrent, ne omnis humanae vitae ratio et ordo pervertatur, et omnia plena sint tumultu et confusione.

Igitur omnes qui ad clavum imperiorum sedent, honorandos esse et timendos asseverant, illos etiam qui a justitia et pietate recesserunt. Monachatum quinetiam et fratrum collegia tantis encomiis ornant, ut nihil divino numini gratius esse statuant, quam si quis rebus terrenis prorsus abrenunciet, et arduas vivendi regulas amplexus, officiaque sanctissima professus, religiosi Monachi nomen usurpet. Purgatorium omnino negant. Sub utraque specie Eucharistiam sumunt. Calici aquam tepidam admiscent; Dicunt enim ex latere Christi, cum nostras in cruce sordes elueret, sanguinem et aquam defluxisse. Pane in Coena Dominica fermentato utplurimum, et lingua patria utuntur. Eos qui liturgiam ad quaestum transferunt, odio digniissimos esse putant. Extremum judicium credunt et exspectant, quo quidem nihil clarius, nihil illustrius et magnificentius, nihil probis hominibus optatius, nihil improbis horribilius futurum opinantur: illud etiam addentes; Eos qui cum pietate et justitia vixerunt, definitum in coelo locum habere, in quo summis bonis expleti, et Christo gloriae communione conjuncti, sempiterna laetitia, cum immensa et inexplicabili voluptate perfruantur. Impiis ccontra, et illis qui falsas religiones coluerunt, qui Deum res humanas non curare existimaverunt, procul a coetu et consortio beatorum seclusis, aeternas tenebras et gehennae incendium paratum esse. Vitae humanae statum in conjuges et coelibes dividunt, circa mortuorum sepulturam, nuptias, festivitatesque alias mirabilibus ceremoniis occupati, et superstitionibus non paucis dediti, de quibus in epistola ad Davidem Chytraeum scripta longiorem aliquando narrationem habuit. Viderint autem illi quid credant, nobis satis est, si hanc judicii rectitudinem in barbaris probemus, quod praeclare sentiunt, Deum Optimum Maximum peccati causam non esse, sed perennem potius perpetuumque bonorum omnium fontem; certe nemo ita languet, aut ita friget in cupiditate summi boni, qui non excitetur, et quasi facibus admotis incendatur, cum hanc vocem audit. Haec est omnium sententiarum una nobilissima, una, mihi crede, quae omnium Philosophorum sententias, una, quae omnium Regum opes facile vincat. Summus enim ille coeli terrarumque moderator et Dominus, rectus, castus, et sanctus est, cui etiam nihil nisi rectum, castum, et sanctum placere potest. Odit enim quicunque se vitiis contaminant, mendacesque, vanos, fraudulentos funditus evertere, eosque seclusos a concilio coelestium sempiternis cruciatibus adficere solet. Sed pergen-

Digitized by Google

dum est. Sacerdotes Russorum uxores ducunt; eae si decesserint, coelibes permanent, et summa castimonia vitam peragunt: Si vero adulterio se aut libidine aliqua commaculaverint, sacerdotio privantur. Antequam rem divinam faciant, aliquot diebus ab uxoribus abstinent, ut libidinis impuritate dierum numero sublatae sanctius Christo serviant, deque rebus divinis attentius cogitent. Feriis esurialibus misere sunt obnoxii: Cum jejunant, usque ad solis occasum nec edere quidquam, neque bibere solent. Sequentibus tamen diebus turpi crapula et ingurgitatione abstinentiam bene recompensant. Atque haec quidem de fide Russorum memoratu digna, quae in ipsorum libris latius dispersa sunt, ex magna articulorum religionis turba electa recensui, ut documenta habere volentibus longae inquisitionis labor abesset. Constat autem Basilidem, quod a prima adolescentia opinione omnium exactam patriae religionis cognitionem fuisset adeptus, non parva in observanda amplificandaque ea diligentia usum fuisse: quando statis solennibusque diebus Pontificum praemonitione ipse etiam rebus divinis operam daret: itemque animo valde modesto, certis temporibus carnes non edere, interdum nihil gustare praeter legumen et olera; Saepius etiam coena penitus abstinere incorrupta lege statuisset. Postea vero accepto patrio Regno, tantisque opibus ornatus, tumens ex successu rerum, spernere jam etiam ipsum Deum, a quo fuerat in dominationem positus, superba insolentia cepit, aras et templa spoliavit, factis jocis sacrilegium circumscribens: Non enim divum se, sed monachorum divitias emendicatas auferre dicebat; et quanquam patrios Deos, omnemque religionem non obscure deridebat, de ritibus tamen et ceremoniis exterarum gentium frequentes cum amicis sermones habebat. Aderat illi jam multos annos Britannicae Reginae nobilissimus lagatus, cujus singulari prudentia in omni graviore negotio, sicuti et consiliis in regenda Republica, nudatis omnibus sensibus utebatur; apud hunc de variis inter homines sectis et religionum professionibus saepissime disputabat, ita ut et ipsum nonnunquam Pontum eadem de re disserentem propensis auribus libentissime audiret. Erat enim in eo viro cum humanarum optimarumque artium, tum bellicarum etiam rerum peritia singularis, longo usu, et variis utriusque fortunae experimentis comparata. Christianum item Bochornium Magni Cimbrorum Ducis sacerdotem splendida veste et catenis aureis insignibus donatum, in purpura concionantem ita audire solebat, ut palam diceret, Lutheri dogma veritati vicinius omnino videri, illudque tolerari etiam posse, nisi auctor intempestiva vehementique eloquentia in unum Pontificiae causae jugulo incumbens veterem sacrorum ordinem evertisset, sanctarumque litterarum scientiam turpi transfugio abjecta inprimis cuculla, et habitis cum sacra virgine nuptiis obscurasset. Haec a barbaro Principe et supra humanam fidem superbia elato eo confidentius dicebantur, quod cunctis adulantibus, aut judicio deceptis, porsus nemo esset qui dissolutae hominis opinioni admonendo obviam ire auderet, ne inexpiabilem pariter invidiam et mortis periculum sibi crearet. Non defuit etiam Gaspar Vitebergensis ex interpretibus ei gratissimus, qui abjurata patria religione, et Russorum ritu rebaptisatus, impudentibus nugis herum suum in pestifera nefandaque sententia confirmaret: quando nullum in rebus sacris ordinem, nulla Dei altaria, ceremonias nullas apud Germanos esse audacissime mentiretur. Inter ceteros autem Joannem Rocytam, virum pietate singuli praestantem, de variis inter Christianos sectis, de religione Lutherana, de fundamento salutis non pauca etiam cum singulari significatione attentionis cupidissime interrogavit. Venerat i le anno supra millium quingentesimum septuagesimum in Moscoviam, et D. Sigismundi Augusti legatis ita aderat, ut et sacris praeesset, et habendis concionibus eorum servitia ad pietatem erudiret. Hunc ad se in Senatum perductum et acceptum honorifice Evangelicae doctrinae summam confidenter edisserere jussit, et munera etiam ingentia ei pollicitus est, si dubia confirmare, explicare intricata, et obscuris lucem adferre dicendo posset. Vos, inquit, de fide Evangelica gloriari consuevistis, sed factionibus creberrimisque tumultibus ita divisi estis, ut jam omnem fere Europam vestris novis dogmatis subverteritis, quod etiam incredibile foret, nisi ea nos ex quotidianis fere nuntiis magna cum admiratione audiremus. Vestrae quinetiam sectae placita veterum haereticorum dogmatibus inclusa jam pridem in pluribus conciliis a vere doctis et Christianis hominibus explosa et severe vindicata intelligimus. Quid igitur monstri est, quod incertarum haeresium propugnatores estis, quod soli fidei justificationem adscribitis, cum venturus sit Dominus judicare vivos et mortuos, qui et red-

Digitized by Google

det unicuique mercedem secundum opera sua? Jam si sola fides beatitudinem adfert sempiternam, quid illo opus est judicio? cur toties in novo Testamento operum dignitas nobis inculcatur?

Sed haec sunt praeceptorum vestrorum Hussi et Lutheri egregia paradoxa, qui schismatibus et dissidiis orbem terrarum involverunt, et quidem pro comperto habemus, nulla eos sanctarum Scripturarum auctoritate ut has turbas darent, adductos, sed temeritate potius ac impetu plebis cum semper imperitae tum in omni novarum rerum motu aliisque ulla judicii ratione gestientis. [Igitur sicut illi veteris ecclesiae desertores a nullo mortalium legitimam docendi potestatem habuerunt, nec ullis unquam miraculis, de quibus Salvator noster ad discipulos suos concionatus est, clari fuerunt: ita nec tu legitimo jure doces, nec miracula ulla facere potes, nec omnino Evangelii minister habendus es, cum nequaquam majorum auctoritate ad hanc spartam perveneris.] Ter maximum enim illum Paulum dixisse meminimus: Possunt ne invocare eum, cui non fidunt? aut fidere ei de quo non audierunt? aut audire, sine praecone? aut praedicare, nisi qui erunt legati? Cogita nunc cum animo tuo Rocyta, quis vos miseros ad praedicandum miserit, cogita tandem quid annuncietis, cogita quam indignissimis modis vos porci pretiosas Salvatoris nostri uniones tractetis? Quippe curiones simulando bacchanalia vivitis: Delectum ciborum et jejunia corporis sanitatem animique vigorem conservantia velut in odium Ecclesiae rejicitis et damnatis: cum econtra Dominus vigilantiam et abstinentiam tantopere nobis commendaverit. Preces vestrae quid aliud sunt, quam inane et vanissimum murmur: multa enim facitis vota usque adeo vobis noxia, ut exsecrationes potius videri possint. Nam et sanctissimis coeli quiritibus invisi estis, quos convitiis proscinditis: quorum aedes et altaria destruitis, et hi tamen in perpetuo illo et transcoelesti lumine habitantes, sua intercessione multum vobis apud illum Deum prodesse poterant, qui eos adhuc mortali corpore gravatos tanti fecit, ut ad illorum preces daemones expulerit, mortuosque ad vitam revocaverit.

Horum sanctissimis imaginibus non modo honorem nullum habetis: sed ex templis etiam et domibus vestris eas ejicitis, quibus tamen omnes omnium aedium parietes decentissime ornatos esse oportebat. Quod facinus eo gravius omnibus habendum, quod in ipsos plane Deos saevire videmini, qui et opportuno tempore ultionem impietatis a vobis exigentes, sectas vobis et turbas inextricabiles obtrudunt. Jam quae isthaec indignitas est, quod impurissimis libidinibus dediti, honorabile inter vos conjugium esse non sinitis? Sacerdotes vestri uxores nequaquam legitimas, sed meretricum greges alunt, et tamen hi praestantes populi Doctores de pietate concionantur: certe sicut in Coraeum praesens ira Dei desaeviit, ita et hos sine dubio manet gehennae incendium, nec unquam in mente Domini sempiternae laetitiae mustum gustabunt. Haec et plura etiam a Basilide in corona nobilium et magnatum dicta fuere. Mox Rocyta qui ad explicandam defendendamque veritatem animum praesentem attulerat, libero ore audacter respondere jussus, humillimis primum gestibus dicendi potestatem rogavit, ne gratiam apud tyrannum in lubrico positam opinione celerius amitteret, et ex veritate in odium, ex odio in praesentissimum mortis periculum conjiceretur. Meminerat enim amplissimos legatos paulo ante acerbissimis injuriis fuisse affectos, quum equi in illorum conspectu aduncis gladiis in frusta dissecarentur, quum nobilissimi adolescentes spoliarentur, et parum abesset, quin omnes pariter ab homine crudelissimo occiderentur: ideoque tenerrimis excusationibus imperantis animum praeoccupandum ratus, transferebat mores ad personam, divina quadam praesensione periculis occurrens. Quumque instaret tyrannus, ut sententiam Rocyta suam aperiret, et absque ulla fastidii suspicione avidissimum aeque et patientissimum se fore auditorem polliceretur: ille ab imploratione opis divinae exordium sumens, et Slavonicae linguae nequaquam ignarus, isto in confessu maximarum rerum momenta ita excussit pensitavitque, ut non falso nemo peregrinorum sacerdotum eo splendidius et decentius disputasse diceretur. Res, inquit, omnes Dei judicio destinatae, humanis consiliis impediri nequaquam possunt: et ille quidem Deus summae majestatis suae decus conspici volens, quomodo tandem agat, et quibus utatur mediis, id profecto dignoscere arduum est. Experientia tamen edocti sumus, eum, quum res maximas perficere statuit, levibus omnino parvisque principiis uti. Igitur si ex hoc colloquio pulcerrimum et clarissimum verbi sui lumen magis magisque inflammare voluerit, nos certe potentiam illius nec ullis terminis definiri, nec ullis

Digitized by Google

hominum viribus impediri, nec ullo consilio retardari posse dicemus, dominumque missis supplices precabimur, ut ex minutissimo sinapis grano arborem crescere sinat, sub cujus frondibus volucres coeli nidos construere possint. Et ego certe miserae illius viduae exemplo nummulos duos simplices in arcam Domini conjiciens tibi Serenissime Russorum Princeps ad interrogationem tuam brevissime respondebo.

Principio autem, quoniam ex ore meo Majestas Tua audire constituit, quid apud nos de hominis justificatione doceatur: negare id quidem non ausim, esse quasdam in orbe terrarum synagogas, in quibus Princeps tenebrarum summae dominationis fastigium tenens sanctarum scriptarum auctoritatem, vel penitus rejicit, vel falsa interpretatione ad alienum et peregrinum sensum depravat. Quid nunc memorem de Judaeorum furiosa et obstinata caecitate? qui a Domino Christo alieni ex legis antiquae observationibus salutem sperant. Quid de Turcarum vafricie technis et superbia dicam? qui vetus novumque Jesu testamentum suo arbitrio improbant et blasphemant, nugacissimique Alcorani paradoxis innixi se sempiternae etiam beatitudini et felicitati vicinos esse gloriantur. Alii operum fiducia superbientes merito Christi ita derogant, ut circumspectent suam sapientiam, suas vires, sua merita, suisque adeo virtutibus sese attollere in montes aeternitatis conentur. Sed omnes isti evanuerunt in cogitationibus suis et frustra haec omnia faciunt. Quod enim fit extra Christum, non potest cuiquam veram conferre felicitatem. Nos econtra in negotio justificationis ad nostras virtutes, ad ceremonias, ad leges hominum nequaquam respiciendum, sed ad altiora tendendum esse asseveramus. Nam in quaerenda aeterna salute qui retrocedit, qui a tergo relictorum non obliviscitur, qui oculos in coelum non levat, ille profecto ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis, frustra aspirat, et in exitium relabitur, sicut respexit Euridice, et relapsa est in orcum: respexit uxor Lothi, et versa est in petram salis.

Docemus igitur, miseriam humanae naturae maximam esse, quae quidem primorum parentum vitio ita depravata fuit, ut ejus corruptela in omnem posteritatem sit propagata. Omnes enim homines in ipsa statim conceptione contrahunt labem, et proclivitatem incredibilem ad peccandum, omnes ad omnia scelera, ad flagitia natura feruntur: omnes sunt sub peccato, sed indignane, sub ira Dei: nec quisquam sua sapientia, suis viribus ex hoc malorum nativorum pelago emergere potest, nisi sit, qui e sublimi porrigat manum, et jacentem sursum trahat. Immo etiam ille culpis suis maximum addit cumulum, seque reddit venia prorsus indignum, qui tanta inflatus est arrogantia, ut sponte sua, viribusque propriis animi labem et maculas eluere se posse confidat. Ne tamen quis ob eam causam de salute desperet, neve peccata sua majorem vim ad perdendum habere censeat, quam misericordiam Dei ad servandum: statim digitum intendimus ad immaculatum et innocentissimum illum Dei agnum, ad Salvatorem mundi, ad filium Dei viventis, qui propter nostram salutem de coelo venit, qui propter peccata nostra cruci affixus est, et resurrexit ex morte, destructoque tenebrarum regno cum ineffabili thriumpho ad coelos coelorum, ad dextram Dei, ad lumen et gloriam transcoelestem reversus est. Cumque dies ille formidolosus illuxerit, quo die hominum corpora e somno mortis ac lucem aut tenebras alterius vitae excitabuntur, tunc ille universos mortales vocabit in judicium totius vitae rationem ab illis exacturus. Coram hoc Christo, si quis impuritatem animi sui vere agnoscit, vereque eam detestatur, et spem omnem illius abstergendae in solo ejus merito ponit, nec ille repente ab imo ad summa provehitur, ille verus est haeres et filius Dei, ille ad terram quietis, quam in sanctis literis Dominus promisit, recta proficiscetur. Non est enim alius ad vitam sempiternam gradus, non est in alio salus, quam in Christo, non est aliud nomen sub coelo apud homines datum, per quod servandi simus, per ejus nomen peccatorum veniam consequuntur, quicunque ei fidem habent. Eo modo hominem per liberationem, quae fit in Christo Jesu, justificari censemus, quem proposuit Deus placamentum, per fidem in ejus sanguine collocandam: neque ea unquam fuimus elati arrogantia, ut anteponeremus hominum opiniones sanctissimo Dei verbo: Si tamen aut Hussus, aut Lutherus, vel alius quispiam, qui singularis sanctimoniae virtutisque et pietatis nomine clarus fuit, scriptum aliquid aut dictum reliquit, id diligentissime ad legum divinarum regulam et normam dirigimus, et examinamus. Nimirum futilissima res est homo, et ipsa vanitate vanior: certe multis erroribus obnoxii sunt cuncti mortales.

Peracerba quinetiam crudelisque injuria est,

Digitized by Google

quod apud Principes orbis terrarum traducimur, quasi ii simus, qui vitae cursum pie sancteque instituendum negemus, maximumque Dei numen scelcribus nefariis violandum, et ejus lenitatem ita interpretandum arbitremur, quasi peccatorum similis sit, quasi maleficiis delectetur: imo quam longissime ab hac sententia absumus. Asseveranter enim affirmare solemus, mentem hominis observationem legum divinarum sine divino auxilio capere non posse, quemadmodum neque oculus solem sine luce solis intueri valet. Monemus igitur omnes, ut ad ineunte statim pueritia, dum aetas adhuc tenera est, et flexibilis, summo studio et diligentia colant leges Dei, easque tanquam pretiosissimum thesaurum in intimo animo reconditas servent, contra quam hypocritae multi faciunt, qui simulatione sanctitatis praecepta quidem divina ore jactant. Sed animum ab illorum amore prorsus abhorrentem habent. Nec enim est otiosa fides, sed si viva est, per dilectionem operatur. Ne quis autem dixerit: per gratiam justificatus sum, insitus sum membris Christi, salvus ero. Insitus es, sed ut fructifices, non ex te ipso, sed ex succo radicis: gratia te ab erroribus restituit in viam, sed quare dicitur via, si te nusquam deducit? quomodo deducet, nisi per eam ambules? Hic domum non habemus, in via sumus, ut autem ambules in via Domini, opus est illius ductrice gratia, ut quae praevenit, eadem comitetur, donec pervenias ad vitam, ni fructifices insitus Christo, vide ne excidaris. Minitatur hoc tibi Dominus in Evangelio Joannis: Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet pater. Factus est arbor bona, super est ut bonos edas fructus. Nam ficum quae foliis nitebat expers fructuum, exsecratus est Dominus. Fructus autem sunt bona opera, per quae dignoscitur arbor bona. Eum fructum cum Pelagio non tribuimus libero arbitrio, sed canimus istam Davidis cantionem: Deduc me Domine in via tua. Ambulamus per angustam hanc viam, si nondum possumus currere, semper detrahentes vitiis, addentes virtutibus, donec expediti fiamus cursores. Nihil desperandum Christo duce, et auspice Christo. Non circumspicimus tamen vires nostras, ne vertiginem moveant hinc atque hinc praecipitia, sed respicimus ductorem nostrum, ut tuti ambulemus. Non dicimus libero arbitrio: deduc me in via Domini: non dicimus Philosophiae humanae: deduc me in via Domini: sed dicimus ipsi Domino: deduc me in via, non in viis hominum, sed in via tua. Lex ostendit viam, lex praelucet ambulanti, juxta Psalmum: Lucerna pedibus meis verbum tuum: Sed gratia largitur ut ambules in via. Dono cujus? cujus? nisi illius, qui dixit in Evangelio: Sine me nihil potestis facere. Qui incipit fidere suis viribus, et obliviscitur gratiae, jam excidit a via. Nam ipse Christus est via, in quo quisquis manet, securus ambulat in via Domini. Ille Dominus, quum mortales in judicium vocaverit, tunc damnabit simulationem pietatis et virtutis, eosque omnes, qui praecepta Dei semper in ore habuerunt, et ea tamen minime observarunt, ad inferos dejiciet, ubi sempiternis cruciatibus afficientur: at iis, qui juste cum fide et probitate vixerunt, vitae perpetuitatem et aevum largietur sempiternum. Haec cum magno studio doceamus, et universos plane homines ad cultum et venerationem Dei mirabiliter invitemus: nemo profecto adeo importunus esse debet, qui affirmare ausit, nos quemquam fidei nostrae commissum ab honestis vitae rationibus, ab observatione legum divinarum, ad pravam consuetudinem et scelerum licentiam traducere: et est tamen ea humanae naturae infirmitas, ut discipuli pariter et doctores multa peccemus inscientes. An est aliquis, qui possit errata cuncta animadvertere? Qui in tanta imbecillitate et tenebris nihil offendat? Quem vitium specie virtutis aliquando non fallat? Multa praeterea nobis ingenti cum invidia objiciuntur, quae a veritate quidem longissime absunt. Quorum e magno acervo inprimis illud occurrit. Ordinis desertores, religionisque antiquae et Ecclesiae hostes vocamur, quam vere autem viderint illi, qui innocentiam nostram petulantissima lingua vexant. Credimus enim, esse aliquam Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam, in qua homines de uno Deo in tribus personis religiosissime colendo erudiuntur, in qua de miseria, et ingenita corruptela hominis, de misericordia Dei, de vera poenitentia, et fructibus illius deque remissione peccatorum per meritum Christi habenda, explicate gravissimeque disseritur, in qua solius Christi vox auditur, et recte administrantur Sacramenta. Profecto ab hac Ecclesia, quae plerumque ex contentissimo hominum genere constat, et in qua Deus magna facilitate poenitentibus delicta, condonat, afflictos et jacentes erigit, caecis lumen impartit, errantesque deducit in viam, ab hac, inquam, sanctorum com-

Digitized by Google

munione non discessimes ad latum unguem. Romanae autem Ecclesiae abrenunciavimus, ceremonias et doctrinas hominum perditorum declinavimus, qui falsos et commentitios Deos colunt, qui bellum importunum contra Deum, Deique filium moliuntur, et frustra ejus verbum et nomen conantur extinguere: jam si id peccatum est, quod in cathedra derisorum non sedemus: Si Christi coetus certo alligatus est loco, si propter odia dissidentium in religione verbi divini veritas in dubium vocanda est: non video equidem, ubi tandem inveniendus sit populus Christi. Nam et ipsi sacrorum Principes, qui existimant, se solos omnino observantes esse legum divinarum, dubio procul omni reprehensione dignissimi sunt. Quippe detestabili prorsus atque intoleranda superbia elati miserabilem in modum lacerant gentem Christi: Deum invocandum, colendum, et suscipiendum esse docent, cetera omnia pro nihilo ducenda: quod admirabile dictum est, quam contra fiat ab ipsis, qui consulcata virtute omni ac religione, honores, opes, potentiam, libidines, in loco numinis colunt, hominesque pios summa crudelitate persequuntur. Vae vero nobis, si hos animorum pastores secuti fuerimus, qui nos a via, quae ducit in coelum, studiosissime deducunt, qui Christum ejusque verbum jamdudum abjecerunt, quibus dum ita praesunt, optandum est, ut terra dehiscente ad caecas inferorum tenebras detrudantur. Sectas nobis et dissidia objiciunt, cum ipsi interea ab Orientali Ecclesia perpetuo dissideant, unico tantam arrogantiae vitio in controversiam dilapsi, quae fons et origo est omnium controversiarum. Taceo nunc ingentem istum diversarum sectarum populum, tot Stoicas simias, tot cucullata monstra, tot pullatos insolentissimosque fraterculos, quibus vera Dei Ecclesia eo tempore caruit, quo purissima et optima fuit. Hi arduas vivendi regulas profitentur, et sanctissimorum quidem patrum nomina prae se ferunt, sed sunt agnorum sub pelle lupi, qui legibus divinis non parent, nisi spe mercedis adducantur, aut cogitatione, quantum illa res sit utilitatis habitura.

Piissimas illi leges Christi labefactant, verum Dei templum vivasque ejus imagines et aras animarum negligentes, aurum et oblationes avaro oculo inspiciunt, leviora et quasi sinistra legis faciunt, de decimis, de eleemosynis, de ceremoniis nova cudunt. Quae vero graviora et sanctiora sunt opera Evangelii, et Legis, negligunt. Sunt duces caeci, falsi, dolosi, sunt genimina viperarum, tersi calices, sepulcra dealbata, foris in mitris, in pileis, in habitu, in vestitu sanctimoniam ostentantes, intus pleni sunt turpitudine, hypocrisi, iniquitate, libidinibus dediti, sanniones, histriones, lenones, aleae magistri, helluones, venefici, temulenti. Ab his hominibus docendi munus, quod apud ethnicos etiam et arduum inprimis, et honorificum est habitum, nequaquam accipimus: sed a coetu Christi, qui per orbem terrarum passim dispersus est, qui dulcissimum Dei nomen colit et veneratur, cujus caput est summus ille Ecclesiastes Dei filius, qui est via et veritas et vita, qui habitat in cordibus nostris, qui movet oris plectrum, qui vim arcanam verbis promanantibus addit. Nec est, quod quisquam nos ordinis perturbatures esse putet. Non enim citra delectum in suggestum admittimus homines rerum imperitos, nullo judicio, nec humanis, nec sacris litteris eruditos, vel sceleribus maculosos: Sed si quis tam excellens munus affectat, illi omni studio curandum esse dicimus, ut in hoc difficili et laborioso vitae cursu placatum numen habeat, multisque adeo rebus sit instructus, nimirum sanctarum scripturarum intelligentia, multa exercitatione, varia lectione, judicio sano prudentia non vulgari, et forti sinceroque animo, qui varias tentationum procellas ac ingruentem malorum vim tempestatemque tolerare sciat. Mirum autem est, quid vobis terrarum Principibus in mentem venerit, quod miracula doctrinam confirmantia nunc tandem flagitatis. Cum tamen omnino constet, hoc verbum ad perennem hominis felicitatem necessarium, novum non esse, neque nostrum. Christo militamus, dispensatores sumus, sermones Dei loquimur, Apostolorum vestigiis insistimus, et prorsus ita putamus: Apud illos homines, qui sanctissimam Evangelii doctrinam receperunt, omnia videri sublimia plenaque divinae majestatis, quae de Christo redemtore docentur, ideoque non magnopere miracula requirunt: quae tamen et ipsa non omnino desiisse putandum est. Quanti enim illud aestimabimus, quod nostrae pravitatis, et nos apud infinitam hominum multitudinem e variis gentibus ac linguis conflatam non sine ingenti fructu docemus, Jesum crucifixum: quod mortalibus metu judicii divini a scelere et maleficio deterritis viam salutis ostendimus: quod multos in foedissimis tenebrarum sordibus versantes ad clarissimam Evangelii lucem adducimus

Digitized by Google

drofecto non possemus digne hoc officium exequi, nisi sanctissimus Dei spiritus aperiret os locuturis, et verba, et vim in docendo suppeditaret. Nonne autem mirabile est, quod in pectoribus nostris tanquam in templo quodam immortali augustissimus Dei spiritus inhabitat? cujus beneficio ex animis hominum tenebrae pelluntur, qui est splendidississima lux Dei, qui in nobis efficax est ad inflammandos, et ad sanctimoniam adducendos etiam aliorum animos. Nunc mihi quaeso perpendas, Serenissime Princeps, quanta etiam hodie Deus miracula faciat, quum suos coetus contra impetum et insidias diabolorum munit, quum doctores veritatis ita regit, ut non solum summa diligentia caveant, ne declinent ipsi de via, quae ducit in coelum: sed etiam ut vehementer caveant, atque enitantur, ut omnes eadem ingrediantur via. Ille Deus me etiam hominem plane exsilem nunc in conspectum Majestatis Tuae adduxit, tibique animum pietatis studio flagrantem nunc quidem dedit: deinceps autem, si illud quod in te operatus est, confirmare, et per os meum veritatem in hac gente suam patefacere volet, certe animus meus in sanctissima suavissimaque illius voluntate conquiescit: nunquam lingua mea satiari poterit gratiis agendis, semper illa versibus jucunditatis, et laetitiae plenis praedicabit infinitam bonitatem illius, qui tanta facilitate caecis lumen impartit, errantesque deducit in viam. Sed tu credere noli, nos, sicuti opinabare, sanctum canibus, et margaritas porcis dare. Omni fide atque auctoritate indigni sunt, qui talia de nobis dicere non erubescunt. Quin imno operam damus sedulo, ut pretiosissimas coelestis verbi gemmas studiosissime in sinum animi colligamus.

Jejunii duplex genus constituimus: unum, quod affine est ceremoniis, et ad corporalem exercitationem pertinet. Sobrie enim vivendum, et carnis lasciviam domandam esse docemus: voracibus bibulisque divini numinis iram annunciamus: hominesque in hac vita fragili peregrinantes ad vigilantiam, ad pietatem, ad sincerum Dei cultum adhortamur. Christianorum enim vita, quoniam velut in theatro posita, totius orbis oculos in se habet intentos, certe animo prompto, alacri, et libero legibus divinis obtemperandum est, ut alii quoque nostro exemplo ad justitiam et pietatem colendam ivitentur. Siquando etiam summus ille coeli terrarumque moderator et Dominus ad coërcendam impiorem petulantiam, supplicia nobis et calamitates immittit: nocentibusque de medio sublatis, pestilentia et fame verberare nos incipit, ut intelligamus, qualis quantusque sit apud eum delectus vitiorum et virtutum: [tum nimirum respirandi potestate data, sensuque acri peccatorum fracti, afflicti, et prostrati in sola ejus misericordia spem salutis collocantes, humili prece, et jejunio, et lacrimis meritam animadversionem effugere conamur. Atque hanc quidem animi affectionem credimus esse sacrificium Deo acceptissimum. Sed si quis verum jejunium in delectu ciborum situm esse putat, nae ille doctrinam daemoniorum propugnare videtur.] Et si quis in hoc tantum austeram et parcam agit, ut assuescat paucis esse contentus, ille nihil magni facit, fecerunt idem Philosophi, Christum ignorantes. Multos reperias esu legumnum ac piscium pallidos, inedia macilentos, vigiliis ac laboribus attenuatos, vili cultu sordidos, duris culcitris ac conciliis strigosos. Fuere tales, Magnus ille Basilius, et Gregorius Nazlancenus. Siquidem ut hic narrat, uterque sibi jejuniis, laboribus, vigiliis, reliquaque vitae austeritate parum moderata, valetudinem miseram accersiverat: ut Basilio vita fuerit acerba, mors optabilis: Gregorius cogeretur Episcopi munus deponere, quod obeundis officii partibus corporis vires deessent. Nec D. Hieronymus dissimulat, inter monachos fuisse quosdam, qui humore cellularum, assidua recitatione Psalmorum, ac parum moderatis jejuniis sis offenderent valetudinem, ut Hippocratis fomentis potius opus haberent, quam ipsius praeceptis. Verum haec exercitatio corporalis et importuna austeritas parum habet utilitatis, nisi ad illa verae pietatis argumenta, veluti subserviens adhibeatur: plurimum vero se huc spectet ac praeparet. Multi valde perturbantur, si die Veneris per imprudentiam gustaverint carnes. At iidem sibi non displicent, si calumniis et famam proximi laeserunt, et animum contristarunt. Miserrime trepidant, si per occasionem sacrum amictum posuerunt: at non trepidant, si per temulentiam, odium, invidiam, abjecta veste candida animi, quam Christus in baptismo tradidit, nigrum Satanae pallium induerunt. Itaque cum jejunium animo Judaico observatur, quasi cibi genus per se purificet aut inquinet hominem: aut cum ista sibi quisque praescribit, non ad pium usum, sed superstitiosum adfectum, certe exiguam adferunt utilitatem. Veri autem jejunii exactam



Digitized by Google

descriptionem sanctissimus Dei vates Esajas nobis reliquit, qui cap. 58 non de longis precibus, de victu parco et austero, non de nemorum ferarumque latebris, non de veste lanea, de aquae potu et rudi Zona concionatur: sed misericordiam, caritatem, et mansuetudinem nobis inculcat: ab ira, odio, livore, vindicta, ambitione abstinendum esse docet: diligendos inimicos, dignis, juxta ac indignis benefaciendum. Libero enim ore sic inquit: En ad lites et jurgia jejunatis, et ad pugnis impie cedendum: ne isto pacto jejunaveritis, ut in alto vox audiatur vestra. Hoccine est jejunium, quod ego approbem? Dies quo seipsum subigat homo? Scilicet ut caput in junci modum curvet, centone stratus et pulvere. Hoccine vocandum est jejunium, et favorabilis Domini dies? Enimvero hoc est, quod ego approbem jejunium impietatis aperire nexus, jugi nodos solvere, quassatos dimittere liberos, utque jugum omnem abrumpatis. Nimirum ut esurienti panem tuum impertias, inopesque vagos domum introducas: nudum si videris, operias, neque tuis te subducas consanguineis. Tunc erumpet aurorae modo tua lux, incolumitasque celeriter pullulabit, teque et tua praecedet justitia, et Domini gloria excipiet. Tunc te vocantem Dominus exaudiet, conquerenti, se praesto esse dicet, si jugum ex te, si digiti extensionem, iniquamque orationem removeris. Si teipsum profuderis esurienti, atque afflictum hominem satiaveris, orietur in tenebris lux tua, tuaque caligo erit meridies, et Dominus te semper deducens, appetitum tuum in siccitatibus saturabit, artusque tuos ita curabit, ut similis sis irrigui viridarii, aut aquae origini, cujus latices non sunt fallaces. Haec, Serenissimus Princeps, nostra de Christiano jejunio opinio est. Mihi vero illud ad dolorem acerbissimum accidit, quod Majestas tua dicit, nos tanquam homines perditos et flagitiosos multos nobis Deos opinionis errore fingere, gloriam, honores, opes, libidines pro sanctissimo Dei numine venerari. Certe hujus pestiferae opinionis, quae totius vitae fundamenta convellit, origo et fons est ipsa religionis nostrae ignorantia. Scimus varios fuisse deos gentium. Coluerunt dracones, crocodilos, boves, et simias. Quid autem dementius? Sed hoc quoque stultius, quod lapides mutos, ac lingua pro diis coluerunt, ut prae his excusandi videantur, qui quibusdam hominibus honores divinos detulerunt. At his omnibus execrabilius, quod aeternos illos hostes humani generis daemones Deo antetulerunt. Pectus avari templum erat Mammonae: corpus libidinosi templum erat Veneris: pectus ambitiosi templum Jovis, Genethliacus Apollinem, luxui deditus Comum aut Silenum venerabatur. Nunc autem ad divinae veritatis splendorem exortum, merito evanuerunt omnia ficta deorum nomina, idola gentium prostrata sunt, explosimus atque exsibilavimus deos inutiles e pectoribus nostris: impetravit hoc mors Christi, ut unius veri Dei nomen, per universum orbem omnibus gentibus inclaresceret. In uno illo et trino Deo, qui fecit coelum et terram, totam fiduciam nostram collocamus, illum invocamus, ad illum confugimus. Quoniam ille magnus est, ille facit mirabilia, ille est Deus solus. Quidquid habet sic mundus quamlibet sublime et altum, humile est, imo nihil est, si conferatur ad Deum nostrum. Solus ille vere magnus est suapte natura: solus facit mirabilia: solus vero bonus, solus vero sanctus est, mirabiliter condidit mundum, mirabiliter restituit, mirificentissime consummabit. Quantum videmus miraculorum in animantibus in fontibus, amnibus, arboribus, herbis, gemmis, in stellis et sole, in ipso cumprimis homine? Haec omnia solus Deus faciet, qui uus omnia nostra semper consecramus, et dicamus: nihilque animo agitamus, nihil aut loquimur, aut conamur, quin illum adesse praesentem cogitemus, neque nos profecto animus fallit: adest enim ille nobis praesens et propitius propter Christum, et magnitudinem animi ac constantiam subministrat, ne ulli calamitatum oneri succumbamus, ne spem nostram excelso atque illustri loco sitam labefactet hominum improbitas. Hunc igitur solum adoramus, ad quem redemtor noster viam nobis patefecit. Quoniam vero honorem suum alteri non dedit, ut ipse loquitur apud Esajam: Ideo etiam sanctis receptis in concilium coelestium, et jucundissimo illius maximi patris adspectu fruentibus non supplicamus, nec eos aliqua adfecti calamitate quaerimus: Quippe non sumus nescii, ut in sanctis literis nullum hujus rei evidens testimonium est. Ita nullam quoque praeceptionem aut promissionem esse divinam: qua superstitio, quae in invocatione cultuque divorum plurima est, recte defendi possit. Nam nec vota nostra sentiunt divi, nec Deus gloriam suam illis dabit. An est aliquis inter divos, qui tanta operetur? Cujus tam immensa sit sapientia? Tam inscrutabile consilium, tam miraculosa potentia?

Digitized by Google

certe nemo comparari potest ad eum, a quo omnia a principio facta et constituta sunt, atque ad innumerabilia saecula incredibili sapientia reguntur atque conservantur. Ille cum filio et Spiritu sancto religiosissime invocandus, colendus, et suspiciendus est, nec ponenda est creatura supra eum, qui condidit omnia. Nec enim aliud nomen sub coelo hominibus datum est, per quod servari possint, quam sanctissimum illud et dulcissimum Iesu Christi Nazaraei nomem, quem Deus excitavit ex mortuis, qui solus constitutus est mediator inter Deum et homines, qui seipsum viam, veritatem et vitam esse praeclaro et veraci testimonio confirmavit. Igitur quid prodest tanto gestu mortuos adorare? Compositae manus tolluntur in coelum, flectuntur genua, figuntur oscula, totius corporis habitus ad religionem componitur. Haec decenter fierent, si fierent intus, si fierent coram solo Deo. Citra noxam tamen divi ac divae optime coluntur, si quis eorum pietatem et fidem imitatur. Nam et ipsi quum adhuc mortali corpore gravati fuerunt, a nemine unquam se passi sunt adorari. Agnoscebant enim imbecillitatem suam, et si quid ulla in re praeclare fecissent, id totum divinae deberi gratiae affirmabant. Ideoque Divus ille Petrus Cornelium ad pedes suos lapsum statim allevavit, et se quoque hominem mortalitati obnoxium professus est. Consimili plane modestia Paulus et Barnabas appellationem et honorem Dei spernentes, sacrificaturos Jovis sacerdotes prohibuerunt, palam professi, se homines esse, iisdem, quibus alii, affectionibus obnoxios. Quid? quod et Angelus Domini Joannem ad pedes suos venerandi gratia accedentem, claraque voce prohibuit: Cave, inquit, ne facias, conservus enim tuus sum, tuorumque fratrum, Jesu testimonium habentium, Deum venerator: nam Jesu testimonium oraculi spiritus est. Itaque sicuti divas et divos invocandos non esse docemus: ita etiam divorum imaginibus, quoniam non sentiunt, nihil habendum honoris arbitramur. Nam prorsus horribile crimen est idololatria, hoc est, simulacrorum cultus, quem Africani concilii auctoritas jam olim sustulit, in quo decretum fuit, ne quid in templis esset aut recitaretur praeter scripturas Canonicas. Igitur imagines ad cultum prostitutas, non solum e templis, verum etiam ex omni civitate sublatas esse oportet. Nonne autem mira crassitudo est in homine Christiano non posse contemplari Deum, nisi per imaginem: si tamen Dei potest ulla fingi imago. Mendax imago fallit: et tamen hominis licet vera imago, quantulum est hoc, quod repraesentat hominis? et Dei requiris imaginem? nihil eloqui, nihil cogitatione fingere potes, quod Deus est, qui unus est adorandus. Ubi transcenderis omnem sublimitatem mentium Angelicarum, adhuc infinitis partibus abes a celsitudine Dei, qui lucem habitat inaccessam. Sed adorans aspicis imaginem Dei: aspice, sed ut lignum, aut lapidem, hominis manufactum. O idololatriae et impietatis omnis imagines magistrae? O in tartarum Duces? Et damnatae superstitionis adjutricis? Quaenam per illum Deum, qui vos abominatur, aut vis ingenii, aut ubertas eloquentiae, perinde ac male de nobis meritae estis, vituperare vos possit? Per vos verus maximi illius, coelitum atque hominum patris, et Regis cultus destructus est, qui non in statuis, sed in sanctissimis legibus suis hominum generi se contemplandum et aspiciendum dedit, et clare docuit, quid exigeret a nobis, quidve faciendum, fugiendumque foret, ut ad vitam beatam ac immortalem pervenire possemus. Per vos cognito rerum divinarum evulsa est animis simplicibus, et ex amoris abundantia Dei contemplationem anxie expetentibus. Vestra simulacra aures habent, nec audiunt, manus habent, nec possunt palpare: religionem at pietatem subvertunt: excaecant animos, inanes spes et sollicitudines adferunt, aciem mentis obscurant, ut non possit intueri, quae via ducat ad immortalem et jucundissimum divini numinis adspectum. Vos Gregorius ille errore quodam adductus suo primus in Ecclesiam Dei invexit, scilicet ut mentes hominum simplicissimorum religione sancta imbueretis, et reverentiam adversus Deum, timoremque ingeneraretis castum et pium: sed profecto bonus ille a scopo longissime aberravit. Non enim decet nos ex pictorum et statuariorum figmentis discere, sed ex lege et libro Dei, qui est liber sanctarum scripturarum. Qui Deum nosse cupit, oculos non intendat in statuam, sed scrutetur divinas litteras, quae de Deo abunde testantur, qui litterarum sanctarum ignarus est, is verbum Dei audiat, ut fidem habeat ex auditu. Vos odiosae et importunae imagines docetis ad ligna et lapides hominem confugere, vos stultitiam et impietatem in mundum importatis. Itaque nulla imperia, nullae civitates, nulli sapientes populi vestro cultu unquam fuerunt



Digitized by Google

delectati. Qnis enim cogitatione complecti, nedum verbis explicare possit, quanta sit insania, quantae vanitatis hominis vestra simulacra colentis, et imaginem Dei in trunco et lapide quaerentis? Vos jam ab antiquis seculis Judaei ejecerunt. Apud Seres lege cautum erat, ne quis vos adoraret. Vos ex decreto Numae in Romanorum templis annis centum et sexaginta ab urbe condita visae non estis. Per vos religionis cultus negligi, et contemtui haberi coepit: vos Persae etiam abominati sunt. Solis Aegyptiis impia vestra simulacra placuere: vos summi vox Dei, vos sacrae et profanae litterae execrantur. Contra vos antiqui partes suis scriptis depugnarunt. Vos clarissimus illi Epiphanius in templis aliquando inventas discerpsit et bjecit. Vos animi sensum falsus et pestiferis opinionibus corrumpitis: cultus vester per se inutilis et damnosus est. Non per vos, sed clausis oculis: et erecto corde optime videtur Deus. Sed sit nonnunquam, ut quemadmodum gustandi sensus aliquo morbo depravatus, persaepe mel judicet amarum: sic animi hominum falsis opinionibus imbuti, praeceptiones Dei natura salutares et jucundas repellant, et in luto humanarum traditionum voluteutur. Praeclare autem illi saluti suae consulant, qui attentum animum ad verbi divini certitudinem semper habent, atque in eo audiendo et cognoscendo omnem curam et diligentiam ponunt. Scimus enim in prima illa nostra religione, ab ipsis Christianae fidei incunabulis, et diu post Christi ascensionem non fuisse in Christianorum coetibus statuas, immo nec ulla templa fuisse condita, fatetur hoc ipse Origenes, qui in scripto suo contra Celsum, edito multis rationibus ostendere conatur, quam parum ea ad verum Dei cultum faciant. Homo pius et pulcritudine verae virtutis accensus imago est et aureum templum Dei. Nihil ille aut cogitatione complecti, aut tacitis votis optare potest, quod ab optimo maximo numine non sit sperandum. Si quis honorem quaerit, Deus largitur aeternam gloriam; si principatum, adsciscit in regnum suum, cujus non erit finis. Si oracula, habet scripturam certissimae fidei, qua loquitur Deus ex adito suo, quoties volumus. Si voluptatem, ille solus dat gaudium plenum, quod auferre nemo potest. Haec cum ita esse habeant, cumque nihil adeo tetrum, immane, et contra naturam cogitari possit, quam incomprehensibilem Deum instatua quaerere, explodamus nunc tandem e pectoribus nostris in puram idololatriam, et jucundissimum Dei nomen religiose veneremur. Ventum nunc est ad ultimam tuae Majestatis objectionem, de qua brevissime respondebo. Vagae libidinis et meretricum greges nobis imputantur. Certe autem Baalis sacerdotes, qui impurissimam vitae turpitudinem amant, qui libidinum facibus inflammantur, qui scortorum colluviem alunt, qui rapinis et maleficio pascuntur, et cetera ejusmodi scelera suscipiunt, ii, inquam, sacerdotes hac labe notandi erant. Nos enim Episcopum irreprehensibilem, et ita moribus inculpatum quaerimus, ut in eum non cadat ulla probabilis mali facti suspitio, ne forte doctor Evangelicae Philosophiae, ne dispensator mysteriorum Dei, ne lucerna candelabro imposita, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, quacunque occasione det offendiculum impiis vel infirmis. Itaque vagas libidines nullo quidem modo probamus, sed exsecramur, et hac in re Sanctissimorum Christi Apostolorum praeceptiones sequimur. Nimirum si quis castitatis donum ab optimo et castissimo Deo accepit, eum, ut sua dote utatur, sedulo monemus. Caelibibus et viduis bonum est, si sic maneant. Caelebs enim Domini res curat, ut Domino placeat: maritus mundana curat, uxori ut placeat; atque ita divisus est. Item, mulier caelebs, aut virgo, Domini res curat, ut et corpore sancta sit, et spiritu: et nupta curat mundana, viro ut placeat. Alii autem, qui se non continent, contrahant matrimonium. Satius est enim licitum thalamum inire, quam impiis libidinum flammis ardere, aut meretrici adhaerere, unde populo ingens offendiculum nascitur, qui non tantum ad calumniandum propensus est, sed etiam ex Sacerdotum moribus aestimare solet Evangelii doctrinam. Ne quid interim commemorem de haereticis, schismaticis, Judaeis, et aliis, qui sunt a professione Christiani nominis alieni. His profecto calumniandi ansa praecidenda est. Ipse quinetiam Deus gravissimam poenam minatus est hominibus istis, qui conculcata virtute omni, potentiam et libidines in loco numinis colunt: futurumque praedixit, ut debitis suppliciis, et illis quidem acerbissimis afficiantur, ut Sodomitae non foedius interierunt, qui sulphure et igne coelesti deflagrarunt. Ideoque Divus ille Paulus, cui videbatur pulcre congruere, ut castitatis honos cum ordinis dignitate jungeretur, talem ad gerendum sacerdotium idoneum esse affirmabat, qui irreprehensibilis esset, unius uxoris vir,

Digitized by Google

sobrius, frugi, modestus, hospitalis, aptus ad docendum. Sed hic mirifice reclamant Romanae Ecclesiae sectatores, qui manifestis interdum criminibus sunt infames. Admittunt ad sacerdotia, qui furtivis et nefariis libidinibus sunt obnoxii, et qui palam ac populo teste homicidia perpetrarunt, tolerantur: simplicem vero Evangelii ministrum, qui legitimam uxorem duxit, exsilio, morte, interitu, convitiis, et quavis calamitate dignum judicant. Quasi vero ex tam multis Apostolicae constitutionis articulis, sola urgenda sit uxorcula, quum fedissimi concubinarum greges non imputentur. Quod si tanta est patrum istorum auctoritas, ut matrimonium contractum dirimat, optarim ut eadem auctoritas caveret, ut adulteria inter monachos et scandala manifesta e medio tollerentur.

Sed missa nunc isthaec faciamus, et Graecae potius Ecclesiae sinceritatem admiremur, quae Evangelii praeconem uxorem habentem non arcet ab Episcopi functione. Quum ad eum modum Joannes Rocyta aliquanto etiam fusius Basilidi respondisset, ille quam gratus sibi sermo hominis fuisset, insolitae humanitatis significatione declaravit, remque adeo omnem in longa disputatione tractatam scripto comprehendi jussit, quod nos de Slavonico sermone conversum Latina civitate donavimus, ut videant universi mortales, istum tyrannum, qui tanta feritate populum Christianum in Livonia miserrime contrucidavit, nostrae verae religionis nequaquam ignarum fuisse, eumque graviores propterea in judicio Dei poenas daturum opinentur, quod nulla religionis aut pietatis cura habita, contra aras, contra templa, et contra Christianum sanguinem inauditam immanitatem et truculentiam exercuerit.

Rocyta autem incredibili laetitia est affectus, quod Moscum summae potentiae Principem validissimis convictum argumentis ita per sacras literas sustinuisset, ut ille omni pristina religionis cognitione spoliatus tacuisse videretur. Adfuere ex Sarmatis splendidissimi Oratores, Joannes Crotoszinius, Palatinus Inovladislaviensis, Nicolaus item Talvoisius Castellanus Samogitiensis, et Duneburgensis praefectus, cujus beneficio hoc scriptum meas in manus pervenit: Raphael Liscinius Radziviensis Capitaneus, Andreas Ivanovicius regius a Secretis. Atque hi omnes aetatis honore et virtute clarissimi habebantur. Ipse Basilides in Regia sua sublimem tabulationem institui, et eam peristromatis insterni, et in illa sellas collocari praeceperat. Ibi splendidissimo cultu ornatus, et nobilitatis sacerdotumque Ruthenicorum turba circumfusus Rocytam et legatos Regios audiebat, quibus insolitam eo tempore humanitatem declaravit, nec multo post discedendi veniam et reditum in patriam liberalissime eis concessit.

Digitized by Google

# LIBER SECUNDUS.

Legatis in Poloniam reversis, et his ex aerario publico magnifice donatis, Basilides ad turbandam Rempublicam et bellum civile consilia et animum revocavit, quod tanta crudelitate gessit, ut omnes omnium seculorum tyrannos longissime anteire videretur. Bonis Principibus nihil gratius aut magis in votis est, quam ut suos incolumes, ac rebus omnibus florentes videant, ille autem quasi ferarum ac belluarum more praedationi tumultibusque natus esset, tam cupide semper bellum suscepit, aliud ex alio sevit, e minimo maximum, ex unico geminum, ex ludicro serium et cruentum fecit: populos suos immensis periculis objecit: una saepe hora tot orphanos, tot viduas, tot orbos senes, tot mendicos, tot infelices reddidit. Quae autem bella paterno exemplo aggressus sit, et felicissime crudelissimeque absolverit, id nunc tandem dicendum est, ut ad institutum sese recipiat oratio.

Primo inchoatum a patre contra Casanenses bellum suscepit, exercitum conscripsit: armorum telorumque ingentem numerum comparavit, utque esset rebus omnibus ad bellum multo acrius gerendum expeditus, summa vigilantia providit. Subactis enim Tartaris, putabat Moscoviae imperium, si ita de rebus humanis loqui licet, fore sempiternum. Porro Sura fluvius, qui ex meridie decurrens infra Novogardiam in Volgam exoneratur, Moscorum terram a Casanensi regno separat, quod a Volgae ripas longissime porrectum, meridiem orientemque versus latissimos et fertilissimos Tartarorum campos habet. Civitas Casana, quae regni metropolis est, ad Volgae et Casanae confluentem sita est, et ad adspectum jucundissima. Reges habuit diversis temporibus Chelcasecum, Abrahaminem, Machmedeminem, Alegam, Abdulletiphum, Schealem, Mengligerum, Machmetgirejum, Saipgirejumque, cum quibus Mosci vario eventu varia et difficillima bella gessere. Hi diversa ratione non in campis et silvis, nec inter pastores vagantur, nec domos facile mutant: sed fixis sedibus agriculturae et negotiationi dant operam, aliquanto ceteris usu militiae vigoreque animi praestantiores. Olim Mahometem coluere, nunc Christum venerantur. Colore candido, et specie liberali sunt. Homines nobilitate sati armis exercentur, et militaris gloriae decus ardenter expetunt. Saepe Moscoviam omnia ferro proterentes petivere, saepe a Moscis bello petiti et vexati sunt. Et Basilius quidem eos tributum solvere coëgit, civitatemque Casanam combussit, et munitissimam arcem Basilogorodam ad Volgae et Surae commissionem aedificavit. De ipsa tamen gente nec speratam victoriam reportavit, nec conficiendi belli rationem, qualem speraverat, invenit.

Quibus de rebus dolore et iracundia et bellica gloria incensus Basilides, ut patris facta superaret, exercitu, armis, virisque instructissimo contra eos hostes profectus, bellum in septimum usque annum maxima ut ad apparatu gessit, adeo uti quasi plane victor recipiendis oppugnandisque praesidiis totam eam regionem pervagaretur. Casanae tamen oppugnatio summas semper habuit difficultates defendentibus urbem longe fortissimis Tartarorum Ducibus, qui lectissimas Schibanscorum ac Cosacorum vicinorum cohortes, Nahajcensiumque et Zavolgensium alas dimisso reliquo exercitu ad urbis praesidium retinuerant. Sed is oppugnationis exitus fuit, ut Casana, quae vi capi

Digitized by Google

non poterat, subjecto igni incenderetur. Ita Tartari post quintum belli annum adjuvante fortuna, quae antea magna ipsis detrimenta peperisset, suam adhuc libertatem repulso hoste retinuerunt. Basilides raptato exercitu ad suos reversus, ubi primum intra ditionis fines sese ostendit, incredibili popolorum omnium alacritate susceptus est, et quasi nihil multiplici rerum suarum periculo commoveretur, et prorsus animo esset infractus, ita cupide ad obsidendos iterum terra marique Casanenses consilia omnia viresque convertit, et animo plane ingenti sextam expeditionem in Tartariam suscepit destinatam paratamque antea a Basilio patre, qui moriens amplissimas copias omni bellico apparatu instructas opportune reliquerat. Bello reparato prima illi cura fuit, ut et pacem domi, et amicitiam cum vicinis haberet, quam vel iniquis et maxime pudendis conditionibus parare, et ex usu praesentis necessitatis minime sibi indecorum fore arbitrabatur: tot enim tantaque praemia jam intra Moscoviae fines effusis, et victoribus hostibus largissima sponsione et pollicitus, quanta nec devictis Casanensibus, subactaque Tartaria omni referri aut sperari posse viderentur, certus cum animo suo, quod nihil earum rerum depulso periculo praestare vellet. Hac astuta fallacique pactione vicinis deceptis, ipsisque amicitiam promittentibus, Basilides summos pariter atque infimos homines in armis esse jussit, militumque acerrimum delectum habuit, et classem maximam instruxit, ita ut pro gloria, pro salute, pro totius Moscoviae Imperio remotissimae gentes excitae, ad enatum repente bellum concurrerent. Rostoviae Dux Petrus quatuor millia hominum ducebat. Ivanus Pietrovicius, supremus Moscoviae Palatinus, duodecim millia. Casarinus Dubrovius, annuli regii custos, decem et octo millia sub signis habebat. Michael Temrucovius tria millia. Reliqui vero, quos Basilius Dimitrovicius et Serebrinus: et multi praeterea Reguli ducebant, erant supra viginti millia hominum. At vero praeter has copias, quae terra ducebantur, classem quoque instruxerat longarum navium, quibus aditus facillimus occupatis fluviis in Volgam decurrentibus pararetur ad invadendam interiorem Tartariam, unde praeda omnis generis et spolia amplissima peterentur. Ipse Princeps juvenili alacritate ad decus bellicae laudis vehementer inflammatus cum robore legionum et lectissimis equitum alis adventabat, ut quae majorum suorum ditionis quondam fuissent, armis repeteret, ab iis praesertim, qui patrem Basilium crudelibus armis vexavissent. Casanenses interea metu magnopere conterriti nequaquam praepropero consilio aggreres comportaverent, et turres contra Moscorum irruptionem excitaverant, ut ex iis possent milites dispositi Moscos sagittis configere, et crebra variorum globorum multitudine lacerare. Basilidi contra artifices Germani ingentem tormentorum vim, et multa belli machinamenta fecerant, quibus hostes facilius expugnarentur. Ita instructus quum ad urbem venisset, trinis eam castris terra marique obsedit, statimque prolato tormentorum apparatu, adeo vehementer moenia quassavit, ut late prostratis adapertisque munimentis Tartarici praesidiarii in statione conspicerentur, quorum ingeniis tanta de Moscorum gente innata erat contemtio, ut ultro etiam provocarent irriderentque hostes, quod tantum inanis operae frustra suscepissent, ut aditus in urbem pararetur, quando adapertis jam portis, ad justam dimicationem fortibus viris, si animus suppeteret, esset irrumpendum. At Basilides, qui in spem patiundae urbis venerat, exploratamque a pervicacissima gente victoriam cupiebat, tanta virtute et audacia obsidionem continuabat, ut a multis saepe locis uno simul tempore et die civitatem adoriretur, quem Tartari quidem aegre, fortiter tamen et mutua cum caede repellebant: eruptione nonnunquam ita cum hoste dimicantes, ut nec invicti in castris duces, quidquam virtute vel consilio valerent, quum et subitus Casanensium incursus, et foeda fugae facies, et conturbata diversis in locis castra, omnem vel constantis judicii vim, vel ferendae opis spatium inter dissonos morientium clamores eriperent. Ita clades alternante fortuna, quum diutius duceretur obsidio, in castris Moscicis omnia foeda obveniebant. Suadebant tunc nonnulli, ut Basilides cum hostibus pacem componeret, si secus fecisset, minabantur se domum reversuros. Alii ex domesticis et familiaribus in ejus perniciem molichantur, etiam undique fiebant in eum graves conspirationes. Ipsi quinetiam milites nefaria audacia praecipites insaniebant, et belli taedio in seditionem lapsi multis interfectis prope more militiae confligebant: adeo ut stringente nudum ferrum Principe, et in medios inter volitantia tela deprecantis habitu procurrente, vix diremta sit pugna. Ex ea seditione, unaquaeque natio militum, veluti diffisa aliis

Digitized by Google

ira et timore consternata, seorsim factis excubiis tetendit: quae res, sicuti Ducum, ipsiusque etiam Basilidis auctoritatem imminuerat, ita omnem etiam conficiendi belli rationem conturbavit, sublatoque metu et pudore petulantiae militari viam aperuit, adeo ut cunctis reditum in patriam magnopere flagitantibus, totus prope exercitus flagitiosissime solveretur. Igitur Basilides ingenti semper spiritu adversae fortunae obviam ire assuetus, apud cohortes concione habita, monet universos, ne contra Rempublicam et legitimi Principis imperia faciant, neve turpibus transfugiis dissolutaque disciplina signa deserant, sed de abolenda potius ignominio, conficiendoque bello, de diripiendis hostium castellis, neque omni praedae genere cogitent. Postea sese universis nequaquam demisso animo commendat: gregariorum etiam militum confirmat animos, et praeclare ostendit, ipsos ignominia inexpiabili notatos, si se de ipsis optime meritum in ea spe summae deseruissent. Proinde si sacramenti militaris, si patriae, si antiquae virtutis oblivisci vellent, ut suae ignavia obsequerentur, debere eos nequaquam privato paucorum arbitrio, sed publico cohortium omnium ac alarum consilio statuere, ut sibi honestissima ratione obsidionem solvere liceret. Acclamavere milites, ut optime speraret, ipsos enim et de pudore suo, et de ipsius salute magnopere sollicitos nequaquam commissuros, ut conqueri de aliqua indiligentia cujusquam posset. Nec multo post, quum de bello ducendo sententiae rogarentur, milites et belli duces ut in unum voluntate ac animis jungerentur, nequaquam adduci potuerunt. Quod si Basilides mascule et fortiter in proposito semel suscepto perstitisset, haudduhie bellum ex animi sententia absolvere. Sed credibile est, aliud fuisse Dei consilium, qui eum his turbis involuit.

Nam et ipsi duces pessimis artibus bellum gerere, et de victoria inceperant desperare. Non enim satis agnoscebant, et quam esset exigua Casanensium potentia, et quam magnas facultates haberet Basilides instaurandi exercitus. Itaque dum haec expensa et deliberata initis rationibus explicantur, illudente fortuna Basilides impulsus, suis obsidionem soluit, et exigua cum spe optatae certaeque laudis per difficillimas inaccessarum silvarum vias et paludes coenosas domum est reversus. Interjectis deinde aliquot diebus, ad concionem populum vocat: laudat perpetuam illorum, tum in se, tum in patrem Basilium fidem: Sua in illos beneficia commemorat, ut nunquam quasi subditos, sed veluti regni socios habuerit. Denique se illorum, non illos in Principis mores transisse. Nunc quoque, ait, custodiam corporis sui nequaquam peregrinis se, verum illis solummodo creditum. Quod vero ad propulsandi et conficiendi belli rationem adtineat, non potuisse nunc illud ob perfidiosam militum ducumque inconstantiam et levitatem absolvi. Se tamen operam daturum, ut barbara hostium feritas feliciori aliquanto tempore compescatur. Dimisso populo statim duo scloppetariorum millia in numerum sattelitum legit, quibus et alimenta statura, et instrumenta armorum equorumque data. Hoc genus hominum nomen habuit Opriczinae. Ita invicta militum manu septus non Basilides regio, sed hostili odio saevire in suos coepit. Maxime indignabatur, quod gloriosam militiam seditionibus infuscassent. Propter quae crimina omnes eos qui dissoluta disciplina transfugiis pessimisque artibus bellum gesserant, interficere statuit, insignique simulatione benevolentiae usus, convivium, juxta regiam magnificenciam instruxit, et Magnatibus suis ingentes epularum apparatus dedit. Sed cognito in castris singulorum animo, in unam mensam, eos qui bellum dissuaserant, collocavit; aut consumturus eos, aut in ultimis terris in colonias distributurus. His quoque vestem ex panno serico nigram dedit, ut cultus luxui par viderentur. Quae ne invidiosius in illis tantum conspicerentur, alios etiam vestem longam purpuream accipere jussit. Neutris tamen non prius fatalis habitus omen, quam occiderentur, cognitum fuit. Sequenti die iterum populum in concione alloquitur, gravique habita oratione queritur suam lenitatem, beneficentiam, comitatem, acerbissimis injuriis remunerari: et quod esset in Moscorum gente inauditum, paratas sibi nefaria crudelitate in castris fuisse insidias, scelestique ejus consilii aliquos esse conscios, qui in Senato Principis essent, quibus veniam sincera fide esset daturus, si sponte crimen faterentur: quod si pernegando id facere differrent, nequaquam postea captis et convictis ullum veniae locum futurum. Nec mora Senatores et belli duces ad tribunal accedunt, supplicesque culpam deprecantur, quos sine respectu amicitiae et dignitatis, Basilides in conspectu suo partim necari jussit, partim in subterraneos carceres

Digitized by Google

tenebris ac odore tetro maxime horribiles separatim detrusit.

De militibus autem et aliis qui in castris tumultuati fuerant, in ultionem perfidiae acerbissime supplicium sumtum, adeo ut curribus per urbem circumducti, carptimque discerpti candentium forcipum morsibus, ac ad extremum strangulati in frusta secarentur, submergerenturque. Ea severitate tantum terrorem omnibus incussit, ut non in acie quam in convivio sedens terribilior videretur.

Tremere itaque omnes universa regione coepere, innoxiorum hominum casum miserantes, interdum se quoque non debere melius sperare, dicentes. Plerique enim in decernenda poena mitiorem sententiam requirebant: Alii confingi ea crimina dicebant, falsoque damnari insontes viros, ut occasio exercendae tyrannidis iniquissima ratione pararetur.

Sed Basilides, apud quem nec injustitia, nec regnandi libido ullo modo terminabantur, surdis haec auribus percipiebat, revocatoque ad bellum animo, nihil actum tot egregiis proeliis dicebat, si incolumis Casanensium civitas et regnum relinqueretur, persequendosque esse eos qui a sceptro Moscico defecissent. Iis de causis exercitum continuo recollegit, et majores copias, quanta maxime potuit diligentia, comparavit, tantoque impetu et celeritate Casanenses oppressit, ut quem redire non censerant, videre se vix crederent. Itaque urbs cum vehementissime tormentis quassata esset, tota diruitur, agri inter victores dividuntur, captivi sub corona venduntur, quorum pretium non ex ementum commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. Et sicut ante secunda fortuna rebus supra vota fluentibus tot de Moscis victorias Casanensibus attraxerat: ita nunc adversa, velut in ostentationem fragilitatis humanae destruens, quae cumulaverat, priori ruinae extremam calamitatem, et foedum interitum adjecit. Ex devicta gente Basilidi aucta insolentia est, qui juvenili ferocia numerum atque potentiam ceterorum hostium vicinorum facile contemnens, post quartum deinde annum aucto, et rebus omnibus abunde instructo exercitu ad Astracanenses Tartaros est profectus; adeo promotis castris, ut praemisso levis armaturae equitatu, atque ex propinquo ostentatis castris, hostes opinione celerius opprimeret.

Astracanensium autem regio latissima est, civitates plurimas habet, quarum caput est Astracania, ad Volgae ostia condita, ubi mare Caspium ingreditur, insulasque multas facit, et spectantibus vastissimi alicujus oceani magnitudinem repraesentat. Ultra Nohajcenses et Casanenses Scythas hoc Regnum extenditur, quod Basilides spe ingenti amplexus, secundissimo rerum omnium successu in ditionem potestatemque suam redegit. Cum enim admirabili celeritate raptato exercitu Astracaniam pervenisset, advocata militum concione, eos alacriter est cohortatus, ut postquam ad locum praemiorum felicissime delati essent, secum paululum adniti vellent, impigreque pugnare, ut mox tantorum itinerum incommoda ditissimae urbis spoliis resarcirent: His magno studio acclamantibus, et quo vellet se irrupturos sublata manu significantibus, aciem diligentissime instruit, et omnes circumvectus praesenti eos animo esse jubet, atque ita torrenti similis in urbem prorumpit. Tartari quoque dissimulato metu, et ostentata ultro cupiditate conserendae manus in adventantes Moscos confidenter erumpunt. Novum enim quem Basilides exercitum magnis itineribus fatigatum esse opinabantur. Itaque ad portas civitatis tumultuario atque inopinato congressu antecedentium equitum pugna committitur, ita ad tubarum cantum evocatis et coactis utrinque militibus, ut ardentius eo tempore concurri, dimicarique nequiverit 1554.

Sed Moscis cessere Tartari, nequaquam animis ac viribus pares, utpote qui nihil tale timentes, veluti in insidias praecipitati, armatis instructisque hostibus occurrissent.

Potitus urbe Basilides nulli aetati vel sexui pepercit, ingentique omnis generis hominum multitudine trucidata, captivos baptizari jussit, ceteros qui obstinatius religioni Christianorum adversarentur, continuo ibi discerpsit, aut in flumine submersit. Cum pulcerrimam eam a barbara gente victoriam et incrementa domesticae potentiae accepisset, suis pariter et exteris formidolosior indies evasit. Anno 1569.

Nam Selymus Turcarum Imperator Basilidis potentiam finitimis undique subactis in immensum crescentem formidare coepit, statuitque bellum contra eum in interiorem Scythiam proferre, mira prorsus audacia, ut qui propriae tueri debuerat, impugnaret aliena. Sed illius consilii non minus infelix exitus, quam commentum fuit. Persuaserat enim militibus suis, urbes Scythiae non moenibus cinctas, non praesidiis munitas esse,

Digitized by Google

sed in planis campis undas et desertas jacere, quas potens aliquis victor metu excidii facile ad deditionem perducere possit. Nec in repentino Tartarorum metu modicum momentum victoriae fore, qui tanto apparatu hostium perculsi jugum facilo assumturi sint. Accessura et villarum incendia, et castellorum oppidorumque repugnantium direptionem, tum ipsius Astracaniae obsidionem. Quibus omnibus non Turcis tantum in has gentes, sed et in ipsos Moscos sentiont patere bella. Nusquam igitur alibi facilius bellum, sed nec praedam uberiorem inveniri posse. Nam capta Astracania omnes ditissimorum mercatorum thesauros, ipsumque Reguum praemium victorum fore. Gloriam certe tam honestae militiae in omne aevum futuram, ut dicatur eos solos Ottomannorum esse, qui dedecus, quondam ab Tamerlane acceptum, ad hostes transtulerint, ultroque inimicam gentem obsederint. Omnibus igitur forti ac alacri animo bellum ineundum, quo nullum aliud possit, aut praemium victoriae uberius, aut victis monumentum illustrius dari. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur, sed terrebat eos longinqua profectio; cujus nationem non minori cura Solymus, quam belli reddebat, affirmans se cum periculum urgeat, neque ipsos milites neque ipsorum salutem esse neglecturum. Itaque ad mandatum Imperatoris universae naves bellicae, consentiente exercitu militibus impletae, et lectissimae validaeque Janizarorum legiones contra Tartaros missae, tanto et tam terribili apparatu ut 13 Calendis Aprilis supra 300 hominum millia Byzantio discesserint. Addiderant his copiis Praecopienses quadraginta millia sagittariorum, et selectissimas equitum alas. Tantae barbarorum copiae ad Maeotidis paludem delatae, statim Azophum ingressae sunt: atque hic milites ad profectionis necessitatem rebus omnibus comparatis, frumentoque et stipendio instructi, statui praesentis fortunae sese accommodarunt, cetera ab hoste melius, quam a sociis consecuturi. Porro Turcarum exercitus Azopho digressus ad 5 Septembris diem Astracaniam pervenit, et eam civitatem gravissima statim obsidione pressit. Tunc igitur Moscos stupor et admiratio incessit, unde tanto conatu tam subitum bellum, praesertim ab hoste antea non cognito; admiratio deinde paulatim in contemtum Turcarum vertitur. Fuerat relictus a Basilide in tutelam Regni Serebrinus regulus fide et virtute bellica insignis. Is hosti populanti Astracaniae agros ad Volgae ripas occurrit, cumque occasionem conserendo proelio praebuisset, semel iterumque prospere dimicavit. Nam Turcae alimentorum inopia segniores redditi, ad bellum etiam minus idonei videbantur esse, et cum his Serebrinus ita rem gerebat, ut nihil sibi commodius existimaret, quam servare atque augere in urbe copias, cunctari in idoneis locis, omnemque importandi commeatus viam intercludere. Inclinabat enim se autumnus illis in regionibus, hiemi quam aestati similior: nec differri poterat diutius obsidio, quoniam vergente in brumam tempore gravior indies ac saevior tempestas esse consuesset. Processerant jam hostes vastabundi usque in proximum Volgae litus, majore profecto animorum pervicatia quam bellica fortitudine, ita ut pilae eorum tormentis emissae ad ipsam usque urbem pervenirent. Non tulit eam ignominiam Serebrinus, cum advolare hostes barbara feritate conspiceret, eosque sub auroram primam cum suis adortus, concisis undique obviis ita conterruit, ut deserere impedimenta, et metu extremae cladis fuga sibi consulere cogerentur. At Serebrinus ingenio ferox et praeproperus cum fugientes confidentius persequeretur, adeo caute ac feliciter conflixit, ut cum vix primam impressionem Turcici pedites sustinerent, omnes praedantium cohortes saede dissiparentur caederenturque. Periere in receptu parum decore vel dum fugam suorum sisterent, illustres alarum duces, et Turcarum aliquot millia. Ea clades eo gravior et luctuosior hostibus fuit, quod multorum dierum intervallo classem sociorum maris Caspii adverso fluctu impeditam nondum viderant, nec jam habebant unde copias repararent, tot praesertim equitibus cataphractis et tot Ducibus in unius maximi proelii calamitate amissis. His cognitis rebus Serebrinus, tametsi eam cladem Turcis, quod alienum Regnum affectassent, merito accidisse praedicabat: nihil tamen ea victoria laetabatur. Dolebat enim crudelissimis hominibus certum exitium, extremamque ignominiam nondum esse illatam. Ob id secreto Moscos ad Volgae ripas habitantes hortabatur, ne animo deficerent, suamque pristinam infractae virtutis atque constantiae existimationem tueri vellent. Se enim intellexisse classem Turcicam jam mare Caspium secundissima tempestate enavigasse. Providendum igitur esse ne commeatus, instrumenta bellica, et coterae extremae

Digitized by Google

necessitati profutura, ad hostem in castra devehantur. Mosci ea de re certiores redditi, adventantes ex navibus Turcas ad ipsa Volgae ostia aggrediuntur, rebellantes expugnant, praedas agunt, et multa millia trucidant. In isto tumultu multae submersae naves, multae captae sunt. Itaque cum terra marique eadem fortuna pugnarent, cumque superioribus malis tantus aerumnarum cumulus accederet, fugam maturare coeperunt. Pedestribus autem et equestribus copiis felix iter non fuit, siquidem quotidiano labori etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat et pestem, tantaque faeditas morientium fuit, ut viae cadaveribus implerentur, alitesque et bestiae escae illecebris sollicitatae, exercitum sequerentur. Erat res spectaculo digna, et ad aestimationem rerum humanae sortis varietate miranda, exercitum qui propter multitudinem terrae gravis fuerat, jam faeda tropidatione deformem, inque fugam actum videre; et eo quidem tempore pro Moscorum dominatione indulgentia Dei diligenter excubare visa est. Nam et tormentarium pulverem Azophi ad belli necessitatem asservatum coelestis flamma absumsit, oppidumque et arcem prodigioso impetu pene funditus evertit. Exercitus reliquiae Byzantium renavigaturae, in Maeotidis palude naufragio absumtae sunt; atque id bellum opinione omnium faciliorem exitum habuisse est visum, adeo ut nusquam minore cum commodo, vel majore cum ignominia Turcae conflixerint.

Astracanii igitur, sicut et Casanenses, Basilidis titulos auxere, qui statim Tartarorum Imperatorem salutari se jussit, potentiaeque suae magis magisque confisus de bello Livoniense cogitare coepit, ut oceano ultimisque terris finiret Imperium. Nec feroci ingenio alta atque ardua meditanti fortuna defuit. Per multos enim annos incredibili hominum multitudine crudelissime occisa, provinciam eam sic afflixit, ut nulli aetati vel sexui, nullis templis et aris, nullis urbibus et agris, imo ne mortuorum quidem cadaveribus parceret; et affirmare equidem ausim, nullam sub clarissimo sole regionem esse, ad quam tantus malorum omnium cumulus unquam penetraverit. Livonia regio est latissima et fertilissima. Patet in longitudinem milliaribus nonaginta Germanicis. Latitudo vero illius non supra quinquaginta miliaria dilatatur. Mellis, corii, cerae et lini, frumentoque abundat. Ab ortu Moscis vicina est, a septentrione cum Gothis, quos nunc Suecos appellant, continens est. Ab occasu mari Baltico sive Germanico terminatur. A meridie Samogitiam et Lithuaniam respicit. Gens in hac provincia aliquando immanis et barbara fuit, sed Germanorum commercio ad humanitatem est exculta. Illi enim non contenti terris in quibus geniti erant, cum opum cupiditate emenso oceano in hanc provinciam delati essent, Friderici Primi Caesaris temporibus domicilium in ea ponere, et cum populis longo terrarum intervallo a Germania remotis, societatem facere coeperunt. Postea deceptis simplicibus summas sibi opes in hac regione comparaverunt, assumtoque ex divitiarum magnitudine majore spiritu, urbes clarissimas condiderunt, ad quas ex aliis quoque regionibus mercaturae faciendae gratia homines confluxerunt. Ab eo tempore Livonia advenarum Germanorum Marianorumque militum invicta sedes fuit. Indigenae olim simulacris dediti erant, et iisdem, quibus reliqui Sarmatae, moribus utebantur; omnesque ad unum pestiferis opinionibus corrupti depravatique, Deum rem esse inanem, et commentitiam existimabant. Venit tandem ex Lubeco Saxoniae metropoli B. Meinhardus, vir divinae prudentiae fama, et singulari probitatis opinione clarus, qui Livones ad veram Christi notitiam instruxit, et in numerum divorum ut vivens referretur, publico consensu meruit. Eo defuncto Bertoldus Cisterciensium Abbas, ab excellenti doctrina ac vitae continentia, ac honestate omnibus acceptabilis, studium propagandae religionis suscepit, qui in sacris concionibus, et in privatis colloquiis ita multitudinis animos opinione virtutis ceperat, ut illum rerum omnium, quae imminebant, verum Vatem, divinumque depravatae Religionis censorem coelo missum crederent. Is omnis generis hominum sexusque et aetatis multitudine collecta blasphemis barbaris bellum facere constituit, ut quos voce non poterat, eos metu supplicii ab impietate et scelerum administratione revocaret. Eo unico miser, quod verbi divini cursum gladio promoveri posse cogitavit. Coactis copiis, amicorumque studio, favore plebis et armis valde egregie munitus in bellum proficiscitur, statimque in prima acie confossus, miserabile et fortassis indignum tanta virtute immanibus barbaris spectaculum praebuit; exemploque suo mortales docuit non debere sacratos homines a religione rerumque divinarum contemplatione ad munia regendarum

Digitized by Google

Rerumpublicarum transire. Vera enim pietas non tam armis et bellico apparatu, quam sincera doctrina, virtute et innocentia propagatur nec opus est ut quisquam pro Deo pugnet, cum ille ipse omnia terrarum sola terribili potentia conquassare, et omnes campos sternere possit cadaveribus impiorum. Marianis militibus vero tantum abfuit, ut ea Bertholdi calamitas, vetus studium alacritatemque pugnandi minueret, ut plerique antea parum animati, ultro in partes transirent, audacterque adversus infideles barbaros, a quibus major adhuc Livoniae pars impotenti quodam jure usurpata tenebatur, inimicitias ex professo, bellumque susciperent.

Nam et Gregorius IX Pontifex Maximus sua interposita insigni auctoritate pium bellum promovendum ratus milites Livonienses cum Prussicis, quorum tunc Magister erat Conradus, stabili decreto conjunxit, uti in eadem causa, pari negotio implicitis. Intelligebat enim acutissimus Pontifex Livonienses solos nulla cum dignitate frustra barbariem oppugnaturos, nisi alios Principes, qui praeclare ejusdem impietatis hostes forent, omnino quaesivissent. Hanc autem religionis institutionem a tempore D. Meinrâdi, qui primus istis nationibus colendi numinis rationem monstravit, ad haec nostra tempora continuatam summo semper studio Christiani, qui in Livonia sedem constitutam habent, diligentissime tenuerunt; ita amplificata Dei notione, Sacrorum quoque hominum ordo augustior indies factus est, et fere imperii summa penes eos fuit. Riga archipraesulem semper habuit, quorum e numero et illum fuisse constat, qui summa judicii severitate in concilio Constantiensi de Husso mortis sententiam pronunciavit. Post hunc Derpatensis, Habselensis, Curlandicus, Oselensis et Revaliensis magnam provinciae partem possedere. Ea septem omnino satrapias habet. Leitlandia Rigam provinciae caput, et multas alias arces et oppida munitissima complectitur. Viclandiam Habselensis olim Episcopus Imperio continuit, ea nunc Gothis paret. Curlandiae Semigalliaeque Dux Gothardus imperat. In Estlandia, Virlandia Hariaque et Gervenlandia Gothi dominantur. Hariae caput est Revalia, Virlandiae Nerva, Estlandia Felinum, Tarnestum, Leidum, Overopolum et Carcausum munitiones; Gervenlandia Vitensteinium habet. Tres nunc longe maximi Reges in Livonia Imperium tenent. Magnam ejus partem Gothi possident, maximam Poloni, quorum Rex triennali bello pro hac provincia contra Moscos depugnavit, minimam partem Danus habet, quae et ipsa nunc in Polonorum potestatem ventura putatur. Cardinalis Georgius Radivilus pro Rege Polonorum nunc in Livonia rerum potitur. Primum huic genti ex discordia natum est malum, quod quomodo acciderit, et quando Basilides in Provinciam penetraverit, omnino dicendum est. Fuit Livonia Marianorum militum Teutonici ordinis antiquum domicilium, sed in duas dissecta partes, quarum altera Magistratui Ecclesiastico, archipraesuli nimirum Rigensi, et quatuor aliis parebat: altera a Magistro Ordinis regebatur. Hic cum illibatam patriae libertatem defendere statuisset, peregrinosque in Provincia Princeps nullo modo ferre posset: ille vero Christophorum Ducem Megalburgicum de consensu collegii ad archipraesulis dignitatem evehere omnino niteretur, atque ideo in suspitionem apud plerosque deveniret, quasi Marianorum societati detrimenti aliquid adferre conaretur, populi opinionibus dissidentes, odiis etiam, quod consequens erat, discissi sunt. Sic Livonia in diversas factiones discurrentibus Ducibus in sua viscera armatur, ferrumque ab hostili bello in civilem sanguinem vertit, exemplo furentium, manus ac membra sua ipsa caesura. Ordinis Magister erat Guielelmus Furstenbergius, is solerti industria magnas copias parabat. Nam et Nobilitatem omni insigni moderatione in favorem sui sollicitaverat, factusque jam tantus erat, ut non tam timeret hostes, quam timendus ipse hostibus esset. Adjutores ei erant episcopi tres, Revaliensis videlicet, Derpatensis atque Habselensis; atque hi partim antiquo foedere, partim animi levitate metuque adducti in partes Magistri descenderant.

Quae res tantum animorum Furstenbergio dedit, ut cum ingenti exercitu Marchionem Guilelmum Brandenburgicum, tum temporis sacrorum Principem petere auderet. Marchio tametsi Reges et Principes finitimos sanguine obsequiisque devinctos haberet, aemulumque sublatum, et vires ejus concussas valde vellet: tamen ne militem ex subditis conscribere posset, Furstenbergius faciebat, qui injecta retusti foederis mentione obtestabatur omnes ne parerent. Igitur praesul in tanta rerum confusione hostibus impar visus est, desperatisque rebus in Cocenhusum munitissimam arcem consessit. Quod cum Furstenbergio nunciatum,

Digitized by Google

esset, instructis copiis Marchionis ditiones invadit, et resistente nemine, obvia quaeque diripit, ipsumque Principem Cocenhusiae arcis moenibus tuentem se, obsidione cingit. Jamque ea summis viribus oppugnabatur, neque dabatur obsessis aliquod laxamentum, fuitque oppugnatio totum octiduum continuata. Ipsum autem praesulem nec gravissima obsidio, nec stationes hostium munitae, nec aggeres excitati, nec tormenta disposita, nec acies instructae terrere poterant, nisi annonae penuria et fame ad faciendam deditionem compulsus fuisset. Cum enim casus ille praeter exspectationem accidisset, ab omnibus rebus imparatus erat, quae sunt ad obsidionem ferendam necessariae: praesidiumque ipsum erat fame, situ, labore, pervigilio confectum, crebrisque vulneribus impeditum, usque adeo ut vix esset quisquam, qui telam vibrare posset. Capto itaque Archipraesule, victoria penes Furstenbergium fuit, sed non admodum diu. Marchio enim Guilelmus antea Poloniae Regem S. Augustum per litteras admonuerat, ut subsidia summa celeritate compararet. In Germaniam quoque nuntios miserat, qui Joannem Albertum Ducem Megalburgicum, Christophori fratrem, aliosque Principes ad arma cohortarentur. Marchio quinetiam Albertus, qui tunc illustre admodum in rebus bellicis nomen obtinebat, Prussiae populos, quorum Dux erat, ad arma convocarat, qui collectis Germanorum legionibus, ad suae ditionis fines proxime Curlandiam castra locavit; omnesque certatim ad auxilium afferendum se comparabant. Poloniae Rex cum quinquaginta militum millibus expeditionem susceperat, Principisque Marchionis libertatem bello vindicandam ratus, eo loco castra collocaverat, ubi Livonia Lithuaniae continens est. Contra Furstenbergius validas Germanorum manus ex Lubeco in provinciam introducebat, clientes armabat, et apertis occultisque praesidiis tota regione collocatis, sese adversum hostium vim et veterum inimicorum injurias egregie muniebat. Erat populus Livoniensis ingenti metu perculsus, et inprimis viri nobiles eo periculo vehementissime terrebantur; quod adversus vicinum et potentissimum Regem, atque eundem etiam, qui paulo ante ab omnibus Rigensis dioecesis defensor fuisset appellatus, ingratissime et inconsideratissime arma sumsissent, legatum ab eo missum ludibrio habuissent; et denique propinquum ipsius Principem omni fortuna exutum in modum captivi detinuissent.

Quibus de causis cum velut desperata venia animos desponderent, et propterea obstinatius defensionem pararent, ubi per occasionem poterant, optimos quosque in exercitu Regie precibus sollicitabant; ut illius animum egregie delinitum ad pacem inflectere vellent. Putabat enim Furstenbergius nihil homini petenti excelsa, et praesertim in ista belli fortuna versanti, vel usu melius, vel expeditius esse, quam duabus omnino sellis sedere, si absque certo periculo fieri possit. Quoniam nihil unquam ex toto in alterum aleae eventum sapientis perclitandum esse videretur. Tandem Caesaris Ferdinandi et Daniae Regis intercessione pax ipsis ad Posvolum data est, istis quidem conditionibus, ut confestim praesulem riberum facerent, eique bona redderent omnia, militique Polono stipendiis solutis ab armis discederent. Ita Livoniensium novercante fortuna, maxima provinciae pars cum Christophoro Megalburgio in Polonorum potestatem pervenit. Nec multo post ipse Ordinis Magister Furstenbergiuu in arce Felino a suis, quibus stipendia solvere non poterat, desertus, et a Moscis captus admodum foedum et ignominiosum vitae exitum sortitus est. Ceterum Basilides Polonici belli felicitatem admiratus, statuit eandem prorsus contra Livones belli fortunam experiri. Igitur Derpatensibus, quia viciniores essent, pecuniam imperat, majorum suorum jus et dominium in provincia causatus, quam nisi subito dissolverent, bellum longe gravissimum eis minabatur, dicebatque Dunam fluvium suo sub imperio fontes habentem se in potestatem recepturum; nec fefellit crudelissimum hominem eventus.

Erat Moscorum nomen Livonibus pariter et Polonis, atque Germanis admodum formidabile, eratque propterea in provincia tumultus ingens, et magnus fiebat undique ab omnis generis hominibus concursus. Quoniam autem coepta sine certo consilio fortuna plerumque destituit, quid contra eum hostem agendum sit, accurate deliberant, duces nequaquam justo proelio quidquam eo tempore tentandum esse censebant, utpote qui jam prope fractis bello Polonico viribus tutiorem repugnandi occasionem exspectarent, et pro comperto haberent, tam validas ab hoste conscriptas esse legiones, eaque audacia militari in bellum iturras, ut nulli perito dubium esset, quin vel semel per vim ingressis multo maxime pervadendi in provinciam viae aperirentur. Sed multis rebus frustra tentatis, reliquae spes omnes ad mit-

Digitized by Google

tendos legatos reciderunt, quorum felici et spectata multis in locis industria tyranni animus paulatim mitigaretur. Nec sane defuissent huic consilio eventus, nisi legati sua quadam levitate immanissimi Principis animum vehementius irritassent. Quippe cum pecuniam se attulisse profiterentur, nec tamen, cum ad rem ventum esset, eam reponere possent, nec forte vellent, ille incredibili furore correptus, concesso prius legatis in patriam reditu, ingens Livonibus bellum fecit, nec longa interposita quiete, cum nullam a milite vel durissimae hiemis, vel difficilium itinerum, vel alicujus defatigationis excusationem reciperet, ad Veissenbergum et Nerviam magnis itineribus contendit: tanta celeritate incitatis ad festinandum omnibus copiis, ut neque viae militares admodum lutulentae, neque inflati amnes, neque longissimae noctes quidquam impedirent, quo minus tormenta aenea non modo legionibus in cursu, sed ipsis etiam equitibus aequarentur. Etenim nuntios omnes et litteras, et totam denique sui famam incredibili celeritate praecurrebat, cum etiam a Derpatensi praesule, qui ex aliorum tumultibus exitialem patriae invidiam conceperat, ad maturandam profectionem esset invitatus. Accidit id quo nihil aetate nostra crudelius in re bellica fortasse contigit; ut nulli prorsus sexui, nulli omnino aetati parceretur, sed omnia miserabili caede et hominum laniena complerentur. Tyrannus enim cum novum sibi in Livonia imperium saevo ac impotenti animo destinasset, omnibus prope districtus Derpatensis nobilibus immani crudelitate trucidatis, alios etiam incolas ita afflixit, ut Livones exsuti oppidis, actique in exsilium, per Lithuaniam atque Prussiam vagarentur: Lithuani vero, qui hostis feritatem nondum senserant, vicinorum civium funestam stragem lugerent. Sub idem fere tempus Carolus V. Anno 1558. Caesar apud Hispanos e vita discesserat, cujus frater Ferdinandus, ad quem rerum summa delata tunc erat, Augustae Vindelicorum cum Septemviris et Imperii Ordinibus celeberrimum comitium habebat. Miserat huc Livoniae Magister suum legatum, Georgium Sicurgum, praefectum Duneburgicum, ut auxilia adversus eam Moscorum impressionem et superbiam, ab Imperio et Ordinibus postularet. Illi enim superiori anno Nerviam oppidum, cum ibi incendium ortum esset, facta repentina eruptione ex altero oppido Ivanogrodo, quod ultra flumen, eodem Narvae nomine appellatum, in dextra ejus ripa situm est, occuparant, et jam octo amplius mensibus omnem tyrannidem et nefariam crudelitatem in tota ditione exercuerant. Legatus autem quamquam pro suo praestanti ingenio et doctrina nihil plane intermitteret, quod ad causam pertinere videretur, perexiguam tamen auxilii spem accepit. Sic enim sunt hominum animi, ut vicinorum incommodis non magnopere commoveantur, seque sibi proximos esse omnes putent. Exciverat interea suas e Livonia copias Basilides, ut Tartaris intra ditionis Moscicae sese ostendentibus obviam iret: iis demum secundo marte profligatis, et pace composita cum ingenti multitudine in Livoniam reversus, oppida et arces ubicunque potuit, occupavit: agros latrociniis et incendiis crudelissime devastavit, et veluti tempestas quaedam obvia prostravit: tandemque Velinum oppidum, in quo Magister Ordinis Guilelmus Furstenbergius erat, obsidione cinxit. Ibi vero coeuntibus in unum perfidiae dedecretum praesidio et militibus, foedissime se atque oppidum cum Magistro dediderunt, vita tantum impetrata, ita ut exsuti armis extra fines pellerentur. Basilides Velino potitus, et paratis tormentis, quae Furstenbergius plurima et maxima habuerat, bellum funestissimum viginti amplius annis circumtulit, indeque uti plane victor oppugnandis oppidis dejiciendisque praesidiis totam eam regionem est pervagatus, et Livones omni pene illa veteri bellicae virtutis opinione spoliavit. Duae tantum civitates Revalia et Riga barbari hominis gladios effugere. Et Revaliam quidem semel atque iterum omni conatu, totis viribus, et ingenti exercitu oppugnavit. Nam et magnum Cimbrorum Ducem, qui amplissimis promissionibus, et rerum maximarum cupiditate adductus, relicta patria in Moscoviam venerat, huic bello immiscuit, sub cujus nomine multis etiam oppidis et arcibus insidias struens immanem perfidiam et dolos Graecos felicissime exercuit, et magnus quidem Cimbricus cum validissimo exercitu magnoque tormentorum apparatu Revaliam oppugnare est adortus. Sed ea res summas habuit difficultates defendentibus urbem longe fortissimis Germanici sanguinis civibus. Non enim, sicuti ipse Basilides eum facturum speraverat, oppidum subegit. Igitur a vi ad fraudem et insidias confugiens, insignioris cujusdam humanitatis specie cives ad deditionem faciendam compellere statuit, sed cum nec ista via quidquam profecisset, Basilides morae impatiens

Digitized by Google

crudelissimis artibus bellum genere coepit, et tres maximos exercitus per totam provinciam dimisit, eo consilio ut omnes incolas perderet, cum omnibus rebus imparati nequaquam satis mature occursuri viderentur, quando nihil minus putassent, quam isto tempore bellum se gesturos adversus eum, quem longissimis locorum intervallis remotum, et desertis in silvis habitantem, tota ea regione magnopere contemsissent. Tunc summos pariter atque infimos trucidavit fugavitque: tunc muris inclusos homines flammis cremavit; tunc Derpatum, Nervas, Velinum, Vejssenstejnum, Cokenhausium, Ascheradum, omnesque totius Provinciae primarias arces diversis temporibus occupavit, semel oblata rei bene gerendae occasione ita contumescens, ut in miseros convitia etiam jaceret, tantum eos degeneravisse a majoribus affirmans, ut cum multis saeculis murus provinciae civium virtus fuerit, tunc cives salvos se fore non existimarent, nisi intra muros latuissent. Omnes enim armis diffisi, vicinorumque quasi incendio territi latebras circumspiciebant, adeo ut multis transfugiis passim urbes arcesque desererentur; neque de victoria repellendique hostis ratione, sed de ejus tantum potentia, deque perpetuo suo exilio cogitarent. Et tantis quidem circumjectis undique et prementibus ex propinquo malis, miseri homines diffisi viribus suis haud dubie totius provinciae imperio cessissent, nisi eos in ipsis belli consiliis haesitantes ad spem ingentium victoriarum paucorum virorum invictus animus erexisset. Fuere illi Andreas Sapieha apud Lithuanos illustri genere natus, et Joannes Buringus a Brunsvicanorum oppido Helmstadio, in quo nunc Academia Julia floret, oriundus, qui paucos ante annos splendidissimi viri Joannis Chodnevicii scriba fuerat. Gothorum nomina, qui in hoc numero fuerunt, nondum a quoquam cognita habere potui, alioqui et ea in hoc volumine adscripsissem. Vigilantissimi isti homines cum immanis tyranni superbiam animo ferre non possent, miserorumque salute, fortunis, vita, sanguine, quem hostis ille jam nimium diu crudeliter hauserat, necessario commoverentur, strenuis et constantibus animis acceptas injurias ulcisci properaverunt; etsi autem neque tormenta, neque militem magnum, neque ullum omnino justae expeditionis apparatum haberent; tamen multis in locis maximas Moscis detrimenta intulerunt, ita ut ad veterem bonisque omnibus exoptatam libertatem plurimum momenti allaturi fuisse viderentur, si ipsorum insignes conatus alii etiam pecunia et auxilio adiuvissent; et ne quid de ceteris dicam, certe Buringi virtutem adeo intemperanter fortuna extulit et exstinxit, ut cum paucis mortalium utroque volta velocius atque vehementius lusisse videatur. Saepe hostium castra, consilia, vires, ipse audacissimus explorator cognovit: saepe eos in tentoriolis torpentes, et gelidos subito adortus, late cecidit et repulit: saepe quinetiam strategematis et callido sensu usus validissimum exercitum paucis expeditis equitibus vexavit, arcibusque et oppidis ditissimis potitus est. Nam et Vendam aliquando, et Nitovum, et Tridum Erligumque et Attestum, et Schurum, et Burtenicum, et Remselum, et Cleuropum, et Nabbum et Vinsetum aliasque in Livonia arces tenuit, nonnullasque jam oppugnatas et obsessas hostibus de manu extorsit, eorum praesidia dejecit, ostentataque ultro cupiditate conserendae manus, barbarosque cursu aut fugavit, aut persecutus est. Quibus rebus et in fama terroreque hominum fuit, et corpus ad omnem virtutis patientiam duravit, nec in convivio, sed in campo: non in vacationibus, sed in exercitationibus; nec inter cantharos, sed inter aequales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendit. Livoniam interdum cum quibusdam amicis, tacitus a suis profectus, nemine sciente pervagatus est: omniumque urbium situs ac viros cognovit, cujus fortitudinem Deus singulari quoque incolumitate condecoravit. Nam neque animi magnitudine dejectus, victusve neque assiduis laboribus fractus, nec ullo adverso casu territus, nec telis quidem, quae saepe in ipsum ab hostibus congerebantur, laesus: tutum semper emergendi eventum habuit. Sed publica fama, consecrata hominis virtus, nulla privata laudatione indiget. His tantis rerum successibus ingentem sibi apud multos invidiam conflavit, acciditque post non longum tempus fortuna spes ejus eludente, ut levi de causa a Sarmatis quibusdam circumventus et captus Vilnam in carcerem deduceretur, ex quo delusis custodibus discessit, et in Livoniam reversus est. Ibi cum meritis ab invictissimo Polonorum Rege laudibus et praemiis esset ornatus, arcano Dei consilio in aliud longe gravissimum periculum est conjectus. In convivio forte cum Stedingo quodam sedebat, ille cum veterem erga Buringum odiorum memoriam in animum induxisset, non obscura exercendi homicidii initia quaerere

Digitized by Google

coepit, arrogantique habita oratione acerbissime eum criminatus est, et uterque tandem ad strictos gladios pervenit. Ille ne pristina existimatione spoliatus discessisse videretur, cum provocante Stedingo in pugnae certamen descendit, et ne ab aliena virtute vires mutare videretur, ministris suis ut discederent, praecepit; mox a Stedingo ejusque satellitio circumventus, cum solus plures sustineret et caderet pugnacissimus vir letale vulnus accepit, et ipse eodem momento adversarium telo transfixit qui confestim exanimis concidit et exspiravit. Nec multo post ipse Buringus in lugubri vindicta funestaque victoria confossus interiit, cujus fortunae varios eventus sigillatim in hoc volumine referre non possumus, nam ad rem redeundum est. Basilides sicut sub Sigismundo pessimis artibus et incredibili crudelitate bellum in Livonia gesserat, ita illud Stephano principante confidentius etiam persecutus est. Ille enim cum extremis in finibus Regni inter Prussos necessario versaretur, Moscus fraude potissimum et conspiratione adductis in potestatem Regiis subditis, in libertatem, liberos, conjunges, vitam ac sanguinem Christianorum hominum immanissime flamma ferroque grassatus est. Nec vero commemorare attinet, quam multa millia horrendo mortis genera sustulerit, quam variis et exquisitis suppliciis membra humana laceraverit; quam foedis et ignominiosis stupris honestas matronas et virgines contaminaverit. Cum enim Ascheradum debellavit, quingentas puellas nobiles earumque matres, ferocibus Tartaris in suo conspectu vitiandas tradidit, quarum flebilis clamor per longissima Anno 1577. locorum intervalla ita exauditus est, ut ipsi etiam flores et agri lamenta fundere viderentur. Eaque re factum est, ut Vendenses feminae, quae a tyranno obsidebantur, et eandem plane miseriam et foeditatem timebant, in templo unanimes congregarentur, invocatoque sanctissimo Dei numine et animis expiatis se ipsas vivas concremarent, ita ut subditis ignibus, exardenteque intus tormentario pulvere, totum fanum radicitus convulsum flammarum violentia in sublime jaceretur. Certe tale monstrum, quod durius miseros homines afflixerit, nunquam in terris exstitisse omnes testantur historiae, si qui omni scelere notabiles fuerunt, tyranni, cum fera et immani istius bestiae truculentia comparentur. Nam quae de Nerone, Caligula, Domitiano et reliquis pestibus humani generis scripta leguntur, ludum jocumque dixeris prae insana hujus rabie. Jucundissimum enim tum fuisse putabat spectaculum, cum quovis praetextu et fictis objectis criminibus, homines insontes aut impiissime mactarentur, aut membratim discerperentur. Sed missis veteribus audiamus nunc facinus illius aliquod recens perpetratum. Habebat in Moscovia ex ingenti captivorum multitudine Vendenses et Overpolios et Cocenhusios aliosque trecentos septuaginta et octo. Hoc cum scelerि suo superesse videret, metueretque ne diutius vivendo forte canescerent, anno supra millesimo quingentesimo septuagesimo octavo paratos esse omnes, inque concionem venire jubet, recogniturus et numerum captivorum et in captivitate fortunam singolorum. Itaque cum inter ceteros et ipsae praesertim feminae cum parvulis supplices adsisterent, tyrannus simulat se libertatem omnibus daturum, jubet interrogare singulos, an ad sedes aliquando patrias requirendas proficisci cupiant? Haec quoniam afflictissimis antea hominibus, grata videbantur esse, gravissima se testificatione obstringunt, non prius, quam veniam impetrassent reversuros: tantum sibi vel de felicitate sua, vel de benignitate Principis spondentes. Desiderio enim magno videndi patriam et aras tenebantur. Quae res initium interitus, et crudlissimi supplicii causa et origo fuit. Itaque quasi Principis majestatem et ditionem contemsissent, daturi videlicet infelicissimae responsionis et fortuitae vocis poenas, statim damnantur. Ortae tunc sunt quaerimoniae miserorum, viduae et pupilli, senes, puerique et virgines lamentabilem quaeritatum edidere, et effusis ploravere lacrimis. Sed risit interea Basilides, cujus jussu viri et feminae et parvulorum turba civitate educti, contra omnem humanitatis rationem nefarie et flagitiose interfecti sunt. Cum ad supplici locum perventum esset, hymnos lingua patria et flebili voce cecinerunt, quibus sanctissimi numinis opem in ultima rerum linea implorabant. Postea raptae sunt ad stuprum virgines et puella, quae vim et libidinem a corporibus suis neque precibus, neque ingentis pecuniae promissis cohibuerunt. Demersus erat in *flumine* Neglinna ingens palus, cui superstratus parvus pons fuit, in illo crudelissimus carnifex et insontium mactator stabat, clavaque ferreas ita singulorum cervices feriebat, ut statim decideret, et rapido altissimi gurgitis impetu absorberentur. Ita nimirum gemino mortis genere

Digitized by Google

tyrannus sive furore caecus, sive barbara immanitate ductus, sive odio gentis Germanicae efferatus, in promiscuam imbecillium multitudinem grassabatur, et quasi jucundissimo voluptatis sensu frueretur, cum Ivano et Phoedrone filiis (Joannem et Theodorum nos vocamus) toto die caedium spectator erat: ex quibus minor natu, qui nunc rerum potitur, vel rei indignitate motus, vel etiam commiseratione plorantium et gementium adductus, cum Mikita Romanovicio, precipuae nobilitatis viro in urbem reversus crudeli spectaculo abstinuit. Quedam vero Germanici sanguinis puellae, eximiae venustatis, cum eodem supplicio afficiendae essent, quamvis magnam pecuniae summam pro redemtione illarum multi viri nobiles offerent, et tyrannus alioqui esset avarissimus; non potuere tamen in libertatem vindicari. Eae igitur preces in iram convertentes jam immanem truculentiam, jam jus belli violatum, jam perfidiam, et superata omnium hominum scelera principi barbaro exprobrabant, implorantes simul coelestem justitiam, ut hujus tam scelesti facinoris vitor esse vellet. Quibus vocibus Basilides quasi in novum furorem conversus cruciatus in illos diros excogitat, et primum reliquos omnes captivos in illarum conspectu partim submergere, partim tormentis dilacrare jubet, quos ipsae, ut supplicium libenter pro gloria Christi subirent, verbis magnanimis exhortabantur. Mox carnifices puellarum innocentium manus atque pedes duobus asseribus fibula conjunctis, atque disclusis alligant, et illas verberibus concidunt: et ungulas evellunt, atque ut diutius torquerentur, ita corpus paulatim carpunt, ut non sceleri morte doloribus acerbissimis finis imponeretur. Miserae interim omnem a corpore dolorem nomine Jesu saepius invocato depellebant, et illi gratias agebant, quod tanta patientia, tanta adhuc tormenta pati potuissent; nec tantum suppliciis delectabantur, verum et supplicibus verbis a summo rerum patre delictorum veniam poscebant: tyranno iterum atque iterum crudelitatis horridum habitum, truculentam faciem, violentos spiritus, vocem terribilem, omniaque minis et cruentis imperiis, referta illius acta objicientes. Qui ea virginum constantia perturbatus multo graviora animo supplicia praefcrebat. Non poterat enim pati, omnes suos conatus, quos ad illarum virtutem et patientiam frangendam comparaverat, ad nihilum recidisse. Igitur quo constantius in patientia permanebant, tanto vehementius novis et exquisitissimis tormentis illas oppugnabat. Cum Jesum in suppliciis laudari, et suum nomen lacerari audiret; lingua illas privavit, qua evulsa puellae ipsa mente clarius cum Deo locutae sunt, et spiritu tamen, qui ex vultu et oculis emicabat, immanem Basilidis impietatem refutare visae sunt: qui ad postremum eas candentibus verubus transfixit, quasi earum viventium cruciatu satiatus. Postea nec ipsis mortuarum cadaveribus pepercit. Extructis enim ingentibus rogis, igne ea combussit, cellectosque cineres in Neglinnae alveum sparsit, et ceteros ad unum omnes jugulantes ponte praecipitavit. Videre tuncviri uxorum suarum caedes, uxores virorum, infantes matrum, et matres parvulorum suorum funera deflevere. Lacerata autem ferro corpora, Neglinna fluvius impatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere coactus est. Quae omnia auditu etiam intolerabilia Livones passi sunt, quibus vicinam Lithuanorum gentem simili plane audacia aggressis. Sigismundum Augustum et Henricum Reges contemsit, illorum legatos ludibrio habitos intolerabilibus injuriis affecit: in finibus Vitebscensibus, in ipsa Magni Ducatus Lithuaniae ditione propugnaculum collocavit, ac per suos rei militaris praefectos illis etiam locis regios subditos trucidavit alios, alios crudelissime diripuit, ut interim Pologiam taceamus, quam Sigismundo, cui per litteras pacis fiduciam attulerat, sceleratissime eripuit, tantumque toti aliquando Lithuaniae terrorem incussit, ut cives in praecipuis urbibus jam fugam meditarentur, et quidquid pretiosissimarum rerum domi haberent, id in Prussiam transmitterent, ne ab hoste venturo forte interciperetur. Sed de Polociae sito et magnitudine pauca dicemus. Distat Vilna quinquaginta miliaribus magnis, altissimorum fluminum Dunae et Polottae variis flexibus alluitur, et in arduo clivo sita est; muris, propugnaculis, et aggeribus egregi munita: olim urbs sane maxima fuit, et a multis nationibus, propter admodum celebre emporium frequentata. Nunc in angustias redacta est, et arcem tamen munitissimam habet. Habitant in ea praeter indigenas, advenae quam plurimi, qui ex vicinis regionibus eo mercaturae faciendae gratia confluxerunt. Libera quinetiam et magistratibus aliquando legitimis subdita fuit, in patrocinio tamen Sarmatici Regis latuit, et illius partes, ubi bellum aliquod motum est, sine excusatione secuta fuit. Hanc urbem Basilides capere vehementer cupiebat, ipsius



Digitized by Google

potissimum situ, fama, ditionis amplitudine ubertate (qua exercitus sine ditionum suarum detrimento ali ac sustineri possent) opportunitate denique ad signa sua penitius in Lithuaniam inferenda, ceteraque deinceps ex Polocia facilius promptiusque administranda adductus. Itaque in unam proferendi imperii parandaeque victoriae curam intentus, supremas spes in fraudibus et dolis collocat, et ad S. Augustum humanissimas litteras, quibus amicitiam et foedus ipsi offerebat, scribi jubet. Se nimirum omnem contumeliam et dedecus quod a Regis praefectis jam multos annos acceperit, communi concordiae condonaturum, quando non Regis culpa, sed militum et praefectorum contumaci superbia laesus videretur. Cupere igitur se ut Sigismundus legatos confestim mittat, qui sua auctoritate dissidentes Principes tandem concilient, et formam percutiendi foederis afferant; non dubitare se fortuna auspice praeclarum laetumque huic proposito exitum Deos daturos, et votis istis, uti in optima pacis causa recte pieque susceptis secundissime subscripturos. Nec mora, S. Augustus quamquam dubia spe, alacri tamen voluntate Basilidis postulatis satisfacere studet, exploratisque et auditis Procerum sententiis in consilio decernit, pacem cum Moscis colendam esse.

Erat in Basilide cum malarum artium, tum bellicarum etiam rerum peritia singularis, longo usu, et variis utriusque fortunae experimentis comparata: Super haec vigebat in eo summa apud suos auctoritas, et vis imperii ad explicanda finiendaque consilia, magnumque etiam exercitum semper paratum habebat, jamque Polonis ad pacis fiduciam adductis, plane neminem esse putabat, a quo in suscepto ad victoriam cursu impediretur. Igitur ad oppugnandam Polociam statim profectus est, et florentissimas copias, et trecenta fere hominum millia in expeditionem duxit. Oppidum erat tormentis et munitionibus, et magno telorum numero, et militum etiam multitudine instructissimum. Quod cum tormentis ab hoste vehementissime conquassaretur, concurrentibus ad arma feminis etiam et senibus, per multos dies acerrime est dimicatum. Sed Basilides quietem capere non poterat, nisi vicisset; igitur imparatis adhuc hostibus sese confirmandi muniendique spatium nullum dedit, caduceatoresque ad portas misit, qui omnia hostilia Polocis denunciarent, ni propere arce excederent, civibus vero sese dedentibus omnia salva et laeta pollicerentur. Erat in ipso tyranni nomine summa existimatio cum bellicae laudis, tum crudelitatis atque saevitiae, aderantque illi copiae numero et virtute maxime formidandae. Itaque mox incredibili rerum commutatione subsecuta, factum est, ut Pologiensium arma, quae maxime repentinum vehementemque impetum habuerant, in medio conatu deficerent. Cum enim nulla adhuc suorum auxilia accepissent, metuerentque ne quid intestini tumultus oriretur, et hostis etiam miserabili ratione sub urbana aedificia incenderet, parum honesto consilio deditionem facere statuerunt. Moscis enim proprius muro succedentibus, omnem gerendi belli rationem amiserant. Basilides igitur puncto temporis Polocia potitus est, militemque Polonum concessa vita extra fines pepulit, Lithuanos autem et Russos in Moscoviam captivos misit, Judaeos, qui baptismatis fonte intingi nollent, confestim in Dunae aquis submersis, et ex praeda oppidi multo opulentiore quam opinione aviditateque sua conceperat, egregie ditatus est. Quae res non obscuro initio maxima detrimenta Lithuanis peperit; et Sigismundus quidem incredibili dolore est affectus, quod finium suorum propugnaculum fortissimum perdidisset, ita ut omni pristina existimatione spoliatus versutissimo hosti nimium credidisse, et suis nequaquam mature auxilio venisse diceretur. Sed Basilides non tantum capta Polocia regnum suum et vires auxit, verumetiam ad Gothos invictos antea, qui Romam caput mundi cum ingentibus copiis armatorum deleverant, qui omnem Italiam in potestatem redegerant, qui longa saeculorum serie sui juris fuerant, armorum suorum vim et impetum transtulit, eosque funesto bello per integrum biennium divexavit. Uterque Principum in id belli discrimen periculosa prefectorum contentione pertractus est. Nam quae in finibus Gothorum Moscorumque praesidia erant, omnes pariter in eam maxime curam excubabant, ut suos limites aliqua novi belli exorta occasione quam longissime extenderent, ideoque mutuis invicem caedibus grassabantur, in quibus saepe victor Gothus fuit, temeritatemque virtus aequavit: saepe etiam inclinata proelii fortuna Moscis victoria cessit. Nec multo post cum ipsi Principes civium causa, uti predicabant, arma sumpsissent, repente bellum exarsit valde atrox et cruentum, in quo multum humani sanguinis fusum est. Moscus cum ducentos equitum millibus in Gothorum

Digitized by Google

ditionem longe lateque progressus, Viburgum usque pervenit, atque id oppidum maximo tormentorum apparatu per aliquot dies vehementissime verberavit. Econtra Gothorum Rex Gustavus ab excelso ingenio bellicae laudis appetentissimus, insignibusque fortissimarum legionum et Germanorum auxiliis subnixus, omnium suorum et Procerum maxime hortatu trans sinum Alandicum cum exercitu instructissimo in Fennoniam contendit. Dictitabant enim eum cuncta, quae concupisset, facillime consecuturum, et quas vellet impositurum leges Moscis, si perterritis et in peregrina regione versantibus illis victoria uti vellet. Erant enim Mosci a patrio solo longissime remoti, et ab immani tyrannide cunctis mortalibus invisi, ideoque in itinere facile opprimi poterant, et Gothi deletis illis ad veterem atque legitimam finium possessionem ita tandem redituri videbantur. His de causis Gothicus Rex ad promovenda arma concitatus raptato exercitu summa celeritate ad hostem profectus est. Mosci ea de re per internuntios certiores facti, ut animum gravissimi periculi metu liberarent, necessitati cessere, matureque retrocedentes obsidionem solvere, non obscure indicantes eam infamiae notam, quam tunc summo cum dolore animi subibant, aliquando in meliore rerum fortuna posse resarciri, si vim imminentis tempestatis non omnino oppressi effugissent, et nolebant alioqui milite Gothico armorumque impetu sibi eripi Viburgum, quod captum etiam praesidio tueri commodo nequirent.

In reditu tamen conjectis in pagos et villas ignibus, agros etiam miserabilem in modum concremarunt, abducta, et magna captivorum multitudine. Eos magnis itinerum rerumque omnium superatis difficultatibus Gothi Kexholmum et Nettenburgum usque insecuti sunt, partimque confixos sagittis, partim tormentorum pilis discerptos a fronte et lateribus longe lateque straverunt, certatumque est majoribus quam unquam antea odiis, viribus vero longe maximis. Nam pro gloria, pro salute, pro totius insulae imperio remotissimae utrinque gentes excitae, ad cnatum repente bellum summa festinatione concurrerant. Moscos etiam in reditu non paucos mare absorbsit. Quippe glacies tanti exercitus pondere rupta insperatum barbaris exitium attulit. Nec multo post gravissimo isti bello finis est impositus, et de auctoribus tumultuum acerbissime supplicium sumtum. Basilides autem ab ultima barbarie ex silvarum latebris egressus cum ad oceanum usque Balticum late omnia in potestatem redegisset, Tartarorumque Casanensium et Astracanorum regna sibi uni parere coëgisset, contudissetque Lithuanorum ac Gothorum arma, ob potentiam suam finitimis undique subactis in immensum excrescentem, maximeque formidandam factus insolentior, et tantarum rerum admiratione captus, tunc primum luxuriosa convivia, et magnificenciam epularum sectari: tunc virgines peregrinae nationis diligere, ob formae pulcritudinem coepit. Cumque ab aulicis quibusdam Alexandri Macedonis titulo per adulationem salutatus fuisset, mirum in modum animo contumuit, statimque non regio, sed hostili odio saevire in suos coepit. Bella civium causa suscipi solent, multoque vigilantius est de civium salute, quam de hostium interitu bono Principi cogitandum. Sed tyrannus diversa ratione usus, cum hostem non haberet, cives suos bello ita divexare coepit, quasi ignominia inexpiabili ab illis fuisset affectus, nec omnino pacatam vitam degere posset, nisi eos vita, salute, liberis, conjugibus, fortunisque omnibus spoliavisset. Maxime indignabatur carpi sermonibus suorum patris Basilii patriaeque mores subvertisse. Propter quae convitia Demetrius Occininus, dignitate Principi proximus, de insonte prius quaestionibus habitis, est interfectus, quod scilicet poculum de manu Principis acceptum uno haustu non ebibisset, et Principis Majestatem contemnere esset visus. Ob cujus praestantis viri interitum fremere omnes universa aula coepere, innoxii senis casum miserantes, interdum se quoque non debere melius sperare, dicentes. Quae cum nunciata Basilidi essent, verens, ne haec opinio etiam apud alios divulgaretur, et ne victoriae gloria saevitiae macula obfuscaretur, simulat se monasticae vitae latebras ingressurum, aut etiam tota regione excessurum, atque ita imperii administratione magnatibus commendata, cum duobus filiis, cum penatibus et templorum ornatu abitum parat, monet omnes, ut patriae commoda sibi commendata habeant, videantque, ne quid Respublica detrimenti accipiat. Quum haec monuisset Slobodam profectus est, Leone Solicovio, Ivano Schoboto, Ivane Vesenicio aliisque primariis aliquot viris comitatus, quos paulo post vestibus exutos nudosque in Moscoviam civitatem remisit, illisque ad Principem sacrorum, quem Metropolitam appellant, literas dedit, quibus



Digitized by Google

significabat, se in ultimas terrarum suarum provincias abiturum, nec unquam in conspectum illorum hominum et proditorum reverserum, qui Principem quaerant, cui imperent, et quem cum vita fortunisque omnibus eversum velint. Consternatis ad eum nuntium populis omnibus, decernitur in concilio, rogandum esse Principem, ut ad imperii gubernacula revertatur, nec deserat patriam et cives suos. Missi itaque fuere Archipraesul Novogardensis, Episcopus item Susdaliensis, Abbas Trojecensis, in quorum comitatu erant Cnes Ivanus Bielscius, de quo inferius dicetur, Cnes Ivanus Metiszelovius, annulli regii custos, Ivanus Viscovatus, et Andreas Basilius, eos omnes in conspectum suum admissos gravi habita oratione acerbissime objurgavit, proditionem et perfidiam eis objectans, et vix tandem magnis supplicationibus est adductus, ut ad regni clavum reverteretur, quod nequaquam se facturum affirmabat, nisi prius jurejurando cives iterum sese obstrinxissent, se Principis dicto nunquam repugnaturos. Legatis publico omnium ordinum ac subditorum consensu obsequium promittentibus, reversus est in urbem Basilides, insigni cum laetitia civium, qui se magno metu magnoque pericolo liberatos opinabantur. Ibi firmissimo duorum millium scloppetariorum praesidio munitus, nequaquam ad publicam salutem et laudem cogitationes convertit, sed cognito de se singulorum judicio, in unam cohortem eos, qui de Principe durius opinati fuerant, contribuit, aut consumturus eos, aut in ultimas terras relegaturus. Jamque facto sibi ad manifestam tyrannidem aditu crudelem admodum adversus subditos carnificinam exercuit, per summorum atque infimorum capita pro arbitrio suo grassatus.

Rostoviae Principem in fano dicendis precibus intentum catenis vinciri jussit, eumque capite truncatum in Volgae undis submersit: deinde familiam innoxii aggressus, homines centum acerbissimis suppliciis de medio sustulit. Eo etiam tempore, quo S. Augustus in campis Radoscoviensibus cum exercitu fuit, Palatinum totius Russiae supremum Ivanum Petrovicium falsis testibus proditionis insimulatum, ad sese in Moscoviam evocavit, qui simul ac comparuisset, regia purpura indutus, sceptrumque ac diadema sumere jussus, tandem sublime in solio gemens tremensque collocatus est. Ad cum conversus Basilides, salve, inquit, invictissime Russorum Caesar, en ego te ad illud eximium regiae dignitatis fastigium, quod tantopere affectasti, nunc tandem magnifice evexi, sed non regnabis diu, nec plura prolocutus, miserum senem acutissimo telo statim transfixit, tum vero Principis satellites occisi cadaver miserabilem in modum ferro laceraverunt: nec aliquid hominum pecudumve in familia illius fuit, quod non consumeretur. Homines enim trecentos ligneis septis inclusos et substrato tormentario pulvere Basilides combussit. Uxorem gravidam, et innuptas aliquot puellas moriens reliquerat, quas satellites ad stuprum prius raptas, membratim discerpserunt. Nec sane Caesarini Dubrovii, qui annulum regium custodiebat, melior fortuna fuit. Ille indiligentiae accusatus, quasi in Livoniensi quadam expeditione tormenta bellica tardius promovisset, mortis propterea sententiam subiit, et cum duobus filiis crudelissime est interfectus. Majorem natu carnifices quatuor rotis fibula connexis alligatum in quatuor partes discerpserunt: ita ut Basilides ovantis similis carnificum diligentiam admiraretur, et effuse rideret, assentante etiam omni circumstantium multitudine. Nec enim cuiquam vel gestu vel nutu egregia Principis facta improbare licebat, nisi eandem forte calamitatem experiri vellet. Nam et coryceos et sycophantas alebat, qui etiam apud feminas, quid de Principe loquerentur, studiose inquirebant. Si quae autem per linguae vitium aut indignationem Principis mores carpsisset, statim ad aulam pertracta vitiataque suspendebatur. Nonnullas ita exceptas supra mensas virorum, in quibus prandebant coenabantque, suspendi jussit, et foetentia jam cadavera ut defodere liceret, id vix magnis supplicationibus impetrari poterat; nec viris etiam, dum uxores ibi penderent, ullo alio in loco cibum capere licebat, si deprehensi fuissent, multo foediori mortis genere occidebantur. Per provincias iter faciens, si quas in via nobiles matronas offendisset, eas vestibus spoliatas mediis in nivibus tamdiu nudas consistere cogebat, donec cum omni comitatu aulico praeteriisset. Suorum enim oculos tali spectaculo perlubenter et cupidissime pascebat.

His indignitatibus commoti coivere anno sexagesimo septimo praecipuae nobilitatis civis lacrimis eum deprecantes, ut finem tandem tyrannidis faceret, aliquando clementiae pietatisque meminisset, respiceret subditorum animos, qui talibus factis ostenderentur: osteni-

Digitized by Google

dere alius caniciem, alius vulnera, alius aetate consumtum corpus, cicatricibus exhaustum. Solos se esse, qui Principum dicto semper obedientes fuerint: tandem orare, ut innocentibus saltem vitam donet: at si non subditis, vel ipse sibi parcat, ne fortunam suam civibus interfectis subvertat. Hae tam justae preces petentibus exitio fuere. Siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti. Ceteri fere tyranni cum humanum sanguinem sitiunt, non tam subditis, quam hostibus terribiles esse solent.

Basilides autem jucundissimo voluptatis sensu fruebatur, quum per innoxia suorum capita, fame, flamma, et ferro grassatus esset. Quippe cum levi suspicione adductus Novogardenses, Plescovienses, Tverenses, item et Narvenses dolis, perfidia, subtilioribusque insidiis contrucidare nequivisset, id vera vi ac aperto demum bello perficere conatus est. Acri enim impetu in Novogardensem agrum provectus, priusquam rumor ad civitatem pervolare posset, aliquot castella tormentis cepit, magnas undique pecoris et hominum praedas egit, totumque eum tractum villarum, colonorumque frequentia insignem, bellico terrore complevit. Interea praemissae ad civitatem delectae, carnificum copiae pervenere, conductusque est Malutus quidam Scuratovius, qui satellites Principis imperio continebat, ut civibus omne effugium intercluderet, et obvia quaeque caederet, fugaret, raperet: ne saevi ac immitissimi Principis, qui plerosque regni magnates variis suspicionibus inductos enecavisset, sanguinarias manus ulla ratione effugere possent. At ejus adventus fama, sicut insontium animos metu perculit: ita ipsam civitatem indicibili calamitate replevit. Et cives quidem eo tumultu deposita in praesens vitae spe, ante aras animos delictis expiarunt, ut quod erat futurum praevidentes, inplacabilem scilicet saevissimi tyranni feritatem nullis fletibus vel lacrimis cessuram. Malutus vir militaris, et Basilidi fidus, manuque ac ingenio promtus, patrandae caedis negotium susceperat. Cum illo Tartari Novogardiam opinione celerius perveniunt, eo etiam mittitur Ivanus major natu tyranni filius, ut si qui dubii ac timidiores forent, ob ejus praesentiam majore demum fiducia ad maturandam caedem inducerentur.

Proinde omnibus sicariis atque nobilibus, et amicorum clientumque praecipuis scelerato consilio adhibitis, in ipsa meridiei luce facinus patrare constituunt. Id vero temporis momentum pro tessera ad stringendas sicas cunctis est datum, quo mediis in sacris Eucharistia populo ostenderetur. Cum ad caedes ventum est, nulli sexui aut aetati satellites pepercerunt: homines et pecora membratim discerpta, stupris foedatae virgines, hastis infantes transfixi, ipsaque civitatis aedificia igni injecto, stupendum in modum flammis absumta conciderunt. Septingentae feminae cum infelicibus liberis in Volchovo amne submersae sunt, quae velut extremum allocuturae patrios Deos, non impetrata a carnificibus orandi venia indignissimis exceptae sunt contumeliis, quasi Principis mandatum majestatemque contemsissent, statimque in profluentem cum infantibus detrusae. Primarii cives e fenestris suspensi laqueis praecipitabantur. Sed et senatores eorumque satellites curia inclusi apparitoribus strenue operam navantibus jugulabantur. Nihil atrocius eo spectaculo fuit, nam cum frequentes curiae fenestrae de ligandis capistris non sufficerent, ut sequentium supplicii expeditior locus foret, laquei ante dejectorum ac morientium praecidebantur, ita ut Basilides supremo loco occisorum cadavera iratis lictoribus, uncis trahenda, ac in flumen praecipitanda relinqueret. Sacerdotes ad aras confugerant, sed hic simili fato et fortuna occubuerunt. Crudeles enim carnifices nullae hominum preces, nulla religionis verecundia, nullus denique sacrorum respectus a concepto nefario scelere retardare potuit. Illorum autem ex numero, qui strictis acinacibus ante aras petebantur, supremae dignitatis Antistes conservatus est. Is ut aliquo tamen beneficio Principis irati animum mitigaret, eundem ad convivia et epulas domis suae invitavit. Basilides hominem aditurus suis praecepit, ut inter prandendum trucidatis reliquis sacerdotibus, omnia templa opibus et ornamentis spoliarent. Nec mora, satellites incredibili studio ac celeritate arma capiunt, omnisque aetatis ac sexus hominum fit longe tumultuosissimus concursus, latrones monachorum domos diripiunt, virosque sacratos persequuntur, alios trucidant, alios vivos ad supplicium in curiam perducunt. Jamque adeo amarum et triste reddiderat convivium illud Basilidos, ut non armatus in acie, quam inter epulas sedens terribilior esset. Statim enim praesulem, ad quem officii specie venerat, veste, pecunia, fortunisque omnibus exuit, illique pro cibis exhibitis funera rem-

Digitized by Google

sit; defuncta forte illius uxor erat, quod cum Basilides intellexisset, equa ad eum adducta, hanc, inquit, concubinam deinceps habebis, venerande praesul; ad nuptias autem collegae tui symbola conferent. Cum haec dixisset, sacerdotum et templorum pecunias adhibitis tormentis investigavit, ipsumque Episcopum noxiorum habitu ad ignominiam equae impositum, per urbem circumduci sub voce praeconis, et demum jugulari jussit. In tanta foedissimorum suppliciorum contumeliarumque licentia caesi sunt homines bis mille, septingenti, et septuaginta, si ignobiliorem hominum turbam excipias, quam septis ligneis inclusam ipse tyrannus adactis in terga jacentium calcaribus in profundissimo luto miserrime depressit et occidit. Quae res cum vicinis nunciata esset, moesta Moscovia fuit, omnia ululatibus, non secus ac si tota regio capta esset, personabant: clausae privatae domus, clausa templa, intermissa omnia sacra, omnia privata officia damnata. Post tyranni discessum, exsules deinde Novogrodenses ad portam congregantur, egredientesque paucos, qui clade superfuerant, de suis percontantur; ut vero dubia ante spe et suspenso metu, incerta orbitatis exspectatione casus suorum miseris illuxit, tunc toto oppido plangentium gemitus, tunc infelicium matrum ululatus, et querelae flebiles audiebantur. Inter haec procedunt inopes e latebris suis cives alii, sordida servilique toga discincti, ad quorum conspectum plangentium agmina junguntur. Illi omnes manus ad coelum tendentes, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflent. Porro ad alias longe gravissimas calamitates aliud fortunae ludibrium accessit. Nam et pestilentia valde atrox et repentina, vulgatis minimo contactu morbis, cumulatisque subinde multorum funeribus civitatem vastabat. Ea res tantas convehendae annonae difficultates attulit, ut homines egeni et jam vix spirantes, caesorum cadavera non tantum coquerent, sed et humanis carnibus tanquam delicatissimis epulis vescerentur. Quod factum simul ac ad Basilidem est delatum, miseros istos in frusta discerpi, inque flumen abjici jussit. Novogrodensibus ad eum modum castigatis, eversoque totius civitatis decore, grave otium latronibus suis, periculosamque desidiam tanti exercitus ratus, copias in Narviam traduxit, simul ut militum animi continua feritate acuerentur, et ceteri parcs experirentur calamitates. Prima illi pugna cum Novogrodensium bonis, quae apud Narvense deposita servabantur, fuit, quibus direptis, homines innoxios aggreditur, omnesque oppidi cives hostes sibi destinat. Quid nunc eversa templa dicam? quid caesos peregrinos? qui ex variis nationibus huc confluxerant. Iam senes, pueri, matronae, virgines, nonne Principis furore deletae sunt? quid incensas domos civitatis? quid stupra rapinasque? quid ejulatus hominum? quid infantes miseros, quos in servitutem abductos, necatosque crudeliter accepimus? discedentes parvuli flebili ululatu amplexi patrem tenebant: ex altera parte uxor maritum non amplius visura oculis fatigabat: nec minus senum lacrimae miserabiles erant. Hi in spem generis susceptos nepotes rapi in servitutem dolebant: illi paulo post moriturum patrem et avum flebant. Inter haec civitas omnis adsistentium fletibus tam crudelis lanienae resonabat. Tandem lacrimis finem necessitas profectionis imposuit. Post haec Basilides Plescoviam ingressus, multum quidem de pristina ira atque odio adversus supplices remisit: ita tamen, ut vim exulcerati animi in irroganda poena prorsus ostenderet: cum omnia, quocunque ingrederetur, prosterneret, villas, domos, castellaque incenderet. Tandem veluti Reipublicae statum reformaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet, contractoque in curia senatu, quasi quaedam prius ordinaturus, statim immissis militibus populum obsidet, senatum trucidat: cujus peracta caede, ex plebe locupletissimos, et praestantissimos quosque interficit. Iis ita gestis iterum exercitum ordinat, quo instructius finitimas civitates, nihil hostile metuentes, ex improviso aggreditur, nec unius aut duarum urbium vastatione tantus exercitus teneretur. Jamque ad Tverenses delatus, solitam ibi saevitiam exercet, primores civitatis in vincula conjicit, conjugesque illorum ad stuprum rapit, virgines ante nuptias vitiatas sponsis obtrudit, ditiores aut civitate pellit, aut occidi imperat, bonaque eorum invadit, ornamenta matronarum in suam praedam vertit. Quarundam maritos interficit, quasdam ad prodendas virorum pecunias torquet: utque gravior crudeliorque indies suis esset, iterata caede a multitudine ad privatos furorem convertit: aulaeque secretarium, quem multos annos magnopere dilexerat, et qui cum de rebus etiam maximis consultare erat solitus, occidit. Ophanasius is erat Levenicus, Prin-

Digitized by Google

cipi ita carus, ut de ipsius manu medicas potiones frequentius acciperet ebiberetque. Jam infidelitatis accusatus, quasi Tverenses de futura calamitate praemonuisset, capitur, virgisque caesus, et corpore diverberato, manibusque et cruribus fractis, velut a singulis membris poenae exigerentur, in conspectu populi jugulatur, corpus in palo figitur. Filii quoque illius et propinqui omnes supplicio traduntur, ne quisquam ad imitandum facinus ex tam nefaria domo superesset. In urbem deinde Moscoviam reversus, iisdemque consiliis intentus, iterum servitia concitat, statutaque Carlium die, decem et octo furcas, totidemque cruces in foro erigi jubet. Afferuntur deinde diversissima torquendis hominibus excogitata instrumenta, ignisque excitatur, et vasa aenea calidissimas undas ebullientia apponuntur. Quibus rebus cum universis terrorem maximum injecisset, ipse cum delecta carnificum manu in publicum advolat, et vicina circum loca armatis custodibus occupat, ut expeditior trucidandis hominibus locus foret. Concepto autem sceleri sacrorum diem legit, ut religionis specie nefanda committeret, commissaque facilius tegeret. Mox plebi epulas in publicis porticibus, senatui in curia parat, ut poculis veneno infectis secretius senatum, et sine arbitris interficeret, orbamque civitatem expeditius vastaret. Nemine autem prodeunte: ipse equo per compita circumvectus cives praesenti esse animo jubet, invidiamque praeteritorum lenitate praesentium demere studet. Inter has tamen dissimulationis artes diu sine fide fuit, cum aut a timentibus non libenter videretur, aut a non timentibus tanquam carnifex crudelissimus vitaretur. Augebant etiam metum, et Novogrodia capta, et Plescovia direpta, et Tverenses caesi, et crudelitas Principis, apud quem nec injustitia, nec sanguinis humani cupiditas ullo modo terminabantur. Mittitur tandem ad explorandos ejus animos delectus seniorum numerus, illi revertentes cum bonam clementiae spem cunctis attulissent, vulgus in publicum prodire coepit, cumque concursus multitudinis factus esset, Basilides in concionem descendens, vobis, inquit, faustissima dies illuxit o cives, mortis enim sententiam in vos antea latam hoc quidem momento abolere statui: et istum tamen proditorum meorum manipulum diuis suppliciis cruciabo. Eum sermonem ad favorem popularium conciliandum intenderat, excusatius facturus, quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Igitur ducentos e carcere dimittit, concessaque miseris impunitate quibuscunque delinimentis potest, animos circumstantium sollicitat. Tum ad destinatum facinus conversus, non consiliarios tantum, sed ipsum etiam fratrem et cognatos interficit, ut quibus consortium Regni debebat, ne spiritus quidem consortii relinqueretur. Inter primos autem in theatrum producitur Ruthenicae gentis orator, vir solertia facundiaque praeter ceteros insignis, Joannes Michael Viscovatus. Ad hunc Malutus carnificum Princeps, et in omne facinus promtus, accurrens, morieris, inquit, Viscovati, bis tyrannidem affectasti: bis evocasti in Moscoviam Tartaros, bis Turcarum Caesari Casanenses prodere voluisti, sed fraudis haud laetus eventus erit. Mox ad circumstantes conversus, hunc, ait, patibulo suffigite, o commilitones, ut idem locus monumentum suppliciorum ejus sit, qui ornamentum antea fuit honoris. Sed Viscovatus magno animo Principis crudelitatem tulit, adeo ut de summa cruce veluti de tribunali in ejus scelera concionaretur: objectans illi nunc proceres falsa affectati Regni invidia circumventos: nunc civium innoxiorum mortes, nunc in cognatos suos tacita suffragia, quod germanum fratrem in carcerem compingere, quam servare maluisset. Haec cum in maxima populi concione vociferatus esset, non tandem a singulis membris poenae exactae sunt, sed et ex secretariis quidam ut Principi singulari aliquo facinore diligentiam probaret, naturalia Viscovato praecidit, quo ex vulnere statim ille expiravit. Tum Basilides ad scribam conversus, et tu, inquit, nefandissimae conspirationis es conscius, proditori enim meo fatum maturasti, aut igitur devora, quod abscidisti, aut simile supplicium exspecta. Ille versam in se invidiam temere commissi facti videns, quum ad tormentorum gravitatem expalluisset, pudenda Viscovati integra comedit et servatus est. Postea uxor miseri omnibus rebus exspoliata, in carcere recluditur, filius in exilium agitur, ad stuprum virgines diripiuntur. Eodem momento easdem ad furcas aerarii magister pertrahitur, quem calidis algentibusque per vices undis perfusum inter stupendos cruciatus occidit. Post hunc Principis cocus membratim discerpitur, et simul ducenti e carcere nobiles viri in campum adducuntur, qui cum sese graviter et summa cum modestia purgare vellent, signo repente tympanis dato

Digitized by Google

impediuntur, tumultuarioque succlamantis turbae judicio damnati crudelissime trucidantur. Tanta vero strages fuit, ut diaboli ipsi pariter cum tyranno consensisse in excidium innoxiorum viderentur? Nam et tanta rabies feros militum animos invaserat, ut non parcerent aetati, cui etiam immanissimi hostes pepercissent, bellumque internecinum cum infantibus parvulis, parvulorumque matribus gererent, pro quibus bella suscipi solent. Itaque quasi scelere victoriam insignem redemissent, sicuti erant cruenti ex recenti miserorum caede ad tyrannum accessere, cupide quidem expectantes, si quod amplius paratis facinus imperare vellet. Nam observantibus adhuc ante oculos caesorum cadaveribus, nova parricidia animis agitabant. Hanc tam saevam dominationem stupentibus cunctis, centum et quinquaginta nobiles viri de capessenda in Poloniam fuga consultare coeperunt. Sed consciorum garrulitate proditi, omnesque profundissimis paludibus immersi infelicis consilii poenas dederunt, occisis deinde in gremiis matrum parvulis eorum liberis. Ad eum modum Basilides externo metu liberatus, impium et facinorosum animum ad domestica scelera convertit, insidiasque fratri suo Georgio instruit, quibus, et ipsum vita, et uxorem ejus omnium bonorum possessione privavit. Primus ei dolus fuit falsis testibus innoxium proditionis insimulare. Aliter enim ad ejus bona, quibus inhiabat, quam excogitatis fraudibus pervenire non poterat: et nota quidem Basilidis scelerata voluntas fratri erat. Itaque domi suae latebras quaerens, feritatem ejus successu felicitatis incensam declinare studebat. Pulcritudo ei corporis insignis, vires quoque in homine admirabiles fuere. In alloquio blandus, in negotio justus, in gustu severus erat, prorsus ut nihil ei Regium deesse videretur, praeter Regnum. Ad postremum sycophanta quidam subornatur, qui absentem accuset, quasi audacius fratrem et Principem esset calumniatus, quasi cives ad movendam seditionem excitare, et tyrannidem invadere voluisset. Mittuntur igitur, qui hominem ad dicendam causam accersant. Is sicarios adventantes conspicatus, ad trepidantem conjugem in coenaculum confugit. Ibi vero uxor pro marito se saepius percussoribus obtulit, vulneraque excipere, quae marito intentabantur, voluit. Sed cum nihil proficeret, spoliata etiam thalami socio, scissa veste, et crinibus sparsis hanc calamitatem deploravit. Ipse Georgius, cum captivitatis cura, et vulnerum multitudo graviores essent, et inter se, et alterum alterius malo cresceret, desperata vita, uxorem suam cum omni pecunia et familia, regalique instrumento in latebras dimittit, timens ne praedonem fratrem pateretur: quamquam uxor diu, ne ab eo divelleretur, deprecata est: nubendo se omnis fortuna societatem inisse dicens. Vix in conspectum fratris venerat, cum advocati carnifices catenis vinctum torquere coeperunt, quos indignos ille, quibus quidquam confiteretur, judicavit: petiit tamen, ut extremum sibi alloqui circumstantes liceret, jussus ab universis dicere facto silentio, laxatisque vinculis prolatam manum, sicut erat catenatus, ostendit: cernite milites, inquit, habitum atque ornamenta Ducis vestri, quae non hostium quisquam imposuit. Nam hoc etiam ornamento foret, vos me ex Principe captivum, vos me ex dominum servum fecistis, et tamen ante non paucis a me beneficiis affecti estis, et ista mitto (nec enim miseris convitia prosunt) unum oro, si propositorum Basilidis in meo capite summa consistit, si meum sanguinem sitit, jam nunc statim vos me velitis mori. Nam neque illius interest, quomodo aut ubi cadam, et ego fuero ignominia tormentorum liberatus. Aut si vos pudet roganti manus afferre, ferrum huc date, et permittite, quod vos facturos Principi jurastis. Cum non obtineret, preces in iram vertit: At vos, ait, scelerata capita respiciat Deus injuriarum vindex, talemque vobis vitae exitum det, qualem vos hominibus innoxiis hactenus dedistis. Nempe vos jam ante et civium sanguine estis aspersi, et in magnates eadem moliti. Ultima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico, ut inopes extorresque omne aevum in exsilio agatis, devorentque vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium subditos absumsistis. Plenus deinde irae carnifices caedem maturare jubet; confestimque missi satellites fuere, qui eum confoderent, non refugientem gladium, nec securos, nec vulnera, aut muliebriter vociferantem, sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiae succumbentem. Haec cum uxori ejus nunciata essent, diffisa tyranni ingenio latebras quaesivit. Proficiscenti ancillae duae, plurimaeque nobilium matronae, speciosus magis quam utilis grex comites fuere. Ea cum diu quaesita inveniretur, pacta salute se dedidit:

Digitized by Google

Basilides tamen contra jurisjurandi religionem eam occidendam decrevit. Igitur infelix femina ubi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali duabus ancillis innixa, ultro obviam processit. Mox per platearum regiones raptata, ad extremum interfecta, et in flumen abjecta est. Peractis tot caedibus Basilides ad statas solennesque ceremonias et patriam religionem animum appulit, Diisque immortalibus tot perjuria, et tam cruenta parricidia vindicaturis supplicare constituit, et eo quidem die, qui vati Eliae sacer est, multis horis a templo non discessit, remque ipse divinam tamquam Pontifex aliquis Maximus fecit, adeo ut scrupulosa cura parvula quoque momenta patriae religionis examinare videretur. Sed tamen divinae potentiae nequaquam bene, atque constanter, uti praeferebat, famulatus est: animoque sanguini humano propior, quam Christianae caritati, paucis interjectis diebus ad solitam et immanissimam crudelitatem est reversus. Erat apud Russos Petrus Serebrinus, vir et manu strenuus, et concionibus perfacundus, eum apud se delatum, et ex fuga retractum, carnificique traditum avidis oculis in frusta dissectum spectare sustinuit, pedes ejus et caput et manus linteo velamine opertos pro munere Regio uxori misit. Nec adversus Petrum Bicovium, equitem Polonum mitior fuit, cujus caput abscissum suis manibus inter epulas per summam animi, ac verborum insolentiam aliquandiu tenuit, clarissimique et viri, et bellatoris sanguine contaminari mensae sacra passus est. Quam porro crudeliter se in Alberto Beso Silesio gessit? quem ex foedissimo carcere extractum, non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, et singulas corporis partes confringeret. Eodem tempore ingentem hominum captivorum multitudinem crudelissime trucidavit. Vix enim Polonorum legati ex Moscovia abierant, cum laxatis nexorum vinculis, paria fratrum et propinquorum jungens, miseros ferro decertare coëgit, neque ante sanguine expletus est, quam ad unum victorem omnes redegisset. Id quoque inexplebilis feritatis indicium est, quod carceris magistros, qui ne tot supplicia videre cogerentur, fugae se mandaverant, retractos continuo ibi mactavit, novus punitor misericordiae, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. Cum paucis diebus tot crudelitatis exercitia absolvisset, Dei indulgentia rem successisse ratus, thura deinde adolevit, genioque largissime indulsit. Sed transgrediendum est ad alia ejus facinora, quibus par dolor inest.

Cum Orlonem aedificaret, operarios non veneno, non ferro, non ulla vi, sed inopia alimentorum necare statuit. Illi ut crudelem mortis rationem crudelissimo facto propulsarent, de suo numero septem vivos homines mactarunt, eorum carnibus contra famem usi tormenti certe genus indignum passis, auctore dignissimum. Ceteri qui humanas carnes comedere non poterant, ad durissimae famis necessitatem vitulum forte fortuna oblatum occidere. Quod factum uti Moscis ominosum est, ita omnibus exitio fuit. Nam Principis jussu propter id facinus vivi combusti sunt, et cineres in praeterfluentem sparsi. Scribas in aula plurimos habet tyrannus. Eorum ex numero quidam lupum aliquando piscem emerat, accusatus propterea quasi ipso Principe splendidius epularetur, in carcerem deductus, et paulo post in flumine Moscua submersus est. Moriturum affatus Basilides I, inquit, et apud inferos piscare, assuetisque delitiis enervem animum satis. In arce Alexandrovia nunquam jucunde rebus divinis vacuit, nisi peracto prandio quotidie homines viginti septem et plures jugulasset. Hic cum Principe quidam praecipuae dignitatis consiliarius erat, qui domi in convivio sedens puerum suum amandaverat eumque idonea redeundi in aulam tempora jus serat observare, ministeria enim Principi debita nequaquam cunctando negligere volebat. Basilides puerum ad ostium conspicatus, cur venerit, et quem exspectet, interrogat. Ille cum heri mandatum sui aperuisset, mittuntur illico satellites, qui hominem cum omni familia in aulam perducant. Telatovius ingenti semper spiritu adversae fortunae obviam ire assuetus, metuque vacuus ad Principem cum suis venit. Ibi Basilides ad circumstantes gravi habita oratione queritur suam clementiam, liberalitatem et humanitatem acerbissimis injuriis remunerari: et quod esset inauditum, parari sibi nefario proposito a senatoribus suis insidias, scelestique ejus consilii aliquos esse conscios, quibus vitam et sanguinem suum hactenus crediderit. Tacentibus prae consternatione viris Basilides ad Telatovium ejusque socios conversus. Vos, ait, vitae meae insidias struitis, et hanc ad stringendos gladios horam designastis, quam puer iste certo indicio vobis significaturus erat. Sed pertinax Deorum indulgentia pro mea salute excubuit, qui et hanc

Digitized by Google

perfidiam vestra in capita convertent. Telatovius econtra longa excusatione usus, cum non audiretur, tandem flebili quiritatu veniam rogavit, sed omnino frustra. Quippe Basilides oblatam sibi iterum exercendae crudelitatis praeclaram occasionem ratus, statim eos in subterraneos carceres tenebris ac odore tetro maxime horribiles separatim detrusit, eductosque post non multos dies magna supplicii acerbitate trucidavit: ea potissimum de causa, ut alios truculento exemplo territos, validius in fide contineret.

Quum enim animadverteret, quanto sui odio Moscovia teneretur, timori remedium scelere petivit, ut eo tutius plebe trucidata regnaret. Jacuere sine honore sepulturae per septem dies cadavera, partim canum morsu laniata, partim etiam hiemis et tempestatis vitio confecta. Sed quod sequitur majoris impudentiae genus est, nec ferendum ullo modo Socerum suum, ingenuae stirpis virum, Michaelem Temrucovium, ad epulas frequentius invitatum saepe fustuario subjecit: saepe eum veste exsutum inter medias nives ad suos nudum remisit, saepe eundem torsit, et pecuniam prodere jussit. Nec domum reversus unquam tutior fuit. Ibi enim tamquam in carcere conclusus, nonnunquam alimentorum inopia fere ad laqueum redactus est, cum Basilidis jussu quatuor stupendae magnitudinis ursi ad aedium limen deligati cibum allaturos ab ingressu arcerent. Eas quoque bestias in densissimam hominum turbam immittere solebat, eo praesertim tempore, cum populus ad templa proficisceretur. Tum si quis repentinis illarum incursibus oppressus exstitisset, facetiis homicidia circumscribens, suos filios ex eo spectaculo non parvam voluptatem percepisse dicebat. Eos igitur beatos reputandos esse, quos Magni Ducis ferae prostratos occiderint, praesertim cum ipse etiam eo certaminis genere flagranter sit oblectatus. In miseram deinde plorantium viduarum turbam nummos aliquot argenteos dispergens, ipsa occisorum cadavera, denegato sepulturae honore, vulneribusque confecta aulicis et ministris suis spectanda in arcis area poni jubebat.

Porro nemo apud truculentissimum hominem vel silentio tutior, vel sermone fuit acceptior. Quandocunque illi libuit, quoscunque spiritu carere jussit, somniorum etiam dirus interpres. Vir erat apud Russos summo loco natus, Casarinus scilicet Vlodimirus, is cum indemnatus foedissimo carcere teneretur, fraude se evasurum sperans, fabulam cominiscitur, et rem se magnam Basilidi indicaturum dicit: ad hunc illico perductus, qui rei sit, jubetur dicere. Tum ille: animo in somnum profuso, per loca deserta, et invias regiones vagantem Polonorum Regem obviam habui, cumque interrogarem, quid ita tam tristi vultu incerto itinere ferretur? Respondit ille: durissime mihi et inexpectato fato pereundum est, et usque ad vitae excitum latebrae mutandae: tandem tamen Moscorum Princeps me capiet, summaque meum in Regnum auctoritate et potentia utetur. Tibi igitur invinctissime Caesar, novam ego Majestatem et supremum Sarmatici Regni fastigium eo somnio portendi opinor.

Audito sermone Basilides hominem carnificibus cruciandum tradidit, ut tormentis totius consilii veritatem exprimeret. Fare, ait, o sceleste, quam tandem ob causam inanem fabulam excogitaveris, et quis Jupiter in quiete hoc tibi praeceperit. Scimus enim, quod Dii nequaquam miseros homines alloquio suo dignentur. Ibi Vlodimirus cum dolum pernegare non posset ob cruciatuum gravitatem, et cuncta faceretur, Basilides ad eum conversus, jam inquit, satis magnam inventi mendacii poenam pependisti, ad consuetam igitur habitationem nunc revertere, donec magnae admirationis somnio eventus respondeat, tum nimirum et honoris excellentia et opibus facile mei senatus Princeps eris, nec te perpessae calamitatis unquam poenitebit. Ita Basilides, quem vituperare nemo satis digne potest, confictis criminibus insontes cives suos tamquam nocturnos fures incredibili acerbitate atque saevitia violavit, non contentus in eos saevire, qui fraudibus et insidiis a se dissenserant, etiam quieti animi homines proscriptorum numero adjecit. Persaepe etiam a suppliciis parum perferiatus, sannionibus cucullatis, et facetissimis helluonibus operam dedit, et quidem mirus artifex fuit hominibus jam aetate gravibus ad insaniam impellendis. Quibus adeo flagranter oblectabatur, ut laudando et mira eis persuadendo, donandoque plures ex stolidis stultissimos et maxime ridiculos faceret. Ii certis diebus cum genio liberius esset indulgendum, in extrema inferioris mensae parte ea conditione regnabant, ut contumelias, quas cum valetudinis incommodo architriclini et structores inferrent, ae-

Digitized by Google

quissimis animis paterentur: multaque eorum palato ac aviditati aliena cibaria, falsa gratissimarum rerum specie concinnata, uti canes, et lacertae, et humanae carnes coenantibus apponerentur. Horum in numero praecipuus aliquis insidia praeceps, cum diu ad ostentationem absolutae scurrilitatis ineptissime aliquando jocatus esset, Basilides hominis singularem vesaniam probare solitus, tandem furore correptus est, eumque olere ex recentibus flammis calidissimo collotenus perfudit, ita ut effusum jus cutem in ipso dorso statim miserabilem in modum contraheret, et ille pronus in terram collaberetur, Princeps tamen haud istis contentus factis, vehementi ictu ferratum scipionem furiosi hominis capti inflixit, eumque saucium suo e conspectu discedere jussit, qui paucas post horas exspiravit. Nec plane dissimili joco in Boridem Titovium, Staricensem Palatinum, a quo longa titulorum serie fuerat salutatus, crudelis vir usus est: illi enim dextram aurem in convivio sedens abscidit, addita promisione, se munere aliquando meliori virum tam elegantem affecturum, nunc tamen boni consulenda esse praesentia. Ego autem quid ista consector? aut quid in his immoror? Cum unius hominis scelere, cuncta scelera superata cernam? Queramur nunc cum rerum, quod nos multis et asperis adversae valetudinis incommodis obnoxies esse voluerit? habitumque coelestis roboris humanae conditioni denegatum moleste feramus, cum tot cruciatus sibimetipsa mortalitas impulsu crudelitatis excogitaverit.

Digitized by Google

# *LIBER TERTIUS.*

Basilides cum ad eum modum supra hominum fidem immani superbia, crudelitate, atque libidine, et reliquis immoderati animi cupiditatibus corruptus, barbaram vim, caedes, homicidia, cruciatus, famem, vastitatemque et dira malorum incommoda civibus suis et innoxiis hominibus attulisset, ita ut non suis tantum, verum etiam communi hominum societati, et denique universae rerum naturae acerbus et luctuosus videretur: secutum demum est id tempus, quod maximus ille rerum omnium moderator et Dominus clamore humani sanguinis ad vindictam excitatus, et magnitudine scelerum offensus, cum tyrannum praesentibus poenis et incommodis ita verberavit, ita, inquam, evidenter et clare, ut dubitari non possit, ipsum esse severum omnis impietatis ultorem. Nec quisquam interrogare debet, quis habiturus sit quaestionem de tyrannis, quis illos accusaturus, quis litem definiturus, quis poenam irrogaturus sit? certe fletus miserorum hominum, quos crudeliter vexarunt, item viduarum et infantium suspiria, quos parentibus et maritis inhumane spoliarunt, breviter eorum, quos afflixerunt, et fortunis omnibus denudarunt, lamentationes atque plangor erunt accusationis loco, quam illi coram supremo judice sistent. Plerique vero Principes, imperiri quidem illi et inconsulti, quam diu prospera et felici utuntur fortuna, nihil tale metuunt. Sed quum maxime securi sunt omnium rerum, tunc repente illis adversarius excitatur, de quo minime suspicati fuerant. Cujus rei, ne longius evagemur, evidentissimum Basilides erit argumentum. Ille quidem gravissimas etiam a fortuna plagas accepit, plurimumque tantae potentiae admixtum fuit acerbitatis. Nam et sterilitatem famemque admodum crudelem passus est, et intestina quoque discordia vexatus: ne quid interim de pestilentia dicam, quae eo praesertim tempore, quo Magnus Cimbricus in Moscoviam venit, vulgatis minimo contactu morbis totius regionis faciem multiplicatis funeribus ita deformavit, ut per omnes fere vias innumerabilia mortuorum cadavera sine honore sepulturae dispersa, canumque et avium laniatu mirum in modum defoedata conspicerentur. Accedunt Tartarorum frequentes admodum impressiones, a quibus tot bellis vexatus, toties in fugam conjectus est, cumque adversus hostes regionem suam eos tueri non posset, captam non ferro defendit, sed auro redemit. Revaliam quoque bello infeliciter aggressus est, sumtumque ingentem et valde numerosum militum in ea oppugnatione amisit. Quippe fortitudine civium propugnantium superatus, fessusque perpetuo multorum dierum labore, et vulneribus cum suis debilitatus, obsidionem solvere coactus est. Postea cum ad Stephanum Regem pacificationis gratia legatos misisset: et tamen per insignem injuriam Vendam bis omni conatu oppugnatam invadere et occupare cogitaret, adeoque ante urbis portas ferocissime atque

Digitized by Google

acerbissime vociferando, regiis extrema supplicia minaretur, puncto temporis fortuna eum in longe maximam calamitatem conjecit. Erant in Livonia parvae Sarmatarum Germanorumque et Gothorum copiae, ex his, qui pro publica salute libertateque Andrea praesertim Sapieha et Joanne Buringo concitantibus, arma ceperant. Venda autem antiquitus ex praecipuis provinciae urbibus fuit: ad hanc, ut in unum jungerentur, Sarmatae et Germani motis castris contendunt, et ex itinere arces quasdam, quae erant in potestate Moscorum, acriter oppugnant. Nam de consilio, conatuque hostium haud inani conjectura judicantes, quin et ipsi protinus ad eos advolarent, nullam omnino consultationi moram attulerunt: quoniam magnae felicitatis initium arbitrabantur, si hostibus, priusquam majoribus copiis augerentur, occurrissent. Itaque cum expeditis equitum alis obliquis itineribus profecti, novissimum hostium agmen continuo invadunt. Erant longe superiores equitatu et peditatu Mosci, utpote qui justum exercitum adduxissent; animis autem regii superiores erant, cum audacia, tum virtute; nam quisque praefectorum secum insignes et audacissimos equites adduxerat. Cum in conspectu utraeque acies essent, et undique regii toto campo provolarent, Moscorum Duces pedestres copias mature progredi jubent, ipsique alacriter cum universo equitatu ora convertunt, ut dum insultantium impetum a tergo sustinent, peditibus spatium detur explicandi sese ad ineundum acerrimum certamen. Ita dum sese audacter efferunt Mosci, et a peditatu temere disjunguntur, intercepti circumventique a multitudine regiorum equitum sternuntur: qua fortunae iniquitate territi pedites, dum equites caeduntur et fugiunt, et ceteri victorum impetum non sustinent, toto campo conciduntur. Tantus enim pavor amissis Ducibus militum animos occupaverat, ut nihil aliud quam fugam, abjectis etiam gladiis, spectarent. Habebant Mosci tormentum ab immani magnitudine et violentia lupum appellatum, et in fronte castrorum constitutum, quod pilas sesquipedali crassitudine jaciebat. Illud etiam, victoria feliciter parta, castrisque direptis cum reliquo apparatu bellico, quo aliena oppugnabantur, regiorum in potestatem pervenit: et capti sunt praecipui belli Duces, quibus praeclare regii veniam ostentabant, quasi in parte gloriae reponerent, si longe nobilissimis viris jam plane parta victoria pepercissent. Ea res existimationem Basilidis magna etiam ex parte convulsit, effecitque ut Moscorum nomen paulo ante in provinciis terribile et ominosum, despectui et ludibrio haberetur, cum ea regiorum victoria ad extremas usque totius Europae nationes permanaret. Sed leviora sunt ista, quae commemoravimus: non enim tyranni insolentiam aut minuere, aut immanem illius crudelitatem saevitiamque contundere potuerunt.

Interjecto autem tempore, cum Stephanus Princeps nulla ambitione, nullis amicorum studiis, sed sola litterarum, sapientiae, et virtutis opinione regnum esset adeptus, atque ei simul magnus exercitus, quo bellum adversus quoscunque hostes gereretur, attributus, bellum Moscis longe gravissimum exortum est, quo repente, Deo ipso tot parricidia vindicante, copiis, parte imperii ac dignitate omni penitus spoliati sunt, nec quidquam illis ex tanto regno praeter amaras calamitates, et spiritum, et paucos cives incolumes, residuos fortuna fecit.

Enimvero Stephanus Rex suopte ingenio maxime pius et generosus, pro dignitate Christiani nominis audendum aliquid ratus, valde necessarium et decorum existimabat, si Moscum hostem judicaret eo consilio, ut vindicatis injuriis, innocentissimos hominum caesorum manes ulcisceretur, atque impios et execrabiles latrones, hominisque vocabulo indignos bello persequeretur, qui sceleratis manibus templa, aras, ipsa denique mortuorum cadavera toties violassent: quique Sarmatarum fines flamma ferroque non semel deformassent, inexplebili nimirum regnandi desiderio occaecati. Priusquam ad arma ventum est, eam calamitatem varia praecessere prodigia, uti magnis Principibus accidere videmus. Nam et crinita stella paulo ante aliquot menses in aëre conspecta horrendum aliquod Moscorum genti portendere visa est. Fulmen deinde subitam secum coeli serenitatem adducens, ipso Christi natalitio Slobodam speciosam Magnorum Ducum habitationem, cum terribili ingentium structuarum et trabium ruina dejecit, rerumque pretiosarum splendidissima supellex, quae ista in munitione asservabatur, de coelo

Digitized by Google

tecta et consumta est. In elegantiori vero camera cubiculum Basilidis ipsius, ubi lectus erat, fulmen intravit, adeo caute pererrans, ut ipsam simul unam feriendo disjiceret, qua captivorum nomina libidinem forte Principis educabantur. Expalluit ad eum nuntium tyrannos, et cum sibi magnopere timeret, in maximam animi perturbationem incidit, utpote qui scelerum conscientia exagitatus, ex manifestis quoque prodigiis insignem rerum suarum commutationem facile praevideret. Praecipuae admirationis etiam illud est, quod haud procul ab oppido Nalio ante haec initia motusque bellorum accidit. Egressi erant in proximam silvam viri tres et totidem feminae, ut, sicuti barbarorum istorum mos est, ligna in urbem adveherent. His crepusculo vespertino domum redeuntibus vox sine ullo auctore ad aures pervenit: Mosci fugite, qua territi cum citato cursu oppidum petere vellent, lapis ingens marmoreus, qualis apud Germanos aliasque nationes mortuorum sepulcris imponi solet, ictu fulminis ex aëre in terram ita est propulsus, et in nives decidit, ut non turbine violento, sed fabrili artificio depositus esse videretur, in eo ignotissimis caracteribus litteraque fugiente sirpus vel potius epitaphium descriptum fuit, significans bauddubie, Moscorum sepeliendum esse imperium. Ad ictum saxi cadentis tres viri examinati fato praecipiti interiere, quorum corpora humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi asspectu mutata, jacuere. Ipsae quinetiam feminae novitate monstri perterritae, eodem in loco conciderant, sed mox resumtu spiritu, cum nivem sanguineis guttis aspersam cernerent, nocte concubia pavido regressu ad civitatem delatae, cum ejulatu rem omnem in civitate patefecerunt.

Hujus igitur rei explorandae gratia omnes ad locum designatum effusi, prostrata humi mortuorum cadavera, sparsumque per nives sanguinem et lapidem funerandis hominibus debitum invenerunt, atque ita triplici ostento moniti, certissimisque monstrorum ictibus pulsati, magnam patriae ruinam, et parum prospero rerum suarum successus eodem tempore perspicaci pectoris oculo praeviderunt. Ipse Basilides praemonitus divines spernere, suaque consilia coelestibus praeferre solitus, jam insigni aestuantis animi perturbatione correptus erat, numeroque ostentorum numerum calamitatum significari animadvertebat; eum tacitum moestumque domi suae haerentem aegerrime consiliarii adduxerunt, ut ad eum locum, in quo lapis erat, proficisceretur. Tandem constantibus familiarium precibus compulsus, sacrorum Principem filiosque suos extra civitatem duxit, maculo atque sanguine nives et lapidem ipse adspexit: statimque attonitus, quidnam monstri esset, et quid portenderet, interrogavit. Haerentibus in conjectura viris, Metropolitae mandat, ut, quid litterae exolescentes et incognitae velint, explicet. Ille statim non sine magno timore nescire se dixit. Igitur sequenti die eductus ex carcere sacerdotibus duobus, quos in Cokenhusio et Oberpelo jure belli coeperat, et quorum eruditio apud barbaros etiam celebris erat, libertatem et munera promisit, si aenigma in lapide scriptum interpretarentur. Sed cum nec illi caracteres ignotos agnoscerent, nec abstrusam numinis voluntatem patefacere possent, fortuito vocis jactu dimissionem sperantes, et ad ipsum Principem conversi, Regionis, inquiunt, vastitatem vides, proinde silo, et memento placare numen: pertinent enim haec signa ad populos et imperium tuum. Perterritus ille tam terre responso, et omine horrendo, statim satellites inclamavit, jussitque ut lapidem in partes confringerent, protinusque inde discessit, miser profecto, qui imminentem calamitatem coelesti judicio destinatam, humanis consiliis impediri posse existimavit. Rex interea ad futurum bellum copias, arma, ceteraque tam longinquae militiae necessaria summa industria parabat, Principes vicinos sollicitabat, dubios illiciebat, nec alios exitus belli, quam interitus adversae partis ipsi propositus erat. Ad Basilidem quoque rumor tanti apparatus venerat, et idcirco in conscribendo exercitu ipse etiam erat occupatus. Mos autem inter Principes est, ne bellum gerant, nisi illud per praeconem hosti prius sit denuntiatum. Decretum itaque in regio consilio fuit, nihil fore ad nominis regii clavitatem, vel ad ipsius justitiae aestimationem utilius, quam Principi sceleribus maculoso et humano sanguine tot annos resperso singulari legatione bellum indicere. Ad eam autem rem Basilium Lopatinscium, natione Polonum, et virum non vulgari animositate praeditum, dele-

Digitized by Google

gere, qui munus id obire pro dignitate posset. Cum illo proficiscebantur aliquot adolescentes summa Nobilitate, ut et comites illius essent, et inter Moscos peregrinarentur. Hi ad fines hostis advecti, a Nobilitate et primariis civitatibus multis honoribus accepti fuere. Postea vero cum barbari intellexissent, animum Regis ab ipsis dissidere, totamque legationem bello inimicam esse, parum abfuit, quin regii maximum salutis discrimen adirent. Salvi tamen in Moscoviam urbem, ubi tunc Basilides erat, modicis itineribus pervenere, a deducentibus, commeatu, et rebus aliis abunde instructi. Ibi aliquot diebus in recreatione et quiete consumtis, a Basilide nuntius venit, qui Lopatinscio significaret, si sine periculo in regione Magni Ducis versari, imo si vivere vellet, ne cum strieto acinace aulam ingrederetur. Respondit Lopatinscius, se a Magno Duce et vita et fortunis privari posse, et ut hoc sane expectandum sit, se tamen a mandato Regis sui ad latum unguem non discessurum. Omnibus genus illud responsionis superbum et intolerabile visum est, cum animis reputarent, et Regum erga se superiorum observantiam, et insignem tumultibus bellicis trepidationem, et formidabilem Magni Ducis potestatem, quae hactenus omnium animos horrore perstrinxerat. Lopatinscius tamen in sententia permansit, prudenterque et disertissime muneri sibi commisso satisfecit. Post aliquot deinde dies admissus, et in senatum perductus, ut legationem exponeret, cum interrogaretur, ad quem missus esset, excelso animo respondit, se ad universam Moscoviam missum esse. Nec enim hoc bellum opus singulorum, sed universorum futurum. Cum quadrigis in regiam duceretur, coeli facies solito candidior erat, currumque minister strictum gladium in manu gestans antcambulabat. Tum vero mucro radiis solaribus percussus, tantum spectantibus terrorem injecit, ut per totam urbem maximus omnis aetatis et hominum undique ad spectaculum confluentium concursus fieret, omniaque variis clamantium tumultibus implerentur, et nihil fere consilio aut ratione ageretur. Cumque quilibet primus omnium introire in aulam contenderet, et alii alios praepedirent, factum est, ut supra homines centum multitudine suffocati ad januam occumberent: quae quidem res et ipsa letalis belli omen esse potuit. Basilides palatium, in quo legatum exspectabat tapetibus et peristromatis instraverat, multisque odoramentis illud referserat. Seipsum vero vestibus auro fulgentibus, et gemmis clarissimis ornatum, cultumque in Lopatinsci conspectum dedit, eumque contra naturam suam humaniter excipere visus est: is vicissim Basilidem more Sarmatico salutavit, et idem velli qui Poloni fecerunt. Litteras deinde Regis bullis aureis consignatas, ensemque falcatum futurae ultionis indicem Basilidi porrexit. Hunc ille crudeli vultu iracunde aspiciens, in admirationem magnam venit, quod hostis in peregrina regione tanta audacia tantum Principem verbis asperioribus compellare ausus fuisset. Dixerat Lopatinscius, ut Basilides de illatis injuriis Regi satisfaceret, nec Polonis ingrediendi Moscoviam necessitatem imponeret. Ille ex epistola mentem Regis intellecturus, admodum cupide eam resignavit; erat autem Ruthenico sermone conscripta, cujus postulata haec erant.

Primum, ut Basilides incommoda Regno Poloniae illata nunc tandem sarcire studeret, tanta enim et tam magna esse ea, ut tolerari amplius nullo modo possint. Deinde bellum illi manifestum, nisi ita faceret, minabatur, et suam potentiam et opes exaggerabat, quibus confidebat futurum, si Moscus in pristino furore permaneret, ut impii et scelerati Principis nomen ex omni hominum memoria evelleretur, et Livonicae nationis populus in libertatem vindicaretur. Lopatinscii internuntii fidem confirmabat, et gladium, quem ille in belli signum attulisset, suo consensu redditum esse dicebat. Ad tradendam deinde Livoniam et ad pacem societatemque colendam Basilidem hortabatur, et pacem etiam tunc hosti libenter offerebat. Nihil sibi gratius fore affirmans, quam illam armorum et belli tempestatem tempestive sopiri, et animorum consensionem foedere sacrosancto inter utrumque populum icto confirmari. Criminabatur postremo horrenda facinora, quae in Livonia Basilidis duces ediderant, eaque dicebat non absque contemtu numinis et justitiae gesta fuisse, et quod ultimum et praecipuum erat, injurias Regno Poloniae ac Magnae Lithuaniae Ducatui illatas beneficiis omnino compensaret, obtestabatur. Si aliter faceret, bellum se non Moscorum magis odio,

Digitized by Google

quam Reipublicae amore gesturum asseverabat, cui ab optimo quoque etiam spiritus debeatur. Has enim publicas inter populos non privatas inter duces bellandi causas esse. Lectis litteris Basilides nondum ita trepidum se esse respondit, ut spoliari se Regno pateretur, bellique ea irritamenta, non pacis blandimenta esse. Ipsum vero Lopatinscium crudeliter hauddubie accepisset, si per jus gentium id ei licuisset; quem tamen in hospitium duci et diligenter custodiri jussit, sed ita, ut omnes ei debiti personae illius honores haberentur, et simul ad commeatum necessaria omnia praeberentur. Belli nuntius brevi tempore Moscoviam omnem longissime pervagatus tanto barbaris amarior, quanto verior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Livoniensium opibus domesticis viribus restiterant, quibus Turcarum potentiam Asiae, Africaeque terribilem Astracanensi bello fregerant. Quae sola gloriosa recordatio, majorem futuri in vicinia belli timorem afferebat. Tantaque trepidatio omnium fuit, quanta esse in magna calamitate inter victos et debellatos solet. Pungebat illos scelerum conscientia et Sarmatici Regis potentia, minorem Principis sui exercitum nunc esse dicentes, ut tanto hostium apparatui resistere posset. Basilides tamen accepta induciarum renunciatione, nullam moram interponendam existimavit, quin ipse quoque rebus suis subveniret, et statim litteras ad omnes Moscoviae urbes, et ad magnates, et universam denique nobilitatem dedit, omnesque ad aulam suam evocavit, et quas potuit copias, continuo conscripsit, ut et arces in finibus Sarmatarum firmiori praesidio muniret, et repentinos hostium incursus profligaret. Cum auxilia undique tuendae patriae gratia convenissent, ad concionem milites vocat, eosque variis exhortationibus ad pristinam virtutem, et odium Sarmatarum incitat. Optandum sibi fuisse, ait, ut de eo liceret consulere, bellum ne sit cum Polonis, an pax habenda, quin vero sit repugnandum instantibus, nec eos quidem debitare, qui saltem communi sensu utantur. Quippe adversus hostem si nequeant pro salute, pro altione tamen bruta animantia cornibus depugnare. Ceterum sibi esse victoriae fiduciam, si sit illis animus: Polonosque vinci posse cognitum non sibi magis, quam ipsis militibus, ex Smolensco Sigismundum, ex Polocia S. Augustum, ex Pernavia Henricum ejecerint. At si quidem aliena magis exempla quam sua experimenta malint, scire se ab Alberto Borussorum Principe Moscis erant nummis ad id bellum instructo, fusos multis proeliis Polonos. Scire perpetuam illorum in religione dissentionem, domesticam optimatum aemulationem, atque invidiae studium. Scire Maximiliani Caesaris nepotes Poloniam brevi ingressuros, et maximis eam, plurimisque incommodis ob non traditum patri regnum, affecturos. Multo autem periculosius ab alia parte ipsis imminere bellum. Nam e Precopensium Horda si Tartari immanis illa ferorum, atque immitium populorum illuvies Borysthenem transgrediatur, fieri non posse quin Poloniam aut occupent, aut vincant, aut e regione vastata praedam ingentem avehant. Audendum igitur et fidendum fortunae tantique apparatus asspectu debilitatos spiritus, pristini temporis memoria recreandos. Suas praeterea vires non modo Polonico Regno esse pares, sed eo etiam longe majores. Smolenscum velint an Staredubum recensere: rursus Astracaniam, an Casaniam, itemque Polociam Livoniamque quarum quidem gentium nulla ab imperio et jugo Moscorum sit libera et immunis. Suam quin etiam ditionem peaeter arma, virtutemque animi, locorum quoque solitudinibus vel frigoribus instructas esse, per quae denuncietur ingens militi labor, ac periculum. Sequantur se modo fortiter, et videant, quid se duci possint efficere contra hostilem exercitum. Haec et plura etiam cum Basilides in concione dixisset, statim etiam in bellum Polonicum incumbere coepit. Interea autem in consilio Regis decretum erat, ut Polocia primum oppugnaretur. Nam munitiones a tergo relinquere, nullis unquam bellis gestis fuerat observatum, et commeatu, milite, auxiliis, recepto denique ipso ultro se excludere inconsultissimum videbatur. Igitur anno supra millesimum quingentesimum septuagesimo nono, Rex factis ab imploratione opis divinae principiis cum exercitu longe omnium ornatissimo initio veris Sviro ad oppugnandam Polociam profectus est. Quoniam vero communi omnium consilio consociatis viribus tam potenti barbaro bellum terra marique ad publicam salutem inferrebatur, idcirco confluxerant ad Regem ex omnibus fere nationibus invicti et illustres militiae duces, qui expeditas, ex omni bellico apparatu in-

Digitized by Google

structas equitum peditumque cohortes in id bellum trahebant, et erat alioqui in ipso Regis nomine magna existimatio cum bellicae laudis, tum aequitatis atque justitiae, cujus castra ex aemulatione virtutis praecipui etiam gentis Polonicae magnates sequebantur. Nicolao Mielecio, rebus in bello gestis, et amicitia Regis insigni, copiarum omnium imperium delatum erat. Ille non tantum Podoliae robora in legiones conscripserat, sed et aliarum nationum copias numero virtuteque maxime formidandas secum habebat. Nicolaus autem Radivilo, Vilnensis Palatinus, quem mirifica virtus et bellicae laudis specimen, atque item ingens patriae amor ad ineundum bellum vehementissime incitabant, cum florentissimis Lithuanorum copiis venerabili senio et virium robore insignis advenerat. Nec illius filii Christophori alia quam patris mens fuit, qui et ipse natura strenuus et maxime bellicosus cum cataphractorum alis ornatissimis patrem secutus est. Erat quoque iisdem in castris Joannes Zamoscius praeclaro studio omnibusque sensibus et affinitate arctissima cum Rege conjunctus. Est ille illustri quidem Poloniae loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior, quae tanta in illo apparet, ut animi magnitudine, Philosophia ipsa, prudentiaeque gloria celeberrimum apud omnes bonos nomen habeat. Jam ceteros principes usu militiae vigoreque animi praestantes, quid attinet commemorare? Nam et Staphanus et Janusius Zbarascii hic erant: hic Firlej, Radivilones, Nicolaus Sapieha, Joannes Chlebovicius, Joannes Cisca, Philo Cmita, Bonarus, Zbaravii, Nicolaus Talvoisius hic erant, qui omnes ea belli consilia decoris et virtutis longe plenissima sequebantur, et in quibus tanta sapientiae et virium magnitudo erat, ut qui eos ignoraret, non ex Polonia tantum, sed ex multis nationibus electos putaret. Baltasar autem Bathoreus, Palatini Transsilvanici filius Pannonium, Christophorus Rozrasevius Germanicum peditatum oblato stipendio conductum sub signis habebant. Dux Borussorum et Marchio Brandenburgiensis Georgius Fridericus lectissimorum militum manum in auxilium mittebat, quibus praeerat Joannes Consicus a Borussia oriundus. Ernestus autem Vajerus erga Polonicam gentem studio ac operibus insignis, tamquam belli consiliarius accitus e Pomerania erat. Sacratorum quoque hominum, qui et ipsi in bellicos sumtus ingentem auri vim expenderant, tanta multitudo, tantus hominum undique confluentium concursus erat, ut omnes communem patriam opibus et sanguine defensuri viderentur. Praemissi ab Rege ad Polotiam fuere N. Radivilo et Caspar Beccasus itinerum claudendorum causa. Hi cum propinquo ad arcem loco consedissent, caduceatores misere, qui omnia hostilia Moscis denuntiarent, ni propere urbe et arce excederent. Illos armata Moscorum statio nequaquam admisit, nec populus ex Regis adventu studium paulo alacrius ostendit. Rex deinde cum omni exercitu, et tormentis impedimentisque bellicis, in summa viarum iniquitate subsecutus, urbem obsidione cinxit. Sub idem tempus Basilides cum ingentibus copiis Plescoviae erat, quem adventu Regis vehementissime conturbatum ferunt. Versuto siquidem ingenio, cum tantam potentiam uni additam conspiceret, belli impetum formidabat, et antiqui quoque vatis carmina eum Principem non obscuris indiciis exprimere videbantur, qui a Savo et Dravo toti Scythiae, Moscoviaeque praesertim et Basilidi summas clades esset allaturus. A copiis autem Regiis quae praecesserant, arces tres Cosiana, Crasna et Situa per excursionem celeriter occupatae, et incendio deletae fuere. Parte alia Philo Cmita, Orsanensis praefectus, in Magni Ducis ditiones longius progressus, hostibusque viribus, animis, loco, atque fortuna abunde superior, non mediocrem omnino cladem Moscis attulit. Plurimis nempe pagis incensis, Smolenscique suburbiis ambustis, totam illam regionem longe lateque depopulatus est. Quae quidem rei bene gerendae facultas Constantino etiam Ostrogiae Duci arma induit, qui pari celeritate et vigilantia cum Michaele Visnievecio et Janusio filio Borysthenem transgressus, inque hostilem terram turmis aliquot Tartarorum invectus, obvia quaeque pervastavit, et usque ad Starodubum Radohostiam, et Podczepoviam populationibus prolatis, ingenti cum praeda domum reversus est. Rex ipse cognita hac suorum felicitate, undecima Augusti propinquo ad moenia loco castra meatus est, civitatemque tribus locis circumsedit, eademque die munitiones fossasque propius hostem agere jussit, et postridie civitatem non mediocriter fossis, et aggere et propugnaculis, et parietibus densissimis, et prae-



Digitized by Google

sidio firmam, ea maxime de causa, quod illo loco militem a propiore ad arcem accessu prohiberet, incendit, totamque paucis horis delevit. Mox longius munitionibus ad ipsas arcis portas promotis, omni conatu in eam expugnatam incubuit. Sed ostenderat vi sua praepotens Deus, in manu sua rerum gerendarum potestatem esse, et assiduas pluvias pluribus diebus ita immiserat, ut et operae militum majorem in modum impedirentur, et oppugnandi ratio etiam atque etiam retardaretur: Constitit tamen militi regio in maximis etiam incommodis singularis animorum ad omnia obeunda tolerandaque ardor, sic ut in summa pluviarum iniquitate, altissimoque luto nihil praetermitterent eorum quae ad oppugnationem pertinere possent: hostibus contra omnes nostrorum conatus acerrimis animis, et incredibili tormentorum vi, ita dies noctesque propugnantibus, tanta pervicatia, et flammas a regiis illatas extinguentibus, et vim omnem depellentibus, ut se tormentorum tellorumque ictibus certatim offerrent, et succumbentibus aliis alii confertim succederent, ostenderentque Moscos artium defendendarum vi atque ardore ceteris omnibus gentibus antecellere. Respexit tandem Regis exercitum beniguissimus Deus, concessitque, ut quae prima illi paulo serenior dies vicesima nona Augusti illuxit, ea incendium a milite arci inferretur, summa cum contentione atque discrimine, cum se miles in fossas demittere, et Polottam flumen superare, denique arduum clivum cui impositum propugnaculum erat, subire, et manibus materiam ignemque inter infestissima creberrimaque hostium tela inferre cogeretur; quod incendium cum vehementius exarsisset, et munitionis anterioris aditum aliquem patefecisset, teneri militum aliorum ardor non potuit, quin per ipsam flammam irrumperent, atque hostem ferirent, a quo tamen coepto, cum propugnatione hostili, tum maxime flammae vi rejectus est, parvo cum regiorum (neque amplius viginti septem desiderati, pluribus tamen vulneratis) hostium vero cum ducentorum interitu, dederat aliquam hostis eadem die deditionis significationem, quam non seriam fuisse animadversum uit, cum se novis munitionibus, flammae altitudine nostris conspectum eripiente, circumdare deinceps cognitum esset. Nulla igitur cum intermissione oppugnationis vim omnem adhibendam, nullam hosti quiescendi, aut se firmius muniendi spatium concedendum Rex judicabat: posteroque die ignem in alias munitionis partes miles, in quo equites etiam erant, intulit, quo cum iterum aliqua muri pars deleta esset, et clivum, in quo propugnaculum antea igni absumtum erat, nostri tenuissent, ac deinde praesidiarios circumire coepissent, atque sic tandem in potestate hostis esset: Rex et sanguini Christiano parcendum, et operam dandam ratus, ut arce quam maxime integra cum tormentorum aliorumque belli instrumentorum apparatu potiretur, facta omnibus vitae gratia permisit, ut qui militare sub signis regiis vellent, fortunas suas omnes incolumes conservarent, quibus vero redeundi in Moscoviam animus esset, id Rege permittente, ac omnem securitatem praestante facerent. In ipsam vero arcem cum regii aliquot consiliarii ingressi essent, passim magnum cadaverum insepultorum numerum repererunt, tum tormentorum ac pulveris tormentarii, globorumque tantam vim deprehenderunt, quanta in arce aliqua Christiani orbis his rebus instructissima posset reperiri. Capti autem hic fuere Cyprianus Archipraesul Velicolucensis Graeci ritus, cum magno sacratorum et flaminum numero, Palatini item Basilius Ivanovicius, Micolinscius Telatovius, Demetrius Michalovicius, Sczerbatus Zvolinscius, Matthaeus Ivanovicius, Volinscius, Lucianus Tretiacovius Racovius, hos omnes Rex in custodia haberi jussit, quia sponte se dedere noluissent, et praeter illos ultra sex hominum millia in Regis potestatem pervenere, qui omnes tum verissimis lacrimis eversae urbis et arcis calamitatem, Russiaeque totius amissum decus, et denique exsecrabilem Principis sui insaniam deplorabant. Capta Polotia tres omnino arces, Turovlia, Socolum et Susa in Polotiensi ditione hostiles superarant, quas hosti relinquere Rex nequaquam volebat. Turovliam quatuor supra Polotiam milliaribus ad Dunam sitam a Francisco Zuco antea tentatam Constantinus Lucomscius expugnavit: Susenses salutem, et rerum, quae cujusque essent auferendarum potestatem, atque in Moscoviam tuto se inferendi concessionem pacti, cum omni bellico apparatu Palatino Podoliensi se sexta Octobris die dediderunt. Socoli autem oppugnatio funeribus fertilior fuit, quam brevissime huic volumini attexemus. Ea arx a Polotia

Digitized by Google

quinque milliaribus ea via distat, quae septentrionem versus recta Plescoviam ducit, duorumque concurrentium fluminum, Drissae ac Nissae complexus continet. In ea praeter vetus praesidium, quod tuendi Polotiam aditus causa firmum semper inerat, Theodorus Basilii F. Szeremetus, et Borissus Basilii F. Sejnus, Andreas Paletius, Michael Georgii F. Licus, Basilius Crivobocius Palatini, clari cum propinquitate Moscoviae Ducis alii, tum rebus antea gestis omnes copiarum praefecti, cum magno Ruthenicae nobilitatis ac scloppetariorum numero consederant, posteaquam se aditu arcis Polocensis exclusos intelligerent: accesserat huc etiam Georgius Bulhacus, cum duobus millibus scloppetariorum, partim Dunensium, partim Volgensium, qui ad Dunae et Volgae fontium paludes ob perpetuas cum Tartaris dimicationes, ceteris belli usu ac militandi peritia facile praestant. Quum hi omnes magno discrimine regiis ex propinquo castris imminerent, Rex Christophoro Radivilone et Joanne Voliminscio Ducibus Lithuanicas quasdam copias ad hostem praemisit. Secutus tandem est Podoliae Palatinus cum justo exercitu, et Drissam fluvium imbribus proximis abunde redundantem, ponte subitario opere effecto transmisit, hosto quod facere in proclivi erat, nihil repugnante, qui in adversa ripa otiose tantum inequitans, metus faciendi studio clare, ut a nostris audiri posset, subinde clamabat, adesse apud se Astracanorum, adesse Casanensium copias. Flumine superato Palatinus propius hostem movet. Qua accesserat inter utrumque flumen non magno ab arce intervallo silva est, in qua maximam equitatus partem tendere jubet, peditatui imperat, ut munitiones, in quibus versarentur, et tormenta dirigerent, fossa atque aggere subito efficiant: quas Poloni secundum Nissam, Germani secundum Drissam ad arcem perduxere. Ultra Nissam amnem minorem, qua proxime hosti effugium patebat, Joannes Zbarascius curare jubetur. Rebus ita ad oppugnationem perfectis, cum jam in vesperum dies vergeret, qui tormenta administrant, periclitari rem globis candentibus instituunt, tribusque in hostiles ditiones perlatis, cum alii aliis locis periculum incendii adferrent, et iis restinguendis hostis detineretur, tertius eo loco, quo nascens primum fumus, mox flamma ab hoste non facile potuit deprehendi, vires coepit: ac hoc incendium ortum cum magnam hostilium munitionum partem subito complexum esset, hosti summam defensionis desperationem attulit. Quo circa et perditis trepidisque rebus, et flamma se jam longius latiusque fundente pars magna hostium globo temere facto, porta, quae meridiem versus ad Nissam una patebat, confertim erumpunt, quibus ex proximis munitionibus Poloni impigre occurunt, et obsistunt; interea perducitur eodem propere signo sublato Germanorum scloppetariorum cohors, et sic tandem hostis in arcem flammamque rejicitur, quem dum nostri magna vi premunt, se atque signa portae arcique inferunt; dabat mox hostis intra arcem desperatis rebus magnas cum armis tum verbis dedendi significationes, quas cum miles Germanicus Ruthenicae linguae ignarus, praeterea Polocensis praesidii crudelitate, qua immanissima in captivos omnes ac praesertim Germanos usi fuerant, irritatus, minime acciperet, caedemque acerrime misceret, ille desperata salute totis viribus contra dimicat, quaeque supra portam custodiae erant, cataractam e turri portae imminentem irrumpentes dejiciunt, sic nostros receptu alios, alios aditu subsidioque excludunt: atrox inde utrimque pugna fuit, aequata utrorumque desperatione ob incendii vim, quod undique se circumfuderat, ac pluribus locis dimicantes inter se pari interitu victos ac vincentes exstinguebat. Occidit hic Martinus Rebsaeus a Silesia oriundus cohortium Germanicarum praefectus, qui per medias flammas, per pilas innumerabiles, per tela, per gladios sine ulla formidinis significatione in munitionem irruens hostes longe lateque ceciderat; sed properati consilii poenas acerbissimo casu luit, et simul exemplo suo mortales humanae imbecillitatis admonuit, ne nimis viribus suis confiderent. Arx ipsa incendio conflagravit, creditumque est Moscos eo quod insolentius oblatam pacem sprevissent eas poenas divino judicio pependisse. Hostium ad quatuor millia occidione caesa fuere, et in his Borissus Sejnus, Andreas Paletius, Michael Licus, Basilius Crivobocius Palatini in occisorum numero inventi; captivorum ea multitudo fuit, ut et penes copiarum praefectos permulti essent, et Polonorum militum prope viderentur nulli, qui in potestate non singulos alii, alii plures haberent: horum in numero Szereme-



Digitized by Google

tus erat, et rerum gestarum gloria, et corporis specie vultuque et animis sermonisque cultu ceteris praestantior, et Miassojedus Dunensium cohortium praefectus. Uterque cum honeste mori posset, hosti manus vinciendas dedit, clademque suorum auxit dedecore captivitatis. Socolensium foedus interitus cum in Moscovia nuntiatus esset, omnes relictis domibus per urbem discurrere pavidi, alius alium sciscitari, auctorem nuntii requirere: non pueros inscitia, non senes debilitas, non mulieres sexus imbecillis domi tenet, adeo ad omnem aetatem tanti mali sensus penetraverat. In foro deinde coëunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam questibus iterant; alii fratres, aut filios, aut parentes deflent, maritos viduae, alii cognatos, alii amicos cariores cognatis, et cum privatis casibus querelam publicam miscent, felicioresque prorsus priores suas calamitates dicunt, quae incolumibus filiis parentibusque tectorum tantum ruina taxatae sint. Basilides eo tempore Plescoviae cum exercitu erat. Is Polotiam obsessam et in angustias redactam esse sciebat, sed captam teneri nondum audierat, multo minus etiam de Socoli excidio sollicitus. Itaque cum de suorum clade nuntium accepit, in maximam animi perturbationem incidit, confestimque Andream Solcanum annuli sui custodem, quem in urbe Moscovia cum potestate reliquerat, de discrimine suorum fecit per internuntios certiorem, mandans simul ut populum in officio contineret, hostisque victoriam modis omnibus diserto sermone extenuaret. Solcanus lecta Principis epistola omnem statim populum in concionem vocat, et nescitis ait, o cives, quam tandem ob causam hunc conventum indixerim. Scitote autem Polotiam nostram esse captam, et Socolum ferro flammisque excisum, ceterasque in vicino arces sub hostis nostri ditionem subjunctas. Qui quidem nuntius terrorem vobis et desperationem incutere posset, nisi cum animis vestris cogitare velletis, rerum omnium vicissitudinem quandam esse, nullumque in terris principem haberi, cui non incidant adversa quaedam. Jam si Poloni Polotiam recuperavere, nos certe totam econtra Livoniam possidemus. Paucas illi arces everterunt, nos magnas illorum civitates sub imperio habemus: illorum exercitus parvum Albae Russiae tractum: noster Smolenscum, Starodubum, et Livoniam occupavit. Sed fortassis hominum jactura animos vestros pungit, fateor equidem in Polotia tot nobiles militiae praefectos, tot cives, tantas nostrorum divitias amisimus. In Socolo flos nobilitatis et fortium virorum interiit, templa, arae, oppida, et agri combusti sunt: ferendum hoc nobis est, quando hostes longe graviora mala sunt perpessi. Sicut non illi nostros, ita nostri illos aliquando ex Polotia, Smolensco Livoniaque ejecerunt: Sicut illorum ensis fratrum nostrorum sanguinem hausit; ita nos illorum sanguine saepissime fuimus aspersi. Cum haec ad circumstantes Solcanus dixisset, civium animi qui dolore premebantur, ad tolerandum malum mirifice confirmati sunt. Feminae autem longa exspectatione virorum fessae, nec jam teneri bello, sed deletos certae, querelas flebiles edunt, malisque suis additam orbitatem conqueruntur, et quasi mente commotae regiones civitatis ejulatu et lacrimis complent, mox Solcanum adeunt, eumque monent ut conjuges reddat, ut felicioribus nuptiis priores compenset, ut pupillos et viduas respiciat, aliae ploratu nequaquam contentae, ut primum est occasio data, pectus suum gladio transverberarunt, ac vulnere divulso, constanti dextra, spiritum luctus acerbitate permixtum, ex ipsis praecordiis, et visceribus hauserunt, tam violenta morte testatae, quantum conjugalis flammae illo pectore clausum habuissent. In eo tumultu mulierum ultionem caesorum conjugum magno fletu exposcentium, Solcanus animi dubius permutato habitu, more tristium in publicum progreditur, et advocata iterum concione, rei indignitatem populo commemorat, deque importunitate feminarum, a quibus multa nefanda audire coactus sit, queritur: adduntur voci lacrimae, et diserta oratione multitudo credula pacatur. Nostris inquit, majoribus quantum muliebris seditio nocuerit, id ex nostrae gentis annalibus scitis. Prisco enim saeculo cum duo regii juvenes Plinos et Scolopitus factione optimatum domo pulsi, juxta Thermodoonta amnem consedissent, atque ibi cum ingenti juventute Scythica per insidias circumventi et trucidati essent. Illorum statim uxores, eladem virorum, necessitatem armorum, bellique causas ostendentes, ne segniores viris haberentur, arma sumpsere, interfectisque patribus et natis tyrannidem occupavere.

Digitized by Google

Hinc nimirum generatae Marte Amazones nostrae originem trahunt, quae Europam Asiamque caedibus et sanguine impleverunt. Hinc Marthesia, hinc Orithia, hinc Antiope, Menalippeque, hinc Thalestris Alexandri scortum ortum est. Profecto autem, nisi caverimus, nunc simile aliquod malum cervicibus nostris impendet. Quid enim isti clamores? quid muliebris petulantia? quid sibi concursus iste? quid haec vult seditio? ubi est auctoritas nostra? ubi imperium magistratus? quin tandem haec conventicula abolemus? igitur ne barbararum conspiratione interficiemur? Ego quidem mori malim quam has indignitates spectare. Quoniam autem vivere cogor, et quoniam vobis etiam hac lucis usura fruendum adhuc est, resuscitate quaeso aspectu hujus infortunii debilitatos spiritus, utimini vestra auctoritate, et hos mecum tumultus compescite. Perpessi sumus calamitatem, jacturam ornatissimorum hominum facimus, verum id quidem est, et propterea juste in luctu versamur. Sed dico vobis non aliam esse belli fortunam, nec res praeclarae otio atque joco, sed armis, equis, viris, mortibus perficiuntur. Absoluto sermone, virgas in concionem et flagella adferri jussit, ceteraque servilis metus parandi instrumenta. Qua re tantum additum timoris et angustiae feminis est, ut statim e conspectu minantis trepide aufugerent, et partim ferro, partim suspendiis vitam finirent.

Quum enim infestiores suos quam hostium Duces invenissent, in desperationem lapsae sibiipsis mortem conscivere. Supra diximus quid Philo Cmita, quid Ostrogiae Dux in hostico fecerint, eos secutus Mocislaviensis praefectus, Jaroslaviamque aggressus, opulentum illud oppidum incendit et evertit, populationibusque longissime in hostico prolatis obvia cuncta tamquam tempestas quaedam profligavit. Ipse autem Rex spatio dierum quinquaginta septem munitissimas arces, mira agrorum fertilitate, magnaque fluminum opportunitate praeditas occupavit, tantamque ipsi Basilidi et magnatibus Moscorum trepidationem injecit, ut Novogrodiae Magnae legati Ivanus, F. Mecislaviensis, et Mikita G. F. Romanovicius Zacharinus scriptis ad Palatinum Vilnensem aliosque Proceres litteris bellum deprecarentur. Rex tamen hoste nondum e Livonia exacto ab armis sibi minime discedendum putabat, cogitabatque quantum ea victoria fructus, quantum gloriae, quantum splendoris Reipublicae attulisset. Secutum tandem est comitium Varsaviense secundum, in quo de continuando victoriae cursu, deque conficiendi belli rationibus communi omnium suffragio deliberatum est. Erant nonnulli qui privatae cupiditati potius quam bellicis consiliis obtemperare vellent, hostemque in vastis et remotissimis regionibus habitantem non esse amplius lacessendum dicerent, quando ille adventitium exercitum cunctando fallere posset, et magnae etiam annonae difficultas, certaeque rerum vicissitudines spes hominum nonnunquam eludere consuevissent. His opinionibus praestantiores in populo sua suffragia opponebant, non tam de persequendo bello quam de rebus ad id continuandum necessariis disputantes. Alii honestissimos regis conatus proditione remorari cogitabant: nefarioque prorsus consilio, et insana audacia in perniciem communis patriae conspiraverant. Princeps fuit Gregorius Oschicus, honesto quidem genere natus, sed corpore ac ingenio inerti praeditus, judicioque turbidus et levis, uti his saepe accidit, qui ab exuberantia atrae bilis insaniae proximi, dum praesentia non probant, immoderata et inaudita cogitatione persequuntur. Corruperat avari ac porvicacis ingenii hominem Nasczoknus Basilidis ad regem legatus, qui eum ex sui Principis liberalitate amplissima praemia consecuturum dixerat, si accepto auro, conductisque et instructis celeriter copiis in absentia Regis Lithuaniam longe lateque depopularetur. Cum nempe nec bellum Regi dissuadere, nec eum domi detinere, nec legatos pacificationis gratia impetrare posset, cunctis admirantibus diutius Vilnae haesit, et non vocatus in senatum reversus est, de conjuratione interim promovenda, de tempore et loco, deque asciscendis sociis qui idonei ad id patrandum facinus viderentur, majorem in modum sollicitus. Sed eo Vilna digresso Dei beneficio Oschici consilia deteguntur, qui jussu Regis ab Hussaris occupatus, et statim in vincula conjectus est, cumque adhibitis tormentis egregie tacuisset, prolatis demum litteris, nequaquam inficiatus manum, cuncta propalavit, et statim saevi ac insolentis ingenii sui poenas dedit. Productus enim in editissimum urbis locum cum duobus insidiarum consciis, Judaeo

Digitized by Google

uno, altero Sarmata, securi percussus est, tali profecto interitu vir valde dignus, qui Regem, sub cujus tutela habitabat, patriam, quae illum genuerat, arasque, quibus persaepe manus admoverat, scelestissima proditione evertere cogitabat. His perfectis rebus et praesidio finibus imposito, contra vim seditiosorum hominum, Rex nequaquam Smolenscum oppugnandum decrevit, ubiplerique omnes eum facturum opinabantur, sed cum omni exercitu ad Velicolucum profectus est. Nam et magna senatorum omnium ad eam rem erat consensio, et Szeremetus ille, quem in Socolo captum antea memoravimus, huic proposito non magnopere adversabatur. Dixerat enim Basilidem Velicolucensibus omnino auxilio venturum, adfuturamque ea ratione universo proelio dimicandi occasionem quam sibi cunctis artibus parandam Rex arbitrabatur, sequebaturque quam maxime ipsam seriem gerendarum rerum, quae eum ex locis anno superiore expugnatis, recenti Velicolucum vocare et ducere videbatur. Praeterea arcis situ, fama, ditionis amplitudine, ubertate, opportunitateque ad signa sua penitius in hostilia loca inferenda adducebatur, ut in sententia semel suscepta permaneret. Cum apud Lucomlam copias recenseret, Georgius Farensbekius et Christophorus Comes Rozrasevius cum ornatissima equitum ala ad eum venere. Igitur Vitebscium primum, inde Surasum cum exercitu progressus Dunam fluvium, quem magis magisque ab hostelin potestatem suam vindicare statuerat, trajecit, et in itinere duas longe fortissimas arces per suos belli duces coepit, et Velisium quidem Joannes Zamoscius expugnavit, ad Usviatum vero Nicolao Radivilone gravissima obsidione pressum Rex ipse tandem subsecutus est, eamque arcem metu potius admoto quam vi adhibita obtinuit, contractisque iterum copiis omnibus, quas duaram istarum arcium oppugnatio diviserat, movit, et superata incredibili locorum vastitudine, per assiduas densissimasque silvas propius Lucum venit, et vigesima sexta Augusti die ad arcem castrametatus est. Oppidum nempe et triginta templa cives metu consternati incendio deleverant. Sub idem tempus ab Magno Duce Basilide legati in castra venere, illi cum nulla interposita mora audirentur, et contra omnes rerum gerendarum rationes, contraque dignitatem regiam multa impudentissime arroganterque postularent, Rex repudiata insidiosa barbarorum tergiversatione, non cessandum ratus, Joannem Zamoscium cum copiis suis atratis, ceterisque quas ad Velisium habuerat, cumque omni peditatu Hungarico atque Polonico trans flumen propius arcem e stra alia facere, atque ibi curare jussit, nihilque aut lenitatis, aut terroris, aut oppugnationis non adhibuit, quo integra arce potiretur. Velicolucum autem loci natura in edito, planissimis circum campis, partim intra flaminis Lovatii partim intra lacuum complexus situm: nec tantummodo consuetis antehac Moscis parietum densissimorum contignationibus firmum, sed aggere etiam densissimo ac latissimo et cespite extrinsecus obductum, fossaque majore (qua flumen aut lacus non ambiunt) firmissimum erat, Praesidiariorum etiam summa erat loci retinendi pertinatia, qui et ultima sibi expectanda judicabant. Igitur cum sine majori militum interitu expugnari non posse videretur, necessario res Regi incendio experiunda fuit, quod cum magna militum virtute primum ex Hungarorum munitionibus illatum, et deinde per atratas illas cohortes majus conflatum esset, factum est, ut et arcem flamma, et quidquid prope hominum in arce fuit, quinta Septembris die deleverit Superfuere ex omni multitudine monachi aliquot Graeci ritus, et tres militum praefecti. Vejeo, penes quem summa rerum fuerat, homo nequissimus, et Basilidi valde carus, conspecto et in Moscovia cognito Farensbekio se dedidit, illoque etiam repugnante ab Hungaris in frusta discerptus interiit. Eo ipso die Rex cum omni exercitu et multis hastatorum millibus in apertos campos progressus, hostis quidem incommodo periculoque laetatus est; sed cum plena omnia cadaveribus luctuque conspiceret, cumque multo puerorum et feminarum sanguine omne camporum aequor maderet, lacrimas tenere vix potuit, eo etiam vehementiore dolore perculsus, quod spreta pace, salutaribus consiliis nequaquam animum inflexissent, responsoque secus atque ipse optasset dato, ultimum sibi interitum peperissent. Eorum autem hominum qui ex agris in oppidum sese intulerant, *qui*que in eo habitaverant, ac in praesidio *constitu*ti arma tulerant, ultra octo hominum millia fuisse compertum est. Hostibus caesis et Velicoluco deleto, quemadmodum haec res porro administranda, et quomodo iste locus imposito

Digitized by Google

praesidio retinendus esset, de ea re Rex statim consultare coepit, et cuncta militiae munia honoresque et magistratus inter ipsos magnates et belli duces aequo ordine partitus est. Deinde ad Toropecium, quod sedecim a Velicouco milliaribus distat, et ob summam viarum difficultatem et silvarum densitatem aditum haud facilem habet, Janusium Zbarascium Georgiumque Barbum misit. Hos Tartari et Mosci desperatione quam virtute instructiores opperiebantur. Incitatis ad proelium equitibus Polonis, hostes nullo virtutis argumento edito fugiunt, quos Regii consecuti vinxere alios, alios torsere, nonnullos etiam occidere. Desiderati sunt inter Moscos plerique viri praestantes, et in his capti Dementinus Czeremissa cubili Basilidis praefectus, et Nasczokinus ille multis legationum honoribus clarus, qui et nuper adeo Oschicum in conjurationem pertraxerat. Post haec Nevelam arcem inter Velicolucum et Polotiam quasi intermediam aggressus, Nicolaum Dorohostajscium cum exercitu misit, qui eum debellaret, sed ille propter tormentorum defectum, sine quibus nulla vis vel militaribus copiis nullaque vel optimo Duci inest auctoritas, hostes nequaquam domare potuit. Missus itaque est Joannes Bornemissa vir fortis acerrimusque, qui educta ex Regiis armamentariis in praesentes usus tormenta secum habens rebellantes sub imperium Regis subjungeret. Mosci id sentientes tumultuaria eruptione Bornemissam invadunt; ille cum velut in insidias praecipitatus armatis hostibus concubia nocte occurrere cogeretur, intrepide tamen instantes, prementesque sustinuit, nec multo post hostilibus tectis ignem inferri jussit, ut in summo rerum discrimine praesidiarios a tuenda arce ad restinguendum incendium nequaquam inepta ratione revocaret. Ita domiti Nevelenses nostrorum in potestatem concessere. Porro ut Toropecium ab uno, sic Zavolotia ab altero latere Velicoluco imminebat, quam Rex nequaquam hosti relinquendam esse arbitrabatur. Joannes Zamoscius autem cohortes ductabat generosa militarique ferocia valde terribiles, et quod spes ipsas et studia militum vehementer excitare solet, Dux etiam fortunatus ab omnibus habebatur; ille cognita Regis voluntate Zavolotiam celerrime sibi convolandum existimabat, priusquam ea majoribus praesidiis confirmaretur, hoc uno contentus, quod Nevelam, quam oppugnare etiam debuerat, non tantum captam, sed et barbaros hostes tota pene illa veteri bellicae laudis opinione exsutos esse meminisset. Ergo magna alacritate raptato exercitu, propositisque ad excitandos milites praemiis, superato difficillimo itinere Zavolotiam venit, ubi advocata militum concione, eos alacriter est cohortatus, ut secum paululum adniti vellent, impigreque pugnare, ut mox tantorum itinerum incommoda ditissimae arcis spoliis resarcirent. His magno studio acclamantibus, ille statim tormentis arcem quatere, propugnatores densis pilis obruere, testudines et scalas admovere, murosque et vallum excindere coepit. Qui in praesidio erant hostium impetum fortissime, ut poterant, repellebant. Post longam dimicationem Zamoscius praesidium dejecit, arcemque suae potestatis fecit. Dum haec apud Zavolotiam geruntur, Nicolaus Radivilo Jeserciam expugnat. Praesidiarii enim incolumitatem et reditum ad suos pacti dubiae se clementiae hostis credere, potius, quam indubitato malo perire voluerunt. Qui quidem insperatus novae victoriae proventus, Regi incredibilem attulit voluptatem, qui hostibus aut victis aut supplicio affectis nullum requiescendi spatium dedit, excursionibusque versus Porcovum Opocamque factis, hoc fere bello Moscoviae imperium rapuit. Basilides interea ita bellum gerebat, ut et uxorem ipse septimam in matrimonium duceret, et filio etiam Ivano sponsalia celebraret. Verum subditis tam intempestivae nuptiae graviores repentinis funeribus fuere. Rex autem ex militia ad suos domum reversus, conservator reipublicae et patriae pater publico decreto est appellatus. Sciebat ille quae se Basilides, in tantis incommodis, magna pusillanimitate, ista imbecillitate virium, opinione et spe sustentaret, quod scilicet Polonos ab incepto destituros frustra opinaretur, et a transfugis, exploratoribusque didicisset, ordines Regni ad tertiam contributionem aliaque pecuniae subsidia aegerrime descensuros, et ipse etiam Rex etsi quae bello diutius continuando impedimenta obsisterent, facile videbat, et contribuendi gravitatem intelligebat; tamen faciendum videbatur, quod veteri in proverbio est, ut minima de malis. Cumque ad talium difficultatum explicationem, ordinum omnium consideratione opus esse sci-

Digitized by Google

ret, generalem omnium reipublicae ordinum conventionem Varsaviae indixit, in qua tertium contra Moscos bellum communi consilio decretum, et longe maximis viribus Plescoviae totique adeo Moscorum genti illatum est. De eo nos summa sequentes rerum fastigia nunc quidem breviter tantum quaedam dicemus, ea potissimum de causa, ut videant mortales quomodo maximus ille coeli terrarumque Dominus impietatem Basilidis gravissimis poenis et suppliciis compensaverit. Plescoviae Ducatus sui olim juris fuit. Principesque virtute bellica illustres habuit. Sed Joannes Moscorum Dux corruptis pecunia sacerdotibus omnem eam regionem suo imperio subjecit, et urbem proditione cepit. Eversa deinde republica ejectisque per vim veris civibus, vinculis constrictos in Moscoviam transmisit. Ne tamen urbs vacua cultoribus esset, subditos suos, cum quibus bene illi conveniebat, in locum ejectorum substituit. Urbs ipsa aedium magnificentia, civium frequentia, divitiarum abundantia, telluris fertilitate illustris et clara est, muris quoque invictissimis cincta, munita turribus, et ad aspectum pulcerrima. In illam mercatores e Perside et Tartaria, et Sarmatia, et Livonia, et Germania et Britannia, et ex multis regionibus aliis saepe commeant, propter admodum celebre emporium. Olim in ea praeter indigenas advenae quam plurimi habitavere, nunc peregrini intra moenia nequaquam recipiuntur. Eam vero Rex capere cupiebat, ut inde Moscoviam omnem infestam redderet, et exitus hostium, quibus Livoniam primum, deinde etiam Lithuaniam invadere solebant, intercluderet. Inde etiam Novogrodia magna tantum triginta sex milliaribus distat, ita ut sit facillimum capta Plescovia, Novogrodiam, cum opus fuerit, occupare. Nec arduum munus videbatur inde in ipsam Moscoviam, quae Magni Ducis sedes est, excursiones facere. Igitur bello decreto, cum anno supra millesimum quingentesimum octogesimo primo 3 Calend. Maji, Varsavia Vilnam reversus esset, intra dies paucos multa militum millia in eam civitatem confluxerunt. Importata etiam sunt ex omnibus Regni partibus tormenta et commeatus et munitiones, et arma quamplurima ut Rex jusserat, adducta. Imperator exercitus Joannes Zamoscius designatus fuit, cujus eximiae prudentiae spectataeque virtuti Rex plurimum confidebat. Ille fortissimorum equitum alas atratasque cohortes in bellum ductabat. Ceteri quoque belli Duces ex Polonia, Lithuania Hungariaque exercitus maximos comparaverant. Farensbekius lectissimorum et veteranorum militum duo millia e Saxonibus adducebat. Sub idem tempus legati Moscovitici Vilnae praesto fuere, ut et bellum deprecarentur, et Regem domi detinere omni conatu et diligentia studerent. Sed cum nihil praeter vanissimas sui Principis epistolas reddidissent, unde venerant eo remissi fuere. Rex autem in conficiendo itinere summa celeritate usus est, adeoque castra promovit, ut hostes quem adesse non senserant, jam se videre vix putarent. Ordines lectissimi militiae Principes ducebant, ut si principia castrorum cerneres, senatum te alicujus priscae reipublicae videre diceres. A Plescovia haud procul Ostrovia abest, quae non tantum Serota fluvio ab uno latere alluitur, sed ex lapide etiam firmissimo aedificata est, congestisque aggerum molibus munita. Erat tunc quoque armis et tormentis, et hominum multitudine, firmoque praesidio instructissima. Hanc omnino debellandam esse Rex existimabat, ut ita Plescoviensium urbem terreret, priusquam ea vel oppugnata, veltotis castris circumsessa esset. Ita regii cum triplici agmine murum subire, dissonisque clamoribus, tubarum cantibus, tormentorum crebris ictibus strepitus horrendos edere coepissent, qui in praesidio erant metu territi ex arce trepide aufugere, omnemque illius tuendae curam et cogitationem confestim amisere. Rex tamen a direptione milites suos prohibuit, veniamque his, qui capti erant, dedit, praefatus bellum se cum Basilide, non cum infortunatis civibus gerere, cujus interitu, omnis ira bellumque finiri possit: nec minori sibi gloriae fore, si ab se Moscovia servata sit, quam si capta everteretur. Parcere igitur se muro arcis, ac tectis, quoniam homines quibus parceret, magna ex parte aufugissent. Capta Ostrovia Rex eadem alacritate propositis ad excitandos milites ingentibus praemiis Plescoviam contendit, et ad eam tertiis castris pervenit, triduoque postquam fieri maxime potuit, castra metatus est, civitatemque magnitudine ingentem, frequentem oppidanorum et e vicino nobilium atque agrestium hominum multitudine, nec parvo militum praesidio firmam, situ vero

Digitized by Google

loci aequabili et ex parte una flumine Velicarieca, praeterea muris, propugnaculis, turribus lateritiis satis munitam conspectu suo comperit, nec eam occasionem quam rumore omnium persuasus animo conceperat, nactus est. Nam et cives ad bellum egregie sustinendum parati erant, et Principes civitatis sese devoverant, quod aut mori, aut hostem repellere vellent, et inter praesidiarios quoque magnus erat devotorum numerus. Accedebat huc quod litteris a Principe suo nuperrime acceptis ad fortitudinem magnopere erant incitati: Ultima nempe supplicia timidis minatus fuerat, et alios spe praemiorum longe maximorum inflammaverat. Communi autem consilio Basilius Suiscjus, nobilissimus Ruthenus, delectus fuit, qui civitati praeesset. Is cum munus animo militari et confidenti suscepisset, omnia quae ad defensionem necessaria viderentur, strenue comparavit, commeatum in urbem intulit, munitiones instituit, vigilias disposuit, perpetuoque tubarum concentu, et horribili tormentorum reboatu regios bene vigilare coëgit; nonnunquam eductis ex urbe copiis acerrime cum illis dimicavit. Rex quoque actis ex parte australi munitionibus murum tribus ex partibus summa vi tormentorum omnium verberavit, proximisque propugnaculis tribus perfractis, et muro patefacto aliquem delectorum militum numerum intra ruinas immisit, qui explorarent, idoneane jam loca ad irruptionem effecta essent. Tum ceteri militari quodam ardore incensi, non expectato aliorum indicio sublatis signis statim subsecuti sunt, et inter hos nobilissimi aliquot cohortium praefecti fuere. Beccasius ab Hungaria oriundus, et summo in Regem studio et voluntate propensus, in hoc certamine globo in frontem immerso occisus est. Farensbekium tamen multas horas in muro dimicantem melior fortuna incolumem praestitit. Pugnatum est vario eventu. Nam multi ex nostris gravissime vulnerabantur, et ex hostibus plurimi missilibus confixi cadebant. Geri vero res ex sententia ob loci intra moenia iniquitatem, et praeruptum altumque descensum non potuit; et tamen miles regius propugnacula duo hostilia totum diem tenuit. Territus ad eum modum Sujscius litteras ad Basilidem facit, eumque de Polonorum potentia, et de discrimine calamitateque suorum reddit certiorem. Tabellarius vix urbe egressus a regiis capitur, dati fasces epistolarum ad Regem deferuntur, ex quibus praesidiariorum metum et pertinaciam facile cognovit. Interea ex Europa Asiaque legati in castra venere. Turcicus cum Regi de superioribus triumphis gratularetur, et sui Principis nomine copias ad persequendum bellum minime contemnendas offerret, admissus quidem non est, nec in fidem societatis receptus. Possevinus autem Jesuiticae professionis flamen, qui ab Pontifice Maximo tamquam pacificator missus erat, honorifice susceptus est, et in summa dignitate apud omnes fuit. Erant nonnulli qui crederent eum pacis afferre conditiones. Pontifex enim interposita sua insigni auctoritate dissidium illud tempestive componere studebat, ne forte ex talibus principiis reipublicae Christianae majus aliquod detrimentum oriretur. Et saepissime quidem in utramque partem de ingentibus illius belli incommodis disputatum fuit, cum diceret Possevinus, usitatum quidem Regibus esse, ut bello contendant, et ipsum quoque Basilidem, tam immanem Christiani sanguinis helluonem, excidio dignum videri: Quippe qui toties fidem fregerit, qui jurisjurandi religionem violando ita perfidiam suam manifestaverit, ut nunc etiam non injuria omni fide indignus videri possit, cum et homo sit eximiis simulandi artibus et fraude Graeca egregie instructus. Nunc tamen adeo graves eum temeritatis suae poenas dedisse, illiusque subditos tot cladibus affectos esse, ut nemo Christianus sine lamentatione flebili tantorum malorum meminisse queat. Quis enim, inquit Possevinus, adeo immanis est et barbarus, o nobilissime Princeps, quem tanta agrorum vastitas, facultatum exitium, arcium direptiones, caedes et interitus hominum, eversio templorum, et religionis non commoveant? Non autem illi qui tantas calamitates patiuntur, sed qui causam primo dederunt, malorum omnium, quae postea sunt consecuta, aequum est, ut poenam sustineant. Optandum erat ut in uno Basilidis capite tot caesorum manibus ultionem dare posses. Quod enim ad subditos illius adtinet, nihil mea sententia gerunt, quod valde vituperandum sit. Offensi dolent, lacessiti pugnant, illatas injurias acerrime ulciscuntur, Principis sui mandatis obtemperant. Quid ergo? Si illos homines, qui in Plescovia sunt, exstinxeris, continuo totum barbarorum genus

Digitized by Google

interimes? non certe; et eos qui haec audituri sunt, multo vehementius irritabis. Itaque dandum aliquid tempori censeo, dandum aliquid reipublicae et paci communi. Pontifici quoque Maximo, qui pacem vobis suadet, suus honos est habendus: et quidem, ut summatim omnia dicam, iniquissima pax anteferenda est justissimo bello. Dicentem Possevinum Rex ita audiebat, ut belli causam omnino e medio tollendam esse arbitraretur, aliter enim hos armorum tumultus nequaquam sopiri posse dicebat. Stabili enim decreto innixus, singulari perseverantia omnes longissimae militiae difficultates non minore virtute sua, quam Moscorum invidia, superabat et proposuerat emori potius, quam abscedere irrito incepto. Digresso iterum ad Basilidem Possevino, maximus ille belli et pacis arbiter Deus ad decimum septimum Septembris diem res Regis feliciter secundavit. Cum enim Dux Obolenscius cum lectissima equitum peditumque manu urbem irrumpere per flumen de nocte cogitaret, a custodiis quae eam in rem et in flumine, et in terra collocatae erant, exceptus, cum copiis suis partim demersus in flumine, partim cum se in ripam conjecisset, occisus est. Nec multo post Chvostovus cum quingentis equitibus auxilio obsessis venturus, eandem plane fortunam cum suis expertus est. Cumque jam pro magnitudine rei et bellicorum casuum varietate obsidio diutius duceretur, nec sibi committendum esse Rex judicaret, ut et autumnali, et primo hiberno tempore pessimis tempestatibus longissima et iniquissima via, magno cum jumentorum interitu, et militum detrimento sese in Regnum referret, belli duces ingentem in hostico terrorem circumferre jussit. Inter hos Christophorus Radivilo, quem nunc Vilnensem Palatinum conspicimus, et Philo Cmita, et Spitco Jordanus, facile principes fuere. Et Radiviloni quidem cura tuendorum finium demandata fuerat, eique lectissimorum equitum octo millia attributa, quibus ad propulsandos quorumvis hostium impetus uteretur. Sed excelso ingenio alta atque ardua meditandi nequaquam ea provincia placuit, pulcriorem potiundae laudis occasionem quaerebat, gloriosius ratus in hostico repellere bellum, quam in finibus admittere. Tandem impetrata ab Rege discedendi venia penitius quidem in hostis ditionem progressus, omnium animos cum felicitate rerum gestarum, tum una maxime celeritate, qua vehementer utebatur, incredibilem in modum conterruit. Eodem fere tempore ad Orszam, ad Mohilovum et Sclovum ferro flammaque Mosci grassabantur. Eo nuntio accepto Radivilo lectissimis ornatissimorum equitum alis instructus, nullam moram agendis rebus facit, hostique obviam progressus, multa fortiter, multa feliciter agit, civitates expugnat, agros vastat, inflammationem pagis, necem hominibus infert, praedas agit, et quasi tempestas quaedam cuncta prosternit. Cum ad ingentem lacum Lucojum venisset, hostias caedit, precatus ne se illae terrae invitum accipiant. Mox in districtum Smolenscensem invectus, eum, nemine repugnante, vastat. In tanta nempe rerum omnium perturbatione, nec animus Moscis ad resistendum, nec ad honeste moriendum erat; et Regii etiam quo major erat hostium vis, eo magis videbantur ad contemnenda pericula confirmari. Delatus postea inter infestas et irritatas gentes ad Porcovum, incolis non repugnantibus, fiducia religionis divi Vitoldi, a quo conditum oppidum erat, parci jussit; laetus non militiam tantum, verumetiam vestigia se tanti Principis secutum. Obvios tandem habuit Nosdrovatum et Michaelem Boratinscium, ex quibus hunc cum exercitu occidit, illum vulneribus deformem in fugam conjecit. Ea victoria potitus Rszoviensem ditionem ingressus est, eam autem, sicuti et omnem Moscoviam nobilissimus Volga fluvius pererrat, emensisque Casanensium et Astracanorum terris aliorumque Tartarorum desertis septuaginta ostiis in mare Caspium sive Hircanum influit. Radivilo vado in flumine reperto omnem eam regionem infesta populatione pervagatus est, Jetzsovumque celebre istis in locis oppidum vicit, et incendit. In tanto autem arridentis fortunae successu nobilissimam illam feram et hydram Lernaeam, ipsum videlicet Basilidem capere poterat, nisi ille conspectis in propinquo ignibus, et fama adventantis exercitus vehementissime perculsus, per noctem tenebris terroribusque importunam gemens et tremens ex Staricia cum Cadmaea sobole et ancillarum gregibus aufugisset. In eo tumultu Daniel Mursa a Basilide profugus ad Radivilonem venit, et vitae quidem fortunarumque omnium incolumitatem impetravit, sed tamen fidei parum sanctae cultae infamia

Digitized by Google

deflagravit. Non poterat quietem capere Radivilo, cumque ad Rszoviam civitatem delatus esset, ob tormentorum majorum defectum rem ex animi sententia administrare non potuit. Igitur agris ubique vastatis ad Mosajscum et Selisarovum prodigiosa celeritate contendit, et Selisarovum quidem incendio delevit, Mosajsco pecuniam imperavit. Non procul a Selisarovo fortuna lectissimas ei Tartarorum copias obtulit: iis tumultuario atque inopinato congressu victis, multos praecipuae nobilitatis viros cepit, et supra quadringentos occidit. Posthaec velut in finem victoriae Ducatum Novogrodensem invadit, vetustissimumque Russam oppidum aggreditur, praesidium dejicit, Michaelem Tureminum ibidem capit, et in vincula conjicit. Cum ad Vlodimirios venisset, obvios cum muneribus multos istarum terrarum incolas habuit. Ex his pro meritis singulorum alios in fidem recepit, aliis veniam dedit, praescriptis magistratui eorum pacis conditionibus. Ad extremum populationibus ad Uszicam et Porcovum, et in reditu ad Toropecium prolatis, cum Smolenscenses, Novogrodios, Rszovienses, aliosque populos maximis cladibus affecisset, et per inaccessos saltus itineraque rerum omnium difficultatibus plena ad hostes penetrasset, exactis in longinqua militia multis mensibus in patriam redire constituit. Exclusus enim anni tempore, quod pluvii brumales dies inciderant, quum gravissimi imperatorii muneris nomen gloria et fortitudine egregie sustinuisset, interjectis multis diebus in castra reversus est, triumphali laude insignis, ibique non oculos modo, sed omnium etiam studia in se convertit. Caesa putantur in hac expeditione supra decem hominum millia: sicuti ea de re in peculiari quodam volumine seorsim plura aliquando annotavimus. Dum haec a Rege et Ducibus in Moscovia geruntur, a sacratis quoque hominibus tumultus ingens in urbe Vilna excitatur, quo Rex varie affectus, plus fortassis moestitiae ex civili discordia, quam gaudii ex hostium interitu percepit. Sacrorum autem Princeps nuper admodum ex Latio in patriam reversus erat. Is cum Pontificis Maximi legato eam in curam incumbere coepit, ut homines a Catholica Romana Ecclesia dissidentes, e medio tollerentur, si emendari non vellent. Dicebat enim, quod Sarmatia omnis publice ac privatim propter impiorum hominum haeresin magnis ac frequentibus incommodis fatigata atque oppressa, diutius libertatem tueri non posse videretur, et propterea ejecto seditiosi dogmatis populo melius aliquando esset habitura. Igitur Cinglianorum Russorumque ac Lutheranorum libri, tamquam in religione pestilentes, ac rerum futurarum certissimi indices, praesulis jussu in clarissima meridiei luce comburuntur, et, ut poëta ille dixit, emendaturis ignibus dantur, quum interea Jesuitarum discipuli carmen in laudes coelestium Deorum ad ipsos chartarum rogos decantarent. Trepidabant tunc in urbe diversae religionis cives, et sacratorum conatibus omnino obviam eundum esse existimabant, ne forte seditione ex conspiratione facta in absentia optimi Regis opprimerentur. Nam et defunctorum corporibus tunc requies data non fuit. Cingliani enim, quum via Regia mortuos ad sepulturam efferrent, quidam sacratorum satellites ita in eos irruerunt, ut vix aegre aliorum interventu impetus retardatus sit. Quae quidem res, uti repentina et nequaquam exspectata, sicuti terrorem omnibus incussit: ita summos et infimos, atque adeo ipsos etiam sacerdotes ad arma exivit: ab ensibus tamen temperatum, donec ultima necessitas defensionem suaderet. Noctu etiam silentibus cunctis, terribili et insolito tympanorum signo animi civium turbabantur, quum econtra homines sacrati dicerent, eo sonitu excitari omnes, ut nocturnis quoque temporibus pro Regis salute orare discerent: quamquam id genus precum non paucos in suspicionem rerum novarum pertrahere videbatur. Interim Germani et Cingliani per idoneos homines suorum sacerdotum domos diligenter custodiebant, Cinglianique praesertim adeo impigre defensionem parabant, ut majora etiam tormenta ad aedes precum conveherent, conturbatisque ista alacritate adversariis, omnem eis consilii et auctoritatis rationem eriperent. Postea Abramovicium nobilem et valde strenuum virum ex agro in urbem revocant, et istis sacratorum conatibus ut resistere velit, magnopere orant. Is navandae operae, religionisque sincerioris studiosus, arcem urbemque ipsam munitionibus praesidiisque praesepsit, singularique celeritate atque peritia habitantes vicinis in agris nobiles accersens, Catholicorum animos veris illatis terroribus dejecit, tantaque virtute et perseveran-

Digitized by Google

tia inter ipsos cives, omnesque sacratorum hominum ordines omnia administravit, ut nemo omnium relinqueretur, qui non insignem aliquem metum ab eo vel militari ejus apparatu accepisset. Quibus de causis Germani ceteraeque nationes in religione dissidentes internuntium summa celeritate in castra ad magnates Lithuanorum misere, rogantes ut subsidia suis in religione laborantibus mittere maturarent. Rex vero simul ac execrabilem illum, et Lithuaniae funestum tumultum cognovit, indeque Sarmatiam omnem subito arsuram bello, non sine foeda rerum omnium confusione praevidit, principiis obstandum ratus inter dissidentes induciarum pacisque medium sese obtulit, praesulemque ipsum epistola humanissime scripta mitigavit. Ad urbis quoque Senatum litteras dedit, quibus omnes quid patriae expediret, quantum esset in seditione mali, quomodo discordia res maximae dilaberentur, sedulo, paterne, et diligenter docebat. Episcopus cognita Regis voluntate, et lectis litteris, ut tempori serviret a proposito desistere constituit. Nam et offensionem dissimulabat, et ipse etiam plures corporis sui custodes oblato stipendio conducebat. Cives deinde et subditi deposita in praesens omni acerbitate cum sinceram quietem recepissent, nihil se unquam expertos jucundius atque pulcrius ea libertate praedicabant

Supra diximus, quomodo Rex singulari perseverantia Plescoviae obsidionem continuarit, eam demum insignem esse victoriam ratus, quae praesentis Imperatoris fortitudine et manu pararetur. Illo absente Gothorum exercitus per Livoniam res novas moliri coepit. Nam Pontus Legatus Gothicae militiae praefectus, et vetus Moscorum hostis ad eas Polonorum victorias ita vehementer exhorruit, quum vir strenuus et acutus tam pridem Polonorum fortunam, et gentis opes agnovisset, ut Andrea Lurco, Georgio Planco, et Joachimo Schelio ducibus militem Germanum in Livoniam induxerit, et de invadendis alia parte Moscis omnem cogitationem susceperit. Cumque per se militaris gloriae decus expeteret, et alioqui a Polonis contemtum se crederet, cum ad Plescoviam nequaquam, uti speraverat, evocaretur, facile adductus est, ut ad praesentem rerum statum adapertis sensibus consilia omnia converteret, ea fortassis spe, ut se quoque (si fortuna tantis coeptis arrideret) aliquam Livoniae partem nemine repugnante consecuturum arbitraretur. Itaque nihil intermittendum ratus, quod in negotio semel suscepto opportunum foret, vocatis in concionem centurionibus atque signiferis, ceterisque ducibus animi promtitudine militiaeque peritia claris: Quid cunctamur, inquit, comilitones, in hac parum decora deliberatione? quasi Moscos toties a Gothis victos, si in eos armis erumpamus, minime simus e Livonia exacturi? Perrumpemus hercle, et cuncta obvia sternemus, dum ambigunt et consultant, an nobis sit occurrendum, vel manendum in oppidis et arcibus, quas ut in magno metu, magnoque temporis spatio maxime munierint, praestabo me hujus periculi facile Principem, ne consilium a verbis et audacia potius, quam a virtute sumtum putetis. Et meo certe ductu victoriam nobilem atque opulentam referetis. Nec mora centuriones ferme omnes fervidis et alacribus ingeniis sublata manu Ponto favent, plerique etiam eo ardentius, quo veteris virtutis excellentiam aliquo fideli illustrique facinore demonstrare cupiebant. Narvae fluminis superius mentionem fecimus, illud ex lacu maximo Czudscone ortum, venientiaque ex meridie Plescoviam et Velicariecam flumen hauriens tandem mare Livonicum influit. Ad hujus fluminis ripas Russi antiquitus oppidum habuere, quod elegantius et speciosius instauratum Joannes Basilides, de suo nomine Ivanogrodum appellavit, et est alioqui ejusdem nominis arx et oppidum aliud, quo tribus a Narva milliaribus distat.

Quoniam autem Narva flumen semper Livoniae terminus fuit, Crucigeri quoque in parte altera ripae oppidum et arcem munitissimam condiderunt. Sed Basilides exploratam a Livonibus victoriam relaturus, cum inconditam barbarorum armatorumque agrestium multitudinem provinciam induxisset, et veluti tempestas quaedam obvia cuncta prosterneret, aliquanto latius imperium suum proferre coepit, excitatoque per emissarios suos furtivo incendio repentina eruptione Narvam agressus est, egitque cum Germanis, qui in praesidio erant, ut cautionem de salute et fortunis accipientes in patriam suam proficiscerentur, quod et illi libenter fecerunt. Intelligebant enim non insani acutique homines,

Digitized by Google

sibi cum validissimis hostibus esse dimicandum, neque ullam omnino misericordiae spem ab iratis barbaris sibi superesse, si aliquo insigni accepto incommodo vincerentur. Ab eo tempore incredibilis negotiantium multitudo ex Lubeco aliisque locis in utroque oppido fuit. Nam et totius fere Moscoviae cives hic merces suas deponere consueverant, ut tanto commodius per Oceanum Germanicum in omnem Europam longe lateque deportarentur. Sed Pontus cum exercitu maximis tormentis rebusque omnibus longe instructissimo ex Revalia ad hostes profectus, Narvamque subjectam oculis e colle militibus ostendens, ubi ex praeda multo opulentiore, quam opinione aviditateque ipsorum concepissent, perpetuo ditarentur, edixit ut corpora itineris labore fessa paululum curarent, solitaque alacritate victoriam animo conciperent. Sequenti die cum luna oriens certis ictibus lucem afferret, de prima statim vigilia triplici agmine a tribus locis uno simul tempore Narvam, quae Germanorum antea fuerat, adortus est, prolatoque terribili tormentorum apparatu diebus viginti octo integris adeo vehementer moenia conquassavit, ut late prostratis adapertisque vallis et moenibus Gothicae legiones in statione conspicerentur. Quippe nec aggeres densissimi, nec acerrimus propugnantium ardor, nec munitiones fortissimae eam tormentorum muralium vim sustinere quibant. Mosci tamen adduci non poterant, ut hosti per ruinas in ipsam urbem irruenti sese dederent, tantaque barbaris et superbis eorum ingeniis innata erat de Gothorum gente contemtio, ut ultro etiam provocarent irriderentque hostes, quod tantum inanis operae frustra suscepissent, ut aditus in urbem pararetur, quando adaperiis etiam portis ad repellendum hostem animus ipsis suppeteret. Perfidiosam hanc levitatem deridebant Gothi, et ne exploratam a pervicacissima gente victoriam in discrimen adducerent, nihil se vel in hanc, vel in illam partem a proposito vivendi commovebant, circumventamque in media civitate Moscicam plebam tanta saevitia immanitateque trucidabant, ut imbelles homines projectis ad terram armis, suppliciter vitam deprecantes crudelissime caederentur. Nunquam enim ab ulla memoria vel in barbaros, qui Mahometis sectam colerent, vel in perpetuos hostes atque inimicos, vindictae libidine atrocius saevitum est. Nemini fuga patuit, quum et subitus Gothorum incursus, et foeda rerum omnium facies, et conturbata omnibus in locis civitas, omnem vel constantis animi vim, vel ferendae opis spatium inter dissonos morientium clamores eriperent. Gothi caesis late civibus, et praesidio undique pulso, oppido et arce puncto temporis potiuntur. Compertum postea ex multitudine stratorum corporum fuit, supra sex hominum millia cecidisse, et in his militiae duces gloria et virtute insignes fuisse. Sed nec apud Gothos victoria luctu caruit: ipsorum enim castra maximum a tormentis Moscicis acceperant detrimentum. Ea nuntiata et spectata clades, Moscos in altera ripa hebitantes, quamquam animo infractos, magnopere conterruit. Cum enim editas omnibus in locis ad sacietatem caedes, nobilissimos senes pariter ac juvenes tormenis excruciatos, violatum ubique matronarum ac virginum decus summorum pariter et infimorum civium domos, tanta furentium rabie ferro atque ignibus expugnatas e vicino vidissent audivissentque, dolore perturbati, clamores ingentes cum ejulatu miserabili sustulerunt, statimque de urbe deserenda cogitantes, nocte illa per diversas portas effugerunt. Qui remanserant antequam dilucesceret, Ponto clavem urbis arcisque obviam miserunt, vitamque et optatam avehendae supellectilis veniam ea tantum ratione impetrarunt. Rebus deinde compositis signa Regis Joannis in moenibus constituta sunt, et ipse Pontus in utramque civitatem est ingressus. Moscorum templa expiata continuo, et ritu solenni consecrata sunt. Milites ad praedam conversi praeter ceram, frumentum et linum nihil aliud, quod esset magnopere admirandum, invenerunt. Ad hunc modum utrumque oppidum Gothici juris factum est, et portus maris opportunissimus in potestatem redactus. Ad alias deinde in vicino hostium munitiones Pontus impetum convertit, Vejssenstejnumque et Coporium et Ivanogrodum dejecto feliciter praesidio cepit.

Ad auditam vero Gothorum victoriam Stephanum Regem graviter commotum ferunt, quod indignissime ferret, eam Livoniae partem quam Moscus jam retinere non potuisset, et pro qua longe maximo sumtu et apparatu bellum illud suscepisset, sibi absenti, et in hostico rem gerenti contra jus arctissimae affinitatis ereptam esse. Porro Moscorum gens tantis pe-

Digitized by Google

riculis et calamitatibus vexata, cum caedium, feritatis, atque saevitiae nullum inveniri posse finem arbitraretur, cumque universi senum captivitatem, filiorum mortes, virginum et matronarum stupra, oppidorum religionisque et libertatis excidium, apud animos suos reputarent, at mente consilioque deturbati tumultuari coepere, et principis sui cunctationem admirari. Sed tyrannidis metus, et insita in hominibus levitas et inconstantia faciebant, ut cum neque fidem sancte colerent, nullus eorum fidem sociis adjungeret: et cum ex suo ingenio quisque alios fingeret, reliquos suspectos haberet, et perpetuo etiam timeret, ne tamquam conjurationis alicujus auctor ad Principem deferretur. Coiere tandem Vlodimirii cum vicinis quibusdam populis, et se ad propulsandum commune malum paratos Basilidi obtulerunt: contestatique primum sibi fide et obedientia erga Principem nihil esse antiquius, defensionem petiere. Multis, inquiunt, mensibus, et totum triennium patriae calamitatem sedentes intuemur, religionem interea et libertatem nostram pessundat hostis; captivitate senes, caedibus juventus, stupris filiae nostrae foedantur: vastitas agris, excidium civitatibus affertur, et nos a pristina virtute tantum degeneravimus, ut praeclarius esse putemus, hosti terga obvertere, quam cives a clade incolumes praestare, et pro patria honeste mori. Sciunt adversarii, gentem ignavam facile superari posse, ideoque confidentius miseriae et infortunio nostro insultant: si vero conjunctis viribus obviam illis progressi fuerimus, hominum audacissimorum insolentiam haud difficulter contendemus, patriamque ab aeterno periculo vindicabimus: idque ut alacriter faciamus, templa, arae, religio suadent, patria postulat, liberi et libertas hortantur. Quando autem Dux et auctor nobis ad hanc rem opus est, rogamus te serenissime Princeps et Domine noster, ut filium tuum natu majorem nobiscum in honestissimam militiam mittas. Illo quippe in oculis nostris versante veterem bellicae virtutis opinionem facile recuperabimus, et pro patria vitam sanguinemque effundemus. Basilides non tantum maximi Regis exsistimationem, sed et divinitatis opinionem apud suos habebat, rumoremque in Moscovia spargi juserat, se Deorum monitu ab istis Polonici belli tumultibus retractum feriari. Igitur cum a civibus defensionem postulantibus, quasi neglecti officii accusaretur, fremere statim coepit, sibi insidias fieri, et dolos strui, et proditionem parari affirmans; et sane ita fieri solet, ut quoties aliquis bellum sui Principis injussu suscipit, offensio sit pestifera, et victoria invidiae plena: et qui tali aliquid molitur, calumniis plerumque innumerabilibus obnoxius est.

Postea Basilides in publicum etiam sine satellitibus processit, projectoque in vulgus diademate ac purpura, dare eos haec alteri jussit, qui aut imperare illis sciret, aut cui parere ipsi scirent. Commemorat deinde beneficia sua, ut Livoniam subegerit, ut Turcas Tartarosque compescuerit, ut denique dignitatem gentis suae non solum defenderit verum etiam auxerit. Quorum si illos poeniteat, deponere imperium, et tradere illis Regnum suum, quia Principem quaerant, cui imperent. Quum populus pudore motus, recipere eum Regnum juberet, tamdiu recusavit, donec seditionis auctores supplicio traderentur. Post haec ad filium conversus, ait, aususne es, nefandissimum caput ista mente et animo praeditus in conspectum patris venire? et odia ac seditionem velut exsultabundus excitare? usque adeone omnis pietatis oblitus es? nulla pugnandi occasio aptior quam calamitas patris, et belli infelicis aerumnae fuerunt? quid quod populi suffragio Dux vocatus, non dico patrem, Ducem certe civium tuorum dignitate privare conatus es? quid porro tu in facto isto, cospirationeque aliud, quam interitum meum quaeris? Quoniam igitur tu in patre Principem Moscorum non agnoscis, ego quoque Principem me magis, quam patrem indicabo, statuamque in te exemplum, ne quis posthac infelicibus miseriis parentum illudat. Ad eam objurgationem Ivanus vehementissime consternatus, cum dejectis ad terram oculis defensionem pararet, et supplex locum ad dicendum causam sibi dare postularet, in ipso orationis exordio Basilides adolescenti conturbato tacendi signum dare volens, scipione ferrato ejus tempora percussit. Ille quum plagam prae consternatione et metu nondum sentiret, nequaquam vulneratum se credidit, et mox inter eundum toto corpore cruore madens in conspectu patris exanimis in terram collapsus est. Ibi Pater confossum vulnere filium, sed spirantem adhuc, animadvertens, statim ex furrore in poenitentiam versus, manus in coelum tendit, quaerelasque flebiles edit, nunc affatur, nunc oscula-

Digitized by Google

tur, nunc solatur jacentem, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflet, nunc Deos accusat, qui juvenem tam carum in hoc malum conjecerint. Filius audito patris clamore, id saltem praesentis fortunae solatium se habere dixit, quod nequaquam postremas voces in casum emissurus esset. Sibi quidem ab eo sanguinem et vitam ereptam esse, a quo vitam sanguinemque acceperit, sed scire Deum, quod nullius conspirationis fuerit auctor: optare se, ut patri terrarum omnium contingat imperium, utque felicius in hostes, quam in filius ferrum stringat. Jam se justam magis, quam gravem sepulturae veniam orare. Inter haec ingens in populo strepitus, magna trepidatio, magis omnes Principis calamitatem, quam suam miseriam lugebant. Ipse Basilides quasi mente commotus, humi tantum consedit, non cibum, non potum poposcit, non denique servilem sordidamque togam deposuit, et acclivis parieti, cum letalem in ore filii pallorem conspexisset, dies noctesque orbitatem suam et miserabilem filii casum deflevit, qui tandem quinta post acceptum vulnus die, inter tristissimos animi corporisque dolores expiravit. Eum solenni et regio funere elatum cum populus nequaquam adulanter luxisset, pater ipse, qui in suprema usque vitae momenta erga morientem omnibus tenerioris amicitiae et pietatis officiis erat perfunctus, ita desideravit, ut quum lacrimas tardissime deposuisset, si forte ejus elegantissimi juvenis memoria induceretur, vel laetiore in sermone veterem tristitiam et lacrimas ad oculos revocaret. Exsuvias in templo Michaelis regio more sepeliri, et majorum tumulis inferri jussit. Cumque illud facinus Deum assiduis cladibus gentis, et interitu totius populi, vindicaturum opinaretur, supra septuaginta septem aureorum nummum millia in Graeciam ad Patriarchas Constinantinopolitanum et Alexandrinum, Monachosque sepulcrum Domini Jesu custodientes transmisit, ut illi precibus et sacrificiis animam defuncti expiarent, ab infernalibusque poenis eam eriperent. Literas deinde ad Stephanum Regem fecit, quibus legatis suis eleemosynam ad Graecos deportantibus securum per Poloniae fines abitum impetrabat, quas Paulus Oderbornius, qui haec conscripsit, a regio Secretario acceptas recitari etiam audivit. Omnino autem constat, cum domi hanc a fortuna plagam accepisset, quum suorum captivitatem, hominum et urbium excidia, fusas fugatasque copias suas, arcium praefectos occisos, maximam commeatus et apparatus bellici vim interceptam vidisset, non importuna eum optatae pacis consilia circumspexisse, quando nequaquam pristinae felicitatis more tam bono prosperoque rerum successu uteretur, futurumque divinaret, ut capta Plescovia omnium gravissimam in regno suo tempestatem pateretur. Venerat ad eum ex regiis castris Possevinus, qui pacificatoris partes inter Principes sustinebat. Ille in consilium admissus de summis belli difficultatibus et componenda pace disserere coepit: Summae stoliditatis esse, dicens, Livoniam ultra defendere conari, quam nec recentibus quidem receptis auxillis egregia spe tueri posset, quando jam cuncti fere Livones contrucidati, patriaque pulsi interiissent: non esse funesta audacia, cum fortuna diutius contendendum, quando Mosci, qui in provincia essent, satis superque divitiarum et emolumenti ex ea acceperint. Jam cedendum esse Polonis, amissae postea provinciae dedecus ad ipsam fortunam pertinere, quae res mortalium vario eventu augere et minuere consueverit. Proinde sumendum esse consilium a prudentia, quam necessitas exprimeret, non ab inani animorum obstinatione, qua nihil iis, qui in extremo discrimine versarentur, letalius accidere posset. Sibi ergo tam honestum, quam omnibus ad salutem necessarium videri, dedere Polonorum Principi Livoniam, ejusque qui pro gloria certare existimari vellet, fidem experiri; nec enim fortibus viris opportunum in patria locum esse defuturum, ubi meliore fato militiae signa defigerent, et acceptas superrime a Tartaris injurias, egregio libertatis studio, et commodiore tempore ulciscerentur. Ita Basilides flagrantissimis Possevini concionibus incitatus, et extrema etiam necessitate compulsus in consilium tractandae pacis praeclarum maxime studium ostentabat, Stephanumque Regem literis amicissime scriptis hortabatur, ut ad avertendam sanguinis Christiani profusionem honestae concordiae conditiones amplecti vellet. Nam adhuc quidem rapinae, caedes, incendia, terrorem passim incutiebant, et vulgus militum, ut cum elementis etiam et rerum natura pugnaret, in mediis et densissimis nivibus casos passim exerexerat. Rex quoque et proceres ex Augustalibus egressi, ligneas domos incolebant, at

Digitized by Google

in hostico ita versabantur, ut nescio quomodo in media Polonia aut Lithuania securius habitare potuissent, habentes scilicet in ipsis castris imaginem quandam larium ac domesticae sedis. Nominata tandem est Zapolscia, quo in loco de compositione pacis pensitatis et examinatis utrimque conditionibus tabulae scriberentur. Nam nec ipsi Regi reportandae victoriae cupido, et per se impigro bellatori, animus consiliumque amplectendae concordiae deerat. Distat Zapolscia viginti quatuor a Plescovia milliaribus, ea via, qua Magni Ducis instituto veredi Novogrodia Zavolotiam et Velicolucum disponuntur, cujus circum vicinam regionem omnem miles regius infesta populatione percurrerat. A Rege profecti sunt viri Principes et maxime nobiles, Stephanus Zbarascius, Palatinus Vratislaviensis, Albertus Radivilo Dux Olicae et Niesvisii, Magni Ducatus Lithuaniae Marschalcus, et Michael Haraburda. Illi cum ornatissimo equitum trecentorum comitatu Zapolsciam delati, Moscos expectaverunt. Hi namque nostrorum armis et populationibus territi, cum vix tandem vanis suspicionis et timoris offendiculis animum liberassent, aliquando tardius advenere. Fuerunt illi Basilius Jelecius, Ivanus Bassenco, et Zachareas quidam Basilidi a secretis. Rex dimissis legatis, eisque agendi cum hoste potestate data eodem die, qui Andreae fuit, iter Lithuaniam versus suscepit, cura gerendi interim et administrandi belli Joanni Zamoscio commendata. Adfuit legatis Principum Possevinus, qui spe et cupiditate constituendae pacis totus exarserat. Is ab imploratione opis divinae exorsus disertissima concione circumstantes monuit, ut in id consilium suscipiendae pacis praeclarum maxime studium ostentare, et in unum voluntate ac sensibus conjungi vellent. Quemadmodum, inquit, corpora coelestia, si vel paululum tumultuentur, aut recto cursu divarient, non sine gravi rerum humanarum pernicie id faciunt, id quod palam videmus in defectibus solis ac lunae. Ita summi Principes, si quid aberrent ab aureae pacis tramite, aut si quod bellum opum et regionum alienarum cupiditate suscipiant, id protinus ingenti totius orbis malo faciunt. Nec enim ulla unquam eclipsis sic adfligere potest hominum genus, ut diuturnum aliquod inter Principes vicinos bellum, quale nunc totum triennium hae gentes viderunt et defleverunt, quod tantum malorum omnium agmen secum traxit, in quo tantum Christiani sanguinis fusum est, in quo tot periculis objecta juventus fuit, tot orphani, tot viduae, tot orbi senes, tot mendici, tot infelices sunt redditi. Expendite cum animis vestris, quantum intersit inter hominem paci ac benevolentiae natum animal, et inter feras et belluas praedationi belloque natas: adhaec quantum intersit inter hominem, et hominem Christianum: Contemplamini, quam expetenda, quam honesta, quam salutifera res sit pax. E diverso, quam calamitosa simul et scelerata res bellum, etiamsi justissimum sit, si quod omnino bellum justum vocari potest. Expendite curas, sumtus pericula, molestum ac longum apparatum, sepositisque affectibus, vel tantisper rationem in consilium adhibete, dum vere supputarit, num id, quod hoc bello petitur, tanti sit, etiamsi certa sit victoria, quanti hactenus constitit hoc bellum. Nunc igitur, quando satis jam superque fusum est humani sanguinis, satis in mutua debacchatum exitia satis furiis orcoque litatum, satis diu, quae malorum geniorum pascat oculos, acta est fabula: post nium diu toleratas belli miserias resipiscite.

Quidquid hactenus insanitum est, fatis imputetur: placeat Christianis, quae quondam profanis placuit, superiorum injuriarum oblivio: Posthac communibus consiliis in pacis studium incumbite, et sic incumbite, ut non stupeis, sed sodilis atque adamantinis vinculis cocat, nunquam dirumpenda. Jungat aeterna concordia, quos tam multis rebus junxit natura. Communibus studiis agant omnes, quod ad omnium ex aequo felicitatem pertinet. Huc invitat ipse naturae sensus, huc ipsa humanitas invitat. Huc totius humanae felicitatis auctor Christus vocat, huc pacis commoda, huc belli calamitates vocant. Vocat huc Maximus ille Pontifex, in specula pastoralis vigiliae constitutus et Christi vicarium in terris gerens. Si vero oves estis, sequimini pastorem: si filii, morem gerite patri. Videtis hactenus nihil actum tumultibus, nihil promotum armis, nihil vi, nihil ulciscendo. Nunc contra periculum facile, quid possit placabilitas quid concordia. Nunc gratia gratiam pariat, et beneficium beneficio invitetur, isque regalior et splendidior habeatur, qui plus de suo jure concesserit. Ea admonitione Possevinus magnam amplectendae pacis cupiditatem omnibus injecit: plerique enim

Digitized by Google

belli taedio affecti erant, nonnulli etiam liberius postulabant, ut actionis atque amicae compositionis statim initium fieret, quod prorsus indignum esset, eam Pontificii legati orationem contemni, privatosque quorundam affectus publicae utilitati anteferri. Cum ad rem ventum esset, Mosci omnia ea, quae in disputationem veniebant, diligentissime versare animo et cogitatione circumspicere erant soliti. Ipsi etiam regii legati propter dolos et insitam barbaris levitatem et inconstantiam, non multum illis credebant. Memoriae enim proditum erat Joannem Basilidis avum sub Casimiro Magnam Novogrodiam contra jus foederis occupasse. Hujus vero filium sub Alexandro Starodubam, sub Sigismundo Smolenscum expugnavisse. Denique Basilidem avitarum fraudum haeredem Augusto Polotiam, Henrico Pernaviam haud dissimili perfidia eripuisse. Quibus vestigiis territi fidem Moscorum valde suspectam habebant, idque eo amplius etiam, quod eorum tergiversationem de tradenda Livonia cum insigni taedio et indignatione tolerare cogebantur. Basilides enim, sicuti primo congressu legati ostenderant, praecipuam provinciae partem cum Mariaeburgo retinere cupiebat. Itaque cum haec expensa et deliberata initis rationibus explicarentur, legatique diversis inter se studiis in partes scinderentur: tandem Possevini ardentissimo studio incitati, et humani sanguinis profusionem cavere cupientes, pacem componere statuerunt: et statim Mosci de reddenda Regi Livonia potestatem sibi traditam dixere: ita tamen, ut et Rex arces quasdam hoc bello captas se illis redditurum promitteret. Ad eum modum cum singula accuratis rationibus explicata essent, conscriptae sunt pacis tabulae, et pontificia auctoritate confirmatae. Ut scilicet Rex tempestive exercitum ab urbe Plescovia deduceret, serioque incendia et populationes agrorum prohiberet: arces item omnes et oppida superiori anno capta Moscis redderet, id si benigne fecisset, Mosci econtra totam Livoniam, et omnes in ea possessiones se reddituros pollicebantur, nec Velisium, Usviatum, et oppida alia ad Polotiam pertinentia repetebant. Appositum etiam diserte in conditionibus erat, ut Moscis supellectilem omnem sine impedimento ex provincia avehere liceret. Occupaverat interea, sicut antea memoravimus, Gothorum exercitus utramque Narvam, ea de injuria cum et Mosci quererentur, et nescirent etiam, quam vere oppidorum istorum possessionem tradere Regi possent, legati illis quiescere jussis, Regem ea de re nihil obstante hac pacificatione cum Gothis transacturum dicebant. Ad postremum cum ventum esset ad illos, quos mitior fortuna captivos principibus praebuisset, judicatum fuit, eos interposita pactione nummorum in libertatem vindicari posse. Tempus deinde, quo in pacis conditiones juramentum daretur, communibus suffragiis est designatum, ita ut Poloniae Rex ad dicimum Junii diem in Moscovia: Basilides vero 18. Calend. Septembris in Polonia per legatos juraret. Tabulae pacis cum ab ipso Possevino confirmandae essent, res tali pompa peracta est. In oppido Zapolsciae Passarisso vilem ille domum incolebat, quam contra intractabiles frigidissimi coeli tempestates exstruxerat. Huc vocatis ad se legatis statim ex materia scutulata et serico pretiosissimo altare condidit, cumque religiose et Romano ritu sacrum fecisset, tabulas istas aris admovit. Affuere statim cum suo flamine Mosci, crucemque patrio more reverenter osculati sunt, et palam professi, se istas Principis sui nomine conditiones ratas et firmas habere. Illis remotis, Possevinus signum itidem Christi in crucem sublati, quod Roma advexerat, regiis venerandum praebuit, et tamquam praesens Pontifex istam optatae pacis actionem, ictumque foedus et decennales inducias in nomine trini numines ratas esse jussit. Atque ita post tertium annum gravissimo bello finis est impositus, tanta cum laetitia Basilidis, ut magno metu magnoque periculo liberatus, nihil jam publicis et domesticis calamitatibus (quas longe maximas perpessus erat) omnino commoveretur. Acta haec fuere ad 15. Januarii diem, anno a partu virginis 1582. Legatis in castra reversis de facta pace statim rumor emanavit, qui non apud multitudinem solum, verum et apud eos, qui Principes habebantur, laetitiam ingentem excitare visus est. Gaudebant enim universi, quod longe maximi Principes, qui odiis acerbissimis irritati in mutuam perniciem ruebant, intestinisque et civilibus bellis hostium et immanium barbarorum vires amplificabant, deposita in praesens omni acerbitate et armorum strepitu optatissimum aureae pacis nomen felicemque concordiam amplexi essent. Zamoscius Regis exercitum imperio continebat, si



Digitized by Google

cum ornatissimis equitum alis obviam legatis progressus sermone perjucundo et humano eos excepit. Postea misso ad urbis praefectum caduceatore, de pace composita eum fecit certiorem. Ille quam gratus sibi nuntius esset, multis signis ostendit. Quum vero rogaretur, ut ad epulas in castra Regis descendere, et cum Principibus Polonici exercitus amicitiam inire vellet, causas, quibus adductus id facere non posset, gravissimas ostendit. Misit tamen ex praecipua nobilitate viros, qui officii causa convivio juxta regiam magnificentiam instructo adessent. Illos Zamoscius in tabernaculo pulcerrimis tapetibus et aurea veste instrato excepit. Cumque jucundissimo sermone tempus aliquod cum illis insumsisset, mensam instrui, et ingentem epularum apparatum fieri jussit. Convivium fuit a diei principio ad multam noctem perductum, multisque dapibus et maxima vini copia, et cantibus et symphonia celebratum, omnes etiam, qui fuerant invitati, muneribus large atque munifice donati in urbem reversi sunt. Nec multo post Zamoscius obsidionem solvit, exercitumque per multas itinerum difficultates incolumem in Lithuaniam reduxit, cui deinde Rex et Respublica gratias egere. Festos etiam dies per omnem Sarmatiam populus egit, supplicationes instituit, et Deo Optimo Maximo grates persolvit, quod optata brevitate bellum finitum, et exercitus esset reductus. Basilides autem tantis calamitatum vulneribus afflictus, gesto infeliciter bello, et amissa veteri virtutis opinione, cum exercitu, tormentis, commeatu, arcibusque et castris passim exutus esset, cum domi filio orbatus suorum etiam captivitatem, excidium et mortes vidisset, cum sollicitis et acerbissimis cogitationibus vexatus a civibus tacite contemneretur, et ab hostibus irrideretur, morbo ex aegritudine animi contracto decessit, anno post finitum bellum secundo. Exercuerat paucis ante diebus immanem adversus suos crudelitatem, regionemque omnem civium caede, et lamentabili quiritatu innoxiorum repleverat, nulla nec humani, sanguinis nec sexus, nec aetatis misericordia permotus. Nam et duo millia et trecentos, qui Polotiae et in aliis arcibus deditionem fecerant, in numerum proscriptorum retulerat, aut consumturus eos, aut in ultimam barbariem relegaturus. Hos composita pace evocatos, cum abjectis armis humi corpora prostravissent, protinus interficiendos, aut in foedissimos carceres abjiciendos curavit. Nec illos tantum, qui in armis ignaviores fuerant, occidit, sed etiam quieti animi cives damnatorum numero adjecit, atque ita veluti purificato regno, se suavius aliquanto victurum opinatus est. Captivos quoque, quos ex omnibus fere nationibus innumeros habebat, ut crebris mortibus barbaram feritatem satiaret, ultimo supplicio afficere decreverat. Et ego certe affirmaverim facile, optimum et benignissimum Deum, creberrimis illorum hominum supplicationibus, contra quos tyrannus ferrum acuebat, venena temperabat, laqueos apprehendebat, novos cruciatus circumspiciebat, fatigatum, ultimum ei fatum immisisse. Cum alioqui ea firmitate corporis et membrorum robore ad perferendam quamlibet vel etiam continui morbi contumeliam in multos dies omnino paratus videretur. Sed vi numinis ea infirmitas ita demum vehementer incubuit, ut desperatis medicinae remediis, mente commotus, miserabilem prorsus vitam duceret: Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere, ita ut mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud quam filium Ivanum vocabat. Ivanus illi videri, Ivanus audiri videbatur, cum illo loqui, cum illo consistere, interdum quasi vivum flebiliter accersebat. Post longum deinde luctum resumtis parum per viribus Arinam Ududoviam, honestae pulcritudinis feminam, et filii uxorem sui, officii causa in aulam venientem ad stupri consuetudinem perpellere voluit, nec aliter illa, quam dum clamat, servata est. Ea spe frustratus, cum infestos sibi nonnullos propter id scelus videret, ne esset, qui rem in vulgus efferre posset, homines sex nobiles interfici jubet, et in his Michaelem Sussinum, virum claritate generis et operibus erga patriam illustrem. Ipsam quoque feminam aut regno pellere, aut interficere statuit, omnique studio et diligentia cum filio egit, sive conscientiae pudore, sive animi furore adductus, ut illa depulsa aliam in matrimonium reciperet. Sed apud filium cum plus valeret honestas, quam preces patris, Basilides ex furore in poenitentiam versus (ut sunt omnino vani et instabiles tyrannorum animi) blandimentis cum suis agere, et singulos suppliciter alloqui coepit, nunc commilitones

Digitized by Google

suos, nunc suos amicos appellans, periculorum et operum omnium socios, nunc refugia salutis, et unica praesidia commemorans: solos esse quorum virtute Livones sint domiti, solos qui militiam patris avique sui secuti sint, per illos se Imperatorem factum, et immortalem gloriam ex devictis Tartaris Turcisque consecutum. Post haec humanae fragilitatis et semel in vita mortis memor trepido et anxio consilio munera ad captivos omnium nationum in vincula misit, rogans simul, ut suam incolumitatem assiduis precibus coelestibus diis commendare vellent, id si alacriter fecissent, libertatem singulis et optatum in patriam reditum liberalissime pollicebatur. Sed tyrannum fera rabie et turpissimis saevitiae maculis infamem justo odio prosequebantur omnes, in quo nihil humani praeter ipsam formam hominis esse sciebant, qui vivos homines medios secare solebat, qui parentes liberorum vesci corporibus cogebat, cujus nomen merito universae rerum naturae invisum esse putabatur. Igitur eo nuntio, quo miserrimae lucis usum et infelix momentum vitae tyranno ab Deo immortali impetrare jubebantur, in laetitiam et tacitam hilaritatem conversi, precati sunt summum Dei numen, ut hoc monstrum, cui extingui, quam superesse utilius sit, de medio tollere vellet. Tu, inquiunt, o ter maxime atque optime coeli pater, te imploramus atque obtestamur, sine nunc tandem vigilare oculum tuum vindicem, tuamque justissimam indignationem a scelere nostro averte. Si enim numen tuum sanctissimum indignissimis aliquando flagitiis offendimus, si irreligiosi, si petulantes fuimus, tuae quaesumus clementiae filii tui merito nobis acquisito umbraculo istam animi operumque nostrorum impuritatem tege, quando poenarum nunc (ut speramus miseri) satis pependimus, quando aras, templa, et religionem nostram ille tyrannus evertit, qui nunc etiam ad unam vitae conditionem omnes redegit, qui stupris foedatas conjuges nostras occidit, qui maternis gremiis superpositos infantes nostros in conspectu parentum aut ferro transverberavit, aut palis infixit, aut parietibus illisit, et nos etiam inter ipsas crudelissimorum custodum manus hanc caducam corporis possessionem tantisper retinemus, donec vita nostra levi afflatu violentiae concussa statim dilabatur. Tu igitur, o multum benigne pater, tu his nos miseros vinculis et calamitatibus eximе, et illum tyrannum genus humanum cruentis in tenebris sepelire conantem dele: illo enim vivente et furoris compote in suo statu mundus manere non poterit. Hae singulorum preces, haec universorum suspiria, iste miserrimorum matrum et parvulorum clamor Basilidi, ut credere par est, fatum maturaverunt. Morbus enim adeo vehementer demum incubuit, ut putrescentibus intestinis et visceribus, ipsa etiam naturalia teterrimo foetore infecta ab animalibus, quae tabidis in corporibus nasci solent, laniarentur. Itaque quum inter acerbissimos animi et corporis cruciatus cibo et potione infelicem et crudelem spiritum aliquandiu prorogasset, pene priusquam opinari potuisset turbata ratione, in fatalem horam et ultimam rerum lineam venit, sed nequaquam tamen vulgari genere mortis absumtus est. Nam paucis ante diebus, quam e vita migraret, ter letalem sensuum motuumque stuporem et hebetudinem passus, quasi reservata a Deo in eos dies impiorum flagitiorum poena horas viginti quatuor continuas mortuo similis jacuit. Prima vice expergefactus obducta, et tristi fronte filium rogavit, ut quosdam in arctiori custodia ad ultimum supplicium asservatos vinculis solvere vellet, professus palam, se in quodam loco tenebris terroribusque importuno propter eos gravissimis tormentis affectum esse. Quibus verborum terriculamentis permotus filius, istorum carcerum tecta statim demoliri jussit, et per totam urbem supplicationes decrevit, precatus deos, ut patris vitam, qui ob nimiam avaritiam et crudelitatem cunctis hominibus invisus esse coeperat, bono tandem fine claudere dignarentur. Captivis etiam largissima manu pecuniam et alimenta dedit, libertatem praeterea et honestam vitae conditionem illis pollicitus, si ab summo rerum Domino brevem tantum istorum cruciatuum mitigationem Basilidi impetrassent. Potentior autem fuit ira Dei justissimi, quam hominum preces. Quippe tyrannus letali pallore perfusus, et horrendum in modum foetens, iterum exanimatus ante oculos circumstantium sine sensu jacuit, praesentissimumque mortalibus aliis documentum dedit, homines impios et sceleratos in ultimo etiam die eas poenas rependere, quas vivi et valentes effugerant. Inter haec magnum in urbe silentium, magna rerum exspectatio.



Digitized by Google

Nemo quippe Principis fortunam serio flevit: nemo moriturum vivere cupivit: ostensam libertatem senes laudabant, patribus e carcere evasuris filii gratulabantur: meliorem rerum statum omnes sperabant. Basilides cum velut ab inferis excitatus iterum ad sese rediisset, ad filium conversus, exactiones, inquit, et vectigalia, quae in provinciis ampliatis reditibus semper deteriora feci, abolebis, eosque homines, quos bonis impotenter exsui tuis regiis opibus sublevabis, et captivis etiam ad unum omnibus missionem et libertatem dabis, et has quidem ultimas preces meas apud te valere volo, nunc morior, et deos precor, ut tibi terrarum omnium donent imperium. Haec ille cum dixisset, in tertium lethargum incidit, nec multo post cum gemitu et miserabili vocis reboatu animam efflavit, disruptisque statim illis abscessibus, qui pudenda occuparant, tanto foetore ex profluente sanie totam eam habitationem implevit, ut adstantes, qui a pestifera tabe infici nollent, plenis passibus eo relicto diffugerent; decessit 28 die Martii, anno supra 1584, vixit annos sex et quinquaginta, et septem menses. Ubi fuit in publicum de illius morte nuntius allatus, cives se lamentis dediderunt, plangoreque et ejulatu totam urbem compleverunt. Sibi quisque ante oculos obsidionem, captivitatem et hostes vicinos proponebat, jam ruinam sui imperii, jam miserrimam servitutem recordantes, magisque omnes publicam, quam privatam fortunam deflebant. Trigesimo Martii die ex aula cum incredibili pompa fuit eductus, et exequiarum singulari magnificentia in templo Michaelis majorum tumulis illatus: eo fortassis uno beatus, quod eosdem penates et regiam et sepulcrum habuit. Corpus ejus ipso statim die emortuali fuit desideratum, nec deinceps a quoquam visum aut inventum: quod ipsum tametsi vix credibile multis videbitur: tamen ego certe haud obscuris ex relatione praestantium hominum innixus testimoniis, rem quidem rarissime auditam, sed veram me commemorare scio. Eodem enim momento captivis munera data sunt, et severe illis est injunctum, ut ab inusitato fati genere Basilidem vindicare, ejusque corpus, quod inveniri jam non posset, assiduis precibus ad sepulturam a Dei numine impetrare statim inciperent, eo quippe invento omnes optatam rerum omnium securitatem cum libertate et muneribus accepturos. Quoniam autem ira immortalis Dei et tantum cruciatuum morienti, et tam crudelis vitae finis homini immanissimo attributus erat, captivorum quidem fictis supplicationibus nihil fuit effectum, et illi cum post non multos deinde dies in has terras magno numero advenissent, rei veritatem praeclaro suo testimonio abunde nobis confirmarunt. Atque hic quidem est exitus potentissimi et crudelissimi Principis, quo majorem ad vicinos Reges atque populos auctoritatem terroremque nemo habuit. Statura corporis fuit admodum excelsa, toto habitu succoso et pingui, et eo quidem per singula membra venuste commensurato, sed parvis et micantibus oculis a barbara militarique ferocia valde terribilis, et quod homines sapientes vehementissime admirabantur, ad omnem fortuitae vocis jactum effuse ridebat. Nam et quoties ingentem hominum multitudinem miserabili strage edita foede et violenter lacerabat, toties ridenti similis jucundissimo voluptatis sensu fruebantur. Naturae beneficio admirabilem ingenii captum et memoriam rerum omnium singularem habebat, ita ut omnium captivorum ex omnibus nationibus nomina exactissime sciret et recitaret. Accidebatque interdum, ut quibusdam libertatem et reditum in patriam liberalissime concederet: tum si quem omni in numero parvulum aut hominem unum non invenisset, nec scribae de amisso rationem statim reddere potuissent, continuo eos aut ferro transverberare, aut crudeliter mactare solebat. Quando enim miseris beneficium erat dandum, quod tamen rarissime fiebat, tum vero naturae suae propensius indulgebat, et ad cumulandum beneficium tota benignitate et gratiae vela pandebantur. Libellos supplices ipse inspiciebat lectitabatque, et humillimo cuique fas erat injurias deferre, et liberrime conqueri de impotentia acerbitaeque magistratuum, qui contra consuetudinem antiquorum subjectos populos nulla moderatione vexavissent; convictis universam patrimoniorum substantiam et vitam eripere solebat. Suos enim thesauros ubertate proventus, et maximis vectigalium reditibus amplificare studebat: oderatque ipse avarissimus Princeps avaros homines, nec eos publicarum rerum regimini adhibendos putabat, qui privati commodi rationes nequaquam sincera populorum utilitate respicerent. Terminos imperii libenter ampliabat,

Digitized by Google

factusque jam ante bellum Sarmaticum tantus erat, ut non tam timeret hostes, quam timendus ipse hostibus esset. Exterorum quoque Principum amicitias ad tuendam nominis sui dignitatem ambitiosissime quaerebat. Nam et Maximilianum II. Caesarem in favorem sui sollicitaverat, et Persarum Reges Schachum Thamam, et Mahometem Hodabendum beneficiis obsequiisque devinctos habebat. Britannicae autem Reginae adeo impense favebat, ut et cum illius legato in intimam familiaritatem recepto, arcana rerum liberali fiducia communicaret, et magna ex parte consiliis ejus regeretur. Nam is erat aetate atque oris habitu gravis, ingenio et facundia insignis, cultiorum etiam literarum scientia, et multarum rerum experientia perornatus, quibus virtutum dotibus apud immanissimum Principem tantus evaserat, ut in belli pacisque negotiis nihil omnino decerneret, quod ad Pontum prius non esset delatum, in quo magnam vim rationis atque solertiae in expendendis absolvendisque negotiis admirabatur. In secundis fortunae flatibus mirum in modum animo efferebatur, et gloriae ita cupidus erat, ut ea solum de causa bella longe gravissima susciperet, et illud spectaret imprimis, ut sicut prisci quidem heroës in fama celebrationeque hominum esset. Igitur cum ab adulantibus Alexandri Macedonis titulo nonnunquam salutatus fuisset, ejusque vires corporis et animi magnitudinem pariter insignem dignis ad coelum laudibus efferri audivisset, captus inani cupidine tanti bellatoris acta superare, Elephantem quem nuperrime a Schacho Thama Persarum Rege dono missum acceperat, ita domare statuit, ut se cum satellitibus praetereunte, genua confestim disceret incurvare. Itaque multis mensibus eam consuetudinem diligenter observavit, ut rutilante primum aurora belluam in conspectum suum adduci, ejusque frontem acutissimo ferro transverberari juberet, futurum ratus, ut tot cruentis ictibus admonita, venerationi Principis paulatim assuesceret. Sed in tam dementi proposito multum, ac diu ridicule fatigatus, cum frustra vestigium aliquod in bruto pectore sensus quaesivisset, nec bellua majestatis opinionem obsequio suo comprobaret, indignatione deinde accensus, in frusta eam discerpsit. Cum Maximiliano Caesare foedus et amicitiam firmare percupiebat, eum enim Principem esse dicebat, eximia probitate constantique fide valde instructum, et super haec opibus maximis longe potentissimum, propterea in difficillibus et magnis rerum omnium perturbationibus firmam omnino spem in illius amicitia reponendam esse putabat. Sed dicebant tunc viri sapientes inter quasdam nationes tantam rerum dissimiltudinem esse, ut prorsus ab illorum abstinuisse commercio longe consultius sit, quam arctissimis etiam adstringi foederibus. Nam et Germania a Moscis tam procul dissita erat, ut etiam si valde vellet, barbaris tamen prodesse non multum posset, et Moscicae gentes adeo morosae ac foedifragae et insolentes habebantur, ut etiamsi in fidem receptae fuissent, tamen inutiles viderentur ad omnem amicitiam. Ultimum ad eum legatum ad comitia Ratisbonensia misit, quem Maximilianus in palatio aureo fulgore resplendente, Regibus et Principibus, qui illi aderant, stipatus audivit. Literas Basilidis hilari fronte accepit, et de statu rerum Moscicarum cum summa humanitatis significatione multa quaesivit; deinde de Basilidis moribus, aetate, consuetudine, de illius imperio, de filiorum numero percontatus est. Munera etiam, quae legatus illi deferebat, accepit, et quam grata essent, multis signis ostendit, seque omnia constantis amici officia vicissim illi praestaturum pollicitus est. Sed non multos post dies optimus Imperator vitam cum morte commutavit, cujus interitus ipsos adeo legatos et universos homines incredibili moerore afflixit. Tanta namque erat humanitate praeditus, ut utrum magis multi illius virtutem metuerent, an bonitatem amarent, esset explicatu difficillimum. Ita Basilides ingenti spe frustratus acerbissime illius Principis mortem tulit, nec multo post in belli Sarmatici Syrtes miserrime impegit, eoque, sicut antea memoravimus, ad finem perducto cum Stephano Rege amicitiam coluit, cui nobilissimos aliquot falcones cum venatoribus aurea veste indutis, paulo ante mortem per Eliam Pilgrimovicium dono misit. Pacis tempore cum in provinciis omnia pacata et laeta teneret, vitam in venationibus, in alea, in choreis, in libidine atque cruentis spectaculis libentissime traducebat. In venationibus autem diversam ab aliis Principibus consuetudinem observare solebat et hi quidem magnum saepe equorum et venaticorum canum numerum inusitatis sumtibus

Digitized by Google

alere consueverunt, ut equitatione varioque motu corporis aut valetudinem tueantur, aut noxias etiam bestias de medio tollant, aut speratas culinae suae delicias inferant. Ille autem ab immani audacia truculentus inter venandum innoxios captivos ferocissimis ursis objiciebat, tum si qui in frusta discerperentur, avidissimis oculis eam calamitatem spectabat: aliis qui ferarum impetum fortissime sustinuissent, munera in remedium calamitatum dabat. Itaque paucis ante mensibus, quam e vita discederet, ut inter acerbissimos animi et corporis dolores quadam jucunditate frueretur, multos ex captivis vinculis solutos cum feris depugnare jussit, et ipse de fenestra in subjectos campos prospectans pugnantium fortunam et vires in laborioso multitudinis discursu libentissime observavit. Inter hos Sarmata quidam inter eundum lapidem non magnum humo sublatum in manu gerebat, ad cujus conspectum cum portentosae magnitudinis ursus impetum fecisset, ille lapidem in os immanissimae ferae statim mersit, arreptaque lingua fortitudinis compendio eam pene exanimavit. Quod cum Basilides vidisset, admiratio in satisfactionem cessit, carioremque eum propter excellentiam tantae fortitudinis habuit. Aleam pictarumque chartularum ludum in deliciis habebat, cumque aliquando subtilissime et acutissime cum magnatibus suis collusisset, victores pariter ac victos aut interficiebat, aut eos truncatis crudeliter membris, abscissisque auribus ac naso, labiisque, deforme ac miserandum spectaculum reddebat. Si qui autem, ut eas contumelias declinarent, aequissimis animis se vinci paterentur, eos tamquam homines ignavos et hebetes fustuario et acerbissimis baculationibus subjiciebat. Alii qui omnino ludum detrectarent, statim sub specie insidiarum et contemtae Regiae Majestatis occidebantur. Libidine cunctos mortales longissimo intervallo anteibat, nobilissimasque feminas et virgines per vim constupratas heris parentibus remittebat, eae autem si quam indignationis significationem forte dedissent, domi suae supra eas mensas suspendebantur, in quibus infelices mariti et patres cibum capere consueverant, quibus nequaquam alio in loco aut coenare aut prandere impune licuisset, nam alioqui in eodem calamitatem profundo miserabiliter immersi violatae Principis Majestati poenas morte pendebant. Certe si nihil aliud dignum sempiterna exsecratione gessisset: his tamen imspiisimis sceleribus memoriam nominis sui posteritati devovendam propinasset. Pellices et concubinas cum filiis subinde permutavit, ex his quaedam ad Ivanum natu majorem transmissa, cum ab aliis mulieribus verborum contumeliis affecta et derisa esset, quod pudicitiam suam Principis filio audacissime prostituisset, illa indignissime eam injuriam ferens, rem omnem ad Principem multis cum lacrimis et quiritatu defert, ejusque fidem et defensionem implorat, obtestando ne se in contemtu hominum versari patiatur, quando mox ab ista concione poenitentia simul atque infamia sempiterna miserae laborandum foret. Ivanus amicam importunis vexationibus circumventam plane defendendam ratus, nactus occasionem opportunam proposito suo rem omnem patri commemorat, qui adeo aegre eam contumaciam tulit, ut nefario instituto omnes Moscoviae civitatis feminas propter scelus paucarum exstinguere cuperet, sed victus precibus suorum, multum quidem de ea severitate remisit, et miseras tamen matres acerbissimis contumeliis oneravit. Quippe minis ac terroribus compulsas in aulam eas venire jussit, ibi in conspectu filiorum et satellitum vestibus exsutae, nivibusque et frigore aspere admodum divexatae, miserandum cunctis spectaculum praebuerunt, et Basilides ad filii scortum conversus, utere nunc, inquit, isto voluptatis sensu, et calumniatrices tuas deride. Posthaec ex omni multitudine quasdam virgis caesas exanimavit, earumque cadavera feris lauianda dedit. Proditores et eos qui ignavius oppida arcesque contra hostium impressiones defendissent, longe exquisitissimis suppliciis de medio tollebat. Anno nempe sexagesimo nono cum Lithuanorum copiae Itzburgum expugnassent, Basilides Polubensium arcis praefectum praesidiariosque in Moscoviam reversos arboribus deligatos jaculis transfixit, subinde adhortatus circumstantes, ut horum exemplo territi animosius pro patria discerent pugnare. Alios etiam qui Buscum arcem Lithuanis necessitate compulsi dediderant, ingenti pecunia redemtos eodem omnino supplicio delevit. Germanos primo ita amare solebat, ut non tantum arcana rerum et Reipublicae administrationem magna ex parte cum illis communicaret; sed adeo etiam studiose illos dignitate et muneribus ornaret, ut magnatibus suis vehementer extero-

Digitized by Google

rum hominum fortunae invidentibus responderet, Germanos omnino istis muneribus et dignitate esse perornandos, quos cognovisset militaribus disciplinis liber aliter eruditos, et ministros Principum valde elegantes, nec tamen esse vaccarum custodes ut Bojarii Moscici, qui moribus pessimis et corruptissimis in aulam advolare consuevissent. Exosa enim habebat suorum civium ingenia, utpote qui minus cultis moribus exterorum consuetudinem frustra imitari et barbaram animi morositatem adversante natura emendare conarentur. Inter eos autem qui nuper adeo ex Germanica natione apud barbarum Principem floruere G. Farensbekius, Joannes Taubius, Elardus Crusius, et Christianus ille Bochornius, Magni Cimbrorum Ducis sacerdos, facile Principes fuere. Et Farensbekius quidem magna cum fortitudinis opinione felicem sub Basilide contra Tartaros militiam fecit. Aliorum intempestivus ex Moscovia abitus, ut molissime dicam, miseris civibus in Livonia multo humano sanguine constitit. Barbarus enim tyrannus iniquissime ferebat, se ab iis fuisse deceptum, qui vanis verarum virtutum umbraculis, subtilissimas artes incerti et parum sinceri animi peregregie contegentes, tam ingrate quam impie fidem fefellissent. His de causis multo suspicatior et crudelior erat effectus, adeo ut civibus Germanicae nationis quibus hactenus impunitatem concesserat, in belli pacisque negotiis nullam omnino vel exiguam fidem habendam esse judicaret, illosque Dorpati et aliis in locis miserabilem in modum plane inaudita feritate contrucidaret. Eos etiam qui in Moscovia habitabant Germanos impotenter bonis exsutos ita statim mulctavit, ut desperatis honestae vitae commodis atrocioris quoque supplicii metu vehementissime cruciarentur. Nunc qui in Moscovia degunt Germani ex recenti superioris status recordatione haudubie aurea vivendi tempora nacti sunt: omnibusque florentis pacis atque opulentiae commodis ad luxum beatique otii laetitiam affluentes liberam etiam Evangelicae doctrinae professionem et sacerdotem Germanicum a Thuringia oriundum habent, qui in magna quadam domo lignea cives Germanicae nationis pietatem docere solet. Nec enim memoriae proditum est, ullum hominem ab immanissimo Principe religionis ergo divexatum fuisse. In solos tantum Judaeos maximam semper crudelitatem exercuit, eosque si sacro baptismatis fonte lavari non vellent, aut vivos combussit, aut laqueo suspendit, nonnullos etiam in flumina praecipitavit. Nam dicere solebat, Principem sapientem nunquam fidem eis, qui mundi redemtorem prodidissent, habiturum. Nec ullum periculum esse magis timendum eo, quod a proditore compararetur. Esse quippe malum occultum et intestinum, quod priusquam praevideri possit, interimit. Igitur homines profligatos et perditos a se non dimittebat, sed cum voluptate quadam otiosos ultimis execrationibus devovebat. Ex captivis solos mitius tractabat Lithuanos, subinde eos fratres suos et vicinos appellans. Polonos autem et Germanos ceterosque omnes omnium nationum populos intolerabili servitute et acerbissimis conviciis onerabat, nihilque vehementius contendebat, quam ut omnem calamitatem, et adversae fortunae omnia mala et incommoda paterentur. Vivens non divinitatis tantum, sed et Summi Imperatoris et Pontificis Maximi auctoritatem apud suos habebat. Si qua de re graviore controversia incidisset, nec in expendenda absolvendaque ea finis inveniri posset, dicebant illi Deum et Magnum Ducem rerum omnium momenta ponderare, et exitum novisse. Ideoque sive perperam aliquid, sive laudabiliter fecisset, id omne fato et providentiae Dei acceptum referebant, et ipse etiam ut stolidis ingeniis dulcissima alimenta amplioris insaniae instillaret, magna cum omnium admiratione coelestium colloquia in quiete percepta in vulgus spargere solebat, suamque venerationem, quam apud subditos maximam semper habuerat, eo figmento mirabiliter multiplicabat. Sacra confecit, singulaque ceremoniarum obivit munia singulari cum majestate, ut nec ipsi flamines eo augustius et decentius sacrificasse dicerentur. De sanctorum hominum numero S. Nicolaum, Michaelem Archangelum, Eliam vatem, et Joannem Baptistam religiosissime venerabatur, futurum ratus, ut post tot patrata facinora illorum intercessione ad Deum immortalem commendaretur. Graecae autem ecclesiae quamquam Latina puriores habentur; tamen et ipsae multas adhuc vanissimas superstitiones observant, beatamque Dei genitricem et alios coeli Quirites frequentius inclamant, sicuti ea de re longiorem aliquando

Digitized by Google

narrationem habuimus. Basilides si quando sacris operam dare, et statas solennesque ceremonias observare vellet, continuo Alexandrovam iter vertebat, ut scilicet ab imperii curis liber animum ad res sacras expeditius revocaret. Sciendum autem est, Alexandrovam admodum speciosam Magnorum Ducum habitationem esse, quae a Moscovia civitate non amplius viginti quatuor milliaribus distat, et in formam magni alicujus monasterii pulcerrime est exstructa. Multa ibi Magnorum Ducum, populorumque visuntur munera, prorsus ut incertum sit, utrum magnificentia thesaurorum, an majestas religionis plus hic admirationis habeat. Huc delatus Princeps monachorum habitu et ipse utebatur, et satellitibus quoque suis sacratas vestes dabat, a quibus non modo abstinentiam et pietatem, sed orandi exemploque suo jejunandi expeditum et vehemens studium exigebat, eos maxime perosus qui aut minus promte jussis paruissent, aut importunis helluationibus sacrorum diem deformassent. Ipse interea legendi ac relegendi sacros libros absque ulla fastidii significatione avidissimus aeque et patientissimus erat, adeo ut cum cibo parcissime uteretur, et multis interdum horis in templo esset, omnium aliorum monachorumque oculos in exemplum actionum suarum opportunissime converteret. Verum omnia ista nequaquam ad veram pietatem, sed ad ostentationem potius et rerum pessimarum meditationem comparata fuisse, ipse exitus clarissime demonstravit. Quasi enim parricidia non jucundius quam sacra peragerentur, ita finitis statim precibus magnam hominum innoxiorum multitudinem immanissime scelestissimeque contrucidabat, damnatoque impiissimi consilii proposito id in tota vita praecipue spectabat, ut ab omnibus hominibus et consanguineis, et peregrinis, et civibus tamquam praesentissimus carnifex vehementissime timeretur: amabatque illam dirae immanitatis vocem; Oderint dum metuant. Nec poterant apud Alexandrovam aliter sacra finiri, nisi quotidie renovata caede viae cadaveribus repletae horrendum prorsus praetereuntibus spectaculum praebuissent. Sed ab his horridis et tristibus parricidiis, ad finem nunc tandem properemus, et istum tyrannum, qui omnia patriae suae sola lacrimis gemitu, caedibus implevit, qui violatis omnis amicitiae foederibus, pacem, leges, sincerumque pietatis et officii tenorem subvertit, stygiis tortoribus ipsisque Diabolis, cruciandum relinquamus. Ipsae vero religiones, araeque, cum illam belluam cadere viderunt, commovisse se videntur et jus in illius interitu suum retinuisse. Sublato tyranno omnia feuda in Moscovia obvenere. Filii enim sui natu minoris tutelam Bielsio Principi commendaverat cujus familia vetustate, viris, atque opibus erat insignis, quique ipsa regia auctoritate multum poterat, et praesentibus etiam opibus pollebat. Is ingenio peracri et saevo praeditus, Moscos grave servitutis jugum defuncto Principe excussuros facile praevidebat, amnesque conatus et cogitationes suas ad opprimendum Phedronem sive Theodorum, quem Regem deposcebant cives, et ad extollendum pupillum intendebat. Huic tamquam praeclara indole paternam haereditatem adeundi multorum magnatum studia non deerant: illum vero mirifica probitas, et melioris animi specimen, atque item aetatis praerogativa et ingentes opes ad tuendum Regni nomen pares vehementissime commendabant. Bielsius immoderata spe sua inductus, postquam animadvertit nonnullorum procerum animos vel creberrimis sollicitationibus in partes adduci nequivisse, et vigere in ingeniis subditorum vera et vetera odia adversus tyrannidem, comitiorum eventum minime exspectandum ratus, ad insidias et dolos confugit, habitisque magnis militum delectibus res novas moliri coepit. Ea audacia sollicitos et anxios reddebat Moscos, qui mitiorem servitutem jam diu sperabant, adeo ut Bielsium, ad quem magni militum concursus fiebant, palam perfidiae compellarent, adapertisque sensibus arcanae mentis proferre, rationesque suas effusius atque liberius communicare inciperent. Querebantur enim pupillum et filium Basilidis a Bielsio nutritio circumscriptum, obsessumque teneri, illigarique novis rerum conturbationibus, quae ad minuendam convellendamque reipublicae dignitatem pertinerent, crudelissimas recensendo turbas, quibus communis patria simili plane principio inexpiabiles injurias accepisset. Ibi Bielsius cum magnam partem aulae et nobilitatis ad promovendum Theodorum valde propensam et inclinatam comperisset, et multi *in* libertatem promti decora atque salubria amplecti quam uni homini parum secunde obsequi mallent, in quo uno pristinae tyrannidis vestigia, et Regni gubernacula viserentur, officii sui

Digitized by Google

munus ingenti animo, et omni conatu implere constituit, evocatisque beneficiariis magnatibus, et amplioribus copiis paratis, quibus effrenes populos ad officium revocaret, et inimicorum contunderet spiritus, occupata in urbe Moscovia primaria arce cuncta pro libidine administrare, et in universum omnes contemnere irride reque coepit. Id vero minime ferentes viri nobiles, et ingenio feroces, ut plerumque fit in turbidis et repentinis casibus, consilium plane audax et successu longe foedissimum capiunt, jamque ad communem libertatem erecti in unum conjurant, copias instruunt, et contra Bielsium a quo expilati oppressique indignissima paterentur rebellant, eductisque ex Principis armamentario ingentibus tormentis arcem diversis in locis vehementissime conquassare incipiunt. Cum per multas horas utrimque acerrime esset dimicatum, et in arce multi passim interficerentur, praesidiarii et milites metu territi, alii alio habitu, atque itinere dilabuntur. Bielsius eodem animo arce egressus, dum aufugere contendit a civibus sistitur, maximisque verborum contumeliis exceptus, admonetur, ut, si vivere velit a clavo reipublicae discedat. Satis superque enim perspectam esse omnibus Moscoviae populis ejus crudelitatem, regnandi libidinem et insolentiam, itaque indignum videri qui communem salutem regat, cum ad evertendam publicam tranquillitatem contra patriam arma sumpserit; se et tum legitimi Principis nomini parere, et perpetuo fidem servaturos: sed decrevisse populum Moscicum nolle eas turpissimae servitutis compedes diutius perferre, quas avarissimi et iniquissimi viri Basilidis olim satellites nihil tale exspectantibus hactenus innexuissent. Bielsius autem tranquillo vultu postquam ita necesse erat, armatis hostibus paruit, nec multo post omni dignitate spoliatus libero exsilio ad Casanenses discessit, et Theodorum Basilidis filium, quem unum maxime exclusum volebat, conversis omnium suffragiis ad summi honoris fastigium provectum vidit. Is per se quietis atque otii amantissimus et corpore ad equitandum gestanda que arma peridoneo, atque habili praeditus, tanta humanitate atque munificentia singulos omnium ordinum cives est complexus, et ita moderate rempublicam constituit, ut aequissimae libertatis status, renovata felici illa veterum temporum conditione, reductus esse videretur. Sub id tempus a Rege Polonorum Leo Sapieha, juvenis nobilissimus in Moscoviam advenerat, ut et munera Basilidi deferret, et reipublicae nomine mandata quaedam exponeret. Fuit ille ab omni nobilitate, et a magnatibus cum maxima significatione humanitatis satis benigne et comiter acceptus; Principes enim prioris inimicitiae invidiam postremo conversis voluntatibus beneficio et muneribus abolere studebant. Sed cum interea Basilides diem suum obiisset, Sapieha modo in hoc, modo in alio loco detentus tardissimis itineribus profectus est, donec rumor advenisset, Principem insigni pompa funeris elatum et sepultum esse Tum demum in urbem et senatum perductus, in eos, quos diximus, crudelissimos, tumultus incidit; et primo quidem senatu scissis in duas partes magnatibus apud barbaros tantis turbis intricatos parum effecit, tanto majore molestia affectus, quanto majus vitae suae discrimen in foeda rerum omnium conturbatione adiisset. Paucis interjectis diebus Princeps haud duble poenitentia ductus, revocatum ad se Sapiehan patientissime audivit, ita ut praeteritae contentionis insaniam detestari, et Regi Poloniae praeclarum maxime studium in rebus omnibus polliceri videretur. Sapieha deinde litteras ad Regem fecit, quas ego Grodnae vidi, et quibus ille barbari Principis mores exacte delineabat, docebatque simul quibus modis esset enitendum, ut Mosci in tanto rerum cardine omni imperio et dominatione exsuerentur. Cum haec a Moscovia in Lithuaniam nuntiarentur, Grodnam profectus eram, ut gravibus quibusdam de rebus Serenissimi Regis nostri sententiam coram intelligerem, a quo cum clementissime auditus et dimissus essem, forte fortuna in legatum Turcicum incidi, qui nuper adeo Constantinopoli advenisse dicebatur. Chaus is erat Chiauses Mamelucus a Transsilvania oriundus, cui antea Eustachio nomen fuerat, et qui non procul ab Alba Julia in oppido Tordo multos annos Ludimagistrum professus, pueros in trivio docuit, id quod illustris vir, et Regis per Transsilvaniam Cancellarius Martinus de Bersevico praeclaro suo testimonio abunde mihi confirmavit. Postea desperatis honestae vitae commodis immane facinus abjurandi Domini Jesu vecordi animo concoepit, nec tantum in servitutem se tyrannicae dominationis tradidit, sed et maximarum opum cupiditate Mahometis sectam

Digitized by Google

amplexus est, prorsus quasi veram beatitudinem in divitiis haberet, et coelo non indigeret, quoniam abundaret auro. Ad eum visendum cum introductus essem, erga me quidem benigne et comiter omnibus humanitatis officiis est usus; ut pote qui, in Christianorum ditione humanitate vinci longe turpissimum esse judicaret: sed minus sincero animo de Christiana religione locutus filii Dei Majestatem ita verbis contumacibus oppugnavit, ut damnatas pessimorum hominum opiniones ad veterum blasphemorum imitationem studiose defendere videretur. Vanissimis enim verborum lusibus utens, Christi notionem homini prorsus inutilem esse dicebat, cumque ex Evangelio B. Joannis Evangelistae auream illam et divinam nostri Salvatoris sententiam in medium adduxissem: Haec est vita aeterna, ut cognoscante te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum: illo econtra ea verba ita interpretabatur ut diceret potentissimos in mundo Reges bona sua per certos nuntios et ministros vendere consuevisse: talem nimirum aeterni illius Regis servum fuisse Christum, per quem omnes bonitatis suae thesauros hominum generi promptissime vendendos obtulerit. Nequaquam autem Dominum Jesum pro Dei filio habendum esse, praesertim cum totius novi Testamenti tanta sit incertitudo, et omnino constet Mahometem miraculis eo longe fuisse superiorem. Haec dicens semper ab imo pectore ita creberrime suspiria repetebat, ut facile circumstantibus appareret, eum gravibus esse curis exulceratum. Non dicam nunc quid mecum de invocando uno Deo, de vera et falsa religione, de Christo filio Dei, de Mahomete, illiusque excellentia et Majestate, de beatitudine hominum sempiterna disputaverit, rem enim omnem alio peculiari volumine, cui Armeniorum fidei confessio erit adjuncta, referre aliquando constitui, ut nefariam et impiam hominum istorum superstitionem, tamquam in luce manifesta positam universi mortales cognoscant. Affirmabat autem legatus se notissimis Christianorum in religione dissidentium tumultibus et odiis et discordia motum esse, ut Christo abrenuntiaret, ostendebatque simul Christophori Varsavicii scriptum valde atrox et amaruleatum, quod nuper ille in lucem emisit, et Martinum Lutherum cum Mahomete ita comparat, ut hunc illo meliorem fuisse arbitretur. Hos, inquit, libros vestrarum discordiarum et haeresium testes, magni muneris instar ab auctore ad me missos in Thraciam nunc asporto, Musulmannis meis fidei vestrae vanitatem certissimis rerum argumentis ostensurus. Post aliquot deinde dies epistolam Arabice scriptam ad me Caunam misit, quam diligenter apud me servo, cujus exordium est: in nomine illius Dei unici, qui in mundo omnes nutrit, sed in futuro saeculo electorum tantum miserebitur. Ad eum modum exorsus mox fidei confessionem suae perscribit: non sunt, inquit, Dii, sed tantum unus est Deus, ipse solus verus est: Jesus autem est Spiritus Dei unici, et servus Dei, sicut alii quoque Prophetae fuerunt servi Dei unius: sed Mahomet est nuntius Dei unius. Ex Adae filiis autem si quis ita non credit, Dei unius ex Prophetis nulli fidem adhibet.

Diximus de Theodoro Basilidis filio quomodo incredibili omnium ordinum consensu in publicis comitiis ab exercitu acclamatus sit Moscorum Imperator, frustra repugnantibus seditiosis quibusdam in republica viris, quorum consiliis uti nimis ambitiose temereque susceptis ceteri moderando ac differendo constantissime obviam semper iverant.

Est hic annos viginti duos natus, in qua aetate ita moderate de se multa pollicetur, ut appareat plura eum experimentis reservare. Uxorem habet Arinam Ududoviam, ex qua liberos jam utriusque sexus suscepit. Dicitur esse ingenio civili et temperato. Facies ejus nativo candore formaque pulcerrima est, veste thalassina auro et gemmis pretiosissimis intertexto plerumque induitur, Regno primum inito civibus immunitatem multarum rerum praeter militiae vacationem dedit: quo facto et metum timentibus ademit, et in spem sui omnes impulit. Peregrinis vero et carceris remissionem, et perbeatam illam rerum omnium securitatem largissime pollicitus est, quam et praestitit. Civium inimicitias capitalis odii conciliatione edictoque suatulit. Militem praetorianum (Opriczinam illi vocant) qui vivo patre immanem in omnes homines superbiam et crudelitatem exercuerant, statim etiam exauctoravit, et magnum fortassis in innocentia praesidium esse ratus, admodum paucos apud se corporis sui custodes remanere jussit. Inauguratus est apud S. Michaelem tertio mense post patris obitum, qui fuit Junii dies vigesi-

Digitized by Google

mus octavus. Eodem momento tam saeva tempestas excitata fuit, quantam homines aetate valde provecta nunquam meminerant.

Coelum enim nubibus tenebrisque densissimis obductum horrendum in modum ita tonabat, ut eos etiam qui fortitudinis opinione celebres habebantur, magnopere perterreret. Plurima quinetiam loca et templa de coelo tacta fuere: insperatique turbines arborum frondes decussere, et gravissimi imbres non vias tantum, sed ipsas etiam aedes implevere. Reddita tandem tranquillitate, converso omine ex atro longe omnium candidissimus dies effectus est. Ridebant januae civium festa fronde et floribus, omnes ad privatam laetitiam et publicam hilaritatem erant conversi. Tanta porro hominum multitudo in urbem confluxerat, ut nisi Principis satellites, qui urbem armati et instructi custodiebant, viam districtis gladiis aperuissent, ipse novus Princeps ad templa minime proficisci potuisset. Interim omnia tibiarum sonitu, et tubarum clangore perstrepebant.

Postquam ad summi templi vestigium perventum est, magnates universi, quos illi Cnesos appellant, Theodoro obviam prodiere. In ipso templo homo grandis natu, bombycina veste ab humeris ad talos usque demissa cultus, eum complexus est. Is erat Metropolita et sacrorum Princeps, cujus permagna est in ea gente auctoritas. Tabulationes in medio templo ita erant institutae, ut aliae super alias ad theatri similitudinem exstarent, et eminerent. Pavimentum erat pulcerrimis tapetis instratum, similiter et parietes aulaeis sericis auro intertextis obducti. Magnus Dux in scamno magnifice ornato sedebat, et pileum purpureum auro atque gemmis distinctum capite gestabat: vestcque bombycina, multis aureis fibulis secundum pectus stricta, erat indutus. Ex annulis manuum exiguis gemmarum fulgor emicabat. Omnibus intromissis et silentio dato, sacrorum Princeps ad Theodorum conversus, Domine, inquit, et Magne Dux, et fili mi amantissime, jam immortalium Deorum fata, quae omni humana ratione vehementius impellunt, te in altissimo dignitatis fastigio collocarunt, non ut premas tuos, sed ut releves: non devorator, sed patriae defensor esse debes: aequabile jus omnibus dices, maximorumque et optimorum Regum exempla tibi sequenda proponeS. Pater tuus pericula in rempublicam ingentia invexit; tu virtute et armis pericula a tuis propulsabis: tu bonis praemia constitues, improbos poenae acerbitate coërcebis; patriam denique universam et ab externis hostibus et ab intestinis seditionibus tutam vigilantia tua praestabis. Id si alacriter feceris, nomen tuum, non in regione tantum nostra, inclusum scilicet angustis unius terrae spatiis, verum etiam ubique terrarum ad perennem laudem tuam celebrabitur. Nos tui cives superum atque inferum numina et regales Deos comprecamur, ut te multis felicitatibus circumfluentem tueantur, utque in te tua summa virtute renascentis reipublicae auspicia laeti conspiciamus. Hanc orationem summorum et infimorum hominum laeti clamores subsecuti sunt, et statim sparsa est a quaestoribus in promiscuum vulgus larga manu argentea moneta. Neque Theodorus mox homines fefellit. Nam et Bielsium fratris tutorem avari et pervicacis ingenii hominem, qui Principis jussis nequaquam parebat, in exsilio remanere jussit. Adjecit deinde curam omnem componendis magnatum controversiis, et uno simul tempore nongentos et triginta captivos vinculis solvit, quorum non paucos nobili etiam genere natos et stipem rogantes mea in domo habui. Pepercit etiam multis morti damnatis, quos propere foedissimo carcere eductos libertati patriaeque restituit, hauddubie aliis similiter veniam daturus, nisi paulo ante patris judicio damnati periisent. Eandem prorsus animi magnitudinem et benignitatem erga discedentes captivos protinus ostendit. Nam et viatico liberalissime eos per Andream Solcanum, Cancellarium suum prosecutus est, et singulos semper centenos, ne in tanta discedentium multitudine turbae orirentur, incolumes usque ad regionis suae fines curribus deduci jussit. His initis susceptisque rebus, quum nihil sibi vel tutius vel honestius esse judicaret, ad renovandum cum Polonorum Rege foedus animum convertit, quod adhuc quidem ex Dei clementia incorruptum servatur, utque diu servetur, id vero summus et coelestis pater benigne velit. Nobis enim qui barbaros tumultus, vim, caedem, famem et vastitatem jam satis diu aspeximus, perenni et aurea pace nihil utilius, nihil optatius, nihil jucundius esse potest.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XIX.

# ANTONIUS POSSEVINUS

## DE MOSCOVIA.



Digitized by Google

Digitized by Google

# XIX.

# ANTONIUS POSSEVINUS,

# DE MOSCOVIA.

## COMMENTARIUS PRIMUS.

### *DE REBUS MOSCOVITICIS, AD RELIGIONEM SPECTANTIBUS.*

MAGNI DUCIS Moscoviae ditio, cum longe lateque ad septentrionem atque at Ortum solis pateat, undecim tantum habet Episcopatus: quorum praecipuus est Moscvae, quem Metropolita, qui caeteris omnibus praeest, administrat. Rostovium autem, ac Magnam Novogardiam (quae Novgorod dicitur) Archiepiscopi duo; Reliquas civitates Cortizam, Resaniam, Columnam, Susdaliam, Casanum, Vologdam, Tveriam Smolenscium, Episcopi administrant. Cum vero a Patriarcha Constantinopolitano Moscoviae Metropolita olim confirmaretur, nunquam hoc Principe confirmatus est amplius, licet plures eo munere sint functi, ac denique vel interfecti, vel ad monasteria ablegati. Ab ea vero confirmatione petenda cessatum esse putatur, postquam Pater hujus Principis Basilius Graecum in vincula Sacerdotem conjecit, quem a Constantinopolitano Patriarcha evocaverat. Sed Sacerdos cum Moscos non solum a Latinis, verum etiam a Graecis in fidei dogmatibus, ac ritibus quibusdam dissidere comperisset, libere id Basilio objiciens, nunquam (ne acriter quidem urgente id per litteras Imperatore Turcarum) e custodia, in qua diem obiisse fertur, liberari potuit. Porro Metropolita deligitur jam ab ipso Principe, consecratur a duobus, tribusve Episcopis. Atque is ad duodeviginti millia talerorum, qui circiter tredecim aureorum nummum millia faciunt, e reditibus annuis percipere dicitur. Ab eo tamen, ut et a reliquis Episcopis, non illis quidem adeo opulentis, interdum tributum, sive subsidium (ut vocant) exigit Princeps: sine cujus scitu, ac permissu nihil, quod magni alicujus momenti sit, faciunt. Ac tamen, licet a Constantinopolitano Patriarcha confirmatio Metropolitae haud petatur, ei audio quingentos aureos nummos in eleemosynam singulis annis a Principe numerari. Ceterum Episcopi omnes ex Monachis, tanquam perfectioris vitae hominibus, diliguntur. Qua re nec uxores habent, nec unquam carnes edunt (sicut nec ipse Metropolita) neque annulos gerunt in digitis; et sanctitatem prae se ferentes, apud omnes in veneratione habentur. Dioeceses suas (in quibus Archimandritas, et Igumenos, seu Praepositos in Monasteriis collocant) non solent, ut apud Catholicos fit, obire, aut invisere: fortasse quod Principi ea res foret suspiciosa, Veruntamen quibusdam in opidis laicos aliquos, quasi vicarios foraneos, singulis annis statuunt. quibus vitam Poporum (hi Sacerdotes sunt) seu aliorum observandi cura cum demandetur, ii, si quis Sacerdos crimen committit, pecunia



Digitized by Google

fere mulctantur. Vocantur autem Episcopi Vladicae, a voce Ruthenica Vlodars, quae Oeconomum ac dispensatorem designat. Parochi vero, ac reliqui Popi, Graecorum more Sacerdotum, uxorem virginem, antequam Sacerdotes sint, ducunt. Qua demortua, si monasticam vitam agere velint, pergunt Sacerdotio fungi: sin alteram ducunt, nullum jam Sacerdotii munus obeunt, nec adeo Sacerdotes censentur; cum et aliqui tanquam Diaconi in Ecclesiis inserviant, quasi Character Sacerdotalis ex primae uxoris vita penderet, ea mortua deleretur. In his omnibus, sicut et in Monachis (quorum ejusdem ordinis et vestitus omnia monasteria cernuntur) mira interiorum litterarum ignoratio est: ita, ut nec, quis sit sui auctor instituti, aliqui respondere sciverint, cum haec de iis quaereremus. Divi tamen Basilii quandam esse speciem conjicitur. Monialium item non desunt Monasteria, sive domicilia, sed quae longe absunt a cultu, custodiaque nostrarum. Quibus autem in universum Mosci erroribus implicantur, ex eo intelligi potest, quod ante quingentos annos, Duce Moscorum Volodimero, Christianam fidem a Schismaticis haereticis acceperunt. Ea imbuti, ac proinde maximo sese beneficio devinctos putantes, facile crediderunt, quicquid de Latinis Graeci (Romanae gloriae, atque pietatis aemuli) obloquebantur. In ea vero opinione alti, et a teneris educati, Chronica que corrupta legentes, nec habentes, qui istas ex eorum animis calumnias serio possent abstergere, a Catholicis valde abhorruerunt. Itaque cum ingens alicui malum imprecantur, Utinam te, inquiunt, Latinae fidei videam. Cum vero imaginem aliquam piam ex iis, quibus Catholici utuntur, a suis simplicioribus coli animadvertunt, Ne colas, ajunt, quia nostrae fidei non sunt.

Cum autem nobiscum, jubente Principe (officiine an observandi causa) nobiles quidam, assignati necessariis rebus procurandis, comedere soliti essent, nec assurgebant, cum mensae benediceremus, aut gratias Deo ageremus; nec item nostras imagines venerari, aut ullo in honore habere (cum suas tantum non adorent) nec alia id genus facere volebant. Quin vero Princeps, quotiescunque externos Legatos alloquitur, iis recedentibus (sicut et nobis contigit) manus e deaurata pelui, quae super scamno conspectui omnium patet, quasi ad expiationem, solet abluere. Quo facto, Proceres, ac reliqui nobiles, quorum frequens solet esse confessus, sic in suo Schismate, atque a nobis Christianis aversione, obfirmantur, ut nihil supra. Ego vero, licet expectandum esse tempus, quo ingenia illa maturescerent ad pietatem, intelligebam, aegerrime tamen hoc serebam, speraus quidem non longius futurum, cum vel alii Christiani Principes id Mosco objicient, aut Legatos sese ad eum, non missuros amplius significabunt, nisi ab illa sordida ablutione desistat. Ita porro Mosci, tradito per manum a majoribus suis instituto, a pueris loqui, ac sentire de suo Principe soliti sunt, ut interrogati saepius respondeant: Solus Deus, et Magnus Dominus, (hoc est, Princeps) hoc scit: Ipse noster Magnus Dominus novit omnia: Is unico verbo omnes nodos, ac difficultates potest soluere: Nulla religio est, cujus ille ritus ac dogmata nesciat: Quicquid habemus, aut cum recte equitamus, vel valemus, id Clementia Magni Domini obtinemus. Is vero hanc de se existimationem apud suos mira diligentia fovet, prorsus ut quasi Rex Sacrorum, simulque Imperator videri velit; Pontificiam autem, ac plus quam Regiam Majestatem ipsis in vestibus, consessu, ac reliquis prae se ferat. A Graecis Patriarchis, et Imperatoribus mutuatum esse omnia, aliquis dixerit, atque ad sui honorem, quae ad Dei cultum referebantur, traduxisse. Tiaram enim unionibus, ac gemmis ornatissimam, eamque non unam tantum (quam ostentandae amplitudini mutat identidem, cum et Bysantio sibi delatam dicat) aut apud se habet, cum sedet in throno, aut gestat in capite. Pedum, seu Pastorale in manu leva, Christalli sat magnis globis, tanquam nodis, interstinctum: Talarem vestem, quali fere Pontifices maximi uti solent, cum solenniter procedunt ad Sacrum, et manus plenas annulorum gerit, cum praegrandibus gemmis. Imaginem item Salvatoris ad dexteram, ac Beatissimae Virginis supra Cathedram, in qua sedet: binosque albis sagis indutos, atque bipennibus ad humeros munitos habet utrinque stantes, quasi Regii corporis stipatores. Ceterum subsellia interioris, et anterioris cubiculi, referta hominibus, qui vestibus aureis (quas nisi ipsi habeant, Princeps, Legatis advenientibus, *solet* utendas dare) induti usque ad talos, *referunt* speciem Diaconorum, cum hi Sacerdotes Sacra facturos prosequuntur. Hi autem miro silentio, ab ore nutuque Principis pendent; cujus ad sinistram major natu humiliore in loco filius sedet, Tiaram et ipse habens, licet minorem, inscamno, oblongaque veste, et ea preciosis-

Digitized by Google

sima indutus. Atque hi duo, pater et filius, cum mensae accumbunt, pluribus crucis consignationibus sese muniunt antequam unumquodque ferculum, aut potum delibent, vel gustent. Ad sacrum autem, atque ad templum quotidie (nec semel) eunt: dumque id fit, nunquam sedent, nisi cum pars aliqua homiliae, vel sancti alicujus apud eos viri vita recitatur. Quin vero ipsi quoque fronte humum ex religione percutiunt: jejuniaque sua sedulo observantes, eam, quam dixi, pietatis opinionem in subditorum animis figunt, ac fovent. Principi vero ipse Confessarius Sacerdos est proprius, qui eum quamcumque comitatur, Moscva exeuntem: cui etsi Princeps singulis annis peccata confitetur, Eucharistiam tamen non sumit amplius, quod ei, qui plures quam tres uxores duxerit, fas non sit, ex eorum legibus, Christi Domini corpori communicare. Nam et Princeps, ubi ex Anastasia prima uxore, quae olim decessit, duos, qui adhuc superstites sunt, filios suscepit, sex alias uxores (sive quo nomine alio vocet quis) virgines duxit: quarum aliquas variis de causis in monasteria intrusit: cumque adhuc aliquae earum vivere dicantur, septimam tamen, quae vocatur Maria, filia Theodori Nagoj (quam superiore anno sibi in suo illo matrimonii genere adjunxit) apud se habet. Joannes item major natu filius, non plus viginti licet annos natus, tertiam habet uxorem; primis duabus (sic patre jubente, filio autem dolente) in monasteria inclusis. At Theodoro alteri filio ea, quam primo duxit, adhuc est; adolescenti (ut ferunt) satis innocenti, nec a Catholicis abhorrenti. Quanquam, ut statura corporis non aequat aetatem, et vero barbam habet, quae primogenito deest, non permittitur venire in conspectum eorum, qui a Principibus externis ad Magnum Moscoviae Ducem mittuntur. Porro Joannis primogeniti uxor (si ita vocanda sit) Helena vocatur, Joannis Scheremetoni*) nobilis Mosci filia: Theodori vero Hirene, cui Theodorus Godonus**) est pater.

Jam vero Princeps, cum suarum omnium Provinciarum, quaeque in iis sunt, haeredem se agnoscat, et dicat, bona et praedia, quibus vult, tradit: quibus autem vult et quando libet adimit. Quae res etiam facit, ut a suo Schismate discedere non audeant, et in bella quisque sine stipendio prodeat. Pendent vero sic a Principis nutu, ut quocunque mittuntur advolent, idque faciant, non tam sui, quam causa liberorum, quibus, si speciem aliquod praebeant, eorumque parentes recte se gesserint, aut omnia, aut partem bonorum, Princeps concedit. Sic bonorum et corporum, animorumque, ac quasi cogitationum vult esse integer Dominus. Cum autem velit omnia noscere, quae inter suos geruntur, fit, ut nemo pene audeat hiscere; aut si quid proferat, id ad gratiam aucupandam, vel ad supplicium declinandum spectet. Ad externos autem commigrare, absque illius scitu, et adeo missu, non licet. Itaque etsi mercatores aliarum regionum in Moscoviam navigant, aut commeant: nemo tamen ex Moscis ad alienos solet transmigrare, nisi missus; ac ne naves quidem habere permittitur, ne ea ratione diffugiat aut nimia cum externis consuetudine contracta, aliquod denique Principi incommodum afferri putetur. At vero, ne iis quidem, quos ille interdum ad Christianos Principes allegat, licet, ut eosdem, quos mutuo iidemmet Principes ad Magnum Moscoviae Ducem mittunt, alloquantur. Quem admodum nec Thomae Severigeno licuit nobiscum loqui, amicissime licet, et perhonorifice per Italiam, V. Beatitudine jubente, a nobis deducto. Quod tamen eo mirandum est minus, quod Legatis quantum libet magnis, etsi in Civitate Moscva datur amplum hospicium: sic tamen est prae altis sudibus circumseptum, ut inde nec domos aliquas intueri, neque cum ullo omnino loqui, ne educere quidem (ut et nostris aurigis accidit) ad aquandum equos possint. Sed nec ipsis Medicis, quorum duo tantum in universa Principis ditione sunt, alteri Italo, Belgae alteri, licet egrotum invisere, nisi id Princeps concesserit. Porro nec collegia, neque Academiae ullae sunt; sed scholae duntaxat aliquae, in quibus legere, et scribere docentur pueri, idque ex Evangeliis, Apostolorum Actis, Chronico quod habent, et quibusdam, ut sancti potissimum Joannis Chrysostomi, Homeliis, vel Sanctorum, aut eorum, quos habent pro Sanctis historiis ac vitis. Quod si quis majorem in litteris progressum facere velle videretur, vel alias scientias imbibere, is nec suspicione careret, nec impune abiret. Eo enim spectasse videntur Magni Moscoviae Duces, ut non tantum quae inde oriri posset, haeresum occasionem amoverent, quantum praeciderent viam, qua ipso Principe doctior, aut sapientior aliquis haberetur. Atque inde fit, ut neque Amanuenses, et Scribae (sic enim eos vocant, qui sunt a Secretis) nec ipse Cancellarius, qui

*) Scheremetiew.

**) Godunow.

Digitized by Google

eis praecst, vix quidquam scribat, vel respondeat iis, qui ab externis Principibus veniunt, quin Magnus ipse Dux, longa satis, neque necessaria, vel titulorum, et rerum propositarum repetitione, dictet: dictatum deinde Senatores Nunciis, aut Legatis sic ex scripto referant, ut partitis inter sese schedis, omnes ordine sua recitent. Quod mihi aliquando per quatuor integras horas contigit, cum respondisse ad omnia minus unius horae spacio potuissent. Antequam vero quisque aliquid recitat, assurgentibus ad Principis nomen omnibus, dicit, Magnus Dominus totius Russiae, jussit tibi Legato, vel Nuncio talis etc, haec referri: quae nec unus ipse pergit usque ad finem proferre, sed ab altero mox interceptus, ex scheda eidem proposita nectit consequentia. Sed et tanta (quasi dixerim) religione in mensis assurgunt omnes, quotiescunque Princeps alicui propinat, vel cibum mittit, nihil ut antiquius videantur habere, quam ut ipsi continens, neque unquam intermissum omnibus in rebus, tributum venerationis pendant, ac fere juge suorum animorum sacrificium ei offerant. Quantalibet autem auctoritate polleat aliquis is si grave (aut quod grave videatur) commiscerit crimen, jubente, vel annuente Principe, extremo supplicio plectitur, ac plerumque in aquam demergitur, aut verberibus afficitur. Nec tamen id usque adeo dedecori ducitur, quin etiam affecti verberibus Principi gratias agant. Porro ad haec, quae tractandis rebus, et insinuandae religioni, non minima videri possint incommoda, accedit, quod cum Legati Principis Vilnam saepe, aliasque ad Polonici Regni Provincias, de pace, induciisve iverint, varias esse haereticorum sectas, quibus ea Civitas scatet, acceperunt. Quare et de iis dicunt, Quod mane credunt, id a prandio pernegare: et ejusmodi esse Catholicos omnes, atque adeo ipsum Poloniae Regem Stephanum, satis affirmabant. Sed hoc illis, et Senatoribus constanter exemimus. Cum autem Lutherani ex Germania, et Calviniani reliquique ex Anglia, in Moscovia soleant habere commercia, hi jam diu duo templa obtinuerant, nomine Romanae religionis, cui sese esse addictos, inter hanc gentem, rerum istarum haud peritissimam, jactitarant. Non levi certe Satanae astu qui ea ratione vel iis conciliare auctoritatem, quasi essent Catholici; vel in Catholicos dissensionis, atque illorum improbitatis culpam conjicere conabatur: ut videlicet nostris ad ostium fidei pandendum aditus impediretur. Sed magna judicia, et abyssus multiformis sapientiae Dei, non sinunt quidquam occultum non revelari, ac tandem in eorum caput malitiae spicula retorqueri, quae in alios intorquent haeretici; vere semen maledictum Princeps igitur ante biennium, sive quod aliquid inaudiverat ejusmodi, sive quod suis metueret, ne eo fermento inficerentur, variasque sectas introducerent, concessa illis duo templa comburi mandavit: sicque in hypocaustis secreto res suas agunt. Hanc autem de Romanis opinionem, quasi iidem essemus cum Lutheranis, aliisque haereticis, necesse fuit ex Principis, ac Senatorum animis evellere: cum nobis pro aliquibus Sacerdotibus, qui venturi essent ex Italia, locum petentibus, primo negasset praecise Princeps, se Ecclesiam concessurum, sed tamen postea dixerit se permissurum, aliqua ut in domo religionem suam colerent, Catholicique Romano ritu, (sicut alii Germani in campo ipsis assignato) sepelirentur. Illum ergo de tota re liquidius docentes, fidem publicam pro ipsis Catholicis Sacerdotibus, ac mercatoribus, nec non alteram pro Legatis, ac Nunciis Apostolicae Sedis obtinuimus, ut ingressuris in Moscoviam novas litteras commeatus, seu salvi conductus ea de re, peterc non opus fore videatur. Quae quidem res, a Clemente VII cum Basilio hujus Principis patre tentata, non potuit ad exitum perduci. Sed et transitum, atque itineris Duces per suam ditionem pollicitus est Princeps tradere iis, quos Pontifex Maximus in Asiam mittere judicaret, si quando promovendum eo esse fidei negocium, per eas regiones censeret.

Jam quod attinet ad Sacrum, officiave Divina haec omnia Ruthenice, seu potius lingua Moscovitica recitantur, quae fere prorsus eadem est, qua subditi Poloniae Regis Rutheni utuntur. Libros autem omnes ipsi describunt, nec typis cudunt, nisi cum pro ipso tantum Principi aliquid praelo subjicitur, in oppido, quod Sloboda Alexandrevska dicitur, ubi Typographiam habet: idque oppidum nonaginta Italicis milliaribus quae ipsi Verstas nominant, Moscva distat. Ceterum quos ipsi libros fere lectitant, aut etiam peritiores Monachi versant, eorum nomina, quantum hoc tempore assequi potuimus erunt in Calce hujus narrationis adscripta, una cum illorum Calendario, ex quo intelligi possit, quorum anniversarios dies Sanctorum celebrant, vel item aliorum, quorum sanctitas Latinis et Graecis necdum innotuit.

Quod autem in suo de Moscovia Commen-

Digitized by Google

tario scripserat Jovius, Quatuor Latinae Ecclesiae Doctorum, et aliorum Patrum scripta circumferri apud hanc gentem, in ejus linguam conversa (quam item Slavicam esse putabat) id nondum resciri potuit, licet a me accurate perquisitum sit. Quin vero, ne illorum quidem nomina huc pervenisse, satis verisimile est, quod ea, praeter D. Ambrosii nomen, in eorum Calendario (in quo tamen quorundam Pontificum Romanorum, Sylvestri, Gregorii Magni, et aliorum mentio fit) non sunt inscripta. Et quidem illa apud aulicos ipsos, qui solent Principem comitari, fuisse videntur hactenus inaudita. Nec vero Slavicam linguam norunt, nisi quantum haec cum Polonica, Ruthenica, et aliis ejusmodi sic habet affinitatem, ut quem Moscevam misi Sacerdotem, natione Slavum, is pleraque jam multa Moscoviticae linguae statim assequebatur, cum contra Mosci Slavicam difficilius percipere viderentur.

Cum ergo tantum Ruthenice noscant, fit ut neque ulli commodo sit Graeca lingua, Synodusve Florentina edita Graece quam in consessu procerum frequenti Principi illi V. B. nomine in arce Stariciae ad Volgam fluvium tradidi. Neminem enim habet, qui eam calleat linguam, nisi quod relatum est nobis, anno superiore venisse Byzantio quosdam Graecos, qui Principis mandato Moscum aliquem docent, ut interpretis ea in lingua operam praestet. Verum corruptam, et quali Graeci hoc tempore utuntur, eam potius esse credo, quam priscam, aut illam, qua Patres antiqui libros, Synodosque conscripsere. Itaque ne ipsa quidem unionis, quae dicitur Bulla, seu Diploma, ab Eugenio Quarto latum, nobisque ex ipso exemplari ab Illustrissimo Cardinali S. Severinae traditum, usui esse potuit, quamvis Latine, Graece, ac Ruthenice scripta tum fuerit. Qui enim Diploma illud Ruthenice verterat, eum nec characteres, nec linguam omnino Moscoviticam novisse, sed mixtam aliquam ex Bossinensi, ac Croatica, animadversum est ab iis quos mecum ex Regis Poloniae Russia, et ex Austria duxeram: quique et ipsum, et fidei professionem a Pio Quarto editam, ut verterent in Ruthenicum idioma, quali hodie utuntur, curatum est: eo animo, ut ab aliquibus peritioribus in Regiis castris, ad quae propero, ubi fuerit examinata, quam primum Vilnae edatur in lucem, sicque utrique Russiae Polonici Regni, ac Magni Ducatus Moscoviae, Deo adjuvante, consulatur.

Nec vero nisi paucissimos habent, qui Latinam linguam calleant, qui quidem praeter medicos illos, de quibus dictum est supra, trium numerum haud excedunt, hique Poloni sunt omnes, Jacobus Zaborovius, Joannes Bucovius, et Christophorus Cajevius. Illi quidem duo multos ante annos ex Polonia, ex oppido Vredoco, hic vero ante triennium, cum ad Bogdanum Alexandri, suum Dominum, et Valachiae Vojvodam, quem putabat ad huc esse superstitem venisset, a Principe retentus est: quem etsi peritiorem Latinae linguae esse dixerunt, eum tamen haud nobiscum agere, hactenus permissum fuit. Inde ergo factum est, ut laboratum sit vehementer, antequam ea, quae scripto (ut petierat Princeps) traderemus, vel quae cum Senatoribus subinde agebantur, ad plenam ipsorum notitiam pervenirent. Inepte etiam illi pleraeque, neque ad rem saepe nostra vertebant: earum vero praecipue rerum maximam partem omiserant, quas Principi fore molestas, aut certe sibimet ipsis aliquid periculi creaturas ab eo timebant; cujusmodi erant, quae ad negocium de religione primarium spectabant. Quod eos aliis quoque in Principum litteris, licet Ruthenice ex Lithuania scriberentur, facere, quibus in rebus dictio non eadem est cum Moscovitica, valde mihi probabile est. Ac tamen Divino beneficio, incommodum quoque hoc superatum est, insinuatione tandem nostrorum interpretum, quos antea nolebant admittere, scriptisque nostris omnibus ab iis integre versis: quae Principi, ac Senatoribus tradita fecere, ut responsionem nobis uberiorem non in colloquiis solum, verum etiam scripto tradiderint. Versionis aut illius, a nostris interpretibus factae, exemplum Ruthenicum, praeter Latinum exemplar, isthuc mittam, ut si quis aliquando huic operi successerit, eadem vel Principi huic, vel ejus filio, ac posteris revocari possint ad mentem.

Porro populus vix unquam ab opere vacat, nisi ipso die Beatissimae Virginis Annunciatae: sicque Dominicis, ac reliquis omnibus diebus profestis (ne excepto quidem Paschatis die) operatur: sibi enim persuasum habet, spectare tantum ad nobiles, ut ad Sacra, templaque tam saepe proficiscantur. Ceterum contenti sunt populares sua simplicitate, plurimaque crucis consignatione, et reverentissimo erga pias imagines cultu; quas decentissime pingunt, et ad vivum exprimunt, nudas in eis corporis partes omnino exhorrentes. Jejuniorum aut, et a carne, ac lacticiniis abstinentiae tenacissimi, Ecclesias raro; Nobiles vero mulieres, ac virgines nunquam

Digitized by Google

eas pene invisunt, nisi quo tempore, Paschatis nempe, Eucharistiam sumunt. Concionatores non habent; sed tantum, quas diximus, vitas Sanctorum vel eorum, quos pro sanctis venerantur, atque homiliae partem ut dixi, (ex D. praesertim Chrysostomo) a Popis suis audiunt. Orantes stant, interdumque fronte percutiunt terram: quod illis quoque in salutandis primariis viris aliquando, et in eleemosyna petenda solemne est. Quatuor candelae ad quatuor fontis partes accensae ponuntur, quibus deinde extinctis, baptisma adhibetur infantibus, trina totius corporis mersione. Aegroti vix ullum remedium adhibent, quam vel cremati vini, vel aquae, in quam Sanctorum reliquias imposuerint potum, vel aquae, a Sacerdotibus orationibus sanctificatae, aspersionem; vel nuncupationem votorum, quae plerumque Beatissimae Virgini, iisve quos habent pro sanctis, offerunt. Restituta valetudine, imagines quoque argenteas iisdem affigunt, antiquissimae Ecclesiae morem servantes, nisi in sanctorum apud eos quorundam existimatione errarent. Moribundis Eucharistiam sine facibus afferunt, eosque extrema unctione inungunt, peccata sua in primis Sacerdoti confitentes: quod et singulis annis, cum valent, atque aliquando saepius, faciunt. Cum funus effertur, id Popi, Laicique candelis quibusdam parvulis ardentibus, quas gerunt in manibus, prosequuntur, nulla prelata cruce: imagine tantum pia demortui pectori haerente, qui sic linteamine totus obvoluitur, sola ut facies cerni possit. Nihil vero aliud concinunt, praeter illud trisagion, Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte et immortalis. Cum autem cadaver mandat sepulturae; Recordare, inquiunt, Domine animae hujus: ac quaedam in eum sensum, ex Graecorum Liturgiis, aut ex D. Dionysio Areopagita, verba proferunt. Mortuum osculantur: si quis autem nobilior moritur, hunc Metropolita, quique alius adest in civitate Episcopus, comitantur, quousque in sepulturam illatum sit cadaver. Ceterum D. Nicolaum Myrae Episcopum magnopere venerantur: quem non depictum tantum, verum etiam pene totum exsculptum vidimus, non procul Novogardia Magna; cum (quo in loco religiose, imagone, an statua illa, erat exposita) Monachi nobis obviam venissent, in altera patina aquam benedictam, et crucem, in altera vero panem, ac sal, ut solent, offerentes. Vocant autem S. Nicolaum Czudotvoretz, quasi Θαυματουργον, id est, miraculorum patratorem: quem non adeo colunt, ut vel Christo Domino aequent, vel Sanctorum maximum existiment, nisi quis, minus veritatem edoctus, in ea re erret. Obliquas deinde (ut ipsi dicunt) et curvas ferias sextas quasdam habent, quas Niedziela Vsiejedna nominant, quibus designatur, totam hebdomadam esse quasi Dominicam. Nam a Domini Nativitate usque ad Epiphaniam, et octo post Pascha dies, ac quibusdam aliis, qui jejunium (quod ipsi vocant St. Petri) antecedunt, ut et iis, qui magnam Quadragesimam praecessere, carnes edunt, lautiusque vivunt. Pervigilia vero (ut Catholici) non habent. Si quis profestus, vel anniversarius alterius celebrationis dies in Paschatis incidit diem, eum in alium haud transferunt. Bis in anno, semel in die Epiphaniae, iterum ante Beatissimae Virginis Assumptionem, benedicit Metropolita flumini Moscvae, alii vero Sacerdotes aliis fluminibus. In eo multi mares, faeminaeque trina mersione toti immerguntur. Equi item et imagines quasi baptizantur, ac propterea id Chresczenie eorum lingua, id est, baptisatio dicitur. Qui mos, sive ritus licet non praeceptus sit omnibus, plures tamen cum ex religione sic servant, ut aegroti quoque, qui sibi ea ratione putant ad valetudinem consulere, summo in gelu effossa glacie, per foramen in aquam demissi, eximantur. At et cum essem in Alba Russia, relatum est mihi, in ea, quae Rubra dicitur, quaeque item, ut Alba, Poloniae Regi subdita est, Drohobicii puteum esse aquae salsae, cui cum solenni supplicatione Sacerdotes, ubi benedixerint, ea populum aspergunt. Inter Sacerdotes autem sunt Protopopi, quasi Archipresbyteri, et Archidiaconi, quibus major (ut etiam apud nos fit) honor defertur. Ex his igitur, quae hactenus hoc in itinere, vel ipsi vidimus, vel ex Moscis audivimus, intelligi potest, quanto Divini cultus, et Ecclesiae bono fuissent, qui Europae, atque Asiae fines attingunt, si Orthodoxam initio fidem hausissent, vel adeo hodieque haurirent: Catholici aut Principes huic genti viciniores, eandem (cum facile olim potuissent) in re Catholicae religionis, quam hi servant in Schismate, constantiam a suis populis servari procurassent. Quoniam vero Mosci aliis ritibus, et erroribus impliciti sunt, propterea hi, cum a Poloniae Rege ad Magnum Moscoviae Ducem, reversus fuero, sic a me perscribentur, ut simul, quid iis refutandis responderi possit, Deo aspirante, adjiciam.

Digitized by Google

## *DIFFICULTAS, SPES, RATIO*

### CATHOLICAE RELIGIONIS IN MOSCOVIAM PROMOVENDAE.

Cum ex iis, quae dicta sunt, perdifficile videatur fore negocium insinuandae in Moscoviam Catholicae fidei; tum eo difficilius videri posset, si cetera, quae dicenda sunt brevi attigero. Primum enim cum maxima populi pars ignoret, quid schisma sit; religionis autem ritus et dogmata, quae credunt, nunquam habuerint, qui a recta fide aliena esse illis ostenderet: si quis Catholicus Sacerdos ad eos accesserit, vereri fortasse poterit (cum adhuc Evangelio et veritati predicandae non omnino pateat ostium) an illis injicere de ipsorum schismate scrupulum debeat, ceteroquin rudioribus, in sua simplicitate forsan salvandis.

Cum autem gravissime plecteretur, qui de Ruthenis ritibus, aut dogmatibus quidquam obloqui auderet; concionandi autem facultas omnis tollatur, qua fere unica via inferendae Evangelii luci, uti solita est Divina sapientia; nec vero (sicut dictum est) magna pars hominum accedat ad templa: res plena periculi videtur, si quis ejusmodi aliquid tentet, cum praesertim, nisi hoc ex voto succederet, majores posset parere difficultates.

Accedit, quod Aulici cum Principe (inquibus rei totius summa posita est) cum de Catholicis, atque adeo de Romanis multa ex mercatoribus, qui pene omnes haeretici sunt, audiverint, et continenter audiant, ea pervertunt in pejorem partem; numerum prope innumerabilem Catholicorum et plurima pietatis opera, consensumque in fide unanimem, ac Divini cultus majestatem, quae apud nos est, nunquam audientes. Cum vero Antistites ac Sacerdotes nostros cum suis Episcopis, ac Monachis conferunt, hos esse sanctiores, ac proinde sinceriorem cultum, verioremque religionem habere sese putant; quod ab haereticis miras (ut hi solent) blasphemias audiant.

Natura vero Schismatis cum ea sit, ut pietatis speciem, remque ipsam magna ex parte retinens, bis conteuta fit (quo fuco etiam nostro tempore haeretici populos deceperunt) caput autem ministeriale non habeat, et proinde neque primarium habeat, unde spiritualis vitae sensum, et motum accipiat: vix rationis ullius vim intrinsecus admittit; etsi quid veritate cogente, admittit, hoc vix retinet diu. Itaque operam et oleum inter hos, qui ex Scythis Tartarisque permissi sunt, viderentur ii perdere, qui alibi futuri essent utiliores. Nam et quam pervicaces fuerint. D. Augustini tempore Donatistae cum pleraque omnia retinerent, ab ipso tamen Christi Vicario tantummodo (si tantummodo dicendum sit id, quod est maximum) sejuncti, Ecclesiae notum est. Atque etiam Graeci ipsi, unde hi schisma ebiberunt, cum summam charitatem, sumptus, et veritatem Sedis Apostolicae experti, se quaterdecies publica confessione nobis adjunxerint, ac tamen semper ab ea recesserint, ostendunt,quid de pullo maliovi sperandum sit.

Sed et Magnus Moscoviae Dux, cum a suis Legatis, qui de pace venerant Vilnam, cognovisset, me ad Poloniae Regem a V. B. venisse, scripserat per Christophorum Dzerzecium ipsi Regi, Moscos a Synodi Florentinae tempore cum Ecclesia Catholica fuisse eadem in religione conjunctos; seque sinere, ut Catholici in Moscovia suis ritibus uterentur. Veruntamen se nihil minus hactenus cogitasse plane indicavit. Quin vero, cum Livoniae magna parte subacta, Catholicos inde ad unum ejecerit, cultumque Ruthenicum armis passim invexerit, ac diligentissime statuerit (Avum qui id ipsum Novogardiae fecerat, patremque secutus) cumque mihi longa cum ejus Consiliariis colloquia habenti, deprompta fuissent expenitioribus Archivis scripta, et formulae, quas ad res suas, adversus Poloniae Regem tuendas, Pontifici Maximo cupiebat esse cognitas: satis certo collegi, quidquid de amicitia continuanda cum Pontificibus Maximis, ac Caesaribus, aut aliis Principibus, a tempore Leonis X ac Clementis Septimi, ejus Pater Basilius, vel hic ipse modo cum V. B. tentavit, id ad suae ditionis, ac schismatis terminos propagandos, armaque ad hanc rem sibi comparanda spectasse. Non secus ac superioribus annis Turca fecerat, qui quorundam malis artibus aut quaesitam, aut oblatam Christianorum amicitiam in Europae viscera pervasit.

Nam quod ad Regios, et adeo Caesareos titulos attinet, nihil ille aliunde petit, qui sibi illos vendicavit: eminentes voro Principes quosdam eo adduxit, ut se fratrem Caesaris, Czar vero, id est, aut Regem aut Imperatorem Casani, et Astrachani in litteris vocet. Quibus nominibus cum a V. B. non appelletur in litteris, non adeo contentus est; quin vero aegre tulit, quod in iis alia saltem inscriptio non esset, adnumeratis aliquibus Provinciis, quibus praeest.

Digitized by Google

Sed haec forsan V. B. perpendet, si quando vastitate provinciarum istius Principis, speque illum ad meliora alliciendi, aliquid addendum sit, ac calamus quassatus non conteratur. Et tamen sic ei scribatur, ut Dominus non totius Russiae, sed Russiae tantum, neque Livoniae haeres, aut simile aliquid, in alienum praejudicium, appelletur.

Praeterea non minima difficultas est, quae Moscos in Schismate detinet, quod (licet tres plane fabulosa sit) corpora quorundam, qui Schismatici fuerunt, integra sese habere gloriantur, per quos miracula frequenter edi, caecis visum restitui, aegrotos sanari constanter affirmant. Ut plurimi periculi res esse videatur, si quis illorum corporum elevet praeceptam animis sanctitatem, aut quasi dubius quaerat, num ii vere sancti, martiresve fuerint. Inter alios autem numerantur Chleb, et Boris, Petrus Metropolita, Alexius, quorum corpora extare ajunt Moscvae; Sergius item quidam Monachus ante undeviginti annos mortuus, qui in Monasterio Trinitatis asservatur, procul ab ea civitate milliaribus Italicis sexaginta. Quo in Monasterio ducenti circiter Monachi esse feruntur, universae Moscoviae primario, ac satis opulento. Eo vero ad diem ipsius Sergii anniversarium celebrandum etiam Princeps ex arce Stariciae, triduo post discessum nostrum (cum decimo octavo Cal. Octobris versus Plescoviam in viam nos dedissemus) excurrit, inde in Slobodam Alexandri oppidum, mox ad suam Regiam profecturus.

At et illud magni momenti esse videtur, quod difficillime Ruthenicum Sacrum desererent, et cum Latino permutarent; vel ipsi adeo Graeco uti nos permitterent. Quod quidem si ad tempus eis concederetur, jam sedulo esset examinandum, num quae ex Divino vetere codice, atque ex Evangeliis recitantur recte sint versa: quae res nunquam fortassis, ne a Graecis quidem, facta est, nec vero fieri facile potest; cum qui Moscoviticam linguam, proprietatesque harum phrasum una cum Graeca, seu Latina lingua intelligat, et solida simul in Theologia jecerit aliqua fundamenta, neminem hactenus cognoverim.

Ac quidem Episcopos Ruthenorum, qui Poloniae Regi subditi sunt, audio interdum Graece facere Sacrum, quam tamen linguam vix eorum ullus novit. Quamobrem neque ab iis, si quis ad Ecclesiam Catholicam accederet, id sperari posset, cum etiamsi utramque linguam callerent, Theologiae prorsus sint inperitissimi. Uni vero, aut duobus ejusmodi tantam rem committere, judicium esto V. B. an expediret.

## *SPES, ET EXEMPLA.*

Verum enimvero nos animat ad meliora speranda is, apud quem non est impossibile omne verbum; quique ut quaerentibus serio Dei regnum multa solet adjicere; ita hoc potissimum saeculo in remotissimis Indiis, ad Ortum, Occasum, atque Meridiem, deletis Idolis, tropheum crucis passim excitavit, eademque Latina lingua Sacrum dici in diversissimis nationibus exiguo annorum spacio fecit. Cumque quarta haec mundi pars, quae vergit ad Septentrionem, atque ad Orientem, restet, in qua necesse sit Evangelium recte annunciari, magnum in ea ostium aperiri posse Orthodoxae fidei Divina providentia ostendit: si praesertim iis rationibus, longanimique (ut ita dicam) diligentia, quibus tot alia Regna fuere Christi jugo subjecta, negocium hoc promoveatur. Nam et aliquid est, nec sine Divino numine factum, quod nunc aditus in Moscoviam patuerit, V. B. clavum Ecclesiae regente, quum nempe operarii coguntur, et ad excolendas vineas institui curantur: quodque Deus id effici voluerit post Synodum Tridentinam, quae afflata divinitus, istud Seminariorum unicum esse remedium, ad propagandum Evangelium ostendit: Rege *item* Poloniae Stephano, qui armis in *Moscoviam* ostium Catholicis patefecit, ac cum sapienter intellexisset profectionem hanc nec suae dignitati, neque Reipublicae incommodaturam, in gratiam V. B. (summo licet in belli fervore) concessit, ut in Moscoviam tuto procederem; quod quidem ne in pace quidem aliis permissum est semper. Accedit ipsius Magni Ducis erga nos perhonorifica exceptio, qui nec omnia nobis negavit, et vexatione belli dante intellectum, fortasse mitior ad reliqua fiet, quam de ejus ingenio fama percrebuerat. Vix vero credibile est, ut minimus omnium hominum, qualis ego sum, eam libere loquendi, et interiora pene omnia, ac satis quidem cito sciendi occasionem nancisci alio tempore potuisset, nisi Divina providentia, aliquam hujus inchoandi negocii horam venisse, et ipsi demum negocio se adesse indicasset. Quin vero, cum oblata peropportuna occasione Magno Duci significassem: videret.

Digitized by Google

num juste a Deo tanti belli moles ejus humeris incumberet, quod Christi Vicario de negocio religionis nihil responderet (nectebat enim moras, et dissimulabat hoc totum) se quidem eo verbo vehementer affici ostendit. Quamobrem mitiora cogitare incepit, seque in reditum saltem meum responsum mihi hac de re daturum dixit, quod ut tunc certo faceret, ipsum rogaveram. Et quidem aliqua dixisse eum ferunt, unde se templum concessurum, atque adeo, si pax sequeretur, aedificaturum nostris intellexi-mus: sed serione, an ista belli vexatione impulsus, cum egere Pontificis Maximi opera videatur, haec dixerit, tempus declarabit. Quamvis, ut nihil aliud esset, quam id, quod de Catholicis mercatoribus, et Sacerdotibus modo concessit: quodque de pace cum duobus Poloniae, et Sueciae Regibus inceptum est agi: quod item de Christianorum aliquod Principum arctiore vinculo jam ordiri velle Deus ostendit (si serio publicum bonum ii plus, quam privatas res spectent) haec non usquequaque contemnenda esse videantur, iis praesertim, qui sciunt aedificia non extrui unico momento integra, nec in fidei negocio solere Deum, sine summis laboribus, atque perseverantia eorum, ad quos pertinet de ovibus vim suam exerere. Sic autem jam inchoatare, non una ansa praeberi poterit de religione agendi, variaque serendi cum consiliariis, et Aulicis de pietate colloquia: alii vero vel voce, vel exemplo saltem doceri poterunt, ac alumni interim institui; gentis lingua addisci; libelli eo Idiomate et charactere conscribi, atque in lucem edi, praesertim si Polociae, ac Derpati (si Livonia restituetur a Mosco) nostri esse poterunt, qui tuto in loco Moscos eadem opera possint excolere. Quae omnia sane aliquam, ac sine multo strepitu, viam ad rem Dei bene gerendam solent complanare.

Quod vero ad schismatis naturam, Graecorumque ingenium pertinet, cum Rutheni, seu Mosci eorundem vestigiis insistant; Graeci autem adeo frequenter ad vomitum redierint, ausim dicere, si cum primum absoluta fuit Synodus Florentina, libelli ea de re ad populi captum, et communem linguam per Orientem atque iterum sparsi, Scholaeque alumnorum Graecorum institutae fuissent, qui veritatem illam illico, dum plerique adhuc ex Synodo illa recentes in Graeciam transmiserant, hausissent, non satis fuisset unus Ephesius Marcus tam solido ac Divino operi subvertendo. Et vero tum, si Ruthenis quoque convertendis eadem ratio fuisset adhibita, segetem foecundam haberet Ecclesia: quae, ut ita dicam, non potest consolari, quia non est. Sed et praeter Eugenium Quartum, si Innocentius Tertius, Gregorius Decimus, Alexander Sextus, Leo Decimus, et Clemens Septimus hoc negocium aggressi, non autem sola Synodorum convocatione, aut unius hominis, atque Epistolae missione contenti fuissent, sed variis illis modis, qui Christi Legatorum et Apostolorum proprii semper fuere, sedulo rem, saepeque ursissent; Russiam aut, quae ad Poloniae Regnum attinet, Catholica religione imbui curassent, (quod quidem facile licuisset, cum ea conditione Poloniae Reges Graecis Episcopis privilegia concessissent, si Synodum Florentinam fuissent amplexi) jam eam haberemus tanquam validissimam machinam, quae Moscovitico Schismati expugnando posset admoveri. Sed Russia illa, licet propriore Provincia, praetermissa, et magis incerto Moscoviae negocio praepostere tentato, Deus, qui ordinate omnia dispensat, quique prius quam mundi conversionem aggressus est, triennium Apostolis, et Discipulis catechizandis insumpsit, neutrius negocii hactenus, non solum integrum exitum, sed ne progressum quidem juste permisit: quoniam ad exemplar, quod nobis monstratum est in Christo, non omnia facta sunt.

Jam vero, quoniam Mosci ex Scythis, et Tartaris permisti sunt, hoc nequaquam fido Christi operario facescere negocium debet. Nam etiam his Dominus opus habet quos ad imaginem et similitudinem suam creatos, vult salvos fieri. Ut autem Apostolis, sic Apostolicae Sedi dictum est, ut doceat omnes gentes. Quae Sedes mirifice juvatur a Deo, cum hoc, quod Apostolico nomine designatur, id praestat; nempe cum ad revocandas animas ex errorum barathro mittit operarios, qui pro Christo, non pro se, aut pro negociis tantum humanis Legatione fungantur. Quanquam ut ad hos redeam, si nonnulla, quae sunt in hac gente, cum nostris, jam in Ecclesia Catholica antiquissime excultis, conferantur (quae quidem ad simplicitatem, ad abstinentiam, ad obedientiam, ad blasphemiae ignorationem, aut declinationem spectant) est quod non minimam spem faciat, fore ut pietatis et Catholicae religionis tenaciores evadant. Sed et coelestis gratiae virtus, tandem naturae depravatae immaniores quoque attemperat mores: nec porro Christus, bene valentibus, sed male habentibus, venit, ut mederetur.

Digitized by Google

Porro si quis cogitaret, oleum se atque operam perdere; si huc missus, non haberet initio, cum quibus talentum expenderet, cogitet quid Andreas Oviedus Societatis nostrae in Aethiopiam, cum aliquibus aliis sociis missus, vir quidem singularibus donis praeditus, triginta hosce totos annos fecerit; cui si minus quam sperabatur. Principis illius, qui Aethiopae praecerat, conversio successit, suorum tamen laborum semen reliquit, quod aliquando, Deo nunquam mentiente, laturum sit fructum. Qui etiamsi nihil fecisset omnino, passus est tamen multa, viamque trivit aliis exemplo patientiae, quam incedant. Quod si Alumnorum ex Aethiopia emittendorum, aut ratio aut facultas ei sat pauperi constitisset, aliqua citius messis erupisset. Verum hoc forsan a V. Beatitudinis charitate ex iis seminibus, quae pius ille vir secrevit a Schismate, procurari poterunt, cum ex Aethiopia Hierosolymam Abyssini, vel mercatores, vel alii religionis gratia singulis annis adeant.

Ergo non usque adeo levis momenti est, a Deo ascisci tanquam lapidem vivum, super quo Scythae, Tartari, gensque remotissima Orientis extrui possit, quae peregrinatur a Domino. Cum item, quod tempus Theologico, ac prius Philosophico curriculo absolvendo, aut etiam linguis aliquibus, quae vix unquam ad usum adhibentur impenditur, ei si biennium ad utiliores has linguas perdiscendas adjecerint, quibus vivi hominum libri ac corda perlegi possunt, nunquam futurum sit, ut eos poeniteat. Sed et hoc ipso in Moscoviae solo id efficere, ubi doctrina, probitate, sanctissimis Sacrificiis, vel haereticorum calumniae, vel malae de Catholicis conceptae opiniones tollantur, acutum iis addere poterit calcar, quorum vocationis finis est salus animarum; quique norunt beatae memoriae Franciscum Xaverium de Societate nostra cupivisse corpus ipsum tanquam mancipium Ethnico aliqui Indico vendere, ut ea ratione (cum alia non liceret externis) inter Sinas invectus, lucem Evangelii inferret: quam etiam ex vinculis Paulus Apostolus Romae intulit; et ex compedibus, et Cryptis Pontifices Maximi non solum in urbem, verum etiam in totum orbem prioribus illis saeculis invexerunt.

Quod autem Magnus hic Moscoviae Dux ad sui duntaxat commodum, Schismaque propagandum, amicitiam cum Pontifice Maximo, ceterisque Principibus Christianis quaesiverit, et hinc quoque mirabiles esse Divinae providentiae vias cernimus, qui comprehendit astutos in astutia sua; sinitque, ut non quod spirituale, sed quod animale est, praecedat, ne glorietur omnis caro dicet autem, ut spero, aliquando Ecclesia: Quoniam magna est misericordia Domini, qui Spiritu illo suo unico, atque multiplici de lapidibus potest exitare filios Abrahae. Quod si nullo alio stimulo urgeremur, quam ut, quod Princeps hic in Schismate, nos idem in Catholica fide promovenda faceremus, id judicio Dei declinando permultum prodesset, ne in eo surgens ille nos condemnaret; cum praeterea hoc Christiani pectoris pietatem saperet; ac vero esset in odorem suavitatis holocaustum Domino acceptissimum.

## *RATIONES*

### PROMOVENDAE IN MOSCOVIAM CATHOLICAE RELIGIONIS.

In primis ergo Seminarium instituendum videtur, quod paternam V. Beatitudinis erga Ruthenos quoque curam, Orbi terrarum ostendat: operarius aut (sine quibus nihil unquam solet hujusmodi Deus efficere) suppeditet huic sanctissimo aedificio exitando. Cum vero hoc, si Romae institueretur, splendorem quidem Apostolicae Sedi, bonumque apud ceteras omnes, ac praecipue apud hanc gentem nomen conciliaret; ac quod cum Collegio Graeco ist hic fit, id etiam forte Ruthenis magna ex parte prodesset: cogitanda tamen videntur viatica, itineris longitudo, fastus, quem vel oculis ipsis haurire solent in urbe harum homines regionum Septentrionalium, putantes id sibi deberi, quod ex charitate fit. Qui tamen, si quasi in probatione, tanquam pauperes, aliquamdiu solidam humanitatem imbiberint, selectiores aliqui, et pauci postea Romam mitti possent: eo magis, quod irritus esset labor ac sumptus, eos isthuc mittere, qui ante quam Latinam, aut Graecam linguam noverint, Italicam perdiscere debeant; quam in rem temporis multum impendendum est, sicut adolescenti illi Mosco contigit, quem ante triennium cum Ruthenis nonnullis Romam rediens ex Suecia, ad V. B. adduxi.

Ac Vilna quidem Lithuaniae Metropolis est, in qua Collegium, et Universitas Societatis nostrae, a V. Beatitudine confirmata, bonum habet numerum Scholasticorum. Ad eam vero cum Rutheni quoque nonnulli confluant, hi si

Digitized by Google

pauperes sunt (qui ferme plerique sunt) ea amplectuntur studia, quae privatae rei procurandae videant esse commodiora: sin ditiores sunt, hi aliud spectant; quam ut suos labores ad Divinam rem promovendam referant. Accedit, quod cum Magnus Moscoviae Dux neminem adhuc permiserit e suis foras emigrare ad litteras addiscendas, id tanto minus facturus esse creditur, si apud Lithuanos audiret id esse faciendum, quibus cum aut bellum, aut animi perennis aversio est. At vero utrique ut genti Ruthenicae consulatur, si quaereretur, ubinam Seminarium istud esset instituendum; primum Vilnae, aut Polociae, dicerem, pro Ruthenis Poloniae regni, proque iis, qui hujus triennii bello in Moscovia capti, minus difficultatis afferre negocio possent. Qui vero ex Moscovia educerentur, hi vel Olomucium, vel Pragam mitterentur, ad Pontificia Seminaria, in quibus ex ejus linguae affinitate cum Ruthenica, facilius, quantum satis esset doctrinae haurirent. Quod si fieret, demandanda videretur omnino alicui fido, ac prudenti operario cura, ut illos, ceterosque Septentrionales Sueciae, Gothiae, ac si qui sunt, alii, interdum inviseret, perque eos et litteras, et libros quaquaversum ad suos mitti curaret; jam vero satis instructos, ad diversa loca tanquam in vineas emitteret; alios vero eorum loco substitueret, ex toto hoc Septentrionis, et Orientali tractu. Quibus item omnibus is ipse procuraret, quoad ejus fieri posset ut loci, victusque ratio a Principibus ac Regibus, atque ab Episcopis non deesset. Alioquin nec facile operarii ex Seminariis suppeditabuntur, quorum Praefecti satis habent quod agant, si regulas observari ab iis, ac litteris operam dari studeant: nec ipsimet Alumni, quibus non statim solet ardor convertendarum animarum exciri, iis potissimum disciplinis vacabunt, quae proposito huic scopo sunt necessariae.

Interea, quod V. B. nomine caeperam agere cum Serenissima Venetorum Republica acrius urgendum est modo, ut unum, alterumque mercatorem, privatos licet homines, sed probos in Moscoviam mittant, qui oblatam occasionem juverint, qua Catholici Sacerdotes in hac regione figant pedem. Quod cum prudentissimis illis viris, ad Divinam gloriam uberius promerendam, magni momenti futurum sit, certe nec inutile aliquando foret, si vel superstite hoc Principe, vel altero mitiore, aut fortasse Catholico succedente, id de quo agitur, inter quosdam Christianos Reges constitueretur. Hanc ob causam curatum est, ut Moscus ad eos litteras scribat amantes, quas una cum meis V. B. ad illos mittam, cum primum in Regiis Castris fuero: simulque fidem publicam, qua tutus illis aditus, atque exitus pateat. Hac vero in mercatorum missione non est, quod dubitent, aut ob itineris longitudinem, aut ob merces emendas, vendendasque, maxima pecunia opus esse; cum si tantum, ut quid hic mercium habeatur, venirent inspecturi, et aliquid sive in pelles, seu in ceram, mel, coria, et alia ejusmodi expenderent, nec ipsi jacturam ullam facerent, nec si terrestre iter per Poloniam instituerent, id multum pecuniae exhauriret: cum etiam acceptis a Poloniae Rege litteris; quas (si pax inter istos Principes coibit) difficile non erit assequi, vix quidquam periculi, incommodique futurum sit ex via. Quin vero, si ipsi sericum, et alia illa, quae vestibus ornandis ex Oriente illuc advehuntur, aut illic parantur, in Moscoviam afferrent, uno curru multum per Poloniam mercium, sine gravibus illis vectigalibus, quae in Italia penduntur, in Moscoviam rectissima via posset importari. Quod si oblatae, huic rei Respublicae illa alias ob causas cunctaretur manum admovere, tum fortasse expedire cogitaret V. B. ut quaecunque in hac mea profectione acta sunt cum hoc Principe, Venetis, tanquam filiis paterne ac fidenter, sive eorum Oratori communicarentur: ut ea ratione jam, quo referenda sunt tam insignis Reipublicae studia, tanto suo cum bono altius perciperet, perceptum mandaret executioni. Ac quidem ego optime acceptus ab illa Republica non diffidebam fore, quin rediens illi totam hanc rem, atque adeo aliquid aliud fortasse persuaderem. Verum necessitas ad Moscum revertendi, aliaque agendi, quae inchoata sunt, id non permisit, quod non ita post multos menses (si Divinae placitum fuerit voluntati) ac quidem maturiore cum occasione per eos effici poterit, quos ista sancta Sedes aptiores in Domino judicabit.

Ac tamen interim obsecro B. V. ut dispiciat, num aliqui Roma, aliundeve cordati, et pii mercatores huic itineri, cum duobus Sacerdotibus quam primum possent accingi: quandoquidem a Magno Moscoviae Duce patentes litteras alteras obtinui, in quibus in gratiam V. B. concedit, ut quoscunque ipsa miserit, ii tuto venire, ac commorari in Moscovia possint.

Quoniam vero aequum esse videtur, ut cum Moscus V. B. litteras istas concesserit, alteras

Digitized by Google

ipse pares consequatur, quibus libera in Italiam Moscis Legatis, atque aliis commeatio sit, propterea supplico B. V. ut eas magna paterni amoris significatione conscriptas, jubeat ita parari, ut advenientibus iis, quos ex castris Poloniae Regis isthuc mittam, possint ad me perferri. Gens enim haec his maxime externis officiis ducitur; praestatque hoc ansam ad redeundum, atque iis de rebus agendum, quas in primis ad eorum salutem procurandam ipse Deus exoptat.

Sed et cum Moscovia, quod ad religionem pertinet, pendere quadantenus solita esset ex Russia, quae Poloniae Regi subjecta est (nam et non ita pridem Moscoviae Episcopi a Rutheni ritus Metropolita Kioviae, quae in Russia Regis est, confirmabantur) maximi autem ponderis futurum sit ad Moscoviam convertendam, si Episcopi, sive Vladicae Regiae Russiae seso ad Catholicam Ecclesiam aggregarent: propterea huc serio incumbendum videretur, si amantia Brevia V. B. scriberet iisdem Vladicis, qui octo sunt (adnumerato eorum Metropolita, Vilnae commorante) ad quos per unum Theologum afferrentur, non expresso alicujus nomine, ut is, qui tum rectius et commodius hoc praestare posset, ad hoc negocium proficisceretur: eos autem V. B. ad veritatem agnoscendam invitaret, eaque omnia ab Apostolica Sede expectanda doceret, quae a Patre, ac Pastore Universalis Ecclesiae, tanquam erga filios conferri possent. Tum. n. alterutrum sequeretur, ut hi rationibus auditis, et piis ad eam rem libris acceptis, quos Vilnae edi Ruthenice curabo, melius sapere inciperent; aut certe, dum et in hoc pastoralis ista V. B. virga invigilaret, coram Deo justificaretur: atque eodem itinere Reguli quidam Rutheni (quorum jam aliqui ad Catholicam fidem conversi sunt) pietatem istius Sanctae Sedis obviis ulnis excipe rent. Nam et cum per Russiam Regiam in Moscoviam veniremus, nobiles aliqui qui schisma suum deseruerunt, nobis fidenter dixerunt, si ea, quae a nostris audierunt, apud illos unquam dicerentur, maximum momentum ad eorum conversionem allatura. Habent autem ii Duces, qualis est Ostrogiae, et Slucensis, Typographias, et Scholas, quibus Schisma fovetur, cum etiam Leopoli, praeter Archiepiscopum Catholicum, et Vladicam Ruthenum, sit Armenus Episcopus, cum suis Armenis, quibus quidquid Catholicae fidei accederet, id in Armeniam usque, Deo juvante, pervaderet.

Quibus autem modis nostri, aliive Sacerdotes in Moscovia versari debeant, tum jejuniorum, quae plura Mosci habent, tum quorundam festorum dierum tempore, quos in honorem eorum celebrant, quos habent pro Sanctis (cum Schismatici fuerint, ut dictum est) cumque praesertim iisdem diebus abstineant, atque aliquando jejunent: quid item agendum sit *ante illorum* imagines, alioquin pias, cum ipsi nostras non venerentur: quique honor ab eo, qui ab ipsa sancta Sede mitteretur, exhibendus sit Metropolitae, aut ipsorum Vladicis: quidque agendum cum iis, qui simpliciores sunt, ne scrupulo de Schismate injecto, fortassis postea non salvarentur: V. B. pro charitate, qua suos filios, atque operarios prosequitur, dispicere, ac quam primum jubere, ut respondeatur, contenta erit.

Ex pago Bor ad Socolnam fluvium, *in* Ditione Magni Moscoviae Ducis dum equitum aliquas turmas a Poloniae Rege expectamus, qui nos in castra deducant; Die Sancto Michaeli Archangelo sacra, Anno 1581. Distat autem hic pagus Novogardia Magna quinquaginta, Plescovia vero centum milliaribus Italicis.

Digitized by Google

# COMMENTARIUS ALTER.

## *AD GREGORIUM XIII PONTIFICEM MAXIMUM.*

QUINAM rerum status in Moscovia, quidque de ipso Joanne Basilii Moscorum Principe, qui nunc rerum potitur, sperandum sit, ac quaenam fovendae Sanctae Sedis Apostolicae cum eo amicitiae occasiones possint existere (sive ad inferendum sinceriorem Dei cultum in illum ingentem Septentrionis, atque Orientis tractum, sive ad Christianos Principes animandos, ad foedus cum eo sanciendum, vel certe, quod in primis optandum est, ad rem Christianam solidius apud eum statuendam) hoc commentario, Deo adspirante, exponam.

Alteri enim Commentario, quod priore ad ipsum mea profectione, Vestrae Beatitudini e Regiis ad Plescoviam castris misi, non ausus sum haec adscribere: tum quoniam de iis cum Mosco, quantum satis foret, haud egeram, tum quod postea negotio Pacificationis inter Stephanum Regem, et ipsum (sicut Divino beneficio factum est) composito, videbam secunda profectione plura me liquidius assecuturum. Itaque cum et tractandis rebus, de quibus a V. B. missus fueram, et ejus Ditionis primariis civitatibus, atque arcibus, per bis mille, et quadringenta millia passuum obeundis darem operam; cum item apud Moscum reliquissem duos homines, qui, dum ab eo aberam, mensium quinque spacio multa observarunt: facilius mihi fuit, ea, quae ex historiis adnotaveram, et quae ab variis Legatis, et in Suecia primum, deinde in Polonia, ab ipsismet eorum Regnorum Regibus non semel de Mosco audiveram, cum re praesenti conferre, unde quantum injuncti mihi a V. B. muneris ratio poscit, cuncta planius in Christi nomine aperiam.

## *MOSCI,*

### QUI NUNC RERUM POTITUR, EVECTIO AD MAGNUM MOSCOVIAE DUCATUM, PROPAGATIO IMPERII, ET VARII CASUS.

Joannes, Basilio Patre, anno hujus saeculi vigesimo octavo natus est. Is ad suae Dominationis fastigium evectus, ut erat ingenio vehementior, ac dignitatis augendae percupidus, ulcisci Tartarorum injurias, et pedem figere in Livonia statuit. Casanenses adortus, admotis aeneis tormentis, facile fuit ei (ut Stephanus Poloniae Rex mihi narravit) sive armorum, seu machinarum generi insuetos expugnare. Inde Astrachanum ad ostia fluvii Volgae situm coepit, non ignobile Orientis emporium ad mare Caspium. Id cum alterius Tartarorum Hordae (seu Regni) esset caput; protulit ditionis suae fines usque ad Circassos, trecenta ultra Astrachanum millia passuum. Qui Circassi editiora, prope Caspium mare, incolunt, et ad fines usque Persici Regni pertinebant, antequam hoc anno superiore Ferream portam, aliasque arces Selymus eo de Rege cepisset. Ea vicinia, et Graeci ritus affinitate, proximus Circassis Moscus (illorum primarii viri filia in uxorem ducta, quae postea interiit) rogatus olim ab iis, ut ad sese peritos condendae arcis mitteret, qua Turcarum excursiones prohiberentur, id fecit: atque ab eo tempore cum illis sic amicitiam coluit, ut quibus finitimus alius Princeps non sit, cum quasi Patronum habeant, gens cetoroquin simplex, et Divino cultui capessendo proprior, quam Scytarum pars, aut Rutheni sint, qui fere in unum populum coaluere, Imperio Mosci subjecti. Restant Nogajci Tartari, qui cum saepe, tum hoc anno in Mosci ditionem irrumpentes, muneribus placati abscessere. Cum Praecopensibus autem Tartaris Turcae foederatis, qui Tauricam Chersonesum incolunt, et a quibus, uti potentioribus, multa clade accepta, pejora metuebat, Polonico bello distentus, pacem ita fecit, ut, quo tempore Moscva Moscoviae Regia discessurus eram, mihi respondit, se adversus Tartaros una cum Stephano Poloniae Rege arma sumere non posse, quod in singulos dies ejus Tartarorum Imperatoris magnos Legatos, et suos expectaret, cum quibus pacem, jam utriusque Principis signo obsignatam, confirmaret. Caeterum quod attinet ad Livoniam, cum induciae quinquaginta annorum cum Livonibus ictae, anno hujus saeculi quin-

Digitized by Google

quagesimo expirassent (quibus majores sui, ob caesum ad Plescoviam, Pletembergio Ordinis Livonici Magistro, ad internecionem exercitum, assenserant) varia causatus; quod Livones conditionibus pactis non starent, quodque templa, in quibus Ruthenico ritu Deum Mosci Revaliae, et Derpati colebant, a Lutheranis eversa essent, omnem vero impietatem erga Catholicos exercerent, bellum iis indixit: Derpatoque, et aliis arcibus captis, summaque cum Livonum strage, magnam Livoniae partem assecutus, diuturni belli cum Polonis semina sparsit. Qua de tota re eodem in Commentario scripsi, quem novissimo de Provincia illa ad V. B. misi. Et ea quidem omnia, licet aliquamdiu facilem exitum habuere, maximas tamen calamitates Moscoviae postea intulerunt. Nam dum in tam dissitas regiones, atque in arces jam plures praesidia essent imponenda: bellum autem, suo fere tantum milite, variis in locis, ac per tot annos exercendum: qui vero arces tuerentur, ii in Moscovia steriles uxores relinquerent: ac si quis eorum moriebatur, alterius suffectione locus impleretur: factum est, ut populi admodum rarescerent. Accessit militaris ab eo disciplina Pyxidariorum, sive fistulatorum, (Sclopetarios vulgo aliqui dicunt) qui minoribus utuntur tormentis, instituta, majoribus suis ignota, qui fere arcubus tantum, et sagittis utebantur. Ex decimo enim quoque e suis uno assumpto, vel sunt Praetoriani Stipatores Principis, vel in bello merent, aut in arcibus praesidiarii collocantur, relictis domi uxoribus et filiis, quibus interim cadentibus domus sensim hominibus nudantur. Sed et pestilentia, quam antea nunquam in Moscovia, ob intensissima illa frigora, et vastitates grassari auditum fuerat, multos absumpsit, et plurima bella, caedes vero multorum millium (et quidem Optimatum) Tartarorumque continentes excursiones, ipsaque ab iisdem ante duodecim annos conbusta Regia. Principem ad eum statum adegere (additis Stephani Regis continentibus hujus elapsi triennii victoriis) ut non solum attritae, sed pene accisae ejus vires existimari potuissent. Id constat, trecenta, millium passuum aliquando in ejus ditione iter fieri, in quibus incola nullus jam superstes sit; pagis ipsis extantibus quidem, sed vacuis. At vero dedolati agri et recentes sylvae, quae passim succreverunt, indicia sunt frequentiorum antea incolarum: licet quae regiones supra Moscvam versus Septentrionem vergunt, eae admodum frequentes incolas habeant, quod excursiones illuc Tartari non fecerint, et salubriore coelo fruantur, quemadmodum mihi diligenter perquirenti relatum est ab Italis et Hispanis iis, quos in B. V. et Regis Catholici gratiam libertate a Magno Duce Moscoviae donatos, mecum in Italiam adduxi. Hi enim duo de viginti menses eas terras latissime pererraverant, cum per paludem Meotidem et Turcica elapsi captivitate, terrarum ingentia spacia emensi, denique ad civitatem Vologdam transmissi fuissent. Jam vero quod inter Casanum et Astrachanum est intervallum, id vastissimum est, rarissimis sane incolis: ut, qui citro ultrove commeant, vel qui ab ipso Principe mittuntur, saepe menses integros nullo alio cibo, quam piscatione, ac venatu, absque ullo pane, vitam sustentent.

## *CELEBRIORES MOSCI*

### CIVITATES ET POPULI.

At civitates, quae frequentia, et nobilitate celebriores habentur, erant eis Tanaim, Moscva, Smolenscium, Norogardia, sive Novgorod, Plescovia, Tveria: ultra vero ad Septentrionem, Vologda (ad Orientem autem Casanum et Astrachanum, quod Jovius, et alii, Citrachan vocant: quamvis inter istas Jaroslaviam, et Alexandri Slobodam, atque ejusmodi quasdam alias connumerent, quae tamen rectius oppida dixissent, nisi quod arces habent, *pro more* gentis, haud contemnendas. Verum enim vero mirum dictu; quod aliis illis vel popularium centena millia, vel nobilium, quos Bojaros vocant, decades millium quidam attribuunt: quos Secuti, qui res illas memoriae mandarunt, Albertus Campensis (is quem V. B. mihi in Moscoviam discedenti legendum tradidit) vel idem Jovius (qui ex Demetrii cujusdam Mosci relatu Commentarium confecit quem hujus Principis parens ad Clementem VII misit) nescio quem scopum veritatis attigerint. Idem vero et alii fecere, qui Legationibus functi, inde reversi sunt. Credo ita, quod Mosci consuetudinem in hominibus colligendis perque arcium primas, et loca editiora disponendis, cum Principum legati quae sitissimis honoribus excipiuntur, haud satis intellexerant: res autem a nobis longius dissitas commemorando (ut mos est) praeter veritatem extollerent. Licet etiam fieri potuerit, ut minus a vero aberrarent, quod superiore parentum nostrorum aetate, Mosci (ut diximus) minus bellis

Digitized by Google

exerciti, minus morbis tentati, neque tot caedibus imminuti, et pauciores item in arces impositi, non ita orbas domos posteris reliquerint. Id vero de Mosci Regia, quae (ut dixi) Moscva est, certum est; triginta hominum millia, pueris, sexuque utroque numerato, hoc tempore non censeri. Nam quantacunque Civitatis species adeunti incurrit in oculos, accedenti tamen propius (ne dicam postea ingresso) ipsae domus multum terrae spacium occupant; platearumque, ac non unius fori amplitudo, ambitusque ipse sacrarum aedium (quae ad civitates ornandas potius, quam ad cultum extructae esse videntur, cum toto pene anno plerunque sint clausae) certiorem veritatis fidem efficiunt. Et erat sane eodem hoc Principe augustior, ac numerosior Moscva, sed anno praesentis saeculi septuagesimo a Tartaris concremata, incolis plerisque incendio absumptis, res omnis in angustiores terminos adducta est. Extant vestigia majoris circuitus; ut qui octo, vel novem fortasse fuisset, jam vix quinque millia passuum impleat: cum et boves, et vaccae, caeteraque id genus animalia, quae quotidie ducuntur ad pascua, in domibus civium habeantur, quarum pleraeque sepibus, et viminibus circumseptae, faciem nostrarum rusticanarum referunt. Sed in ipsis duabus Moscvae arcibus, quarum altera alteri haeret, spendidius quiddam est. Alteram enim insigniora aliqua templa, ex latere confecta (*cum* reliqua templa civitatis lignea sint) Palatiumque Principis: alteram vero novae officinae, *quae* suas plateas, suis quibusque opificiis distinctas habent, utcunque exornant. At cum eaedem officinae exiguae sint, uniusque Venetae officinae plus mercium appareat, quam in Moscvae integra platea servetur: neque vero easdem fere incolant, quippe qui domicilia in civitate habent, rem quanti sit, non obscure indicant. Smolenscium autem, Novogardiam, et Plescoviam eodem populi numero censeri putaverim: ut certe summum viginti hominum millia earum singula (cum bellum non est) habeat. Ac quidquid amplius prae se ferunt, frequentiores tamen esse haud puto; easdem nempe ob causas, quas dixi, et ob aedium ac domorum ingentia spacia: sed Legatis advenientibus rustici, qui in pagis, agrisque habitant, Principis jussu accurentes, (uti supra expositum est) frequentiam ostendunt. Jam vero multo minor Tveriae populus est, quae procul maximae et insignis civitatis speciem praebet. Verum moenibus cincta non est, licet non exigium domorum numerum circum quaque habeat, ut quae belli damna, excursionesve hostium minime senserit. Quae res fecit, ut et Vologda et Casanum, ac praecipue tractus ille, qui magis ad Septentrionem vergit, hominibus abundet. Sed et quicquid hujus est rei, ac quantumcunque terrarum Moscus a Lithuaniae, ac Livoniae finibus usque ad mare Caspium, vel ad Lappos, vel ad Ceremissas, caeterasque potius vastitates, quam populos, obtinet gratis sane dictum est, inde ducenta, trecentave equitum millia in aciem educi; aut Tartarorum quoque infinitam esse multitudinem, quam, cum Moscus velit in expeditiones emittere possit.

## *MOSCI MUNITIONES,*

### ET RATIO EARUM DEFENDENDARUM, CUM OPPUGNANTUR.

Jam quae sunt apud Moscos hoc tempore arces, atque praesidia, ab iis, quae superioribus temporibus fuerant, satis differunt, neque eadem omnes ratione sunt communitae. Aliae ex saxis, et lateribus, quales duae sunt, quae civitati Moscvae haerent, una Novogardia, Plescoviaque ipsa, ac Porcovia, Stariciaque Alexandri Sloboda, pars Jaroslaviae, quaeque in Albo lacu est sita, et quae sunt ejusmodi reliquae. Aliae aggeribus vimine contextis, et ad duritiem pressis: quale Smolenscium est, ipsiusque Moscvae moenium ambitus, post Tartaricum incendium excitatus. Reliquae trabibus in quadrum connexis, media humo, vel arena, impressionem, diverberationemque sustinent, ignem non ferunt, adversus quem tamen interdum lutum oblinunt. At in universum, neque prominentia propugnacula, quaeve sibi respondeant (qualia hoc, sive item superius saeculum docuit) nec ratio illa est apud eos architecturae, quae apud nos viget. Arces autem Moscvae duas Principis hujus parens Basilius aedificari jussit, Mediolanense architecto, Italis operariis. Extat ejus rei memoria Latinis literis supra arcis portam, sub imagine pia Beatissimae Virginis. Caeterum moenia ipsa alta, turresque circumquaque dispositae, Regium opus ostentant. Idem Novogardiae cernitur: sed in ipsa arce, praeter sacram ipsam aedem, prope quam Archiepiscopus cum suis commoratur, vix ullae sunt domus aliae: cumque pene in orbem esset antiquitus extructa, eam superiore anno Romanus alter Archi-



Digitized by Google

tectus aggere cinxit, ac propinquum monasterium intra novam munitionem inclusit; suis locis ex eodem aggere propugnaculis collocatis, quae hostibus ab assultu arcendis, tormenta majora sustineant. Ad Plescoviam vero ipsam primo moenia ex lapide, quem fluminis alveus suppeditat, turresque mox alter murus ductus per mediam civitatem, quae formam oblongi trianguli pene habet; triaque apud eum murum succedentia Castella, extraordinariam munitionis rationem ostendunt. Et ea res obsessis firmitatem (quo tempore in Regiis castris haec observabamus) obsidentibus autem curas et solicitudines afferebat. Nam ut pinnas quidam tantum decusserant, neque ex fundamentis extantem in solo murum malleis, aut ligonibus satis exemerant, ut concidere posset: ita iis, cum alta moenia strenue conscendissent, restabat descensus, ex quo ictibus depellebantur a Moscis; ac si desilire tentassent, moenibus Civitatis ab exercitu reliquo secernebantur, ut omnino interiissent. Sed et irruptio quantumvis primo successisset, jam intra domos illas ligneas, quarum civitas referta est, ita concludebantur, ut igne supposito conburendi fuissent, si descendissent; Mosci vero in murata Castella sese tuto recepissent. Accessit Praefecti Civitatis cura, qui intra muratas turres, alias quoque ligneas circum quaque excitarat, ferendis majoribus tormentis idoneas, ex quibus assidua fiebat explosio. Quo ipso modo Polociae magnam turrim ex ipsis trabibus Mosci construxerant, ex qua circumquaque ad castra, aliove collimantes, vix liberam alicui facultatem appropinquandi praebebant. Interea tamen globis Regiorum saepe plus perforata est, quam ut quicquam inclinationis ostenderit: licet denique arx Stephani Regis virtute, regiorumque conatu, et fortitudine expugnata sit. Porcovia vero praeter turrim eam, sub qua praesidii unica porta est, scalis unde quaque conscendi potest, nullo altero propugnaculo hostes, si qui accesserint, laedente, ni ex moenibus cominus pugnetur, vel eminus jacula, globive intorqueantur. Par pene aliarum arcium est ratio. Sed Smolenscii aggeres, quos ab una parte alluit Borysthenes fluvius, triplex ejusdem rationis munitio, editioreque in loco supra montem arx, una cum templo, facesserent negocium oppugnantibus. Et vero agger ipse circumquaque minimis spaciis foraminibus est repletus, ut minoribus tormentis arceri possint, si qui tentaverint irruptionem. si ergo modus est munitionum. At praesidiarii, quanto minus justo in praelio, campove Polonis obsistunt, tanto magis arces, civitatesque defendunt: et feminae ipsae munia militum sic saepe induunt, ut vel aquae adversus injectum ignem afferendae, vel congestis e muro lapidum molibus provolvendis, aut sudibus, qui de manibus ad eam rem dependent, impellendis, magno suis usui sint, hostibus pernicici. Porro si quis e praesidiariis hostili impetu, aut displosione in aerem frustillatim evolat, alter succedere, cui alius identidem, ac denique nemo parcere operae, vitaeque. Ad frigus durati, saepe adversus illud, imbresque ac nives, et ventos alio suffugio non utuntur, quam aliquo ramorum nexu, vel penula defixis palis imposita. Iuediae quoque patientissimi, aqua, farinae avenae commixta, acetum pene sapiente, pro potu, pane pro cibo contenti sunt. Et retulit mihi Poloniae Rex, in arcibus Livonicis fuisse repertos, qui ita se aliquamdiu aluissent, ut cum jam pene omnes occumberent, reliqui superstites, animam licet agentes, haererent adhuc anxii num sese obsidentibus dederent: ne videlicet fidam suo Principi operam usque ad mortem negarent. Haec illa res est, qua una tantum possunt, quoniam simul in idem incumbunt, ut fortiores interim pluribus evadant, aut certe aliquando hostes patientia, diligentiaque fatigent. Sed haec alibi alii.

## *VIRES ALIAE MOSCI.*

Cum in unum ipsum Principem omnia congerantur, civitates, oppida, pagi, domus, agri, praedia, silvae, lacus, flumina, honor ac dignitas, nihil in tam vasto terrarum tractu non maximum videri potest earum virium, et opum, quibus pollcat: quae et majores aestimari poterant tum, cum quies ab armis commercia reddebat liberiora, Livoniaque florebat, et ipsa Balthici maris navigatio erat frequentior. At vero istis sublatis, vel imminutis, eadem quoque imminui necesse fuit, quamvis nec species Majestatis deminuta sit, et thesauros habere Princeps ingentes existimetur: ad quos quicquid facti, infective auri in Moscoviam importatur, id omne, quantum potest, colligit, nec pene unquam efferri permittit. Argentum etiam vix unquam inde exportatur, nisi cum captivi redimuntur, aut miles externus scribitur; quod tamen raro fit. Pellium autem, et coriorum permutatione Mosci pro pecunia saepe utuntur: cibumque ipsum, si quo proficiscuntur, secum plerumque deferunt.

Digitized by Google

Sed et Taleros (Germanicam pecuniam) in Dengas et Moscoviticas, quibus nominibus monetam suam vocant, immutant: minus jam illas, quam antea, probo argento, cum licentius, pristina rejecta cura, ejus signandi aurificibus quibuscunque potestas sit. Si qua vero aurea dona, vel argentea aliunde Legati redeuntes afferunt, ea omnia iis vel data argenteae pecuniae summa aliqua, vel ne data quidem, in thesauros suos infert. Et dubitandum non est, cum ejus parens ex Livonicis civitatibus, atque aedibus sacris, quicquid potuit opum, auri, vasorum aureorum, et argenteorum, calicum, et aliarum ejusmodi rerum, corraserit, onustissimisque curribus asportarit, ingentem vim earum rerum acervasse, quod post Tartaricam illam excursionem, ac Moscvae ipsius exustionem, tribus in arcibus partitus est, Moscvae, Jaroslaviae, et in Albo lacu. Jam civitatum, aut provinciarum Reguli nulli sunt, quos Duces apud nos vocare mos est: eo tamen nomine, ad existimationem sibi, seu potius Principi conciliandam, sive ad Praefecturas utuntur: verum res ipsa deest. E Tartaris quidam, qui fidem Principi huic in expugnandis Casanensibus, ad Ruthenum ritum, et Schisma accedens, praestitit, cum etiam partem quandam suae ditionis reliquisset, Columnam oppidum, et alia nonnulla accepit: sed pene merum imperium manet apud Moscum, praeter aliquos reditus ei attributos, ac demendos, ubi libuerit. Pagos et agros, si cui addicit, ii ad posteros non perveniunt, ni confirmentur a Principe: cui tamen rustici ex fructibus inde tributum et operas pendunt, uti et Domino faciunt: reliquum, quantulumcunque est, victui suo reservant, aut eximunt. Ea re fit, ut nemo vere dicere possit sibi quicquam esse proprii: et (velit, nolit) quisque ab nutu Principis pendeat. Si cui plura sunt, tanto magis se devinctum agnoscit: opulentior autem factus, tanto sibi metuit magis; quippe ad Principem saepe omnia reciduut. Inde quoque existit sive commodum, sive cautio, nullus ut audeat hiscere; transferendis autem familiis, vel hominibus ad varia praesidia potius relegandis, quam mittendis, praecidantur conjurationum viae. Licet si quid ejusmodi praesenserit, nex in tales homines, filios, filias, rusticos quantumvis innoxios, haud semel patrata sit. Et retulit mihi ex ejus aulicis vir nobilis, cum villas quasdam obtinuisset, ne domos quidem ligneas tegere, aut reficere per aliquot jam annos sibi licuisse: rustici. n. ad quos id pertinebat, oneribus a Principe pressi, nec respirandi facultatem habuerant. Sunt vero quadraginta Germanae familiae earum, quae ex Livonia abductae fuerant, quae Moscvae ad opificia jussu Principis olim substitere: reliquae permultae Casanum, et alio amandatae sunt. Ex his igitur pecunia quotannis exigitur. Qui sane, vexatione dante intellectum, honorificentissime Pontificem Maximum jam appellabant, nihilque mihi non obsequii summi exhibebant: recordati, quid Apostolicae sedi Livonia olim tribuerit: et quanta pace frueretur, quibusve nominibus, tanquam Christianae Reipublicae propugnaculum, ipsamet Provincia vocata sit, cum Catholicos et legitimos suos agnosceret Principes, ac praecipue cum a Pontifice Maximo penderet. Qua paterna potestate excussa, mox ab ordinis Teutonici equitibus, cum hi adversus Ecclesiasticum ordinem insolescerent, tantum non discerpti, deinde aliunde frustra petito auxilio, tandem sub haereticorum jugum adacti, jam miserrime in Moscovia vivebant; si ea vita vocanda sit, quae haeretica est. Ad ipsas silvas, lacus, et fluvios quod attinet, quaecunque inde preciosiores pelles, et pisces, quorum copia permagna est, percipiuntur, earum omnium rerum Princeps potissimam habet partem. Pelles ad dona, et venditionem; pisces siccati ad praesidia, cibumque asservantur. Quaecunque ad Principem spectantia ex his distrahuntur, aliis praeferuntur; nec quisquam sua potest divendere, antequam ea, quae sunt Principis vendita sint. Scribae, sive Amanuenses (corrupta e Graeca voce Diacos, quasi diaconos, et ministros vocant) designati, non tantum in palatio Principis summa diligentia rationes, et acceptum scribunt: verum etiam per singulas provincias accurate omnia exigunt, et ad Quaestorem imperii referunt. Vectigalia non sunt maxima. Nam Legatis mercatores, quoscunque volunt, secum licet adducere, qui eo nomine, nec aliquid pendunt, et aluntur a Principe. Astrachani olim frequentius conveniebant ex Maris Caspii ora, Persideque: at Tartaris magna ex parte ejectis, belloque isto Persico diuturniore, infrequens factum est emporium illud. Auri et argenti fodinas esse non audivi, ferri sunt; quod quidem homines, non adeo industrii aegre ad usum aptant. Honor autem Principi tantus ab omnibus defertur, quantus vix cogitatione intelligi potest. Ab ipso, si non credunt, certe ita crebro fatentur, sevitam, salutem, omniaque habere, ut et gratiae Dei, et clementiae Magni Czari, seu Regis, vel Imperatoris (sic



Digitized by Google

enim Principem vocant) cuncta tribuere putentur: et verberati, ac prope modum morientes, id loco beneficii sese interdum dicant accipere. Gens ad servitutem nata potius videretur esse, quam facta, nisi plerique captivitatem illam agnoscerent, filiosque, et quicquid aliud habent, illico necatum, perditumve iri scirent, si alio emigrarent. A pueris quidem eidem vivendi modo assueti, quasi naturam induerunt, ut ea omnia sui Principis maxime extollant, seseque vivere, et recte valere, si vivat, et recte valeat Princeps, asserant: deque aliis quantacunque vident, haec non magni aestiment: licet qui rectius sapiunt, si absit, quem timeant delaturum, et externas regiones obierint, haud difficillime aliorum potentiam, et vires dignoscant. Ac cum reliqui ex ora Pomeraniae, Hollandia, et Anglia, per mare Balthicum in Moscoviam, ad ceras, coria, pelles vendendas, transmittere solent, tum superiori Septentrionali Oceano (quem alii glacialem illi mare sive asperum, sive aspidum vocant) singulis annis ad Divi Nicolai portum aliquot Hollandicae, atque Anglicae naves cupro, mercibusque aliis onustae appellunt in ipsam pene diem Divo Petro sacram. Inde centum pene Germanica milliaria Vologdam, quod est non incelebre Moscoviae emporium, merces advehuntur.

## *CONSILIARII MOSCI.*

Duodecim Principi Senatores adsunt qui de causis judicant, et quae majoris momenti sunt, ad eum referunt. Ad eos autem, et alia, et libelli supplices (quando quidem Principi non porriguntur) deferuntur. Loco ac magistratu, pro ejus arbitrio, moventur. Eorum, cum essem in Moscovia, nomina haec erant: Joannes Theodori filius (vocant ipsi Theodorovicz) duoque ejus filii, Theodorus et Simeon: Deinde Mikitta Romani, cujus soror Anastasia Principi quondam nupserat (de qua altero meo Commentario ad V. B. scripsi) Andreas Solcanovius Cancellarius, Basilius ejus frater, Bogdan (id est Deus dedit, vel a Deo datus) Jakovlevicz, Bilscius (qui gratiosissimus tredecim integros annos apud Principem fuerat atque in ejus cubiculo dormiebat) Nieveja Bogdan frater: Basilius Ivanovicz Zugin, quem parens natione Moscus, cum in Lithuaniam aufugisset, genuerat. Sed ille grandior factus, in Moscoviam postea transfugit. Hic pene omnium unus latine nonnihil noverat, sicut polonice Andreas Solcanovius, Ignatius Tatischtschew, Abain Vojejkow, Michael Andrejevicz Begin. Quaestori autem aerarii, sive Thesaurario, qui non censetur inter Senatores, nomen erat Petrus Ivanovicz Golovin. Porro Cancellario erat curae dispositio nobilium in arcibus, quibus agri, vel praedia, quae attribuuntur a Principe, victum suppeditant: ac proinde vix ullum datur stipendium, aut post multos annos ab eo munere vacatio. Reliqua Praefecti arcium, et civitatum sic administrant, ut sciant, cuinam Senatorum epistolas ad Principem mittant: quibus ejus nomine respondetur, licet nunquam ipse Chirographo sive ad eos, sive ad Principes alios, suis litteris subscribat.

## *MOSCI MAGNI DUCIS*

### MOSCOVIAE FILII.

Joannes Basilii Magnus Moscoviae Dux ex Anastasia, quam primo duxerat uxorem, duos filios susceperat, Joannem et Theodorum. Hi prima profectione nostra superstites erant: Secunda, primogenitus Joannes decesserat, annos natus viginti, ad regendum jam aptus, et qui a Moscis diligebatur. Alios quoque aliis e mulieribus eum filios genuisse, sed postea mortuos ferunt. At de Joannis morte (quod ea res memoratu digna sit, nec mediocre habuerit momentum ad Principem flectendum, ut multa, quae cum eo agebamus, mitius, quam fortasse fecisset, audiret) operae precium fuerit nosse. Interfectum igitur fuisse Joannem filium a Magno Moscoviae Duce in arce ea, quae Sloboda Alexandri dicitur, certiore inditio proditum est. Ejus mortis fuisse causam, qui veritatem scrutati sunt (nam et tum erat apud eum alter ex interpretibus meis, quem ad ipsum allegaveram) hanc veriorem retulere. Honestae quaeque, nec pauperes mulieres tribus vestibus indui solent, praeratione temporum, aut gravibus aut levibus, si una tantum induantur, haud bene audiunt. Tertia igitur Joannis filii uxor simplici veste induta, quoniam uterum gerebat, neque ad se quemquem aditurum putabat, forte super scamno decumbens, invisitur a Magno Duce Moscoviae, cui statim assurgens, nihil tamen animum illius emollivit, sed accepta alapa, deinde baculo, quem ille gestabat, ita percussa est, ut insequenti nocte pueri abortum faceret. Accurrit interim ad patrem Joannes filius, eumque dum reprimit, ne uxorem verberet, in se iram et verbera patris convertit. Itaque eodem baculo in capite prope tempora gravissime vulneratus est. Et

Digitized by Google

filius antea adversus patrem incensus, multa illi exprobraverat in haec verba: Tu mihi primam uxorem nullam ob causam in monasterium intrusisti: de secunda id ipsum fecisti; ecce jam tertiam percutis, ut filius, quem in utero gerit, percat. Vulnerato itaque filio, tardius indolens pater, medicisque, et Andrea Solcanovio, et Mikitta Romani Moscva confestim accitis, ne quicquam remedia curata sunt. Post quinque dies mortuus, universo omnium maerore elatus est Moscvam, sequente funus patre, atque (ubi civitati appropinquavit) etiam pedibus iter faciente: digitorum interim apicibus loculum portantibus proceribus, pullatis omnibus. Quas vestes, ad squalorem compositi, adhuc iidem in nostro reditu retinebant, promissam comam (id quod signum maeroris est) defluere sinentes, neque pilcolum nobilitatis insigne ferentes. Qua in re miram Dei providentiae, et justitiae caritatem agnovimus, quod cum priore ad eum Principem adventu nobis illuderent, quod nigris vestibus induti, et tanquam pannosi incederemus, (is enim color iis est, aut insolens, aut lugubris) tum ipsi ob demortui Joannis luctum, eodem uti cogerentur, nihilque jam hac de re mutire audirent. Caeterum cum Princeps advocato Senatu, suis peccatis factum esse dixisset, ut Joannes moreretur: cumque alia quaedam essent, ex quibus dubitare videbatur, si ad Theodorum minorem natu filium pervenisset imperium, id minus esset stabile: consiliarios est hortatus, ut cogitarent, quinam ex Regni nobilioribus in Principis locum esset sufficiendus. Cui illi, nullum se alium velle, quam qui supererat, Theodorum, quod eum sibi sat esse dicerent, qui Principis esset filius. Porro, et molestiam illam hortati sunt, ut ex animo abstergeret: et qui sese monachi vitam susceperunt insinuasset, is ut id consilii saltem ad tempus Moscoviae, rebus rectius constitutis, servaret. Et Bojarii autem id ab eo dici de sufficiendo altero, opinati sunt, ut pertentatis animis, si quem in alterum spectasse animadvertisset, et ille, et qui ei animo adhaererent, de medio tollerentur. Ac tamen cum Princeps ex maerore (sive dirisactus) singulis noctibus de lecto surgeret, atque ad cubiculi muros manibus reptans, magnis suspiriis editis, vix a Cubicularíis in lectisternio humi deponeretur (sic enim postea, recepto spiritu, mentis iterum compos quiescebat) propterea non destitere quidam varia agitare animo consilia, quinam denique, si quid de Theodoro eveniret, sufficeretur. Nam neque alius ex ipsius stirpe erat et ante 30 annos Magister Stabuli vacabat, ad quem (tanquam comestabilem) ea potestas deferenda fuisset. At Princeps post Joannis interitum, in lacrimas solutus, atque in squalorem omnem compositus, ne legatis quidem iis, qui mecum ad V. Beatitudinem veniebant, alias, quam nigras vestes (licet ex holoserico) tradi jussit. Per universum ejus imperium (sed praesertim in aula) eadem facies, cultusque lugubris, sepositum diadema, et si quis alius coruscabat ornatus, quanquam vix aulcis utatur. Pro salute animae filii ad omnia monasteria multam pecuniam misit. Idem cum Aeomato, Turcico sive Legato, sive Procuratore, qui triennium in Moscovia haeserat, quod Regio Poloniae exercitu discurrente, itinera ad reditum haud tuta erant, duos Moscos ad Patriarchas, monasteriaque Orientis misit, denis rublonum millibus (rublo, paulo plus duobus Coronatis censetur) ad eleemosynam, filiique demortui refrigerium procurandum datis. Nam et singulo triennio in Orientem ad eosdem pecuniam mittit, quod ab iis avitam, quam utcunque habent, fidei Graecae notitiam Rutheni hauserint, licet in multis jam differant.

## *RATIO*

### LEGATOS IN MOSCOVIA EXCIPIENDI, ET CUM IIS AGENDI.

Et vera sunt, et antiquum obtinent, quae scripsit Herbersteinus de ratione, qua Moscus externorum Principum Legatos excipit. Nobis tamen praeter illa, in arcem Smolenscensem, et Novogardiensem patuit aditus, summo honore, tormentorumque explosione ingentium: quod non ita semper cum aliis, qui ad suum Principem mitterentur, solitum fuisse fieri dicebant. Jussum est item primum Episcopo Smolenscensi, deinde Archiepiscopo Novogardiensi, ut quamdiu Smolenscii, et Novogardiae haereremus, lautia nobis praeberent instructissima, pro more gentis. Iique ipsi (mandante Principe, ut plurimis facibus, et reliquo apparatu exornatis templis sacrum faecrent) rogarunt, ut interesse vellemus. Quin et idem Princeps, quinis hominum millibus in platea patenti convenientibus, ut splendidiore majestate rem illustraret, Moscvae, suo e palatio cum Senatoribus, et Proceribus, (praeeuntibus sacerdotibus, praelataque B. Virginis imagine) descendit, ut nos in templum adduceret: in quo locum parari honorificum jus-

Digitized by Google

sit, unde sacrum, ceremoniasque illas conspiceremus. At neque Episcoporum (si Episcopi dicendi sunt) sacris interesse, neque in templum cum Mosco ulla ratione ingredi voluimus: licet, quoniam id libere coram eo Principe, ac tanta multitudine recusabamus, nemo non existimaret actum esse de nobis: plures autem de tanta illa opinione, quam de sua religione conceperant, haesitare inciperent. Rationes, quas ei tum publice attulimus, causasque altero scripto exposuimus, quarum potissima fuit, ne missus a V. B. viderer illa approbare, et Episcopos, ab sede Apostolica non confirmatos, honore ac reverentia prosequi, quorum manus et Princeps ac quilibet alius, capite versus humum demisso, solent deosculari. Et vero praeter Metropolitam, sex alios evocaverat Episcopos, tum ad eam rem, tum ut mecum de religione agerent. Qui tamen, ubi scripta nostra acceperunt, quae Princeps de discrimine inter Catholicam fidem, et Ruthenica dogmata de me publice quaesiverat, obmutuerunt, unusque ex iis Archiepiscopus Rostoviensis, ubi omnia probasset, in exilium actus, et dignitate motus, vitam amisisse putatur, felicior aliis, qui superfuere. Caeterum tribus instructissimis conviviis, quibus me una cum omnibus nostris, priore ac posteriore legatione Princeps excepit, nihil ad Regium splendorem defuit: cum praeter cibos et sumptus, quos a Pristavis (ii sunt nobiles, qui adjunguntur Legatis, atque eo nomine quasi adjuncti vocantur) suppeditari edixerat, de sua ipsa mensa quotidie cibos ad nos mitteret. Evocato ad negocia et cum eo, et cum Senatoribus tractanda, pridie ejus diei ternos, ac insequenti mane totidem alios praemittebat, nunciantes nos paulo post serenos oculos magni Imperatoris visuros: itaque praesto essemus. Post horam, ecce Pristavi nos monebant, adesse Proceres, et aliquos Principis Consiliarios, qui pene prope hospitium, cum centum circiter equitibus obviam veniebant, ut nos adducerent. Ex iis tres primi ex equis porrecta manu, me nomine Principis consalutabant, inviamque nos dabamus, Praetorianis pyxidariis mille circiter et quingentis utrinque per spacium ferme passuum mille stantibus, atque dispositis. Ubi in arcis interiora, hominibus referta, qui vestibus et machaeris pretiosis erant ornati, venissem, ut ex equo descenderem admonitus, et ab aliis Senatoribus ad imos scalarum gradus exceptus, atque in conspectum Principis sum adductus. Is sedere primum jusso, vel agebat me cum ipso, vel ut in conclave me conferrem, ubi cum Senatoribus agerem, indicabat. Sic plures interdum horas commorabamur, deque omnibus diligentissime, ac saepe ad summam lassitudinem, ii suis ego nostris interpretibus adhibitis, tractabamus. Si quid novi proponebam (id quod e re nata crebro fiebat) iidem illico omnes ad Principem ibant, exquisituri responsum: quod quidem accurate afferebant, nihil de suo promere ausi. Nec verbis facile assequar, quam apte, ac inprimis repetitis ad verbum, quaecunque proposueram, mihi identidem, eodem semper cum honore, equitibusque, ac Senatoribus obviam venientibus accersito, cum me in conspectum Principis dedissem, Senatores ejus mentem ex scripto, partita inter sese longarum schedarum recitatione, perlegerent, ac denique traderent. Itaque duorum mensium quibus continenter erat cum eo Principe agendum, et quinque aliorum spacio, quibus ultro citroque commeans, et cum Rege Poloniae, Regiisque, ac Mosci Principis Legatis (qui omnes erant septem) agens, nihil vidi ea in re vigilantius, dum quicquid antiquitus ex Lithuanicis, Polonicis, Livonicis, et Moscicis rebus collegerant, quibus sua tuerentur, fidenter ex Archiviis ederent: ex quibus postea non minimam lucem hausi ad statum illarum omnium rerum pernoscendum, atque tractandum. Quae quoniam ex litteris et actis, quae ad V. Beatitudinem misi liquidius intelligi poterunt, id circo haec fuerint hic satis. Jam quod equites, et equos ac commeatum, praemissa fide publica per tabellarios, usque ad imperii sui fines, ubi tentoria fixeramus, nobis celerrime miserit, cum primum ad eum perlatum esset, eo nos pervenisse: quod sexaginta e suis qui in hospitiis nobis ad omnia praesto essent, attribuerit, quibus stipati, exire domo, aut aliquem emittere absque magna necessitate prohibebamur: quod equos praemiserit ornatos, quos et dono Legatis tradere solet, et ut conscenderemus oportebat: quod turmas item, modo Tartarorum, modo Moscorum, comitatui nostro addiderit, quibus vel ad Regis castra proficisci, quae sexcentis ab eo passuum millibus aberant, vel ex ejus ditione exire tutius liceret: vera quoque sunt: et quoniam ea alibi attigimus, fusius hic quoque recensenda non censui. Id incommode non semel accidit, quod medicis ad nos morbo tentatos non permittebatur ob suspitionem venire. Reliquerat autem (ut supra dixi) duos apud Moscum, qui dum ipse redirem ad Regem, res noscerent:

Digitized by Google

ac si quid pietatis insinuare possent in eam gentem, id facere conarentur. Promiseratque mihi Princeps coram centum nobilibus, nostros a se eo loco habitum iri, quo me, si remansissem, habuisset. Sed neque exeundi unquam data iis facultas est, nisi semel, aut iterum: et Moscvam Starlcia missi, satis angusto cubiculo detenti fuerunt: in eodem enim coacti erant, habere altare ad celebrandum, mensam ad scribendum, et legendum, ac locum ad somnum capiendum. Aderant portae perpetui custodes, Bojarii tres totidem rustici, quorum nomina erant, Sunebul, Chufara, Rudear, Chufara, Miroslaw et Rurojedow. Quatuor ibi menses cum dimidio demorati, ac de promisso principis haud praestito conquesti, responsum ab homine cordato acceperunt: Principem aliud externis polliceri, aliud Pristavis injungere: quippe qui ore aliud loquatur, aliud corde cogitet: pluresque esse, quibus fidem venicndi, redeundique publicam dedisset, qui se revertendi veniam peterent, dictum ac factum morte multaretur. Quod si qui jurejurando confirment, sese ad mortem usque in Moscovia commoraturos, nec his tamen alios conveniendi, aut occurrentes alloquendi ullam potestatem dari: et capite plecti, si quis id faciat quive in suspitionem minimam ea de re venerit, Ruthenus is fuerit, aut alius Plerique optarunt ad nostros accedere, sed easdem ob causas ausi non sunt. Inter quos Medicus quidem erat, qui cum summopere expeteret Sacramento confessionis expiari, et sanctissima Eucharistia refici, veniamque adeundi postularet, non solum id consequi non potuit, verum etiam in haec verba minas reportavit: Cur qui externus sis, ejus gentis homines audes invisere? Itaque ni velis interfici, cave sis, ne amplius ista proponas. Erant autem e Moscis, qui captivitatem illam ingemiscerent, dicerentque, quam diu Princeps aliam rationem vivendi haud inierit, sperandum non esse, ut aliquid pietatis, et veritatis promoveatur. Nostris cum ego e Regiis castris, aut aliunde litteras mitterem, signo carentes, et fasciculo principis, ne quid suspicaretur, junctas, licet nihil continerent, nisi quod ad nostrum institutum spectaret: eas tamen aut reddi nolebat, aut aliquas e Latino Ruthenas fieri jubebat, ne (opinor) lateret aliquid: suspitione, videlicet, nimis perspicaci, et trepidante, ubi non erat timor. Ad extremum Moscva versus Livoniam discessuris post publicum convivium, data mihi, et omnibus nostris manu, assurgens jussit, ut V. Sanctitatem, Regemque Poloniae salutarem. Domum autem reducto, et litteras, ac dona misit, quae denique partim Germanicis studiosis Olomucii, et Pragae, atque alibi addicta sunt, partim ipsis interdum Moscis deducendis usui fuere. Ea cum secundo recusavissem, atque essem a Senatoribus admonitus, non debere me antiquum Imperii illius morem invertere, aut principis clementiam laedere, cum ipse et V. Beatitudinis munera non rejecisset, et a suis quos isthuc miserat, atque missurus erat, alia sinebat capi (secutus consilium istic antea mihi datum) gratiis actis, et distributa a me pluribus aulicis pecunia, accepi: sed ut ea occasione aliquid altius, et verius de instituti nostri ratione cognosceret, haec, quae sequuntur per Senatores illi significavi his verbis.

Patere, Clementissime Magne Domine, per Jesu Christi sanguinem, ut tertio denique te obsecrem, ut quae mihi dona pro tua magnanimitate parari jussisti, ea sine animi tui offensione non accipiam. Scit enim Deus, me ea ob contemptum aliquem, aut quod inde non agnoscam excelsam Serenitatis tuae liberalitatem, non aspernari. Sed meae ad hujus vitae spiritualis statum vocationi, votoque paupertatis, quod saepe Deo miserante emisi, da per viscera misericordiae Christi hoc, quod summi beneficii loco ducam. Recordare, te mihi (alios licet ob homines, et in quos tamen ista, quae meae vocationis sunt, non cadebant) paucos ante dies dixisse, optimam esse rem, Christi Domini humilitatem, et paupertatem imitari. Itaque sine, ut illam re ipsa sequar. Pax facta est, Deo miserante, sine istis aut vestibus, aut pellibus: sine iisdem reliqua, quae cupis, Deo aspirante, conficientur: nec vero a me ullum fidelis diligentiae officium desiderabis. Viaticum, quod Paulo socio meo ad Pontificem Maximum dedisti, quaeve dona ejus Sanctitati misisti, fuerint satis. Quae certe nec permi sissem accipi, nisi, cum tanto itineri, et morae nostrorum omnium in Castris, et in his regionibus, necessaria fuissent, tum offendere animum tuum, ac proinde meliora impedire metu issemus pellibus autem istis pretiosis non utimur nos: tradituri potius (si tanto nos munere dignaretur Deus) ipsas nostras pelles et vitam, pro fidei Catholicae propagatione. Propterea nec mercatores ullos (licet id sedulo efflagitantes) mecum venire passus sum, ne quid ab eo genere hominum scandali, ad id, quod mitterbar, aut rixae cum tuis oriretur. Porro habeo

Digitized by Google

satis, Divina gratia, quo redire possim ad pontificem Maximum. Quod si pretiosum mihi donum largiri volueris, serva erga me istam, quam mihi exhibuisti, clementiam tuam: ac cum te ovem Christi gregis profitearis, cogita ejus item visibilis pastoris, id est, Summi Pontificis ductum tibi esse sequendum, cui Christus Dominus gregem suum tradidit pascendum. Caeterum scito, aliqua hominum millia esse nostri ordinis, quos hoc saeculo, cum novus terrarum orbis apparuit, variaeque haereses Europam divexare coeperunt, in unum tanquam exercitum, abjectis sarcinis, et omni cura privatarum rerum expeditos, Deus evocavit. Dexteras inter nos dedimus omnes sub Jesu nomine, ut ejus nomen, Ecclesiaequo spirituales thesauros in Indias inter gentes, inter haereticos, eosque, qui non integre cum ipsamet Ecclesia conjuncti sunt, inferamus. Itaque et reliquimus omnia; Dignitatesque nullas accipiunt, aut accepere nostri, nisi si quae sine reditibus ullis, cum manifesto autem vitae discrimine conjunctae fuerunt. Ad patriarchatus enim, et Episcopatus quosdam Indiae, atque Aethiopiae, ante 30 circiter annos, aliqui e nostris sic promoti sunt, ut remotissimis in regionibus illis diuturnos labores, vitamque pro Christi gloria, nullis omnino terrenis bonis, impenderint. Quamobrem et ab sancta Sede Apostolica quoquo versum mittimur, atque ut remitti ad te (si fuerit opus) possimus, permitte, ut cum ista necessaria non sint ne capiamus. His itaque rationibus, etsi haud permotus est, ut sua apud se dona retineret, lucem tamen aliquam veritatis hausit, jactaque sunt ad tantum aedificium, quod in Moscovia fore suo tempore non desperamus, haec fundamenta. Is vero regio plane animo, itineris duces, et omnia abunde nobis suppeditari jussit: sicque ab eo digressi, in Livoniam per Russiam iter instituimus, ad Stephanum Poloniae Regem.

## *QUI A MOSCO AD EXTERNOS*

### PRINCIPES MITTUNTUR, NEC EJUSDEM GENERIS SINT OMNES, ET QUONAM MODO MITTANTUR: QUIDQUE LEGATIS, CUM ANTONIO POSSEVINO AD PONTIFICEM MAXIMUM VENIENTIBUS A MOSCO, IN TOTO ITINERE ACCIDERIT.

Tabellariis, Internunciis, ac Legatis, qui vocantur Magni, utitur Moscus ad tractanda cum externis Principibus negocia, seu belli sint, aut pacis, sive ad commercia pertineant. Tabellarii dicuntur Gonietz, qui tantum litteras afferunt: Internuncii, Poslanci, qui et minores, Legati, praeter litteras, aliquid in mandatis habent: aliquod item itineris comites solent adducere. Magni vero Legati (nam fere tres mittuntur, adhibito Secretario) Velikii Posly vocantur, ultraque Poloniae Regnum rarius hi allegantur, tum quod magno comitatum iis adhibet, quibus (uti tamen fit in Polonia, et Moscovia) lautia non praebentur: tum quod longum iter extra Poloniae Regnum emensuris, non exigua pecuniae vis esset necessaria, quam princeps ad id aut nullam, aut perexiguam tradit. Poloniae igitur Rex, et Moscus, quoniam hoc inter sese officii praestant, centum ac ducentos cum Legatis suis mittere solent, ad quos mercatores sese aggregant: cum et ipsi Mosci Legati merces secum devehant, quas pro eo munere, quo funguntur, non satis decenter divendunt. Quod si quid dono dant, id ad majorem compensationem, ac remunerationem fit: quae si non datur, petitur ab iis, atque adeo extorquetur. Cum ergo in Chiverovam Horcam (is est pagus ad Jamum Zapolsciae) Legati Mosci una cum aliis trecentis venissent, officinas aperuere, atque inter ipsa negocia compositionis, de qua agebamus, per suos venditioni, ac permutationi cum Polonis diligenter vacabant. Novogardia vero, quae inde plus minus ducentis passuum millibus distabat, commeatum, resque ipsas coctas (frigore cibos conservante) subinde accipiebant, ut nihil omnino sumptus facerent. Quae res mihi, ac reliquis nostris non incommodabat, quibus Legatorum quisque, quierant a Mosco quatuor, cibum (partitis inter sese diebus) Principe suo id mandante, mittebant.

Eramus autem summa hieme in altissimis nivibus, in quibus fixa tentoria, et perpetuus ignis horridum frigus, utcunque pellebat: ligneis quibusdam casulis, fuligine et fumo repletis, nostrorum partem tegentibus. Caeterum agros circumquaque depopulati fuerant Regii: quamobrem vix aliquid praeter panem emendum reperiebatur: et putris aqua, vel nix ad ignem soluta aegre equis potum, aut cibis coquendis humorem suppeditabat. Cum tamen principis illius Legati, si quando ad externos alios principes veniunt; nisi gratis equos, hospitia, cibos, praecursores, dona reperiant, illico Magni sui Domini (sic enim eum plerunque vocant) ad coelum usque clementiam, liberalitatem, et vires extollere: aliis vero quantumvis sublimi-

Digitized by Google

bus mendicitatem exprobrare solcant. Hoc ego cum in Severigeno, priore ad Beatitudinem V. Internuncio essem expertus, cumque ex reliquorum consuetudine plura ejusmodi cognovissem, velletque Moscus alteram Legationem in Urbem instituere: suasi, ne plus quam decemvenirent. Ter enim trium millium passuum iter facturo, cum primo Orsam, inde in Livoniam, et Poloniam, ac deinceps per Germaniam in Italiam mihi esset proficiscendum, videbam duriorem fore provinciam, si centum, ducentive fuissent, quibus aliunde cibus esset procurandus: eo periculo, ut nisi gratis omnia subministrarentur, periisset, quicquid officii, studii, laborum, sumptuum, erga ipsum Moscum Sancta Apostolica sedes contulisset. Duo autem principes erant Legationis, cum quibus de maximis rebus, ac de Christianorum Principum amicitia, una mecum erat agendum. Huic vero Legationi cum interpres a Principe assignaretur, qui Catholica fide repudiata, Ruthenicum Schisma susceperat (licet is hoc ad sui securitatem, et lucrum faceret) cum enixe rejecimus: atque alterum, et quidem Catholicum, ac nobilem Polonum petivimus, quem et obtinuimus. Magni enim referebat, si quis ejusmodi ex ea legatione ad Principem rediisset, qui veritatem rerum, ac Catholicorum Principum humanitatem posset Mosco referre, si quid earum reliqui calumniis infuscare tentassent. Et a Severigeno, sive potius ab ejus socio (qui Catholicus olim, postea Lutheranus, denique Ruthenorum erroribus imbutus, Italum interpretem, qui venerat e Moscovia in Carinthia trucidarat) quam primum ab eis discedens, ad Carolum Archiducem essem profectus, acerbissima acciderant: cum vix pedem ex Italia extulissent, ubi summis honoribus accepti, muneribus quoque insignibus donati fuerant. At altera ista legatione neque caedes, nec ejusmodi lites ullae unquam intercesserunt, ut ad arma veniretur. Quae sine ulla dubitatione secutae fuissent, nisi continenter repressi, ac modo amanter, modo spe munerum, interdum et timore cohibiti sibi temperassent. Permissum est quoque ut aliquando de suo hospitibus satisfacerent: quod licet aegreferrent, valebat tamen ad beneficium cognoscendum, et ad Italicam Ecclesiasticaeque ditionis liberalitatem (qua supra id, quod expectare potuissent, excepti fuerant) rectius aestimandam. Hac igitur in profectione, Moscorum illorum, quos adducebam, ingenia liquidius innotuere: quos et tanto magis cognovimus, quod eos postea in ipsum Poloniae Regnum, jubente V. Beatitudine, reducere oportuit. Quo cum Primo e Moscovia accessissemus, mirati, quod equos, et cibos a Rege de more obviam non offendissent: responsum acceperunt, satis esse, si cum venirent ad Regem, liberaliter acciperentur: consuetudinem autem in legatis excipiendis, qui a Mosco ad alios Principes mittantur, non esse in Regnum invehendam. Rigae tamen satis benigne, nobis rogantibus, a Rege accepti sunt. In Livonia vero, quae aedificia magnis sumptibus ad Archiepiscopo Rigensi, atque a Magistris Teutonici ordinis fuerant excitata ea diruta a Moscis comperimus, vel omnino ruinam minantia, sordium plena, et fenestris patentibus, injuriae caeli exposita. Quae cum spernerent, ligneа potius tuguriola extruxerant, in quibus, fuligine oppletis, habitare malebant: ut Gothorum cladem, Colossaeo, atque arcubus triumphalibus, Romae adeo universae illatam recordatus, jam non mirarer, quid remaneret in cordibus gentis, quae splendorem, ac majestatem aliorum populorum ferre non posset. Et neque publica Caesaris pompa, qui tum Augustam Vindelicorum ad Imperii comitia Imperialia ingrediebatur, impelli poterant, ut eam libenter cernerent: neo tanta civitatum, et nobilium celebritate movebantur, ut ex animo illam collaudarent.

Et haec quidem in Bohemia, et Germania: in qua quicquid expenderant, mandato Caesareae Majestatis restitutum est, et vasa argentea plura dono data. Ubi vero Italiae appropinquavimus, et in Venetorum ditionem descendimus, ab iis magnificentissime per omnes civitates fuerunt excepti. Veronae primum invitati sunt ad arces invisendas, prope quas militum frequentes cohortes fuerant collectae, a quibus honorificentius admitterentur. Vicentini nihil omiserunt, quo omnem humanitatem, et praeter alia, quae summam nobilitatem animorum sapiebant, liberalitatem, (ut ea civitas hoc genere laudis maxime excellit) exhiberent. Patavii idem effectum est. Inde Venetias appulimus, ubi omnibus omnium generum officiis ab ea Serenissima Republica sunt accepti. Hic vero, cum homines minus his rebus assueti, omnia suo Principi deberi crederent, atque ob laxiorem vitam aegre ferrent, sibi in Dominicanorum monasterio commodissimum quamvis hospitium fuisse assignatum, non mediocri diligentia, et patientia opus fuit, ut in officio con-

Digitized by Google

tiocrentur, donec ii, quibus a Senatu cura Moscorum fuerat data, nos enixe rogarunt, ne ab horum latere discederemus. Quae dum fiunt, et eorum discessum urgerem, ecce Graeci, qui jam multos ante annos Venetias commigrarunt, clam cum Moscis egerunt, ut ad suam aedem proficisci vellent, sacrum, et reliqua, Graeco ritu auditurî. Nobiles autem adolescentes, a Senatu iis per civitatem deducendis attributi, cum nondum, quid haberet ea res momenti, perpendissent, jusserunt, ut aedes ornatissime apparărentur, postridieque ejus diei, a schismaticis Graecis Rutheni schismatici excipĕrentur. Quod cum ad aures meas pervenisset, ad monasterium approperans, invenio Moscos, et Venetos, una cum Graecis ad horum templum procedentes, quos ego affatus, Tu mihi, inquam, Jacobe Molvenine (id erat primario Legato nomen) traditus es, a Principe tuo, te ut gesseris, qua tibi ratione monstrabo: Te ad Pontificem Maximum non ad Graecos adduco. Itaque redi ad hospitium tuum; id quod fecit. Sed Graecis hoc indignissime ferentibus, atque aliquibus injuriam Reipublicae fieri putantibus, quod eam imperasse dicerent, ut eo deducerentur, Graecis respondi, ubi constitisset Graecos cum Ecclesia Catholica consensisse, tum mecum agerent, eorum desideriis satisfacturo. Cum autem caeteris seorsim adhibitis, haud omnino persuaderem, ad Senatum adii: qui rationibus auditis, Graecos, qui conquestum venerant, sapienter compescuit: resque tota non solum impedita est, verum etiam occasionem praebuit, ut et plerique Graecorum astum, et schisma propius cernerent, reliqui vero cordatiores intelligerent, ecquid mali inde ad id, quo de agebatur, emergere posset, cum inter Graecos, qui Venetiis commorantur, persaepe sint exploratores, qui ad perfidos omnia deferant. Jam vero Mosci, aureis Magni ponderis torquibus donati a Republica, suo interpreti, Vade (inquiunt) ad Ducem, et dicito, ad nos ut sericum, aliaque mittat e suo thesauro: interpres tamen rem (ut erat ingenuus) declinavit. Venetiis autem solventes Ferrariam, inde Bononiam venimus, ubi Vestra Beatitudine jubente, cuncta paternae caritatis argumenta liberalissime edita sunt ab Illustrissimo Cardinali Caesio Legato: tum et officinae clausae, atque honores plus quam ordinarii habiti. Reliqui Illustrissimi Legati, Vercellensis in Aemilia, Columna in Picaeno idem procurarunt. Militum cohortes, e civitatibus obviam primo prodibant: deinde ad portas Magistratus aderat, inde in Praetorium honorificentissime deducebantur, tormentis displosis, tibicinibus personantibus, conviviis, et exquisitissimis epulis instructis. Admonti nobiles, a quibus varia licentius Mosci petebant, jam haud facile assentiebantur: quo factum, ut intra cancellos pudoris sese Mosci reciperent. Arimini cum essemus, in domo Praefecti civitatis, pias imagines amoverant, ut parvulas quasdam suas, ritu Ruthenico depictas, apponerent. His ablatis, cum priores reposuissemus, ne quid ea in re insolentius inter Catholicos agerent, minus postea licenter sese gessere. Inde ad Beatissimae Virginis Lauretanae, celeberrimum Sanctitate, ac populi concursu, locum pervenimus, ubi habuerunt, quo miraculorum memoria, frequentia adeuntium, et perpetuis precati onibus oculos atque animum pascerent. Denique temperatis mea praemonitione apud civitates honoribus, ad Tiberim prope Burgetum oppidum, a Vestrae Beatitudinis cubiculariis humanissime excepti, et salutati, postridie progressi, sequenti denique die Romam venimus; unde Romana nobilitas, praeunte Marchione Caesio, obviam egressa est; Mosci vero honorificentissime, ac frequentissimo populo, displosis omnibus, quae in mole erant Adriani, tormentis, ad Cardinalis Columnae tum absentis palatium adducti sunt. Eo in palatio lautiis praebitis, adhibitisque e familia B. V. diligentissimis administris, atque aliis, qui portas custodirent, singulis diebus, dum ex Algido Vestra Beatitudo rediisset, per urbem curribus vecti, pulcherrima quaeque visebant. Mirati sunt in primis curam, diligentiam, ingentes sumptus, caritatem erga aegrotos, officinas, cubiculaque distincta, et praesertim hospitalem Sancti Spiritus domum, ac reliqua majora Nosodochia. Nihil vero eorum animos plus inflexit, quam pietas illa, quam valere ad omnia, tum ipsi quoque nos in ipsis Moscis videbamus. Seminaria vero, et Collegia variarum gentium cum subinde inviserent, jam orbi terrarum ipsa religione Romam dominari, nec vere sese solos esse Christianos (uti dicere solebant) cogitare inceperunt: et harum omnium rerum capita in tabulas singulis diebus referebant, ad suum Principem allaturi: quod quidem in itinere quoque fiebat, cum per Lithuaniam, Poloniam, Moraviam, Bohemiam, Germaniam, Italiam, Societatis nostrae Collegia lustrarent. Anglicum, quod est Romae, Seminarium eo magis admirati sunt, quod Angliam

Digitized by Google

haeresibus prorsus infectam audivissent: sed modestiam Alumnorum illorum conspicientes mirifice emollichantur, martirumque reliquias, quae in eorum erant Ecclesia, summa reverentia venerati, et osculati sunt. Id quod in aliis quoque Romanis templis, atque alibi faciebant. Sed cum in Capitolii palatium a Romanis Patriciis advecti, et Romana magnanimitate humanissime accepti, fragmenta marmorum antiquorum, ineptasque gentilium Deorum memorias, a quodam rogarentur (quasi maximi res essent momenti) ut attentius inspicerent, omnia (nec immerite) contempserunt. Et illud enim eos maxime offendebat (quod et cuilibet Christiano detestandum est,) cum vel in hospitiis signa turpitudinum cernerent, vel imagines (etiam pias) ad lasciviam depictas, nudas vero statuas, et caetera diabolica figmenta, in aliquorum domibus, et hortis cernerent, quibus cupidines, et veneres plusquam Christus, et Beatissima Virgo sapere videbantur. Jam vero Templa Romana, Divique Petri aedem suspicientes, omnino fatebantur, haec longissime praestare suis, quae cum antea solum vidissent, vel lignea, vel murata, putabant reliquis totius mundi pulchritudine, aut operis aut magnificentia praecellere. Ubi ventum est ad Vestram Beatitudinem salutandam, et dona, literasque sui principis reddenda, aegre nonnihil videbantur adduci, ut crucem ad pedes Vestrae Sanctitatis obscularentur: sed longo aegrius cum discessum pararent. Credo ita, quod alia quoque dona (pecuniam in primis) voluissent: licet aurei torques magni ponderis, vestes aureae, et holosoricae duobus ipsius legationis Principibus, caeteris vero omnibus ex panno, et serico duplices traditae fuissent. Osculati tamen sunt libenter, cum quid ea de re Mosco eorum Magno Duci esset aestimandum; quidve non solum Apostolis primi Christiani faciebant, sed et ipsi Mosci suis Episcopis faciant, ad quorum pedes se prosternunt, humi terram capite percutientes, audivissent. Illud non satis aequo animo tulerunt, quod sese in discessu nemo, praeter me, ac comites itineris meos ex urbe prosequeretur, sicut ipsi Principum Legatos, (quod ei mecum bis ab iis discedento, fecerant) ad quatuor; quinqueve passuum millia, magno cum comitatu educunt. Eadem porro in reditu contigere, quae in profectione acciderant. Torques enim (cum hosce per iter induerent) et Vestrae Beatitudinis crucem pulcherrimam, licet Graecis characteribus elaboratam, tum Venetorum aurcam D. Marci Evangelistae imaginem adenerunt: quamvis si solus quisque fuisset, neque delationem ad Principem summ timuissent, non difficillime sese ad omnia accommodassent. Mitio res autem aliquanto effectos (sive ob humaniorum gentium consuetudinem, sive quod revertentibus erat extra Italiam expendendum de suo) Varsaviam ad Poloniae Regem denique adduximus; illud in itinere praecipue cavantes, ad declinandas lites, ne eodem hospitio diversaremur. Sic donis a Rege procuratis, quo illis Regio animo sunt data; litterisque ad suum Principem a me acceptis, quibus brevi de omnibus illum certiorem faciebam; tradita item a me pulcherrima Salvatoris imagine (quae missa a Vestra Beatitudine ad Moscum, in aere picta, et Graecis litteris additis, ebore, argenteisque fibulis continebatur) satis laetos in Moscoviam dimisi. Quae fusius narranda putavi, ut si cui aliquando tale negocium obtigerit, praevisa minus eum feriant: isque ad patientiam, et prudentiam, a Deo per orationes hauriendam, sedulo se comparet.

## *INGENIUM MOSCI,*

### ET SCHISMA.

Id vero primum satis constat, Septentrionalem tractum, eosque praesertim populos, ex quorum cordibus vera religio feritatem haud excussit, quanto magis ab ingenio sese desertos sentiunt, tanto suspiciosiores evadere: quamobrem quod industria, et judicio consequi nequeunt, id calliditate, ac vi, (sed Moscos diligentia quoque) studere, ut assequantur. Ea in Scythis, et Tartaris perspicue cernuntur, ex quibus cum plerique Moscorum originem ducant, aut constent, mirum non est, nisi hactenus naturam illam exuerint, quam pietas aliis nationibus excoluit, ac vicit. At is, ad quem summa in suos potestas accessit, una cum aliqua Christianae religionis specie; nec vero aliorum Principum ópes viderit, si se (addita perenni subditorum assentatione atque acclamatione) supremum omnium arbitretur, minus fortasse mirandum est. Quae tria cum in Magnis Moscoviae Ducibus ab eo potissimum tempore fuerint, quo se a Tartaris, quorum erant tributarii, in libertatem asseverrunt, extulere mirifice eo-

Digitized by Google

rum, ac praecipue ejus, qui nunc rerum potitur, Principis animum: ut cum vix ab ullo viribus se superari nonnunquam existimasset, neminem quoque doctiorem, aut religione veriore imbutum putaret. Cui cum ipse interdum Christianorum Principum mentionem facerem, qui maxime caeteris praestant; quinam isti sunt (inquiebat) in mundo? Comparationem, videlicet, non ferebat elatio, quae quidquid alteri tribuitur, sui depressionem putat. Inde igitur factum est, ut Magni Moscoviae Duces primo sese totius Russiae Dominos verbis, litteris, atque ipsius pecuniae signis exprimant, quamvis Russiae bonam partem Poloniae Rex obtineat. Deinde vero hic, qui superstes est, Joannes Basilii filius, praeter illam titulorum seriem, qua vult appellari Casani, et Astracani Czar, seu Regem; Germanorum quoque Imperatorem, ad Turcam scribens, vocari se aliquando jussit. Et sane cum Livoniae inhiasset, atque ad Prussiam, quodam Caesaris Augusti fratris praetextu, respiceret, quem Prussum vocatum fuisse, et se ab eo descendisse dicebat: cumque cum Carolo Quinto, ac Ferdinando ejus fratre, hujusque filio Maximiliano videri voluerit amicitiam colere, intelligi potest, quid de Germaniae, et Occidentis ulteriore tractu in animo coxerit. Spem ipsius alebant dissidia Christianorum Principum, variae que, ac pestilentes haereses, Livonici successus, Casanum, et Astrachanum antea devictum, ac imbibita sui illius Schismatis, potius quam religionis, opinio, qua delectum a Deo se existimavit, quasi jubar, quod universum orbem esset collustraturum. Auxerunt postea Legationes anteactae quorundam ad eum Principum, cujus studium, et operam requirebant, qua Polonicum Regnum alio cederet. Quin cum apud eum essem, resque Moscoviae satis essent attritae, necdum tamen recordatio Legationum illarum elanguerat, quae Spiritus ipsius fovebant. Facta denique ad eandem spem est major accessio, cum ab eminenti Principe litterae ad eum scriberentur, quibus Lutheranae haereseos propagationem in sua ditione commendabat. Inde enim Catholicos (quos Romanos vocat) omnes in haeresim corruisse, credidit, ac proinde faciliùs esse subjiciendos. Ad extremum, severitas in omnes breviorem sui consilii exitum pollicebatur, qua sperabat, quicquid objici posset impedimenti, se amoliturum, quando in Lithuaniam, atque Livoniam sic ejus terror penetraverat ut eadem sibi ratione aditum patere ad reliqua non dubitaret.

At quod ad schisma pertinet, incredibile est, quantopere eo in visco haereat, ac placita pro aeternis habeat, quin vero potius aliquid semper addat, quam demat. Itaque ut qui ab uno discedunt, quo progrediuntur ulterius, eo in plura incidunt (quod et hujus saeculi novatoribus contigisse nemo non videt) sic Moscis accidit, qui a Graecis ipsis schismaticis, unde schisma hausere divisi sunt, multaque imperitissime blaterant, libris, studiisque litterarum carentes, quod in altero Commentario scripsi. Qui ergo Graecorum pertinaciam observaverit, quive Donatistas memoria repetierit, nunquam, ubi sese ab Ecclesia praeciderunt, ad eandem aggregatos: qui item Aethiopum ingenia consideraverit, Summum licet Pontificem agnoscentium; quique eundem non una ad Apostolicam sedem legatione confessi sunt: qui denique Hussitas inspexerit, tam saepe de unione agentes, ac nunquam ad Ecclesiam pervenientes, facile deprehendet naturam Moscici schismatis.

Auget porro ipsius pertinaciam praesumpta de se opinio constantiae, existimantis, quod Schisma istud sine scissura perduret. Praeterea accedit populorum, qui illud cum lacte suxerunt, eorumque rudissimorum, perpetuum erga Principem obsequium, et servitus. Inde enim fit, ut cum Principum omnium Legatis collocutus, ubi illi abscesserunt, in pelui argentea manus eluat, quasi sordium aliquid contraxerit, ea re contestans, Christianos reliquos esse peripsemata. Quod cum a me illi fuisset objectum, (que ex meis litteris istuc missis liquidius cognosci potuit) ac de ea re se vellet purgare, non diluit tamen. Porro, non sinit Armenos in sua templa ingredi, quos Nestorii haeresim ait esse secutos: Graecis autem id permittit; cum Lutheranis, et aliis haereticis neque pateat aditus, et quae sibi construxerant templa, ab eo, concremata sint.

## *QUAENAM SPES SIT*

### DE MOSCO, AC DE EJUS PROMISSIS AD PROPAGANDUM IN ASIAM, ET ALIO SANCTISSIMUM CHRISTI NOMEN ET FIDEM.

Jam quid sperari possit a Mosco, si quod ille litteris, ad B. V. atque ad alios Principes

Digitized by Google

scriptis, praetexuisse videbatur, Christianum nomen, latius esset propagandum, disserendum est hoc capite fusius. Sic enim cerni poterit, quorsum ejus promissa spectaverint; cuive usui esset Christianae Reipublicae si quando ea gens aut ad fidem Catholicam veniret; aut rebus constitutis mitiorem alium Principem nancisceretur: quandoquidem brevissime victurum hunc Principem certae conjecturae jam sunt. Memini itaque priusquam in Moscoviam irem, N. multa ea de re sciscitanti mihi respondisse. In primis provincias illius Principis longissime distare ab iis, qui fidei nostrae jurati sunt hostes. Vastam enim heremum versus meridiem, solo nihil ferente, et arboribus nudam, ac plerunque inaquosam interesse plus viginti dierum spacio, quae expeditioni cuicunque maximum periculum crearet. Sequi Tauricam Chersonesum, in qua Tartari Praecopenses sint capitales Moscorum hostes; Turcaque ipse arces habeat nec paucas, neque male munitas. Quaerenti vero, num qua Moscus ad mare Caspium pertingit, aditus pateret ulterius; affirmavit. Licet enim vastitas ingens etiam in eo tractu intercedat, navibus tamen haud difficile per Volgam fluvium eam universam, certis anni mensibus, posse superari. Addenti, num per Tanaim, qui in Moscovia oriens, in paludem Maeotidem influit, navigari posset, illac navigari posse ajebat. At arcem Asophum ad ostia Tanais sitam esse, quae ad Turcarum Imperatorem pertinet. Atqui ad ea, quae de Praecopensibus Tartaris dixerat, cum responsum fuisset; Mosco, qui Astrachanenses, et Casanenses suo imperio subjecerat, non difficile forsan fore, Praecopenses quoque adjungere: aliam horum esse rationem ostendit. Cum enim (dicebat) Moscus adversus illos, quos edomuit, Tartaros, maximis tormentis adductis, crassos etiam asseres perforatos curribus praefigi jussisset, per quos pyxidarii bombardas suas exonerabant, certa hostium pernicie, ipsi a nemine lacsi: facile fuit novo armorum genere circumventos opprimere; praeter quam quod cum uniuscujusque Tartarorum Hordae primaria una (ut dixi) civitas sit, seu conventus, quo devicto, reliqua omnia sine difficultate in potestatem veniant. Ac cum Casanenses Mosci ditioni finitimi essent, his vero superatis, necessario casuri essent Astrachanenses (quippe quibus aliunde haud cito poterat subsidium mitti) utrumque populum jam devictum, eo faciliore negocio potuisse in officio contineri . quod Moscus arces aliquas excitaverat, in quas impositi Praesidiarii, regiones illas tutarentur. Denique percontanti, qui factum esset, ut tam insignem Turcis, non ita multos ante annos cladem Moscus intulisset, cum Tanaim derivari jusisset in Volgam, respondit, hoc non a Moscis, sed a Tartaris Praecopensibus, licet Turcarum foederatis, accidisse, aegre ferentibus id fieri, unde gravius sibi jugum pendere prospicerent. Quamobrem cum sese duces itineris copiis Turcicis exhibuissent, per ingentes silvas, et loca commeatus egena, eas circumduxisse, ut fame, ac labore pleraeque omnes ferme interierint. His cognitis, atque interrogatus, num a Persico Regno Moscici imperii fines longe distarent, magnum sane (dixit inter utriusque ditionem esse intervallum). Neque vero Mosci provincias Persiam attingere, sed prius esse Georgianos et Circassos, qui dicuntur Quinquemontani, quorum linguam ab aliis omnino differre, et regionem, quae longitudine itineris octidui extendatur, a septem Ducibus seu praefectis, non dissimili Helvetiorum modo, administrari. Hosce porro interdum a Mosco, aliquando a Turcis, nonnunquam et ab ipsis Persis accipere stipendia solitos, pro temporis, et rerum suarum ratione. Caeterum per Moscoviam ad Persas longiore nunc itinere opus esse, quod Porta ferrea, qua erat transitus. a Turca sit capta. Quae omnia N. sibi ajebat eo esse certiora, quod apud se Circassum habuerit, strenuum, ac fidum militem, cujus patruus in Persia, qui eo in bello meruisset, inde novissime veniens, cuncta retulerat. Adjecit autem, Chan, Tartarorum in Asia Imperatorem, non procul ab ea gente abesse, qui multum adhuc rituum Christianorum retineat, cum olim ad fidem nostram accesserint. At Mehemetes, Selymi, parentis hujus Turcarum Imperatoris, consiliarius (ut ex eminenti viro audivi) duram significavit a Rege Poloniae susceptam esse provinciam, qui Moscum bello esset adortus: quandoquidem (ajebat) Turca suus Imperator, et Moscus unici essent in mundo Principes, qui suos prorsus in potestate haberent, ac proinde essent potentissimi. Qua ex re, quanti Moscum aestiment Turcae, intelligi potest. Sed et eorum memoriae fortassis adhuc haerent, quas a Moscis quondam clades perpessi sunt, si fides iis habeatur, quae Herbersteinus ex eorum Chronicis, et alii quidam referunt. Et illud etiam animis Turcarum potest obversari: Graecos, nisi Principis Moscoviae nimiam dominationem perti-

Digitized by Google

mescerent, isque tam longe abesset, non abhorrere ab illius imperio, cujus eandem cum sua esse religionem putent, atque idcirco propensius ad illum accessuros. Moscus certe, cum rebus cum Poloniae Rege compositis, de hujusmodi rebus ageretur, quaesivit per Senatores suos, num si suas Regiis vires adderet, posset copias per Polonici Regni ditionem traducere, et qua iret, arces extruere. Quo in colloquio visus est Russiam Regis potius spectare, quam Praecopenses: id metuens, ne in reditu a Polonis intercluderetur. Quod si unquam alio, quam in Livoniam, atque Lithuaniam e Moscovia educti fuissent exercitus, quid ea gens valeret, conjici rectius posset. Et, ut ut haec sunt, illud pro certissimo habendum est, per Moscoviam multo minore sumptu atque periculo, quam per omnes alias mundi plagas, patere viam in Asiam, ad Christi Domini fidem propagandam: qui unus piorum omnium scopus esse debet. Proinde in hoc esset praecipue incumbendum (quod Mosco V. S. scripsit) ut vinculo religionis nobiscum jungatur: sine qua reliqui humani nexus facillime dissolvuntur. At vero, ut hoc fiat, non est opus unius diei, aut Legationis. Neque ea arca, in qua pauci salvi facti sunt, ad mundi totius postea instaurationem, non nisi centum annorum spacio, id est, longanimi, et non intermissa perseverantia, perfici potuit. Temporis autem forte brevioris haec provincia fuerit, quod jam in Livoniae ac Moscoviae finibus, Stephanus Poloniae Rex, Collegia, Seminariaque Catholicorum Sacerdotum parat: atque ad Regias alias, et bellicas dotes, hanc quoque curam, tanquam primariam, adjungit. Praeterea miracula accedunt, per nostrae Societatis homines in simplici illa gente fieri a Deo coepta. Quod vero Mosci non desint, qui filios suos missis a Sede Apostolica Sacerdotibus offerant, hoc quoque facit, ut de Domini bonitate aliquid non longissimum sperem: cui nec difficile est in momento ditare pauperem; ac notae sunt artes, quibus agnus possit habitare cum Leone. Ipsa vero cum illo, atque cum aliis Christianis Principibus amicitiae jungendae tractatio, si continuetur (quanquam satanas ei evertendae omnes machinas semper adhibiturus est) dici non potest, quantas secum ad id commoditates trahat: si praesertim, qui haec egerint, ad unam Dei gloriam colliment. Sic enim ad schismaticos, atque ad haereticos pervenire licet; qui si initio de religione secum esse agendum putarent, aditum impedirent, vel audita spernerent, aut ad reliqua progressum, urgentibus eorum ministris, praeciderent. Catholici vero Principes si quid habent, quod cum Sede Apostolica de politicis rebus agant; cum, quae sunt pacis, promoveri a V. Beatitudine sentiunt, intelligunt hoc Pastoris, Vicarii Christi, et Patris proprium esse. Quamobrem et Catholici, et haeretici, atque schismatici Principes, non solum aures libenter accommodant, verum etiam ipso in colloquio, cum difficultates sive suas seu alienas proponunt, aperiunt ipsimet viam, qua reliqua complanentur: pluraque, quae acerbiora eatenus visa sunt, mitiora redduntur, ac ipsa animorum confidentia, quasi rediviva pietatem, et religionem in eorum cordibus aliquam exuscitat. Quod cum ita sit, aut erubescunt si refugiant, aut excitantur ardentius, ut Sedis Apostolicae monita ne detrectent, ad quam et Scythas, et Indos, atque efferas quasque gentes eo tempore vident accurrere, quo sudavit humani generis hostis, ut instituta a Christo auctoritas in Ecclesia per haereticos tolleretur. Itaque qui istinc ad tantum negocium missi fuerint, optatissimum iis esse debet, ut in proposito perstent, nectantque futurorum congressuum occasiones, ac discedentes ita abeant, ut sibi ad reditum eosdem ad Principes portam (ut ajunt) relinquant apertam. Sic enim aut aliquid optimi denique fiet, aut pax redibit ad V. Beatitudinem, Divinaeque sapientiae caritas justificabitur; et (quod experti sumus) aliae se rationes offerent ad populos illos juvandos, quas nunquam cogitassemus: cum etiam, si tuta conscientia, et salvis rebus, humanam saltem amicitiam cum aliquibus aliis, licet nondum Christianis, colere possemus, aliquando crediderim id suppeditaturum modos, quibus in eorum provinciis propagari latius, quam factum sit hactenus, Christiana religio posset. Quod an in ipsorum Principum animis ad veritatem altius insinuandam, aliquid etiam esset effecturum, judicent, qui meditantur attentius patientiam, et martyria Pontificum Romanorum, qui trecentis primis Ecclesiae annis, clavum in turbulentissimis persecutionum fluctibus tenentes, sanguine ipso pene omnes Christianam rem auxerunt, et navim onustam fidei (ut sic dicam) ad Christum Dominum cum pluribus barbaris gentibus, tanquam ad portum intrepidi appulerunt.

Digitized by Google

## *OBSERVANDA, SI QUI*

### A SEDE APOSTOLICA, VEL AB ALIIS CATHOLICIS PRINCIPIBUS IN MOSCOVIAM MITTENDI SINT.

Cum ei, ad quem delectus, et missio spectant, tria illa in primis necessaria sint, quae dispiciat: nempe, ut Legatio ob Dei honorem sincerissime instituatur; ut opportune; utque ei deferatur, cujus interiores dotes, ac virtus solida, una cum rerum Graecarum cognitione conjuncta, exteriori quantocunque splendori, aut dignitati praevaleant. Tum illud permagni momenti est, ut quae Legatio ad Moscos suscipienda fuerit, ea Polonis, Lithuanis, ac Moscis justam suspicionis ansam non praebeat. In Comitiis Ratisbonensibus, cum Moronus Cardinalis V. B. nomine egisset, ut Pontificius Nuncius ad Moscum, una cum Mosci Legatis, qui eo venerant, in Moscoviam posset proficisci, Maximilianus Caesar assensit. Dum autem Legatio illa explicabatur, Germanusque, et probus Theologus, nec Ruthenae linguae ignarus, a V. Beatitudine ad eam rem litteras accepisset, quibus Nuncii ad Moscum munere fungeretur, diem non ita multo post obiit. Tentata item fuerat a V. B. altera Legatio, cum ex urbe Alexander Canobius, qui nunc Episcopatui Forolivensi praecst, missus est, sed neque Lithuaniam superare potuit; ac Vilnam rediens, Romam quoque infectare, necesse fuit ut reverteretur, aliquibus progressum illius prohibentibus. Jam vero antea Vincentius, Porticus, qui postea fuit Archiepiscopus Ragusceus ad Moscum invisendum a Pio Quinto Pontifice Maximo Sanctae memoriae destinatus fuerat tum, cum Apostolici Legati munere apud Sigismundum Poloniae Regem, eo tempore, fungebatur. Ac tamen postea idem Pontifex, audita Mosci crudelitate, ab eo proposito aversus est. Sed denique, dum Septentrionalium juvandorum zelus V. B. urgeret, ejus nomine monuit me Nuncius Apostolicus, Episcopus Britonoriensis, qui erat apud Stephanum Poloniae Regem, viderem, an per Joannem Tertium, Regem Sueciae, apud quem V. B. mandante versabar, litterae in Moscoviam mitti possent. Re igitur, cum eo Rege collata, respondit fore, ut insequenti anno id liceret. Nec igitur antea maturum appetierat tempus: et tamen semina istorum conatuum, et patientiae, quae solet maximum quodque negocium perficere, Deus ipse respiciebat, et incrementum dabat. Quare post paucissimos menses, supervenit e Moscovia Severigenus, Magni ejus Ducis Internuncius, aliquem petens, qui V. Beatitudinis nomine pacem componeret inter eum, ac Poloniae Regem. Opportuna igitur occasio visa est: decreta fuit missio: at deerant duo praecipua, rerum illarum interior notitia, quique mitteretur. Quod ad me attinet, eo proficisci jussum, certissimum est, respexisse Deum immensam caritatem suam, ut quae V. B. animo desideria instillaverat, ea ad aliquem effectum deducerentur. Jam vero cum earum rerum, et itinerum satis perspecta sit ratio, non deerit causae suae Deus, quin aliquando occasiones alias offerat, quibus haec lampas melioribus tradatur, et in utramque Russiam tam Poloniae Regis, quam Mosci ab iis, qui serio Christi gloriam sitiant, Catholica religio inferatur.

## *MITTENDI CUM LEGATO.*

Mittendi vero pauci erunt, quod tum frustra fierent immodici sumptus, tum res magis innotesceret, quae alioquin suspiciosioribus occasionem daret impediendae Legationis. Itaque neque ut in aulis Principum diu subsistant, ac nisi necessarium sit, per illas transeant, magnopere expediet. Caeterum si plures essent, plus item fastus et rumoris, quam salutis sequeretur: praeter illa, quae quotidie cernuntur; externa, videlicet, rerum specie Legationes prodi; malevolis aperiri viam, optima quaeque turbandi, Principesque ipsos, ad quos mittitur, variis commentis et astu antevertendi. Albertus Campensis eo in libello, quem de hujusmodi Legatione ad Clementem Septimum scripsit, quinque futuros satis initio dixit. At si aurigas, et interpretes numerasset, plures dixisset. Itaque ex urbe quinque ut exeant, vel minus item hominum, non improbaverim: verum ubi ad Poloniam, aut Vilnam appropinquaverit, aliquos, item inde sibi adsciscat necesse fuerit. Homines enim ferendae caeli injuriae aptiores, et laboris patientiores, ac itinerum magis peritos sine dubio ibi poterit nancisci: quibus neque multum stipendii sit dandum, ac recentes ad laborem plus auxilii ferent. Interpretes duo potius sint, quam unus: ne si quis eorum aut in morbum incidat, aut moriatur, (ut alteri ex meis accidit) fidendum sit Principis interpretibus: quod quidem magna secum trahit incommoda. Quod si uterque valuerit, haud parum proderunt notandis actionibus, explorandis aliorum

Digitized by Google

mentibus, scriptioni Ruthenicae conferendae, veritati et fidelitati mutuae indicandae, vel custodiendae. Quod si bellum esset inter Poloniae Regem, ac Moscum, resque aliquae iis de Principibus essent agendae; sedulo perspiciendum erit, qua religione, humanaque item fide Rutheni interpretes fuerint. Cum fidem dico, quantopere iis fidere possit Legatus, intelligi velim: cum religionem, ne Moscus plus illis merito sidat. Si non Regis Poloniae subditi fuerint, difficilior erit eorum usus: sin Ruthenico schismate impliciti, dubitandum est, ne aperiant, quod reticendum est, aut adeo ne fideliter interpretentur, quod referendum sit. Haec omnia expertus loquor. Accedit, quod (ut Lithuaniae, Russiaeque mos est) ultro citroque commeantes dant operam mercium permutationibus: quare praecavendum erit, ne interpretes plus in eo agendum aliunde, ob lucri cupiditatem suscipiant, quam tractandis postea negociis conducat. Quid enim hinc damni, vel labis sequi possit, praesertim cum Divina aguntur, is, qui paulo fuerit oculatior, cernet. Quod si Slavus, vel Bohemus fuerit interpres, non sane statim principio Ruthenicam omnem linguam assequetur: verum si longior fuerit commoratio, proxime ad eam accedet: id quod inter nostros alteri, qui erat Slavus, ac duobus, qui Bohemice norant, usu venit. Ii certe Moscis gratiores fuerint, ob innatam de Poloniae Regni subditis suspicionem. Ad Mosci interpretes quod attinet, (nisi Catholicus aliquis sit) vix fidendum est: eoque minus, si quid iis ad religionem spectans, vertendum in eam linguam traderetur: quod etsi facerent, non audent, tamen Principis terrore perculsi. Rutheni si defuerint, quae majoris momenti sunt, curandum erit, ut vertantur in Russia, quae Regis est. Ad interpretes autem fidos, atque Catholicos inveniendos Collegia Societatis nostrae, quae sunt Vilnae, Polociae, Derpati juvabunt, apud quae multi literarum studiis excoluntur, qui etiam pietatis specimen edidere. Cujuscunque vero nationis fuerint interpretes, atque alii itineris comites, praestabit esse aetate provectos. Hoc enim majorem Legato conciliabit auctoritatem: eosque minus expositos fraudibus habebit: occasionem etiam sive ad maledicendum, sive ad male agendum praecidet: quae una res in omnibus, sed certe in ejusmodi Legationibus summopere cavenda est.

Praeter interpretes, Sacerdotem omnino adducat vel Slavum, vel Bohemum, vel Ruthenum, vel Polonum. Quod si Ruthenice norit, jam pro interprete adhiberi quoque poterit: sin vero ex iis nationibus haberi non posset, ejus saltem virtutis sit, ut exemplo plus faciat, quam loquatur. Hic et ea, quae muneris sui sunt, noscat, et curet, ut omnes frequentius Divinam Eucharistiam sumant, et quae ad religionem Catholicam propugnandam adversus Ruthenos attinent, in itinere addiscat, et reliquos ingeniosiores doceat. Quae sane tum ex altero meo de Moscovia Commentario, tum ex eo scripto cognoscere poterit, quod Mosco petenti tradidi, de discrimine inter Catholicam fidem, ac Ruthenicum, et Graecum schisma. Et Legatus quoque una cum Sacerdote, alios ea de re libros secum ferat, quos ubi in itinere legerint, relinquere poterunt sive in Moscovia, sive in finibus, ubi discesserint.

## *HI VERO LIBRI FUERINT.*

D. Thomae opusculum contra Graecorum errores.

Libellus Leonis Noni; cujus item aliquot epistolae de tota hac re extant, Coloniae post editae. Sancti Anselmi Epistola de processione Spiritus sancti, contra Graecos. Ea inter ejusdem auctoris opuscula reperitur.

Quae Nicolaus Primus, Graecorum objectis respondet.

Umbertus Cenomanensis Abbas Silvae candidae, qui postea Cardinalis, et Legatus Leonis Noni ad Constantinopolitanos fuit. Hic enim de azymo, deque aliis respondit Nicetae Pectorato.

Synodus Florentina, quaeve pro ea scripsit Joannes de Turre cremata.

Gennadius Scholarius, Patriarcha Constantinopolitanus, de processione Spiritus sancti; De Sacrificio in azymo, vel fermento; De purgatorio; De fruitione Sanctorum; De primatu Pontificis Maximi.

Et Sacranus quoque Canonicus Cracoviensis, exeunte superiore saeculo, nec indocte, nec indiligenter scripsit adversus Ruthenorum errores. Quaemadmodum et hoc saeculo non defuere, qui manum ea de re calamo admoverunt: Sanderus de Monarchia Ecclesiae, Franciscus Turrianus, contra Andream Frejubium, sexto, et septimo capite libri secundi. Cujus etiam Turranii libro, quo epistolas Pontificias defendit

Digitized by Google

adversus Magdeburgenses Centuriatores, et altero, qui Scholia in constitutiones Apostolicas D. Clementis continet, valde juvabitur, cui ocium, et animus fuerit ea diligenter evolvendi. Petrus item Scarga, homo (ut Turrianus) de Societate nostra, librum Polonice scripsit, de Schismate; cujus libri si quae inferrentur exempla in Moscoviam, non inutile fuerit.

Stapletoni sane de Ecclesia, et Socolovii censura Orientalis, ac potissimum Roberti Bellarmini de Societate nostra, libri Controversiarum, (quod ad Schismaticos confutandos pertinet,) summo usui erunt, bene percepti.

Jam vero, quc Joannes Faber Viennensis Episcopus, Albertus Campensis, Herbersteinus, Guagninus, de religione Ruthenorum attigere (cum aut rem secus acceperint, quam omnino sit, aut cum eo studio ipsi ad scribendum non ferrentur, ut ostenso veneno adhiberent antidotum) non tanti sunt, ut inde colligi rationes queant ad Moscos refellendos, vel convertendos. Mitto, quod Herbersteini libris in Germania editis haeretici plura addiderunt, quibus non schismata refellerentur, sed fidei veritas convelleretur. Quae tamen omnia aliis meis scriptis aut retecta sunt, aut sublata.

Cum his igitur libris, quos diximus, meminerit Sacerdos facultatis, in arca portatili celebrandi, et Casuum reservatorum absolvendorum, obtinendae: deinde item olea benedicta secum ferat, et ferra ad hostias conficiendas, una cum sacris vestibus, et velis, vel tenuibus aulaeis ex serico, quibus sacellum exornet: quae omnia cum exiguo loco contineri possint, explicata rapiunt in admirationem, disponuntque animos, ad Catholicos ritus.

Ad Sacerdotem accedat medicus corporis, qui si Slavicam, vel Ruthenicam, vel Boemicam linguam noverit, eo erit utilior; caeteroquin pernecessarius Legato, et ejus familiae, si in morbum inciderint. Nam ciborum varietas, hydromelis potus, quo semper utuntur, coelum non idem quod apud nos, itineris lassitudo, quantumvis valentes fatigant homines, quibus in toto illo terrarum tractu nemo laturus sit opem, nisi apud Magnum Moscoviae Ducem: qui (ut dixi) siquis ad mortem laboraret, ne permittit quidem, ut e suis medicis aliquis aegrotum invisat: vel si semel permiserit, vix unquam reverti sinet. Pharmaca igitur, quaeque medicus usui fore intelliget, secum ferat, quae quidem in itinere, aut Vilnae coemi poterunt. Quod si medicus fuerit prudens, ac pius, ex facultatis suae occasione non minimum Divinae causae in itinere commodabit, cum quasi aliud agens, quae ad salutem aeternam attinent, haereticis et schismaticis possit opportune proponere.

Satius vero fuerit, mercatores qui sese aliquando socios eo in itinere offerunt, haud adducere; tum ob ea, quae supra attigi, tum ut Mosci sese, non sua, quaeri intelligant. Sic enim facilius bonae Legati voluntati occurret Deus: atque ut occasiones rixarum, sic et quae illas non raro consequuntur, tollentur caedes: ne dicam, vix ejusmodi homines esse Catholicos, aut in humanis quoque rebus fideles. Quod si habenda ratio sit tuti comitatus, id a Rege, prope Regni, et Moscoviae fines, non fuerit difficile obtinere, aut ab iisdem, quae diximus, Societatis nostrae Collegiis lucem haurire, ut quidam homines fidi pecunia conduci queant. Quamvis si per Livoniam eatur, ac Derpati, et Novogrodeci (ea est ultima Livoniae arx) tantisper subsistant, dum fidei publicae litterae, ac Pristavi Novogardia, Plescoviave appareant, tutius a Cosacis fuerit iter. Quod si alterum instituatur, qua Smolenscium Legati plerumque solent proficisci, Orsae commorandum erit, donec a Smolenscensi Palatino cognoscatur, Moscos venisse ad fines, ne inter densissimas illas silvas Cosacorum praedae expositis manendum sit, quemadmodum summo periculo nobis accidit.

## *LITTERAE*

### A SUMMO PONTIFICE AD MOSCUM, QUALES; DONA ITEM, QUAENAM ESSE DEBEANT.

Quae postrema fuit litteris V. Beatitudinis ad Moscum inscriptio, eadem ut servetur, expediet. Ac quidem auro obsignatae fuerunt; sicut Veneti quoque fecerunt: quamvis nesciam, an id semper necessarium erit.

Ex iis autem, quae ille ad Vestram Beatitudinem, atque ad alios Principes scripsit, sumi potest occasio ad novas litteras dictandas, Legationemque, si quando occasio se daret, mittendam.

Porro in litteris non fuerit satis, Legatum vocare Dilectum filium, nisi haec vox Legati, (et quidem vel magni, ut ipsi scribunt, vel praecipui) adscribatur. Nam hac voce Nuncii, vel



Digitized by Google

Internuncii, vix quidquam apud eos acquiritur Legato auctoritatis.

Dona, quae ad eum Principem afferantur, digna tanto Principe sint, quorum aliqua nomine Sedis Apostolicae, vel ejus, a quo Legatus mitteretur; nonnulla item nomine ipsius Legati offerantur: sine quibus injuriam sibi fieri Moscus, ac caeteri Orientales Reges, jam inde ab antiquissimis temporibus, putant. Discessuro tamen (ut diximus) saepe majoris pretii dona rependunt. Nos, Vestra Beatitudine mandante, pretiosissimam e Christallo crucem, cum ipso crucifixo, ejusque passione tota affabre insculpta, addito Sanctissimo crucis ligno; cyphumque ejusdem materiae, eximio opere, et auro circumdatum; rosaria item, sive (quas vocamus) coronas ex gemmis, et auro; Florentinam item Synodum Graece editam, ac pulcherrime compactam, ac quaedam alia pia, neque haec mediocris pretii attulimus: quae quidem Principi placuerunt. Ejusdem igitur generis res, seu vasa aliqua magna argentea deaurata, quae in Germania plus habent operis, quam materiae; sericum item, insigni aliquo opere auro intextum; imaginesque piae gemmis, et unionibus ornatae (sed quarum nudo corpore pictura non sit) Graecis vero litteris inscriptae, ut cujusnam imago sit constet, ac pro more Graecorum depictae, probabuntur, et libentissime accipientur.

## *QUIBUS VESTIBUS,*

### ET REBUS UTI LEGATUS, ET SUI: AC QUOMODO IN ALIIS QUIBUSDAM REBUS SESE GERERE DEBEANT.

Vestes (si Legatus sit Ecclesiasticus) quanto minus fastum et delicias sapient, tanto majore in honore habebitur. Cum enim Episcopi apud Moscos e monachis deligantur (qui perpetuo a carnibus abstinent, castitatem colunt, et paupertatis speciem retinent, vestibus autem pene Religiosorum ad talos usque utuntur) mirum in modum in suo schismate confirmarentur, si ad pompam potius, quam ad religionem indutum aliquem cernerent. Pileum nos quadratum, majore cum illorum aedificatione, gestabamus, quam galerum, sive pileolos, et ejusmodi alia; quae, ubi ad arcendam pluviam, aut frigus, et solem necessitas non ingruit, cum nescio quid secularis vitae prodant, ipsa quoque natura videtur eos docere, ea non sapere Ecclesiasticum. Magnopere autem Mosci offenduntur Italicis, Gallicis, Hispanicis, Germanicis vestibus brevioribus, quod eas partes aspectui exponant, quae magis tegi debuissent. Quin vero ipsi, totius Orientis morem sectati, duabus ac saepe tribus pene usque ad talos vestibus induuntur, ad honestatem; manicas vero longiores gerunt, ut ne manus quidem pene extent, cum iis utuntur. Itaque qui eo proficiscentur, longiores vestes induant, quales Poloni, et Graeci consuevere. Quae res sumptui, vecturae, corporique commodior est: ne dicam id vicem habere stragulorum. Nam neque stragula, nec lectisternia unquam (ubi quis in Poloniam ingreditur) in hospitiis reperiet, ni secum ferat: ut Legato maxime necessarius Lectus etiam futurus sit, qui explicari possit, et totus corio, vel tela circumtegi, in quo dormiat, ne fuligine, quae ex superiore cubiculorum parte in Moscovia, et Lithuania in oculos decumbentis incidit, et ob acutum *muscarum aculeum*, quae contra aliarum morem *in tenebris* pervolant, et intra linteamina penetrant, vehementius crucietur. Jam et tentorium habeat, quod figi queat in campis, ubi hospitia nulla sunt. Simplices autem nigrae telae, quae cubicula dividere possint in plures partes, si diducantur (quando praesertim idem omnibus hypocaustum assignatur, in quo et reliqua familia, praesertim in Polonia, et Lituania, cum bestiis plerunque praesertim in hieme, jacet) majorem habent ad honestatem momentum, quam facile verbis expresserim.

Pannum, et sericum si quis ob familiam secum ferat, quod in Lithuania pro eo more aptetur ad vestes, facilius vehetur, ac minus corrumpetur.

Si cruces de collo gerant, quas unusquisque in Moscovia sub thorace habet, cavendum est, ne sub ima pectoris parte versus ventrem pendeant Pessime enim Mosci vident, Sanctissimum crucis signum versus pudenda deferri: quin vero, si de cingulis viderint rosaria pendentia, quibus cruces adjunctae sint, haud leve scandalum patiuntur, quasi honesto *loco* non haereant.

Id porro indignum arbitrantur, cum imagines piae una cum aliis rebus prophanis, et vestibus confunduntur: si vel illae, vel alia sputo mundentur, aut tergantur: si quis terram pede identidem presserit: si pectus apertum

Digitized by Google

gestaverit: si denique incomposito, aut inusitato gressu incedat, praesertim cum ad Principem itur.

## CAUTIO

### IN PROCURANDIS (SI OPUS FUERIT) LITTERIS, AB ALIIS PRINCIPIBUS, AD MAGNUM MOSCOVIAE DUCEM.

Si ab aliis Principibus ad Moscum petendae futerint litterae, cavendum erit, ne qui eas scribent, si schismatici, et haeretici fuerint (ut plerique hoc tempore sunt, qui id operae praestant) aut sicce (ut ajunt) aut etiam minus ad dignitatem eas scribant. Vel enim de Summo Pontifice frigidissime loquuntur; vel ea reticent, quae ad Reipublicae Christianae commodum, Christique nomen veraci cultu insinuandum in Moscoviam, magnopere facerent. Nos quid ea in re (in ipsa quoque pacis compositione) ab ejusmodi hominibus passi simus, longum esset, si hic intersereremus. Tenor igitur litterarum, quae petuntur, sic Principibus Latine proponatur, ut postea idem a fido aliquo Catholico vertatur, quem ut iisdem pene verbis Secretarius exaret, jubeatur a Principibus.

## QUID DANDUM PRISTAVIS,

### IN DISCESSU A PRINCIPE.

Solent Pristavi aliqui (licet non omnes) satis esse petaces, atque ita vix biduum, ubi obviam venerint, sinunt elabi, quin per interpretem Legato insinuent, ecquid referre suo Principi possint, quae dono acceperint. Eis igitur spem praebere, ubi sese recte gesserint; aut si molestiores sint, aliquando respondere, non decere ante oblata Principi dona aliquid aliis dare; vel denique dicere, ut referant, sese nihil accepisse, vix aliquid damni afferet. Gens. a. ea licet beneficiis afficienda est: quousque tamen aliam naturam induat, magis aestimat, quem metuit, quam qui prorsus eorum postulatis annuit. Discessurus tamen, viginti quinque, vel triginta aureos Pristavis, ac totidem famulis, qui in servierint, aut dona a Principe attulerint, distribuere poterit, nisi quid aliud majoris momenti dare voluerit. Ubi vero e finibus Moscoviae excesserit, aut aureos annulos, et cruces, pro Ruthenorum more factas, aut pecuniam aliquam inter sese partiendam reliquis, qui se fuerint comitati, ne quid prolo quantur, expediet, ut dari jubeat, vel adeo ipsemet tradat.

## IN TOTA LEGATIONE

### EUNDO, MANENDO, REDEUNDO, QUANAM RATIONI, UBERE CUM FRUCTU, LEGATES SE GERERE POTERIT.

Quod reliquum est, Legati animo id altissime sit fixum, non posse non uberem ex ejusmodi Legatione fructum referre, si virtutes eas in itinere toto adhibuerit, quae sunt maxime necessariae; modestiam, comitatem, sobrietatem, religiosamque, et Christiano dignam vitam; ut, in quibus a Catholico cultu non discedat, fiat omnibus omnia. Jejunet cum jejunantibus: Sabbatho vero (quod tamen Graeci, et Rutheni solent) carnes ne comedat. Quarta feria a carnibus una cum illis abstineat, commendans, et probans, quae quis ad pietatem deligit; imagines illorum veneratus, quae Sanctorum ab Ecclesia celebratorum memoriam referant. Sic enim mihi Vestra Beatitudo significari ab Illustrissimo Cardinali Comensi jussit. Ipsa porro balneorum, et ejusmodi rerum declinatio; sincerissimus in agendis negociis Divini honoris scopus; et animarum illarum e Schismate eruendarum vera sitis: oratio ad Deum frequens: iique apud Christum precatores adhibiti, qui ab iisdem Moscis in honore habentur, si Sanctos fuisse constet: Libri quoque Servianis, sed et potius Ruthenicis characteribus editi (qui capita fidei Catholicae, virtutesque, ac peccatorum fugam ostendant) et firma fides, qua credat, nullum hominem eo esse immaniorem, qui se peccato subjicit, quodque in eo est, sanguinem Christi in se ipso conculcat, optimum religionis nostrae, ac Sanctae Apostolicae sedis, seu cujuscunque Catholici Principis odorem relinquent: qui unus plurimis aliis fructibus debet anteponi. Cum postea, quod ad illud iter spectat (in quo libri pii in hospitiis, et piae aliae res ubique spargi possunt) id non tam difficile sit, quam soleat prima cogitatione videri. Neque enim trajicienda sunt maria: non flumina, quae aliis in Provinciis saepe majora sunt, non excelsi montes



Digitized by Google

transeundi, sed Roma usque in ipsam Regiam Mosci, eodem curru vehi poterit Legatus.

Licet multa alia sint, quae moribus, et caelo variarum regionum satis diversa, hominem commodis suis assuetum terrere aliquatenus possint; praesertim si aliud, quam Dei gloriam, animarum salutem, ac publicum bonum spectet.

## *ULTIMA INSCRIPTIO*

LITTERARUM SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PONTIFICIS MAXIMI AD MAGNUM MOSCOVIAE DUCEM.

Joanni Basilii, Domino Russiae, Magno Duci Moscoviae, Novogardiae, Smolensciae, Vlodimiriae, Domino Casani, et Astracani multarumque aliarum Provinciarum Principi Magno, et desideratissimo.

# PRIMUM PUBLICUM COLLOQUIUM,

## *DE RELIGIONE CATHOLICA, HABITUM DIE XXI. FEBRUARII 1582.*

CUM JOANNE BASILII MAGNO MOSCOVIAE DUCE, IN EJUS REGIA, SENATORIBUS EJUS, AC CENTUM ALIIS PROCERIBUS PRAESENTIBUS.

Ubi Senatores Magni Ducis Antonio, variis de rebus, quas ei ante triduum proposuerat, responderunt: addidere, Principem haud solitum esse privatim agere quidquam de magnis rebus, quanta ist haec erat (erat autem de religione) quam ipse Antonius, Pontifice Maximo mandante, Stariciae quidem superiore aestate, sed et tum Moscvam veniens, Principem rogaverat. Adjecere, Principem vereri, ne qua ex colloquio de religione contentio, inter se, atque Antonium oriretur, qua vel ipsum cum Stephano Rege compositae pacis beneficium minueretur, aut molestiam Antonio facesseret. At Antonius cum dixisset, sperare se nullam contentioni cum tanto Principe se causam praebiturum; idque totum, quod proposuerat, spectare ad arctiorem Christianorum Principum cum Principe conjunctionem; nec vero se ab eodem colloquio cogitasse secernere Senatores, si ita Princeps expedire judicasset. Re Principi a Senatoribus relata, accersitus est eum ad locum, in quo Princeps cum Senatoribus suis, centumque aliis Proceribus, et primariis aulies consederat.

Tum orsus Princeps, et iisdem verbis pronunciatis, quae Antonio paulo antea retulerant Senatores: Vides, inquit, mihi quinquagesimum jam annum agenti, non adeo diuturnum vitae spacium superfuturum: ea porro in religione me educatum, quae vera Christiana, quaeque mihi mutanda non sit: Instare autem judicii diem, in quo Deus judicaturus sit, nostrane, an Latina fides veritate nitatur. Neque tamen, ait, improbo, quod a Gregorio XIII. Pontifice Maximo missus, officio isto fidei Romanae tuendae fungaris: quamobrem ea dicere potes, quae libet.

Tum Antonius, Serenissime Princeps, inquit, singularium beneficiorum, quae erga me contulisti, praecipuum hoc est, quo mihi concedis, ut de summa re colloquar hodie tecum. Scito autem, Pontificem Maximum, nequaquam tibi esse auctorem, antiquissimam ut Graecam religionem mutes, qualem Patres, ac legitimae Synodi docuerunt. Quin vero hortatur, ipsam ut quaenam fuerit noris, et amplectaris, atque adeo, quidquid ex ea in tuis ditionibus integrum est, retineas. Quod si feceris, jam

Digitized by Google

non erit Occidentalis, et Orientalis Ecclesia, sed unum omnes erimus in Christo: nec tua templa, nec sacra, nec Sacerdotes declinabimus, a quibus recta fide, et rite mysteria Divina administrabuntur.

Ceterum, quod nunc id ejus Sanctitas tibi proponat, ne mirere: nam et urgetur a Christo, a quo sibi demandata est pascendi Christianam Ecclesiam cura, ac tuae in primis litterae eum permoverunt, de foedere inter Principes Christianos, per ejus Sanctitatem procurando. Quae item a te ad Stephanum Regem scriptae sunt de fidei unitate, quam Constantinopolitanus Imperator, una cum Oriente, in Synodo Florentina agnovit, ac cui Moscoviae Metropolita Isidorus, (sicut tu ipse scribebas) interfuit, adjecisti, Catholicos, ac Romanae fidei homines libere in sua fide in Moscovia versari, ac vivere. Quae cum tu nemine cogente scribebas, non potest Pontifex Maximus non cogitare, quin e candido pectore, quantum te istiusmodi tantum Principem decuit, profecta fuerint; ac vero te ad testimonium veritati perhibendum fuisse impulsum ab eo, in cujus manu corda sunt Regum, et sine cujus nutu ne folium quidem arboris movetur.

Jam cum adversus perfidos, et paganos nullum fortius praesidium comparari, vel arctiori vinculo constringi Christiani Principes queant, quam fide ea, quae esse nisi una non potest, hinc foederis fundamenta jacienda sunt; sine quo reliqua humana tractatio, quantacunque esset, aut exstrui non posset, aut exstructa facili momento concideret. Itaque alterum e duobus cogita, aut apud omnes Christianos Principes, apudque ipsum Orientem, cum ad Synodum Florentinam convenit, fuisse veram Christianam fidem: aut tuam, nisi eadem sit, ab illa sic discrepare, necesse ut sit, ut alterutrius partis fides errore non vacet: quo certe errore perniciosior nullus est. Quod si is, de quo tute scripsisti, tantus Imperator Jo. Emmanuelis, et quidem, ut iterum dicam, una cum tuo Metropolita reliqui Orientales, non temere fuerunt permoti, cur in sola Ecclesia Romana veram esse fidem, et eam ipsam, quam universa Graecia, et Asia integram antiquissime servabat, agnoscerent: ecquid tibi reliquum est, ut agas, nisi ut vel eandem semitam teras; vel si dubitas, quin eadem, quae acta sunt in Concilio Florentino, tibi proponantur, accerse Interpretes Graecos, atque ex ipso Byzantio libros ipsos Patrum Graecorum pete, nisi; vel nostris Graecis, et ab ipsismet pene auctoribus propria manu conscriptis, vel mihi ex iisdem eadem tibi ostensuro fidem adhibes. At vero si ex eadem Synodo Florentina, quam tibi Graece editam a Pontifice Maximo attuli, praecipua quaedam Patrum loca exponi volueris, id libentissime faciam; eo apud Deum lucro, ut serio sperare quoque possis, fore ut certioribus, quam hactenus factum est, insignibus, ac titulis, Orientis Imperator non ita multo post appelleris, si in Orientem Orthodoxam, et Catholicam fidem promoveris; ad quam rem non deerunt Principes Christiani, qui aliis ex partibus tibi opem sedulo ferant.

Ad ea Princeps respondit, Se Pontifici Maximo non scripsisse de fide, de qua nec modo loqui cogitaret, tum ne quid sibi excideret, quod aegre deinde laturus esset Antonius; tum quia sui muneris esset, temporalia, non Spiritualia administrare: nec ad eam rem quidem se a suo Metropolita benedictionem accepisse. Ceterum se non in Graecos, sed in Christum credere. Ad Imperium Orientis quod attineret, Domini esse terram, quam pro sua voluntate, quibus illi placeret, esset daturus. De Florentina Synodo, deque Moscoviae Metropolita Isidoro, nihil omnino locutus; etiam tacuit ad ea, quae ad religionis vinculum pertinebant, quo uno adversus hostes Christi nominis, essent Christiani Principes obstringendi. Pollicitus autem iterum, se praestiturum id, quod eadem die per Senatores Antonio promiserat, ut Catholici Sacerdotes a mercatoribus cum Legatis libere possent in Moscoviam adduci, in eaque commorari, et Catholicis Sacramenta ministrare: negavit tamen se concessurum, ut publicos conventus, aut Ecclesias, ad quos Rutheni accederent, haberent publicas: porro ea de re fidem, magno suo signo obsignatam, se Antonio, priusquam discederet, traditurum, quod quidem antea is Stariciae impetrare nequiverat.

Tum Antonius Principem rogavit, ut dignaretur aperire, quid de toto hoc religionis negocio sentiret: neque enim quidquam a tanto Principe sibi molestum accidere posse. Quod autem non in Graecos, sed in Christum crederet, id optimum esse, ac propterea testimonium Graecorum Patrum ab Antonio afferri, ut ex iis, quibus tanquam gravioribus testibus fidem haberet, intelligeret ipsam verissimam, et Orthodoxam fidem, qua in Christum credimus, et

Digitized by Google

tendimus, a Summis Pontificibus istis Romanis semper edoctam fuisse.

Nos, inquit Princeps, jam ab ineunte Christiana Ecclesia fidem Christianam hausimus, cum Andreas, Petri Apostoli frater, in has regiones venisset, ac Romam profectus esset; deinde Volodimero ad fidem converso, religio latius propagata est. Itaque eodem tempore, quo vos in Italia, nos in Moscovia Christianam fidem accepimus, quam et integram servavimus; cum in Romana fide septuaginta fides sint, vel te Antonio teste, qui id mihi Stariciae significasti.

Antonius (qui intelligebat ea a Principe dici, quod ipsemet Antonius, occasione oblata, non semel Senatoribus, atque aliis ostenderat, mille et ducentos ferme annos Christianam fidem in Italia fuisse, antequam Moscovia Christo nomen dedisset) de Sancto Andrea pauca locutus, ne quid gravius in Principem, quasi haud vera dicentem pronunciaret, adjecit: Inconcussa, et eadem fides semper Romae stetit, quam Petrus, et Paulus initio praedicarunt: pro ea sanguinem fudere pene trecentos totos annos, qui Petro successere Pontifices: inde reliqui, pacatiora licet tempora habuerint, eandem tamen variis in fluctibus sine naufragio illaesam servarunt. Septuaginta, de quibus dicis, Romae fides non sunt, sed una est, quae septuaginta, atque adeo plures ex Luthero enatas haereses (quas istic permittis in paucis quibusdam Livonum reliquiis, de quibus tibi Stariciae scripseram) anathemate ferit, atque intrepida fronte persequitur; sicut et cum Orientis, atque Africae haeresibus semper fecit.

Quod dicis, Antoni, inquit Princeps, Pontifices Maximi Sanguinem pro fide Christi fudisse, id bene habet. Dixit enim Salvator; Nolite timere eos, qui interficiunt corpus, animam autem non possunt interficere.

Et propterea, respondit Antonius, nos et in Moscoviam fidenter in Dei nomine venimus, et ad Indias, atque ad reliquum Orbem terrarum Pontifex Maximus alios mittit, qui omnia pro Christi nomine subeant, ut ejus veritas innotescat, et crucis trophaeum quam latissime excitetur.

At Princeps ista declinans, Scriptum est, inquit, Euntes ite, docete omnes gentes, praedicate Evangelium omni creaturae, baptisantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Omnes id Apostoli cum fecerint, nec alius alio major fuerit; ab iis profecti sunt Episcopi, Archiepiscopi, Metropolitae, atque alii plures, ex quibus et nostri sunt in ditionibus nostris.

Quoniam, Antonius ait, quod ex Evangelio citasti, Verbum Dei est, propterea id indubitanter credimus: at et eidem ipsi Christo, qui reliquos Apostolos pari auctoritate, sed tanquam delegata potestate misit in mundum (quia sic fidei ubique promulgandae necessitas exigebat) credendum est, qui soli Petro, quod aliis Apostolis nunquam fecit, regni Coelorum claves, fratrum confirmationem, ovium pascendarum curam demandavit. Quod si profecti a caeteris Apostolis Episcopi, potestatem suam retinent: quanto magis retineat Petri Sedes, adversus quam (quod aliis Apostolorum Sedibus dictum non est, ac propterea in multis provinciis eorum successio, et religio, aut variata est, aut interiit) nec inferri portas praevalituras, et eam ad consummationem usque sacculi duraturam, irrevocabili promissus testatus est is, qui veritas est, ac non mentitur Deus?

Tum Princeps: Nos Petrum, *pluresque* Pontifices Maximos sanctos agnoscimus, Clementem, Sylvestrum, Agathonem, Vigilium, Leonem, Gregorium, et alios. At vero, qui eos secuti sunt, quonam modo Petro successerunt; aut, cum improbe vixerunt, eadem cum auctoritate in Sede resident Petri?

Facile, inquit Antonius, pro tua sapientia, Princeps, intelligeres, eadem cum auctoritate, qua Petrus, reliquos Pontifices Maximos usque ad haec tempora Ecclesiam administrasse, si, quod verissimum est, patereris ostendi tibi; eorundem, quos probas, antiquorum Pontificum libros, Canones, Doctrinam, atque in primis Divini verbi expositionem constanter eos esse secutos. Quod ad probitatem, aut improbitatem vitae spectat, non agam longius, tum quoniam virtus Sacramentorum, et Ecclesiae administratio, delata Pontificibus, non ab hominum vita, sed ab immobili instituto Christi pendet; tum quoniam non omnia vera sunt, quae ii, qui abscisi a Christi corpore sunt, nimio ausu (cum neque ea viderint, de quibus affirmant, aut negant) pleraque solent licentius effutire, ne de sua ipsorum vita reliqui audeant proferre veriora. Obsecro autem te, Serenissime Princeps, ut pro tua benignitate mihi respondeas, num tu, qui post quingentos annos Volodimero successisti, istius imperii legitimus sis haeres, atque successor? Cui cum Princeps annuisset, adjecit Antonius: Jam si quis de tui,

Digitized by Google

vel majorum tuorum auctoritate vellet obstrepere, si qui pro humana fragilitate, aliquid commiserunt, ecquis illum merito redarguendum, ne dicam plectendum esse, non existimaret?

Quo Sermone cum interius magis urgeretur, quam antea ostenderat (cum et iis diebus quidam Angli haereticissimi, et Medicus Hollandus Anabaptista, multa Principi obtrusissent, adversus Pontificem Maximum) fere assurgens; Scito, inquit, Pontificem Romanum non esse Pastorem. Quam injuriam cum eo iniquius ferret Antonius, quod in tanto Procerum consessu, aditum ea vox praecluderet ad fidem, adolescentem interpretem (ceteroquin fidum, et Catholicum, sed quod sibi a Principe timeret, haesitantem) animavit ad dicendum: Cur igitur ad eum de tuis rebus misisti; quem item Pastorem Ecclesiae tu, tuique praecessores semper apellarunt?

Tum Princeps excandescens, atque omnino assurgens, cum crederent omnes fore, ut pedo illo suo (quo tanquam Pontificio pastorali utitur, cujus extremae parti cuspis ferrea infixa est) Antonium (ut et alios, atque adeo filium ipsum, solitus fuit) percuteret, atque interficeret; Fuere, inquit, in foro rustici, qui te docuerunt, ut mecum aeque ac cum rustico loquereris. Quae verba cum aequabili facie Antonius excepisset. Scio, ait, Serenissime princeps, me cum Principe prudente, ac bono loqui, erga quem non solum ipse fide, atque obsequio, quod in pace componenda expertus es, verum etiam ipsemet Pontifex Maximus paterno, ac singulari amore fertur: qui si quid dicimus, eo id meliorem in partem spero a te acceptum iri, quod et verba Christi, sunt, quae profero, et tu mihi, ut de his rebus libere loquerer, concessisti. Sic complanato illius animo (ut mirarentur Senatores, ac reliqui Proceres) cum iterum consedisset, quatuor identidem pergebat (pacatioribus licet verbis) objicere, ab iisdem haereticis instillata: Quod Pontifex in sella gestaretur: Quod crucem in pedibus ferret: Quod sibi raderet barbam: Quod faceret se Deum. Ad quae cum Antonius obtinuisset, ut posset respondere, (videbat enim astantes, rebus exterioribus, falsisque calumniis, addita Principis auctoritate, sic commoveri, ut quidam dicerent, Antonium illico esse in aquam demergendum) ita locutus est: Quod Pontifex Maximus aliquando in sella gestatur, id non ad fastum, sed ad benedicendum frequentissimo populo, solemnioribus diebus festis, in nomine non suo, sed Sanctissimae Trinitatis fit. Porro una cum aliis plerumque familiarissime incedit; ac saepe pedibus, religionis gratia, pia loca obit. De cruce autem, quam gerit ad pedes, non te, ait, lateat Princeps, quod cum populi initio ad pedes Apostolorum prosternerent sese, idem successoribus S. Petri frequentissime acciderit. Qui ne sibi is honor omnino deferretur, crucem apposuerunt, quam osculantes agnoscerent, ac venerarentur crucis Christi mysterium; quo quidquid Pontifices haberent, aut possent, id se Christi Domini merito, ac passione assecutos indicarent. Atqui (inquit Princeps) dedecus est gestare crucem in pedibus, nam et ignominiae loco habetur a nostris, si sub ipsum pectus ad ventrem crux aliqua dependeat. Videbat autem aliquibus eorum, qui Antonium in itinere erant comitati, paululum sub ipso pectore, cruces de collo pendentes. Cum Christus (respondit Antonius) toto corpore crucifixus sit, et nos toto corpore cum Christo cruci confixi esse debeamus, nihil piaculi committimus, si qua in corporis parte ad pietatem crux geratur: quam pietatem Divina Sapientia de corde in primis, ac conscientia pura potius, quam de externa positione dijudicat. Ac quidem de pedum osculatione (praeter quam quod Pontifex Maximus pauperum pedes lavat, et deosculatur) certe nemo est, qui cum illi pedes deosculantur, Divinum se putet honorem deferre. Caeterum id, ita praedicente per Ecclesiam Deo et alias, et per Esajam septingentos ante annos, quam Christi Ecclesia fundaretur, necessario futurum erat. Haec dicit Dominus: (inquit Propheta) Ecce levabo ad gentes manum meam, ad populos exaltabo signum meum, et afferent filios suos in ulnis, et filias suas super humeros portabunt, et erunt Reges nutricii tui, et Reginae nutrices tuae: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Nunquid igitur, Princeps, quoniam Dominus Deus (cum qui gentilibus Regibus honor deferebatur, eum suis detulit servis, quos lucem, petram, fundamenta, et propriis sibi Deo titulis decoravit) non debebat in rem conferre promissum suum, ut non solum oscularentur, sed ad majorem Diaboli confusionem, lingerent eorum pedes, ut ait Scriptura, quos Christus Ecclesiae suae pro tempore praefecit? Sed et privatis istis Episcopis tuis populi sese tui ad terram prosternunt, et qua aqua sibi in templis abluunt ma-

Digitized by Google

nus, ac, licet sordida, oculos, faciemqure reverenter asperguut. Tu autem sapiense es, qui non ignoras, si quis Legatis, ac Proregibus, aut Praefectis a populo, vel adeo a magnis Dominis honor defertur, eum in te redundare: qui cum a Deo auctoritatem acceperis, an Deo adimit honorem is, qui hunc honorem propter Deum tibi, tuisve tribuit?

Tum Princeps: Et nos, inquit, ut sumus Princeps Christianus, quotiescunque ad nos venit Metropolita noster, ei obviam cum omnibus nostris procedimus, manumque illius osculamur; at non facimus illum Deum.

Ergo et tu, ait Antonius, ob istam speciem spiritualis auctoritatis, non subdito tuo tum, sed Deo putas honorem tribuere: quamvis multo major ei debeatur, cui Deus universam Ecclesiam tradidit administraudam, quam qui Metropolitae alicui deferendus sit, si tamen Canonice electus, riteque confirmatus sit. Neque vero Deum ipse Pontifex Maximus se facit, qui pluribus omissis titulis, quos juste posset adsciscere, Servum se Dei servorum vocat. Ac cum id re ipsa omnibus cum nationibus, quae sub coelo sunt, ut tuus vidit Severigenus, exhibeat, tum in universum orbem terrarum, ad Dei, Christique filii ejus nomen praedicandum, continenter operarios mittit, quod quidem nemo unquam Patriarcharum Orientis aut fecit, aut facere potuit.

Jam quod ad barbam attinet, sane eam sibi radere non facit, quam satis prolixam habet; ac si radere juberet, nihil proinde mali committeret, cum qui id fecere sancti, et prisci Pontifices, quorum effigies adhuc in antiquis numismatibus cernuntur, justas et pias ob causas facere pro varia temporum ratione potuerunt. Aliud enim est, quod in Apostolicis Constitutionibus a S. Clemente Laicis praescriptum est, ne raderent barbam, nempe ut et caput sese uxorum suarum ostenderent, nec porro illam sibi abscinderent, quemadmodum Turcae ad immundiciem, libidinemque faciunt: aliud autem, quod Sacerdotibus licet, si qui ob mysteria corporis et sanguinis Christi religiose tractanda, fugiendamque ostentationem id faciunt.

Quae cum dixisset Antonius, ne quid offensionis in animo Principis restaret, manum ipsius petiit ut oscularetur: quam cum ille benigne porrexisset, Non solum, inquit, manum tibi tradam, verum etiam te amplectar. Itaque assurgens, bis totis ulnis, magna cum astantium admiratione, amplexus Antonium, ac se excusans, quod agere de religione noluerat, ne quid sibi gravius excideret, illum amanter ab se dimisit. A prandio vero tres Proceres ad Antonium cum cibo, et potu; ac post horam alteram Aulicum cum vario potuum genere ad eundem misit. Qua iterata benevolentiae *significatione*, plerique omnes obstupescebant, cum id cum Legatis, aut Nunciis Summorum Principum facere extraordinarie non consuevisset, ac vero prorsus actum de Antonii capite paulo ante existimassent. Ea vero, quae secuta est, nocte, Princeps ad Antonium misit, ut quem locum sibi ex Esaia recitaverat, eum mittere scripto ad se vellet, quod postridié ejus diei addita Patrum expositione fecit; atque his quinque Gennadii Patriarchae Constantinopolitani Capita, de primatu Pontificis Maximi adjunxit, quae Ruthenice verti in itinere procuraverat, tum eandem ob causam, tum ut aliquando Gennadius totus Ruthenice prodiret in lucem.

Digitized by Google

# ALTERUM DIE XXIII FEBRUARII COLLOQUIUM

## *ANTONII POSSEVINI CUM MAGNO MOSCOVIAE DUCE, AC CUM SENATORIBUS EJUS.*

Ea die frequentissimo populo, aulaque Principis pleniore, quam antea, evocatus ad Principem Antonius accessit: cum extraordinariis illis benevolentiae argumentis, non ab omnibus in bonam partem acceptis, nonnulli vererentur, quin Antonio, ac suis aliquid gravissimum accideret; cumque praesertim Antonio significatum fuisset, Principem ei velle publice ostendere librum, quod tum denique non fecit. Itaque Antonius socios, atque adeo omnes de suo comitatu animavit ad bonam fidei confessionem re ipsa faciendam, si quid ab illa gente contigisset, eosque proinde Sacramentis expiavit, et sanctis reliquiis munivit. Verum tamen, sive quoniam Principis animum Divina sapientia emolliverat, sive quod servis Dei dignioribus eam pro Christo in Moscovia patiendi palmam tempus in aliud servabat, factum est, ut Princeps, cum primum Antonium vidit, non solum (ut solebat) jusserit eum sedere medio in procerum consessu, scamno e regione Principis locato, et tapete instrato, verum etiam omnibus ad se accersitis Senatoribus suis, sic satis alta voce locutus sit: Antoni, si quid tibi heri dixi de Pontifice Maximo quod tibi displicuerit, rogo te, ut mihi parcas, nec velis id ejus Sanctitati referre. Volumus enim cum eo (quamquam inter nos, et vos nonnulla diversa sunt in fide) ceterisque cum Christianis Principibus amicitiam, fraternitatem, atque unionem habere. Itaque hac de re tecum ad Pontificem legatum mittemus, nostrique Senatores reliqua nostro nomine tibi ad ea, quae novissime nobis proposuisti, respondebunt. Antonius gratiis Principi actis, ejusque benignitate commendata, se non minus in reliquis ejus negotiis procurandis fidelem fore dixit, quam in pace cum Stephano Rege componenda expertus fuisset, sicque cum Senatoribus ad solitum conclave secedens, quod matutini temporis restabat, id per aliquot horas audiendis Senatoribus, et cum eis agendo de rebus gravissimis, impendit: quae quidem spectabant ad res Persicas, iterque ad eum Regem liquidius intelligendum; deinde ad Tartaros; ad Principum Christianorum foedus; ad pacem cum Joanne III. Sueciae Rege tractandam, causasque vestigandas, cur Regis Sueciae Legatis quondam illata fuisset a Principe injuria: inprimis autem ad religionem Catholicam, ac Ruthenam; de qua Principis nomine ab Antonio petierunt, ut scripto discrimen inter utramque tradere vellet, quandoquidem in Moscovia non esset, qui Synodum Florentinam Graecam posset interpretari. Quod cum se facturum polliceretur Antonius, Gennadium integrum latinum, quem secum attulerat, deprompsit, ac Senatoribus ad Principem dedit, ex quo posset primaria rerum capita, seu discrimina, a Latinis interpretibus in Ruthenicam linguam verti jubere: Graecum enim eundem Gennadium antea dederat.

Digitized by Google

# TERTIUM DE RELIGIONE COLLOQUIUM

## *MAGNI MOSCOVIAE DUCIS CUM ANTONIO POSSEVINO,*

EODEM IN PROCERUM CONSESSU, SENATORIBUS AUTEM ASTANTIBUS. QUID ITEM POST ILLUD CONTIGIT EA IPSA DIE, QUAE FUIT QUARTA MARTII, ET DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE, CUM EVANGELIUM LEGITUR: DUCTUS EST JESUS IN DESERTUM, UT TENTARETUR A DIABOLO.

Etsi quotiescunque ad Principem adibat Antonius, praet Proerceres eos, qui illum deducturi ad sese frequentes in vehiculis, et in equis venire soliti erant, stipatores Principis longissima serie sese contingentes, et ferreis tormentis terrae innixis, ab utraque viae parte tam in secunda, ubi hospitium erat Antonii, quam in prima Principis arce circiter mille quingenti stabant; Cives autem, et reliqui scalas, atrium, fenestras, deambulacra (uti et nobiles, ac Proceres primum, ac secundum Principis conclave) replebant: id tamen, quod quarto Calend. Martii tentare Princeps decreverat, fecit, ut frequentior populus in primam arcem, arcisque plateam convocaretur (ad quinque enim hominum millia minimum aestimata sunt) Aedis autem D. Virginis, cujus septem pinnacula laminis aureis contecta sunt, itemque S. Joannis fores sic panderentur, ut quod Antonio transeunte nunquam antea factum fuerat, induti etiam sacris (si sacrae dicendae sunt) vestibus Sacerdotes Coronam in medio templi facerent, et preces de more Ruthenicas funderent. Manserat vero Hebdomada ea Princeps in cubiculo, jejuniis arctioribus, et orationibus plus solito vacans, quae Rutheni feria secunda (quod nos facimus quarta) suam, Graecorum more, Quadragesimam inchoent, licet a Septuagesima carnibus (non item ovis et lacticiniis) ad id usque tempus abstineant. Ergo tanto apparatu evocatus Antonius, ubi Principem conspexit, sedere jussus mox ab ipso ad se proxime vocatus, eum ita loquentem audivit.

Antoni, relatum est nobis a Senatoribus nostris, cupere te Ecclesias nostras obire: quin in re tibi gratiam nostram (ea phrasi saepe utitur) ostendere volumus. Jussimus enim, ut te ad eas Proceres nostri deducerent, in quibus videbis, quanto cultu Sanctissimam Trinitatem adorantes, Beatissimam item Virginem, ac Sanctos veneramur, et invocamus. Conspicies autem, qua pietate feramur erga pias imagines, cum et Beatissimae Virginis eam, quae a Sancto Luca depicta est, cernes. Nec tamen videbis nos, aut Metropolitam nostrum in sella gestari.

Antonius, cui nec opinanti ea verba dicebantur, cum etiam paucos ante dies Princeps veniam ab eo de ejusmodi verbis petiisset, hortatus interpretem ut altius loqueretur, ita respondit. Quae ad Divinum honorem rite, pieque fiunt, ea nos comprobamus, et extollimus: sed quod attinet ad meam templorum tuorum visitationem, scito me a nemine petiisse, ut Sacro, precibusve tuorum Sacerdotum interessem: novi enim, quae in iis apud vos agantur. Quousque vero inter nos de fidei negotio conveniat, ac tuus Metropolita ab eo confirmetur, qui ejus Sedem tenet, cui Dominus dixit: Confirma fratres tuos, non possumus istis eorum actionibus interesse. Ad Pontificis Maximi gestationem quod attinet, dixi tibi, id ad benedictionem populo impertiendam fieri: quamvis ea dignitas tanta sit, ut ipsam Christi Domini dignitatem, Apostolicae Sedi collatam, expediat ita quoque monstrari. Plus vero est,

Digitized by Google

quod populi isti deferunt honoris Episcopis tuis (si Episcopi sunt) cum qua abluunt manus, eam suis oculis, aliisque corporis partibus inspergunt, sese autem iis Episcopis persaepe ad terram inclinant, ac terram fronte percutiunt. Quae verba cum Princeps excepisset: hoc aquae mysterio (inquit) Christi resurrectio designatur.

Ne tibi (respondit Antonius) negotium hisce de rebus facessam, licebit Serenitati tuae haec perlegere, quae tibi, mandato tuo, de discrimine inter Catholicam, et Graecam fidem conscripsi: ex iis enim etiam intelliges, quae de multis hujusmodi rebus, si velles, possent responderi. Quod scriptum cum Princeps accepisset, jussit, ut Antonius adduceretur ad B. Virginis templum, sed ei jam ex cubiculo exeunti Princeps inclamavit: Vide Antoni, ne Lutheranum aliquem in Ecclesiam inducas. Cui Antonius: Nos, Princeps, Lutheranos, nisi resipiscant, non admittimus, neque nobis ulla cum eis conjunctio est. Sic igitur descendentes Proceres, Antonium ad dexteram partem aedis B. Virginis, una cum suis sistere conati sunt, expectaturum, quousque Princeps veniret: ceterum nulla de re ejusmodi praemonitum, atque eo minus id cogitantem, quod diserte Principi declaraverat, se nulli Sacro, aut precibus eorum publicis interfuturum. Itaque re animadversa, se inde sensim (sed libere) cum omnibus suis subduxit Antonius: cum ei Proceres identidem protestarentur, eum, qui in reliquis rebus omnibus erga Principem suum recte se gessisset, ea in re magnam injuriam Principi inferre. Quibus cum rationes sic afferret, ut frequens populus miraretur, ceterique nobiliores essent attoniti, diriorem aliquem casum adversus Antonium expectantes; ecce Senatores admoniti, qui jam cum Principe ipsam in plateam descenderant, ad Antonium satis ab aede illa jam remotum accedunt; sciscitati, causam Principi referunt, quem Sacerdotes quidam, praelata Beatissimae Virginis imagine, praecedebant.

Tum Princeps media in platea cum omnibus aulicis subsistens, manuque caput fricans, ambigens quid ageret, tandem Senatores remittit Antonio, dicentes, eum quidem descendisse, illique gratiam suam ostendere voluisse: verum enimvero cum eam nollet admittere, integrum ei relinqui, ut in palatium ad solitum conclave ascenderet, quo Senatores paulo post de negotiis, de quibus agebatur, essent venturi. Sic Principi ad aedem appropinquanti Metropolita, cum aliquibus Episcopis, et Sacerdotibus exiens, obviam venit; salutatum, in aedem deducunt; crucem osculandam tradunt. Ea vero in aede suggestum, et Cathedram pro Antonio excitatam fuisse, ut omnia cerneret, ac deinde aliquid ei de fide objiceretur, a nobilibus postea audivit. Itaque vitata ab Antonio ea tempestate, et manus Metropolitae deosculatione, quam Princeps optaverat, ubi in conclave ascendit Antonius, hic ex pectore plena reliquiarum cruce deprompta, cum suis omnibus, qui erant quindecim, satis alta voce, genibus flexis, hymnum, Te Deum laudamus recitavit. Id quod nobiles Antonium prosecuti, cum perquirerent, quid id esset; cognovissent autem ab eo gratias Deo actas, quod Christianam veram fidem cum suis constanter, ac publice defendisset, mirifice affecti sunt, ut non solum obmutescerent, verum etiam expallescerent. Hanc enim a teneris annis Mosci opinionem imbuerunt, sese ut solos veros Christianos existiment, reliquos (licet Catholicos) immundos, haereticos, aut errantes putent. Sed et ejus ingenii Principi res illa molestissime accidit, cum hominis a Pontifice Maximo missi praesentia, et erga Metropolitam suum demissione, gentem illam in schismate stabilire cogitasset, quasi Pontifex Maximus Antonium, ad id officium praestandum, veritate agnita, misisset: quemadmodum antea Smolenscii per Episcopum, aut Vladicam illum, deinde vero Novogardiae Magnae per Archiepiscopum frustra tentaverat. Itaque astuto in astutia sua comprehenso, facti illius publici testimonium in cordibus Moscorum diu, ut sperandum est, haerebit, cum re ipsa coram Principe suo viderint, quam putant sese habere fidem, eam ab Orthodoxis et Catholicis ne dignam quidem aestimari, ut ipsorum ritibus pius aliquis intersit.

Cum itaque haec acta fuissent, Senatoribus ad Antonium venientibus, rationes ab eo allatae sunt, cur Princeps, si quid gratiae (ut ajebant) Antonio ostendere voluisset, nec Pontificem Maximum a Christo institutum carpere coram omnibus debuisset: nec cogitare eos, qui ab illo mitterentur, inferiores esse Metropolita, qui ne Metropolita quidem esset, cum et alter, qui diceretur Metropolita, esset in Mo-

Digitized by Google

nasterio superstes; alius vero, quod liberius Principis mores reprehendisset, una cum omnibus suis fuisset combustus, ac nemo eorum a Christi Vicario fuisset confirmatus. Tum de veritate Catholicae fidei plura locuto Antonio, cum aures et animum Senatores adhibuissent, ipsi, cum omnia Principi sese relaturos polliciti essent (sicuti ea ipsa die fecerunt) ad alia rerum capita ex scripto responderunt, quae Antonius aliquos ante dies Principi proposuerat.

# CAPITA,

## *QUIBUS GRAECI, ET RUTHENI A LATINIS IN REBUS FIDEI DISSENSERUNT,*

POSTQUAM AB ECCLESIA CATHOLICA GRAECI DESCIVERE TRADITA IN MAGNO CONSESSU PROCERUM, JOANNI BASILII, MAGNO MOSCOVIAE DUCI, 3 MARTII 1582 IN CIVITATE MOSCVA: QUIBUS BREVIS DILUCIDA, ET SOLLIDA ERRORUM GRAECORUM, ET RUTHENORUM REFUTATIO CONTINETUR.

Quod tuo nomine ante biduum de me, Serenisssime Princeps, a Senatoribus tuis quaesitum est, scripto ut exponerem, quid inter Catholicam Romanam fidem, atque Ruthenicam esset discriminis, id foret longius, quam temporis adeo angusti ratio patiatur; quod ad Serenissimum Poloniae Regem in Livoniam, atque inde ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum, una cum Oratore tuo, eas ob causas, quas nosti, mihi praescriptum est. Verumtamen, quoniam ex libro Gennadii Patriarchae Constantinopolitani, qui sanctae Synodo Florentinae interfuit (quem librum propterea Senatoribus tuis ad te dedi) praecipua hujus discriminis capita dignoscere poteris, agam brevissime de summa rei: originem, ac tempus in primis attingens, quo Graeci, a quibus Rutheni non integram, neque rectam Christianae fidei normam acceperunt, sese a Catholica Romana Ecclesia praeciderunt. Id enim ad totam rem liquidius intelligendam maxime faciet Dum stetit in Oriente sincerior fides, atque simplicitas, Graeci Primatum visibilis hujus, ac militantis Ecclesiae Petro Apostolo, ejusque successoribus fuisse a Christo Domino delatum credidere: sicque vel in Conciliorum confirmatione necessariam esse agnoscebant Petri successorum auctoritatem, ad quos illa vox Christi Domini pertinebat [1]); Petre, confirma fratres tuos: vel cum a diversis haereticis, et ab ipsis quoque Imperatoribus, Patriarchae, ac reliqui Orientales Episcopi affligerentur, ad unam ipsam Pontificis Romani Sedem confugiebant, ut defenderentur [2]). Quemadmodum Sanctis, Joanni Chrysostomo, Athanasio, et plerisque aliis contigit. Quin vero ex toto orbe terrarum eandem ad Sedem Episcopi de quaestionibus fidei, deque aliis gravissimis rebus scribebant,

1) Luc. 22.

2) Epist. 1 et 2 ad Innoc. Sozomen Lib. 3 histor. Cap. 7.

Digitized by Google

atque ad jussum Pontificis Maximi Concilia vel cogebant, vel coacta petebant ut confirmarentur. Et a Pontifice Maximo Archiepiscopus Thessalonicae (quae Graeciae civitas est) delegatam acceperat potestatem, qua causas, et dissidia, si qua enascerentur in Oriente, decideret: ac qui nominarentur in Ecclesiis Episcopi, eos auctoritate Pontificis Maximi confirmaret, si confirmandi viderentur. Quod vero isti Thessalonicae Archiepiscopo ea potestas a summo Pontifice fuerit delegata, Leo Primus, cui tui Rutheni fidem habent, ac qui tot ante saecula fuit, testatur [1]). At vero cum Constantinus Magnus, Imperii sui Sede Byzantio delecta, Roma Christi Vicariis Divino afflatus numine cessisset, Graeci, qui tanto magis ea re Petri Sedem suspicere, ac venerari debuissent, sic terreni Imperatoris praesentia inflati sunt, ut ab eo, potius, quam ab instituto Christi, quo Sedes Petri omnibus praelata fuerat, Constantinopolitanae Ecclesiae dignitatem aestimare voluerint. Itaque anno Domini super trecentesimum octogesimo primo, Episcopum Constantinopolitanum, qui antea ne Patriarcha quidem fuerat, tribus Orientis Patriarchis anteponere, et secundum a Romano Pontifice facere voluere, sicut ex Concilii Constantinopolitani primi, canone quinto patet [2]). Deinde ne hoc quidem contenti, anno 451 eundem Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici parem efficere conati sunt, ut ex Synodi Chalcedonensis actione sextadecima constat. Sed neque inter hos terminos constiterunt. Nam prope Sexcentesimum a Christo nato annum, Episcopum Constantinopolitanum Oecumenicum, id est, orbis terrae Episcopum, sive universalem vocare sunt ausi. Quod S. Gregorius Primus pluribus Epistolis ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, atque ad Imperatorem Mauricium, et ad Imperatricem Constantiam, atque ad Patriarchas Orientis, planissime tanquam blasphemiam contra Christi Domini institutum confutavit. Denique anno 1054 (ut superbia semper ascendit) variis haeresibus, et peccatis Oriens lucem veritatis amisit. Episcopum enim Constantinopolitanum non solum Petri successoribus parem esse Graeci dixerunt, sed ementitis calumniis eos anathemate ferire, ac Latinos ex Ecclesiis, quas Byzantii habebant, ejicere sunt ausi.

Quibus ex rebus facile intelligis, Graecos, cum ista Gregorio Primo Pontifice Maximo (et quidem viro sanctissimo) sunt ausi, non ob peccata Pontificum, quae fallaciter a quibusdam Graecis praetexuntur, sed quia excaecaverat eos tumor, atque mendacium, ordinem a Christo constitutum, voluisse perturbare, atque perrumpere. Sed (gratia Deo) ipsi perturbati sunt, atque perrupti: ipsi mancipia Turcarum effecti: iis libri, et ipsa Sanctorum Patrum corpora adempta, et ad unam veram Ecclesiam Catholicam Romanam translata: iis denique sic sublata auctoritas est, ut ne unam quidem unquam Synodum cogere potuerint, cum tamen post septimam Synodum plus quam decem Generalia Concilia coegerit Sedes Apostolica. Quo temporis spatio quater et decies suos agnovit errores Graecia. Sed (ut S. inquit Jacobus Apostolus) consideraus se in speculo [3]), ac maculas suas videns, abivit retrorsum, et ad vomitum rediit. Tandem cum securim ad radicem Deus justus judex apponere, sterilemque illam ficum vellet exscindere, Synodum Florentinam cogi jussit, cui cum Constantinopolitanus Imperator, caeterique Orientales interfuissent, veritate agnita, dedere dexteras Apostolicae sedi, et quos hauserant errores, hos, Patribus Graecis publice perlectis, quos sane ipsimet ex Asia, et Graecia secum attulerant, ejurarunt. Quorum ii praecipui erant, quos Gennadius, qui postea eorum fuit Patriarcha, iis in capitibus de primatu Petri, refellit, quae tibi Ruthenice versa tradenda curavi. At quoniam quam lucem hauserant, eam paulo post eorum plures depulere, factum est Divinitus, ut Constantinopolitani, et Graeci, Imperium, fidem Orthodoxam, ac splendorem omnem amitterent: (dilexerant enim plus tenebras, quam lucem) atque ita in tenebras interiores, et exteriores traditi sunt; super cordibus adhuc velamen habentes, ut in quo saepe convicti sunt, et judicio suo ipsorum condemnati, id confiteri jam nolint.

Et illud sane primarium inter Catholicos et Orientales erat discrimen, quod hi putabant temere, ac contra Concilia, quae praecessere, additum esse Symbolo, Spiritum Sanctum a Patre,

1) Epist. 84.

2) Vide Epist. Leo. IX. Anselmum lib. de Spir. Sanct. Sigebert. in Chronic. Antonin. lib. 3. hist. tit. 22. Cap. 13. p. 11.

3) Jacob. 1.

Digitized by Google

et a Filio procedere. Verum Orientales ex Verbo Dei, et Patribus Graecis intellexerunt, a Latinis non duo, sed unum tantum principium fieri, additaque illa verba (ex Filio) ad quorundam haeresim declinandam. Quae declaratio necessaria antea non erat, quae error ille non apparuerat: Pontifices aut Maximi, qui primas Synodos coegerunt, et alii quoque Sanctissimi Patres Graeci, qui iisdem interfuere, eandem processionem ex Patre, et Filio testati sunt: ut ex Sanctis Athanasio, Basilio, Gregorio Nysseno, Chrysostomo, Anastasio, Concilio Ephesino, atque aliis ostensum est, cum disertissime scripserint a Patre et Filio mitti, procedere, prodire, profluere Spiritum Sanctum [1]). Quamobrem etiam ex Sanctissimis Pontificibus, et Patribus Occidentalis Ecclesiae haec veritas comprobata est; cum eorum Patrum sententiis pro veritate fidei pro mulgatis, qui non crediderint, anathematis poenae a quinta, sexta, et septima Synodo, subjiciantur.

Porro quoniam quidam, nescientes quid dicerent, audebant asserere, Latinos in excommunicationem incidisse, quod in Constantinopolitana Synodo anathema erat latum adversus eos, qui sentirent, aut docerent aliter, quam illa in Synodo fuerat decretum, aut quam Ecclesia eo tempore sensisset: edocti sunt, nunquam aliter Ecclesiam Latinam sensisse, aut docuisse: verum enimvero aliter sensisse Macedonium, et Eunomium, aliosque ejusmodi haereticos, ad quos anathema illud pertinuisset. Quamobrem cum Graeci saepius sese errasse animadvertissent, saepius item (uti dictum est) cum Ecclesia Occidentali consenserunt, sicuti et in Synodo Florentina, atque ante plus quam Trecentos annos fecerant, in Generali Synodo Lugdunensi, Gregorio Decimo Pontifice Maximo, cum Graeci Episcopi eo venientes, tam reliquorum Orientalium, quam Imperatoris Constantinopolitani nomine, publice professi sunt, Spiritum Sanctum aeternaliter ex Patre, et Filio non tanquam duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedere. Hoc vero coram illa tota Synodo ter Graece, ac ter Latine cum iis verbis, Secundum Scripturas, Filioque, similiter decantarunt.

Erat deinde alterum discrimen de azymo pane, quo Latini in conficiendo Divino Sacramento utuntur. Sed Orientales item intellexere, hunc ritum, non sine afflatu Spiritus sancti, Occidentalibus Ecclesiis ab Apostolis Petro, et Paulo fuisse traditum. Quod cum optima ratione fieret, reliquerunt tamen Orientalibus integrum, ut ipsi in fermentato non sine laudabili ratione consecrarent. Dum enim (ut inquit eorum Patriarcha Gennadius) ab Eucharistiae consecratione materia tritici, Sacerdos, locus, intentio, et verba non absint, quae quidem instituit Christus, amplius requirendum non est. Sed et agnovere Orientalis, Occidentis Ecclesiam bona, et laduabili ratione azymum in usu habuisse, quod Dominus sine ulla commixtione susceperit carnem: cum qui fermentatum offerunt, id spectent, quod ex fermento farinae commixto, verbum Patris inductum carne, verum deum, et verum hominem fuisse designetur. Sed sive in azymo, sive in fermentato id fiat, Domini et Salvatoris corpus sumimus: nec propterea duo Christi credendi sunt, alter in azymo, alter, qui in fermentato conficiatur.

Quod autem hoc non sit judaizare, cum Christus in agni coena in azymo consecraverit, jusseritque idem facere quod ipse fecit, cum que non propterea judaizemus, si aqua in Baptismo utamur, qua in suis baptismatibus Judaei utebantur: Sancta Synodus Florentina, et Gennadius ipse, quem tibi Graecum et Latinum tradidi, solidissimis rationibus ex verbo Dei, et Patribus ostendunt.

Purgatorium autem ignem esse, in quo animae expiantur, ac post expiationem in coelum ante extremum judicii diem ascendunt: animas item fidelium ante eundem judicii diem coelesti felicitate perfrui: ac Pontificibus Romanis curam universalis Ecclesiae usque ad consummationem saeculi fuisse in Petro Apostolo delatam, sic evidenter ex eodem verbo Dei, et antiquissimis Patribus ostensum est, ut certissime sperem de misericordia Dei, si quis vel Synodum Florentinam, vel ipsum Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum attente legerit, eum cogniturum verissimam et unicam fidem, sine qua nemini unquam ad coelestem gloriam aditus patebit.

Ubi ergo Graeci haec didicerunt; et inde etiam intellexere Sanctam Petri Sedem, et quae ab ea regitur, Catholicam Romanam Ecclesiam, neque posse errare, et vero ipsam a Christo Domino, ad veram populis doctrinam tradendam, Spiritum sanctum accepisse: facillimum fuit, reliquas nugas, et historias falsas, atque eas,

1) Lege Gennadium.

Digitized by Google

quae Latinis objiciebantur, calumnias, vel mendacia diluere.

Primum enim, quod Graeci aliqui objicere ausi sunt, post septem prima Concilia Generalia, nullam aliud esse cogendum: Ubi nam Christus hoc dixit? Ecquis alligavit verbum Dei? Quis Spiritum sanctum obmutescere fecit, quin emergentibus erroribus, et haeresibus, Ecclesia usque ad extremum hujus mundi diem Christianae concordiae consuleret, ac per Concilia Generalia, generalibus morbis remedium adhiberet? Verumtamen cum Graeci viderent, sine uno Pastore visibili, quem ut necessario, ita sapientissime, Christus Dominus reliquit Ecclesiae, sese nunquam ulla posse legitima Concilia cogere (quamobrem variis quoque dissidiis, et erroribus inter sese dissecti sunt) Romanae autem Catholicae Ecclesiae cernerent auctoritatem suam in cogendis ac confirmandis Conciliis Generalibus integram restare; ac inde factum fuisse, ut plures alias Synodos, sicut dictum est, post septem illas priores eadem Apostolica Romana Sedes indixerit, ac confirmarit, (quemadmodum item paucos ante annos Synodum Tridentinam adversus Lutheranam, et alias haereses) propterea idem Graeci eo mendacio veritatem tegere voluerunt, quasi septima Synodus aliorum Conciliorum sustulerit, aut (si Deo placet) tollere potuerit facultatem eam, quam Christus ipse Ecclesiae suae in perpetuum tradidit.

Quod autem ob varios in Ecclesia ritus, quos prudenter, ratione diversarum gentium, Apostoli instituerunt, religionem laedi, aut imminui Graeci putassent, si alii in Occidente quam in Oriente retinerentur (quamvis etiam in ipso Oriente sint plures, atque diversi ritus inter Syros, Maronitas, Aethiopes, Armenos, Graecos) id facile ostensum est Orthodoxae fidei obesse non posse, si unaquaeque Provincia cum caritate et unione servaret, quae a suis Apostolis, vel legitimis eorum successoribus accepisset.

Itaque quod ad Baptismum attinet, qui apud Graecos, et Ruthenos integra corporis immersione, aut capitis perfusione fit in Occidente, utrobique idem re ipsa est. Corporis enim toti immersioni Sancti Dionysius Areopagita et Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus: capitis vero perfusioni S. Clemens in Apostolicis constitutionibus testimonium reddunt. Itaque si quis Latinus Graecum infantem, Graeco ritu baptisatum, sicut, et si quis Graecus Latinum ritu Occidentalis Eccleslae baptisatum rebaptizaret; aut hunc, vel illum fuisse vero Christi baptismo baptisatum non crederet, pessime crederet, ac pessime faceret.

Negant porro reliqui Graeci esse plus quam unam Chrismatis unctionem, qui error manifestissimus est contra verbum Dei, et S. Clementem, ac constitutiones Apostolicas, et contra S. Dionysium Areopagitam, Cyrillum Hierosolymitanum, et S. Melchiadem Pontificem, et Martyrem Proinde mirandum non est, si Graeci ubi Sacramentum Confirmationis rite non susceperunt, infirmati sunt in fide, et a Turcis perfidis Christi hostibus pessima quaeque adhuc patiantur [1]).

Matrimonium ex Christo, Sanctaque universali Ecclesia indissolubile est, quamdiu alter conjugum vixerit: Graeci autem divortium ita permittunt, ut superstite altero conjugum, alter uxorem ducere possit: quod mirum non est, cum divortium ab Ecclesia Catholica fecerint, cujus conjunctio indissolubilis cum Christo capite per matrimonium designatur, quod D. Apostolus Paulus propterea vocat magnum Sacramentum [2]).

Sacerdotes Graeci uxorem ante Sacerdotium ducunt, et in Sacerdotio ea utuntur. Latini autem coelibatum servant, quod quidem melius est, tum ad tractanda Divina mysteria, ut sint Sancti corpore et spiritu, tum quoniam negotiis temporalibus, et filiorum carnalium propagatione implicari non debent, qui spiritualibus rebus vaccantes superaccincti esse debent ad proximos adjuvandos, Sacramentaque dies et noctes, vivis, et moribundus ministranda.

Aliqui Orientales de jejunio magno Catholicos abscindere hebdomadam objiciebant, sed facile fuit illis ostendere, Catholicos, a tempore Apostolorum Petri, et Pauli, unam integram Quadragesimam accepisse, quam jejunarent. Quae quidem vitae Christi imitationem habet, sicut B. Ignatius scribit ad Philippenses, scilicet, quod ad Christi Domini exemplum, quicunque id praestare possumus, totidem dies jejunare debemus. Quod si quis hebdomadam, et plures quoque dies Quadragesimae velit adjicere, quibus se ad jejunium illud melius praeparet, id integrum cuilibet re-

1) De unctione Chriamatis Ecclesiast. hierar. Cap. 4. Catechesi 3. Mystagog. Epist. ad Episcopos Hisp.

2) Ephes. 5.

Digitized by Google

linquitur [1]): sicut et laudabile est (quod etiam plures faciunt apud nos religiosi viri) non unam tantum, sed plures Quadragesimas quoque facere. Quod vero Telesphorus Pontifex Maximus suaserit, ut (quod et ante illius tempora fiebat) septem hebdomadas plenas jejunaretur, id Clericis, et Monachis proposuit: quod etiam plerique observant, quanquam non fuerit, tanquam rigida lex omnibus imposita. Porro in Ecclesiis Catholicorum per totum Orientem et Occidentem, alii secunda, alii quarta feria jejunium incipiunt: ac tamen nulli vis inferenda est, dum quadraginta dierum jejunium expleat, ad Christi imitationem (quantum hominibus licet) quibus exemplum dedit, ut quem admodum ille fecit, ita et nos faciamus. Sic enim S. Joannes Damascenus in libello, quem de jejuniis ad Cometam scripsit, postquam de Orientalis jejunii more, qui etiam in Occidente ex parte servatur, locutus est: Haec est, inquit, Regula, et lex Ecclesiae, quam in Sancta Christi resurrectione servari scimus: sed abundare in bono, et ἐπιδα ψηλεύεσθαι τὴν ἀρετὴν id est, et exuberare virtutem, non est improbandum, sed potius Deo et hominibus prudentibus gratum: ita tamen, ut vis nulla fiat, nec imponatur necessitas, sed suasio adhibeatur: nunc praesertim in hac temporis difficultate. Utrumque enim nunc utile est, et necessarium, addere ad bonum, et a violentia abstinere. Deinde subjungit: Quis juberet, ut per universum vitae tempus unum jejunium esset? Verum alius est modus admonitionis, alius legislationis: satis sunt, quae a Spiritu Sancto sancita sunt: οὐθετησθώ τη προσθήκη τοῦ ἀγαθοῦ id est, Admoneatur accretio, sive accessio boni. Haec Damascenus.

Quin vero, cum caritas sit finis praecepti Domini, lexque omnis ad eam referenda sit, nec jejunium ad destruendam naturam, sed ad perturbationes animi domandas, et ad animum ad coelestia excitandum institutum sit: propterea aegrotis, et debilibus (si opus sit) dare cibum, qui bene valentibus interdictus est, id nullo cum scrupulo faciendum est. Ut enim, inquit D. Paulus Apostolus [2]), pietas ad omnia utilis est. Tum autem aegrotis cibus non datur, ut cibus, sed ut medicina, quoniam Deus ex altissimis (ut inquit Scriptura) creavit eam [3]). Neque vero Orientales a Latinis in fide discrepant, quod non solum ii longiorem Quadragesimam, quam Latini jejunant, verum etiam aliis anni temporibus plura videantur habere jejunia. Quae enim erant necessaria Ecclesiae, pro ratione temporum et locorum, sive Apostoli, sive qui iis successerunt, Spiritu Sancto dictante, tradidere. Nec tamen Latini Graecorum jejunia improbant, licet Graeci haud semper ea recte praestant; cum saepius eo die jejunii comedant, potationibusque plus aequo, ut tua Serenitas scit, indulgeant: ne quis ista specie, ac nomine potius quam re abstinentiae, se, atque alios decipiat

Porro Latini in pervigiliis Apostolorum, aliorumque aliquot festorum dierum, uti praesertim Salvatoris nostri, ac Beatissimae Virginis, jejunant, quo diem insequentem vegetiores orando, piisque operibus faciendis, visitandis carceribus, et nosodochiis, consolandis afflictis, invisendis aegrotis possint impendere. Duodecim praeterea dies sunt, qui in quatuor anni tempora distribuuntur (adnumeratis tamen tribus iis diebus, qui in tempus incidunt Quadragesimae) quibus juxta antiquissimum Apostolorum exemplum jejunant, ut ea fiat ab Episcopis recta spiritualium operariorum Ordinatio, quam ipsimet Apostoli jejunantes, et orantes fecere, cum Paulum, et Barnabam, impositis eis manibus, Sacerdotes crearunt [4]).

Cum aut Graeci, aut alii objicerent, ex Epistola D. Ignatii ad Philippenses, et ex Concilio Gangrensi, atque ex Apostolicis Canonibus, non esse Sabbatho, ac die Dominico jejunandum: Latini illis ostenderunt, eum non jejunandi Sabbatho ritum, Ecclesiis orientis traditum fuisse, cum ob Simoniacos in Oriente ortos (qui mundum, a cujus creatione Deus Sabbatho requievit, opus ejus esse negabant) tum quia divinitus afflati Apostoli praenoscebant, futuros quoque haereticos in Oriente Manichaeos, Eustachianos, Marcionistas, Lampetianos, et Messalianos, qui in Paphlagonia apparuerunt; qui quidem Sabbatho simulate jejunabant in contumeliam resurrectionis Christi cui resurrectioni a vespera Sabbathi (ut ait Magnus Leo Pont. in epistola LXXXI Cap. 1.) initium constat adscribi. Porro eam fuisse causam prohibendi

1) Epist. ad universos d. 4. Ca. statuimus.

2) Tim. 4.

3) Ecclesi. 38.

4) Acta 13.

Digitized by Google

jejunium Sabbathi, Synodus Gangrensis ipsa, et S. Anastasius Patriarcha Antiochenus exponunt, cum inquiunt, illos Sabbatho, et die Dominico jejunare, ὠρθ τὴν νομιζωμένην ἄσκησιν id est, ob simulatam abstinentiae exercitationem. Porro quia in Occidente eadem causa non erat, nec illa haeresis vigebat, prohibitum non est, quin ipsa die Sabbathi alium ad finem (de quo mox dicetur) jejunare, sive a carnibus abstinere cum laude possent.

Cum etiam aliqui mirarentur, quod quarta feria Latini non jejunarent, aut a carnibus non abstinerent; Latini illos docuere, non deesse apud sese, qui diem illum religiosa abstinentia observarent. Sed ut antiquitus quaedam fuere indicta in commune jejunia (quae Synodus Gangrensis appellat εἰς τὸ κοινὸν tradita) sic fuisse alia non in commune tradita docuerunt, quae pro ratione locorum, variis observanda diebus, ab Apostolis relicta fuissent. Orienti enim jejunium quartae, et sextae feriae; Occidenti autem feriae sextae, ac Sabbathi; utrique vero Quadragesimam, seu jejunium magnum in commune praescriptum. At vero, ut Orientalis, sic Occidentalis abstinentiae consentanea rationi causa est, et decorus in Ecclesia Dei cultus. Apud Graecos quidem quarta, et sexta feriis, quod ab latus eis fuerit sponsus: (Feria enim quarta, Domini proditionem pactus est Judas: Sexta vero crucifixus est pro nobis Benignissimus Dominus) sed apud Occidentales feria sexta ob eandem, quae dicta est, causam: Sabbatho vero, quod et in sepulcro latuit; et qui dies erat quietis Judaeis, nobis adhuc fuit doloris; utque reliquias illorum Sabbathismi jam Christiani nolle se indicarent; qui et ad diei insequentis Dominici celebrandam festivitatem, et ad communionem Eucharistiae plerumque se praeparabant, ac praeparant. Porro tantum abest, ut ob hanc causam Ecclesia Latina ritum illum Orientis damnet, ut etiam (quod quidem ad eas Ecclesias attinet) eum defenderit, sicut B. Augustinus contra Urbicum, et Tertullianus Apologetico fecerunt. In quo sicut Ecclesiae Catholicae ingenuitatem agnoscere possunt, ita iis esset faciendum, si ab eodem Capite, quod est Christus Dominus, eundem Christi Spiritum se accepisse possent ostendere. Illud vero discrimen in fide non est, quod Monachi, et Episcopi Orientales a carnibus abstineant: quodque Occidentales Monachi (licet complures eorum carnes non edant) et Episcopi Latini carundem carnium esum sibi non interdicant. Nam neque Apostoli omnes praeter jejuniorum dies, perpetuo a carnibus abstinuerunt, nec Christus perfectionis omnis auctor, et fons id fecit: quamvis integrum unicuique reliquerit, ut pro arbitrio suo, dataque gratiae coelestis mensura, id genus vitae eligeret, cui se idoneum fore censeret, et ad quam capescendam a Domino vocaretur. Quin vero si diversitas haec pertineret ad negotium fidei: pertineret item illud, quod in Ecclesiis Catholicorum per Occidentem, et per Orientem alii in pane et aqua jejunant, alii piscibus, alii solis herbis, et leguminibus, alii aridis tandum (quod genus jejunii Graeci vocant Ξηροφαγίαν atque ex his alii plus, alii minus sumunt; alii rursus usque ad vesperam, alii usque ad nonam prandium differunt, alii usque ad meridiem tantum et horum pars usque ad posteram diem abstinet, pars paululum degustat.

Cum quidam Graeci obstreperent, quod adversus Apostolorum decretum a suffocato et sanguine non abstineamus; a Latinis edocti sunt, id adversus idolorum cultores latum fuisse, qui immolatum, et idolothytum edebant, aut calicem, quem Apostolus vocat Daemoniorum, bibebant [1]): servandum autem esse, sicut et a Catholicis servatur, decretum illud, ubicunque inter gentes, quae idola adorant, immolatitia sint. Porro eo decreto immolatitia, non autem reliqua fuisse prohibita, gravissimi testes sunt B. Cyrillus Hierosolymitanus in quarta Catechesi, Justinus Martyr quaestione 45. Gregorius Nazianzenus Sermone in Sanctum Pascha Origenes in libro 8. contra Celsum, et Magnetes antiquissimus auctor libro 3. Apologiae pro Evangelio, contra Theostenem Evangelia calumniantem. Qui omnes summae auctoritatis Patres in Oriente vixerunt, ne quid dicam de Tertulliano, qui fuit Africanus id ipsum in Apologetico antiquissime comprobans.

De signo crucis, quod Rutheni ad laevam finiunt, quoniam Filium ad Patris dexteram considentem ipsi putant ea consignatione designari, quam cum Filium nominant, ad dextram faciunt, non valde laborabimus. Nos enim alteram piam, et mysterii plenam nobis Sanctae crucis signo consignandi consuetudinem habemus: qui ut illorum non improbamus sensum, atque pietatem (si alioquin absit ab errore) sic laudare

1) 1. Cor. 10.



Digitized by Google

non possumus, quod cum sese ad sinistram signo crucis muniunt, id propterea sese facere putent (sicut a tuis mihi relatum est) quod ad sinistram Patris Spiritus Sanctus assideat. Est enim, Serenissime Princeps, de Sanctissimae Trinitatis mysterio multo altius, quam pro humano captu, ac rebus, quae sub sensum cadunt, credendum, et judicandum. Ceterum nostrae consignationis haec est ratio, ut cum eam a capite inchoamus, inde Patrem caput, et fontem omnium bonorum, atque adeo primarium fontem reliquarum personarum sanctissimae Trinitatis agnoscamus. Cum vero tres primos digitos dexterae demittentes, nomen Filii nominamus, tum ejusdem in ventre Beatissimae Virginis incarnationem recordamur, qua recordatione testamur mysterium illud aeternis temporibus tacitum, Angelis, et mundo, (sicut testatur Apostolus) innotuisse; erga nos vero summum omnium beneficium fuisse collatum. Ad laevam porro, ac dexteram pectoris partem Spiritus Sancti nomen adsciscimus, ut eum a Patre et Filio procedentem, (sicut revera procedit) ac contra impiam Eunomii haeresim, aliosque haereticos, utrique consubstantialem, et ab utraque distinctam personam confiteamur. Sic autem nos finimus eam consignationem ad dexteram, quod in Divinis Scripturis dextera perfectionem significat, nobis autem semper ad perfectionem tendendum sit. Nam et id Dominus Deus potissimum vult, qui omnia, quantum in se est, perficit.

Quod autem Rutheni tui mirentur, nos piis imaginibus nomina eorum Sanctorum, quos repraesentant, non semper (ut ipsi faciunt) adscribere; scito si nominum illorum adscriptio ideo necessaria est, ut quos Sanctos repraesentent, ex ea sancti illi viri agnoscantur, jam eam haud necessariam esse iis, qui illas agnoscunt: Catholicis autem primo aspectu innotescere Christum crucifixum, Beatissimam virginem et plerasque alias Sanctorum imagines, quis dubitet? Praeterea, si nominis adscriptio necessaria sit, quid illa faciet idiotis legere nescientibus, quales plerique omnes sunt Rutheni, cum potius ipsaemet imagines loco litterarum, et scripti, idiotis adhibeantur? Quod si dixeris (ut mihi tui dixere) in ipsa nominis adscriptione virtutem aliquam consistere, tu sapiens es, qui intelligas in notis ejusmodi nullam, sed in sensu ac viva fide sitam esse vim, atque virtutem. Ac tamen non improbamus eorum consuetudinem, qui pietate non superstitione adducti, nomen imaginibus adscribunt, ut alii (cum quod ignorant, intelligant) ea etiam ratione, pias a prophanis imaginibus dignoscant: quod sane crebro Latini quoque Catholici faciunt.

## *ERRORES ALII*

### RUTHENORUM, QUI ORIENTALE SCHISMA SECUTI SUNT, POSTQUAM GRAECI AB ECCLESIA SESE PRAECIDERUNT.

Errant Graeci, cum dicunt, simplicem fornicationem non esse peccatum. Dicunt enim contra illud Christi Domini Matthaei decimo quinto. De corde exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, et similia, quae coinquinant hominem: ac contra illud Pauli 1. Corinth. capite sexto. Neque fornicarii, neque adulteri, et caetera Regnum Dei possidebunt. Errant, cum dicunt, praestantissimum Eucharistiae Sacramentum in die coenae Domini, nempe feria quinta majoris hebdomadae confectum, excellentioris esse virtutis, et efficatiae, quam alio quolibet die consecratum. Eadem enim semper est virtus Divini verbi, cum a Sacerdote juxta Domini praeceptum profertur [1]: Hoc est corpus meum. Neque enim una plus quam altera dies, sed instituti, ac voluntatis Dei ratio huic sancto Sacramento efficatiam, et vim suam tribuit, quocunque tempore id rite celebretur.

Errant, cum dicunt, eos, qui sunt aliquibus peccatis inquinati, corpus Christi Domini non recipere, cum ad altare Domini accesserint. Vere enim illud sumunt, licet indigne, et ad judicium accipiant, non dijudicantes corpus Domini, ut Apostolus ait.

Errant, cum primas nuptias admittunt; secundas damnant [2]. Si enim alter conjugum mortuus sit, alter solutus est, ut iterum possit nubere [3]: quod ex Christi Domini verbo manifeste colligitur.

Errant, cum extremae unctionis Sacramentum aegrotantibus negant, aliquando ad salu-

1) Matth. 26.

2) Corinth. 11.

3) Matth. 10 et 19 Cap.

Digitized by Google

tem quoque corporis prodesse, quamvis semper ad salutem animae obicem non ponentis prosit. Id enim aperte Dei verbo, per Sanctum Jacobum Apostolum prolato, adversatur, qui de hoc Sacramento loquens, ait [1]): Et oratio fidei salvabit, vel (ut Graecus textus habet) sanabit infirmum; et, si fuerit in peccatis, remittentur ei.

Errant, cum peccatum committi negant, si quis ad usuram alicui det. Dictum est enim a Christo Domino; Mutuum date, nihil inde sperantes: et a Davide Propheta [2]); Eum, qui pecuniam suam ad usuram non dederit, in tabernaculo Dei habitaturum. Quamobrem qui dabit ad usuram, nec resipiscet, is profecto in tabernaculo Dei non commorabitur.

Errant, cum ad vitam aeternam consequendam, non credunt necessariam esse rei furto sublatae restitutionem. Scriptum est enim: Non furtum facies, et, Facite fructus dignos poenitentiae [3]). Et Zachaeus ait: Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum [4]). At vero quonam modo fructus digni poenitentiae fient, nisi rei injuste usurpatae fiat ipsius domino restitutio? Itaque pessime facit Sacerdos, qui pro usura, furto, aut rapina manifesta, satis esse putet, si oleo simplici raptorem inungens, quem sibi aliquam pecuniae male partae portionem cogat impertire, eundem absolvat, qui tamen coram Deo absolutus non est.

Errant, cum putant, non licere Christi Domini imaginem sculpi, non intelligentes sculptilia a Deo fuisse prohibita, ut pronos ad idololatriam Judaeorum animos ab eadem averteret [5])? Verba enim haec, Non facies tibi sculptile, ad eos pertinebant, qui idola Beelzebub, Dagon, et aliorum daemoniorum sic adorabant, ut illis etiam immolarent, ac thus offerrent. Ac vero exoriente Christi luce sic idololatria depulsa est, ut jam liceat veri Dei et hominis Christi Jesu Sanctorumque servorum suorum, memoriam omnibus piis modis excitare, et ad mentem revocare. Quin vero si illis verbis sculptas Sanctorum imagines existimant prohiberi: cur item picturam istarum, quales per multas Rutheni venerantur, non putant prohiberi sequentibus verbis? Neque omnem similitudinem, quae vel in coelo desuper, et quae in terra deorsum. Cur item D. Nicolai sculptam alicubi habent imaginem, sicut ipsi tua in Russia his oculis vidimus?

Error item foedissimus est, cum demortua tua Sacerdotis uxore, creditur Sacerdos (si rite initiatus sit) amplius non esse Sacerdos, Cum enim ac Episcopo character indelebilis Sacerdoti imprimatur (quod omnium Patrum sanctissimorum Occidentis, et Orientis unanimi fide constat) cur pereunte uxore, suus indelebilis ordo Sacerdoti pereat? An ab uxore forsan Sacerdotium accepit, et non a Christo per Episcopum? An non etiam inter Ruthenos plures Sacerdotes sunt vel Episcopi, vel Monachi: qui cum uxorem non habeant, gravissimi testes sunt, Sacerdotium a Christi instituto, non ab uxore pendere? Cum etiam maxime deceat, ut coelibatus Christiano Sacerdotio sit annexus.

Porro omnium errorum is est tum certissimus, tum maximus, cum extra Romanam Catholicam Ecclesiam Graeci, et Rutheni aeternam se posse salutem adipisci opinentur. Neque enim vere Christiana Ecclesia est, quae institutum a Christo ordinem, aut potestatem non habet; nec, si quondam habuerit, adhuc retinet. Si autem quicunque totam servaverit legem, offendat autem in uno (ut St. Jacobus ait) factus est omnium reus [6]): sane qui traditam Petro a Christo Domino potestatem, ac primatum in terris negaverit, aut fallaci fraude cogitaverit ipsam evanuisse, adversus quam portae inferi nunquam erunt praevaliturae, jam condemnatus est, etiamsi pleraque alia omnia credat. Quamobrem apud Deum neque Episcopi, neque Metropolitae ii censentur, qui ab ejus in terris Vicario Pontifice Maximo confirmati non sunt: dictum est enim Petro a Christo, Domino, qui veritas est, quique non mentitur Deus, Confirma fratres tuos [7]). Atqui Ecclesia, quae erat pascenda, et Episcopi, qui erant sicut fratres confirmandi a Petro, non tantummodo ad Petri, dum viveret, tempora, sed usque ad mundi consummationem erant duraturi. Quod St. Joannes Chrysostomus LXXXIII. Hom. in Matthaeum innuens, Non dixit (inquit) non negabis, sed, Ut non deficiat fides

1) Jacob. 5.

2) Luc. 6; Psalm. 14.

3) Exod. 20; Luc. 3.

4) Lucan. 19.

5) Exod. 20.

6) Jacob. 2.

7) Lucae 22.



Digitized by Google

cessoris B. Petri, fieri non poterant, ut idem St. Clemens eodem in loco testatur. Cum enim tua. Cura enim ipsius, et favore factum est, ne omnino Petri fides evanesceret. Theophylactus item in XX. caput Lucae: Quamvis, (ait) brevi tempore concutiendus sis, habes recondita semina fidei: etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet, et non deficiet fides tua. Et Pontifex Maximus Agatho in epistola ad Constantinopolitanum Imperatorem, quae in sextae Synodi quarta actione lecta est, ac postea in octava ab omnibus comprobata. Haec (inquit) est verae fidei regula, quam et in prosperis, et in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei gratiam Apostolicae traditionis nunquam errasse probatur, nec haereticis novitatibus unquam depravata succubuit. Quia dictum est Petro, Simon, Simon, ecce Satanas, etc. ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua.

Jam ex tam insignibus Patribus cernis, sed multo liquidius ex sequentibus agnosces, istos tuos, Metropolitam, et Episcopos non legitime, nec rite sacra administrare: tuum que populum tantum atis procul a recto Apostolicae fidei tramite deflexisse.

Porro si Occidens, aut Oriens, ullave alia Christiana pars Orbis in aliquem errorem (uti saepe factum est) incideret; ecquis sine visibili universalis Ecclesiae Praeposito de fidei quaestionibus judicabit? Quis delectos a clero, aut a Regibus nominatos confirmabit? Quis schismata tollet? Quis haereses damnabit? Quis (addo) Principes ipsos majore cum dignitate ad concordiam rediget? Quod tu tanti aestimasti, ut ad Pontificem Maximum mitteres, quo ille bellum, quod inter te, ac Stephanum Poloniae Serenissimum Regem ardebat, auctoritate, ac studio suo interposito restingueret. Confirma (inquit Christus) fratres tuos. Quod si sine confirmatione tua, Senatores tui nec ferre judicium, nec legitime administrare attributas eis Provincias possent: quis tam erit excors, ut spiritualis regni Christi, id est, Ecclesiae Dei viventis Episcopos existimet, vel a terrenis Principibus posse confirmari, aut qualemcunque eorum nominationem apud Christum valere? Sic vero, ne in vanum curreret, aut cucurrisset, ipsemet Paulus Apostolus, ascendit Hierosolymam ad Petrum [1]), et Jacobum, ut suum cum eis conferret Evangelium: cum tamen ille arcana Dei vidisset [2]), quae non licebat homini loqui; cumque nec ab homine, neque per hominem sed a Deo electum se fuisse, fidenter, ac vere testaretur.

Sic B. Basilius epistola Sabino Diacono ad Pontificem Romanum data, Re vera enim (inquit) dignum est excellentissima illa voce, qua te beatum praedicavit, quod pietati tuae donatum a Domino est, scilicet, ut quod adulterinum est, a legitimo et puro discernas, ac fidem Patrum sine ulla subtractione praedices. Sic Synodus Ephesina ducentorum ex multis, ac variis Provinciis Episcoporum, in Epistola ad Coelestinum Pontificem ait: Est enim nobis tam eximiis hoc in consuetudine positum, ut fulcra *στηρίγματα* Ecclesiarum constituatis.

Sic Cyrillus, qui postea eidem Synodo, loco summi Pontificis Romani, praefuit, ad eundem Coelestinum scripsit, cum ad eum, tanquam ad caput Ecclesiae, de haeresi Nestorii referre necessarium esse duceret. Quandoquidem (inquit) Deus a nobis in hujusmodi causa vigilantiam nostram postulat, *καὶ τα μακρὰ ἔθη τῶν ἐκκλησιῶν πηδουσὶν ἀναγκην οὐ τῇ σῃ ὁσιότητι*, id est, et diuturnae Ecclesiarum consuetudines persuadent, ut cum tua Sanctitate haec communicentur.

Sic Apostolicam constitutionem quae in libri VIII. Clementis cap. IV. scripta est, secutus St. Leo Magnus septimo ad Anastasium epistolae capite scripsit: De persona autem consecrandi Episcopi, et de Cleri, plebisque consensu, Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Ac paulo post in eodem Decreto praecepit, ut de electione Metropolitani referant Episcopi Provinciales ad Vicarium Pontificis Maximi, Archiepiscopum Thessalonicensem, ut auctoritate sibi a Pontifice Maximo delegata firmetur. Ex ea enim epistola perspici potest, summi Pontificis Romani in Ecclesiis Orientis Vicarium fuisse (ut supra diximus) Archiepiscopum Thessalonicensem, qui nomine Pontificis, tanquam universalis Pastoris, tum Provincias visitaret longinquas, tum alia conficeret, quae ratio et necessitas postulassent. Cujus etiam auctoritate, ne propter longinquitatem urbis Romae mora interponeretur, Episcoporum confirmarentur Ordinationes, quae sine auctoritate suc-

[1]) Galat. 2.

[2]) 2. Corinth. 12.

Digitized by Google

B. Petrus sanciat, ut electionem Episcopi a Presbyteris, et populo factam, Metropolitanus (quem vocat τον προχριτων) approbet, si nihil obstet; et rursum idem cum duobus Episcopis Episcopum ordinet: sequitur, ut ex ipsius Petri, et ejus successoris auctoritate, confirmatio electionis factae, et auctoritas Ordinationis faciendae pendeat. Sic Sophronius Hierosolymitanus Apostolicus vir, epistola sua ad Honorium Pontificem Synodica, tempore Imperatoris Heraclii: Apostolica (inquit) et vetus traditio invaluit, ut qui ad hierarchiam eliguntur, (Episcopatum intelligit) ad eos, qui in hierarchiis capescendis, et administrandis majores sunt, omnino sincere referant, quid sentiant, et qua fide sint (ut Paulus illis tradidit) ἀγαναὰσφαλῶς, id est, valde caute, ne in vanum currerent, aut cucurrissent. Itaque subjungit. Huic nos consuetudini servientes, ad vos Θεοσόφους qualis sit fides nostra scribimus προς δοκιμᾶιν id est, ut probetur: Scribimus (inquam) ad vos, quinon solum nostis discernere ἀπὸ ζων νοθῶν τα δοκημὰ δόγματα, id est, legitima dogmata, ab adulterinis, sed etiam πρω ὰν. απληροῦν τα ἐλλέιποντα, id est, supplere, quae desunt, potestis.

Sic rogat idem Sophronius Pontificem Maximum, ut quam primum Synodicam de fide sua acceperit, rescribat litteras, quibus exhilaretur ipse Sophronius, evangelizaturus (ut ait) τὴν ἡμετεραν Θεός δοτον ὠρώσιν, id est, sanita vestram a Deo datam. Sanitatem fidei significavit, imitatus Apostolum, cum ait [1]), ut sani sint in fide.

Sic Petrus Patriarcha Constantinopolitanus idem exemplum imitatus, et Apostolicae traditionis consuetudinem secutus, de fide quoque sua ante quingentos annos ad Leonem IX. per Synodicam retulit; petiitque ut in fide, et sede sua firmaretur, quod et ab eo obtinuit. Quae loca ex plurimis affero, ut videas, nec Christi auctoritatem et ordinem in successoribus Petri desiisse: et intelligas (iterabo eadem, quae attigi supra) nisi tui isti Metropolitae, et Episcopi in fide et sede sua ab eodem Petri successore confirmentur, eos apud Deum non haberi pro Metropolitis, et Episcopis legitimis, aut idoneis impertiendae coelestis gratiae dispensatoribus.

Inde autem factum est, ut cum Patriarchae Orientis firmitatem sanitatis fidei suae, a coelesti sanitate capitis sui Petri; id est, fidem suam a fide Ecclesiae Romanae, tanquam regula, ac forma, Synodicis item litteris descripta, accipere desierunt, fidem, ut dictum est, ac sedium auctoritatem, vitaeque ipsius libertatem, facti infidelium mancipia, amiserint.

Habes, Serenissime Princeps, praecipua quaedam capita discriminis et errorum, quibus Graeci, et isti tui Rutheni involvuntur. Quoniam vero, ut dixi, ex quinque Gennadii Patriarchae Constantinopolitani Tractatibus, quos tibi tradendos curavi, is, in quo de processione Spiritus sancti a Patre, et a Filio, ut summi momenti est, ita non facile ab istis Episcopis tuis (quod Theologi non sint, neque Academias habes ubi ista exponantur) intelligeretur, eum ipse Tractatum in gratiam tuam, ad Dei gloriam, in eum modum et ordinem faciliorem redegi, quem tu huic scripto adjunctum videbis. Ipse tibi Spiritus sanctus illucescat, efficacissimaque desideria suggerat, quibus tot populos, qui tuo imperio subjecti sunt, ad Orthodoxae Catholicae fidei lumen adducas.

1) Tit. 1.

Digitized by Google

# SCRIPTUM

## *MAGNO MOSCOVIAE DUCI TRADITUM,*

CUM ANGLI MERCATORES EIDEM OBTULISSENT LIBRUM QUO HAERETICUS QUIDAM OSTENDERE CONABATUR PONTIFICEM MAXIMUM ESSE ANTICHRISTUM.

AUDIO, Serenissime Princeps, non ita pridem, id est, post adventum ad te meum, ab istis, qui Mosvnae sunt, mercatoribus Anglis, tradi-num tibi fuisse librum, quo haereticus aliquis Pontificem Maximum esse Antechristum conatur ostendere: te vero statim jussisse, ut in Ruthenicam linguam verteretur. Quod etsi mihi nonnihil doloris attulit, insidias Satanae cogitanti; bonam tamen spem fecit fore, ut Divina sapientia ex Catholicae veritatis cum haereticis conatibus quasi collisione, scintillas aliquas excutiat, ex quibus lux Russiae splendidior, quam quanta nunc est, in Dei gloriam erumpat. Nec vero me fugit, quanto odio Lutheri haereses persequare, unde istae blasphemiae prodierunt, cum et tu propter eas enatum fuisse Livonicum bellum, Stephano I. Poloniae Regi anno superiore scripseris; et hae Livonum reliquiae, quae hic sunt, ubi sese a Sede B. Petri, atque ab Archiepiscopo Rigensi, legitimo eorum Pastore disiunxerunt, patriam, fidem, libertatem, templaque amiserint: tuque justo Dei judicio, quae duo templa in hac civitate excitarant, ea biennium ante, tuis, ut comburerent, imperaveris. Jam quod Angli mercatores istas tibi merces obtrudant, sapiens es, qui non solum Lutherana, sed et Calviniana labe istos esse aspersos agnoscis. Itaque quam limpidam aquam ex lutulento illo haeresum coeno possis haurire, judicium tuum esto. Quod si antiquas Synodos, Patre sue integros tibi obtulissent, non eam tibi irrogassent injuriam, quam intulere, dum hac ratione jactare sese, et Anglis suis venditare velint, vel a Calvinianis, vel ab Anabaptistis, et aliis, quorum hic semina non desunt, ingenium tuum facili momento posse circumferri; haereticumque potius audire, dicentae Sedem B. Petri commutatam fuisse in Antichristi Sedem, quam Christum ipsum, eam voce et oratione in perpetuum firmantem, Synodosque omnes, ac vero sanctos Martyres, ut firmissimam petram eam agnoscentes, et sanguine ipso testantes. Ac tamen, ut ne desim officio meo, cum non tantum de pace, quae divina ope sancita est, quam de meliore pace, qua cum Deo constring debemus, ad te a Pontifice Maximo missus sim: dicam breviter, quae causae Anglorum animos a Sede Apostolica averterunt. Quamvis bona illius insulae pars, sic Catholicam retineat fidem, ut indies non desint, qui pro ea martyrium libentes subeant: et vero collegia nobilium Anglorum alterum Rhemis in Galliis, Romae alterum sint, ad quae cum confugiant continenter adolescentes, ut avitam fidem discant, et servent, utrumque Pontificiis sumptibus alitur: sicut id quod Romae est, Severigenus aulicus tuus vidit.

Cum igitur Henricus Octavus, Rex Angliae, librum adversus Lutherum edidisset, quo ejus vaesaniam et haeresim confutarat, et propterea a Pontifice Maximo defensor fidei Catholicae fuisset appellatus, factum est, ut cor illius tanquam Salomonis immutatum sit propter mulieres, ob quas deserta fide Catholica sensim in haereses delaberetur, et manus denique cruentaret sanguine innoxiorum, Monachorum item, et aliorum, ac praecipue Roffensis, et Thomae Mori, in fide, ac doctrina, et rebus agendis illustrium. Nam cum amore mulieris captus, eam in uxorem ducere, ac Caroli V. sororem repudiare ausus, id a Cle-

Digitized by Google

mente VII. et a sancta Sede Apostolica ratum haberi vellet: nec vero hoc (quoniam Divino praecepto adversabatur) obtineret, fecessit ab Ecclesia, seque ipsum denique, re a saeculo inaudita, caput Ecclesiae Angliae constituit. At Deus justus et verax, quam ementito uxoris nomine in thalamum suum superinduxerat, non multo post adulterii convictam, quamquam et in primis erat adultera, quod cum ipso Rege adultero concumbebat, qui castam et propriam uxorem deserverat, capite plecti jussit. Quid vero inde in Insula illa secutum sit, supervacaneum est dicere, cum ea ad aures tuas sciam pervenisse.

Satis illud fuerit: mulierem, quae nunc Angliae praeest, caput et primatum Ecclesiae in Anglia usurpasse, huncque caeteris titulum novo prodigio adscivisse, ut cum Angli Petrum, Petrique successorem constitutum a Christo Domino respuissent, tandem mulieris, qualis denique illa est, imperio, etiam in iis, quae ad religionem attinent (infausto omine, ut praecipiti consilio, sed sapientissimo Dei judicio qui superbos et astutos comprehendit, in superbia, et astutia sua) sese subdidere. Habeant igitur illi suam feminam pro Pastore universali Ecclesiae Anglicanae. Nos Petri successorem, qui a Christo institutus est ovium et agnorum Christi Pastor, Pastorem visibilem retinebimus. Jam vero quod ex isto Anglorum libro colligere poteris, id primum cogites necesse est (ut pleraque alia omittam) Antichristi adventum certis sex signis a Spiritu sancto Divinis in litteris fuisse praemonstratum: Praedicatione Evangelii in toto terrarum orbe: Romani Imperii defectione, ac desolatione: Enochi, atque Eliae adventu: maxima, eaque evidentissima persecutione, ut juge altaris Sacrificium etiam cesset: Antichristi post tres annos cum dimidio morte, ac mundi totius fine. At vero nec dum plenitudo gentium intravit, ut reliquiae salvae fierent, quamvis in Indias quam latissime a Catholicis tantum lux Evangelii inferatur; et ipse adhuc Reges omnes, et Principes, Romani Imperii dignitate, Christianus, et Catholicus Caesar antecellit. Non cessavit Missae Sacrificium: Non apparuere Enoch et Elias, quos ipsos venturos, et ab Antichristo interficiendos, ut alii, ita Graeci Patres disertissime dicunt: Origenes, St. Chrysostomus in caput decimum septimum Matthaei, Theodoretus in caput ultimum Malachiae, St. Joannes Damascenus, liber 4. capite vigesimo octavo. St. Irenaeus liber quinto. Praeterea Pontificis Maximi. Spirituale regnum jam per sexdecim ferme saecula duravit, nec vero praecise potest ostendi, qui tres annos cum medio regnaverit, et pro Antichristo sit habitus, quique Christum negans fuisse verum filium Dei, seipsum verum Christum, in lege et Prophetis promissum, haberi voluerit, seque Deum esse affirmaverit. Id enim ipsum facturum, ac propterea falsa editurum miracula, cum Divinum verbum, tum Patres antiquissimi Graeci, praeter Latinos testantur: Irenaeus libro quinto, B. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5 Theodoretus in 2 ad Thessalonicenses Epistola, et alii plerique. Sed et ubi nam tria illa extitere miracula, quae in ejus adventu futura praedixit St. Joannes Evangelista, Apocalip. 13. Ignis de coelo descensus: Imago bestiae loquens: Mortis et resurrectionis illius effictio, qua plurimi populi decepti in eum sunt crediturí?

Porro, quonam tempore Romanus Pontifex Aegypti, Lybiae, atque Aethiopiae Regna invasit, occupavit, sibi vendicavit, eorumque Reges interfecit: quae omnia ab Antichristo facienda, Daniel capite septimo praenunciarat? Quibusve copiis aut Angliam St. Gregorius Magnus Pontifex Maximus Christo acquisivit: aliive Pontifices Romani trophaeum crucis in gentilium intulere provincias: aut etiamnum in Orientis, Meridionales, atque Occidentis Indias, nisi Christi verbo, interimque eo missis operariis inferunt? Quod si haeretici isti, quorum ingenium est mendacissima comminisci mendacia, Pontificem Romanum etiam hoc nomine vocant Antichristum, quod Imperatores, ac Reges aliquos de throno deposuerit, fateantur necesse est, hic digitum Christi fuisse: cui cum data fuisset a Patre potestas in coelo et in terra, is item illam, quanta satis erat Ecclesiae administrandae, et de Tyrannorum jugo in libertatem Catholicae fidei asserendae, Divina liberalitate transfudit. Sed neque propterea Romani Pontifices ea sibi Imperia, aut Regna vendicarunt, in quae dejectis pessimis Principibus, Christianos et pios Principes suffecerunt. Sic enim Leonem III Graecorum Imperatorem Iconomachum, et haereticum Gregorius Secundus; Childericum Galliae Regem Zacharias; Henricum IV. Romanum Imperatorem Gregorius Septimus; Othonem IV. Innocentius Tertius; Fridericum II. Innocentius IV. deposuerunt: ac non mentiente eo, qui dixit: Quae

Digitized by Google

ligaveritis in terra, erunt ligata in coelo, re ipsa omnes imperium amiserunt. Ac si quis alius non amisit, aliis tamen rationibus egregie poenas persolvit. At et (ut Gennadius inquit Patriarcha Constantinopolitanus, ut que ante illum Nicephorus testatus est) Nicolaus primus temporibus Photii Graecos excommunicavit, et excommunicationi illi non defuit jota unum: sed facti sunt captivi (ut is in excommunicatione dixit) inter omnes gentes, tanquam Judaei. Innocentius item Primus ante hunc, Eudoxiam Imperatricem ob St. Chrysostomi exilium, excommunicavit, et intremuit ejus sepulcrum, donec eo revocato, excommunicatione a Pontifice Maximo remissa, constitit tremorille. Denique Nicolaus Quintus cum Legatis a Constantino Imperatore, qui vocabatur Dragases, ad se missis, litteras plenas timoris et horroris dedisset, num vera non protulit? Cum enim anno 1451 eam Pontifex Maximus conscripsisset epistolam, 1453 capta est Constantinopolis. Et in ea quidem epistola haec „erant verba: Neque vero Graeci arbitrentur, „Romanum Pontificem ita esse mente destitu„tum, omnemque Occidentalem Ecclesiam, ut „non intelligat, quae in singulis dilationibus „respondendo nugantur: optime cuncta novi„mus. Sed toleramus, in Jesum respicientes, „sempiternum Sacerdotem, et Dominum, qui „sterilem illam ficum usque ad annum tertium „jussit asservari, agricola ad excindendam ar„borem se accingente, quia nullum fructum „ferebat: sicut et tertio anno post, imperium „ipsum concidit.

Haec cum ita fuerint, Princeps, vides quibus armis Sedes Apostolica pertinaces devicerit, aut correxerit: quamque cohaereant ista cum haereticorum impostulis, ignorantium, de quibus loquuntur, aut affirmant? Ceterum quod eo in Anglorum libro carpitur Pontifex Maximus quasi aut Romae sedeat (quae Babylon, dum olim omnium gentium erroribus sub perfidis Impp. serviebat, jure vocabatur) aut Dei verbum non praedicet, cum tamen de summis Christianae Reipublicae negociis quotidie cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque innumerabilibus, ac tecum ipso per me, vel loquendo, vel scribendo, vel ipso pietatis exemplo, continenter veritatem annunciet: aut mandata Dei non servet (sic enim tui claves Regnorum Petro traditas, ob peccatum fuisse amissas, imperite responderunt) cum, si peccato (quod tamen scire sese, juste dicere nequeunt, an Pontifex Maximus committat) Principes auctoritatem administrandi perderent, nemo esset, qui in soliis istis jure consideret: aut quod sibi nimium patiatur honorem deferri: cum, qui politicis Principibus defertur (quia gladium a Deo portant, suaque pro mensura temporariam facultatem in subditos exercent) is longe maximus sit: ac tuo nomini necesse sit sexcenties, assurgere, multaque alia praestare, quae nobis quidem incognita pridem, sed et aliis incredibilia videri possint: haec, inquam, omnia commenta sunt Satanae, qui mendax fuit ab initio, quique eo spectavit semper, ut Sedem Apostolicam convelleret, quod per eam, et non per haereses, unitatem in Ecclesia servari, et mysteria Dei rite dispensari, molestissime ferat.

Nam et propterea non solum haeretici recentiores, verum etiam Graeci, ante aliquot saecula nullum non movebant lapidem, quamobrem Divina haec lux veritatis Orienti non affulgeret.

Restaret, ut diluerem ea, quae *ab istis* haereticis, aut a schismaticis, *falso Romanis* Pontificibus ascribuntur, quasi hi aliquando contraria fidei ex ipsa Apostolica Sede docuerint, nisi apud veredoctos luce clarius esset, et ab haereticis habita fuisse pro haeresibus, quae Catholica atque Orthodoxa sunt: ac saepe Antipapis, vel iis, qui nondum erant Pontifices Maximi vel qui adeo nunquam Pontifices Maximi fuere, varias calumnias aspersas fuisse, cum tamen a verae fidei Christianae tramite Romana Ecclesia nunquam deflexerit. Itaque Agatho Pontifex Maximus quem tu, tuique merito suspiciunt, in epistola ad Constantium Imperatorem quae in 6 Synodo Constantinopolitana Act. 4 perlecta est, et postea 8 Act. ab omnibus approbata: „Haec est, inquit, ve„rae fidei regula, quam et in prosperis, et in „adversis vivaciter tenuit, et defendit haec „spiritualis mater, vestri tranquillissimi Impe„rii Apostolica Christi Ecclesia, quo per Dei „omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae „traditionis nunquam errasse probabitur, nec „haereticis novitatibus depravata succubuit „sed, ut ab exordio fidei Christianae per„cepit ab auctoribus suis, Apostolorum Chri„sti Principibus, illibata fine tenus perman„sit, secundum ipsius Domini Salvatoris Di„vinam pollicitationem, quam suorum disci„pulorum Principi in sacris Ecclesiis fatus est. „Petre, Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit

Digitized by Google

„vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem „rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu „aliquando conversus confirma fratres tuos. „Consideret igitur vestra tranquilla clementia, „quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus „fides est, qui fidem Petri non defecturam pro„misit, confirmare eum fratres suos admonuit: „quod Apostolicos Pontifices, meae exiguitatis „praedecessores fecisse, semper cunctis est „agnitum. Sic Nicolaus primus in Epistola ad „Michaelem: Privilegia, inquit, istius Sedis per„petua sunt, Divinitus radicata atque plantata, „impingi possunt, transferri non possunt. Quae „ante imperium vestrum fuerunt, permanent, „Deo gratias, hactenus illibata: manebuntque „post nos, et quosque Christianum nomen prae„dicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt. „Ac paulo post: Nam et inter caetera is, per „quem nobis praecipue privilegia ista sunt col„lata, aliquando conversus audivit a Domino Con„firma fratres tuos. In quem locum longior essem, „si quae Origenes, Cyrillus, Graecive alii Patres „unanimi consensu scripserunt, adferre vellem. „Nam et propterea Theodoretus in Epistola ad „Renatum Presbyterum Romanum: Tenet, in„quit, sancta ista Sedes gubernacula regenda„rum cuncti orbis Ecclesiarum, cum propter „alia, tum quia semper haeretici foetoris expers „permansit.“ Atque ea causa fuit, cur Orientales Episcopi, sanctiores in rebus fidei, atque in persecutionibus, quas ab Imperatoribus et a Graecis patiebantur, ad Romanos Pontifices confugerunt: S. Athanasius ad Julium, S. Joannes Chrysostomus ad Innocentium primum, Ignatius tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, et caeteri. Quamobrem litteris a Romanis Pontificibus acceptis, suas Sedes recepere, et quanta esset a Christo successoribus Petri collata potestas, re ipsa monstratum est.

Verum enimvero caeterae Sedes ac Patriarchatus Orientales non manserunt in fide, quod et Graeci ipsi non diffitentur, et Synodi legitimae plane manifestarunt. In Hierosolymitano enim Patriarchatu Eutichius, Irenaeus, Hilarius Ariani, et Joannes Origenista, Patriarchae se derunt. In Antiocheno, Paulus Samosatenus haeresiarcha, Petrus Gnapheus, Eutichianus, Macharius Monothelita, et alii. In Alexandrino Georgius, et Lucius Ariani, Dioscorus, Eutichianus, Cyrus Monothelita, et alii. In Constantinopolitano Macedonius, Nestorius, Sergius, haeresiarchae, et plerique alii, qui usque ad haec tempora, ubi a sanctae Romanae Ecclesiae gremio sese subduxere, jugo denique Turcico subjecti, nec libertatem, nec fidem Orthodoxam retinent.

Ceterum quod vel in ista Anglorum libro, vel in Chronicis, aut Historiis vestris adversus Pontifices Romanos scriptum est scio Serenitatem tuam cordatam esse: cujus aures, aut animus non debet facile patere obstrepentium calumniis: cum neque historias antiquas Graecas, et ab auctoribus legitimis conscriptas perlegere potuerint tui, quorum nemo Graece novit: nec Latinorum rationes audierint: atque adeo nec ad Synodos ipsas, quasi ad totius mundi theatrum, Christi vero Domini tribunal, convenerint, unde haurirent ea, quae Isidorus Moscoviae Metropolita, quoniam ad Florentinam Synodum profectus est vera esse cognovit, et credidit. Scilicet Graecorum mos fuit, historias, Synodos, et Epistolas Romanorum Pontificium corrumpere. In quinta enim Synodo generali adjunctas ab haereticis epistolas fuisse fictitias Vigilii Pontificis Maximi et Mennae Patriarchae Constantinopolitani, deprehensum est in sexta Synodo, Act. 12 et 14 dum acta quintae Synodi relegerentur, et inventi tres quaterniones, ab iisdem haereticis inserti: sicut et in 6 Synodoaba emulis Romanae Ecclesiae quidquid dicitur adversus Honorium Pontificem Maximum ut testatur Anastasius Bibliothecarius in historia sua ex Theophane Isauro Graeco. Itaque S. Leo Primus, Epistola 83 ad Palaestinos queritur, a Graecis Epistolam ad Flavianum suam, se adhuc superstite, fuisse corruptam. Et S. Gregorius Papa lib. 5 Epistola 15 ad Narsen asserit, Constantinopolitanos corrupisse Synodum Chalcedonensem: idemque ait, se suspicari de Ephesina: Codices autem Romanorum longo veraciores esse, quam Graecorum: Quoniam, inquit, Romani sicut non acumina, ita nec imposturas habent. Denique Nicolaus I. in Epistola ad Michaelem Imperatorem cum eum ad Epistolam Adriani I. remitteret: Si tamen, inquit, non falsata, more Graecorum, sed sicut a Sede Apostolica missa est, penes Ecclesiam Constantinopolitanam hactenus conservatur.

Atqui constat, Sexta quoque Synodo absoluta, plures Episcopos iterum ascendisse Constantinopolim, ibique Trullanos canones edidisse, ut praecipue Romanam Ecclesiam carperent. Quamobrem ex his colligere poteris, si quid tibi a tuis, aut ab istis haereticis obtru-

Digitized by Google

ditur, eos, cum puros ac liquidos fontes Patrum antiquorum non asserunt, sic tibi debere esse suspectos, ut in ordinem ipsum a Christo Domino institutum intuens, aliquando serio animum appellas ad veras Academias fundandas, in quibus istae errorum tenebrae, a cordibus subditorum tuorum melioribus disciplinis dispellantur. Alioquin Aegyptus fiet Moscovia, nec unquam feritas istorum populorum mansuefiet, nisi solida fides, et pietas in eam invebantur

Sed ut ad Anglos redeam, bene habet, quod (qui secuti imperitos et mendaces historiographos, Anglicam mulierem quandam, Pontificem Maximum fuisse dixere) nunc veram feminam pro Papa in Anglia colant. Qui si S. Gregorii Magni, a quo fidem Christianam accepere, libros tibi obtulissent: rem Christianam vere fecissent, tuque (ut quondam Mauritius Constantinopolitanus Imperator) ex ejus Pontificis litteris, Apostolicae Sedis, in aeternum permansurae, veritatem liquidius cognovisses. Nunc vero cum ii intelligant, a Pontificem Maximum Principes semper ad foedus adversus perpetuos Christi hostes sanciendum, teque adeo nunc animari, quod ipsum quoque argumento est, Pontificem Maximum non esse Antichristum: viderint autem, quinquaginta sex ante annos, Basilio Patre tuo regnante, per Clementis VII. Legatum, pacem inter ipsum, et Sigismundum I. Poloniae Regem fuisse compositam: nunc autem iterum non sine Pontificis Maximi Gregorii XIII. studio et opera, quam tu ipse, Internuncio tuo ad ejus Sanctitatem misso, procuraveras, inter te, ac Stephanum Poloniae Regem in plures annos difficillimum bellum esse sopitum: Christianique sanguinis effusionem, qui viginti duos totos annos fundebatur, non prae Antichristum, sed per Vicarium Christi curatum esse, ut cessaret: disrumpuntur Satanas, quique sub eo militant, quod per Sedem Apostolicam D. Petri id tibi officium praestitum sit, quodque Pontificis Maximi nomen in Scythia, Tartarosque istos inter tuos, non sine laude audiri, atque pronunciari intelligant: cum neque unquam ab haereticis, et eorum similibus pax ulla inter Christianos aut vere procurata, aut potius impedita fuerit. Ac vero Satanas, qui modicum tempus sibi ad illa queandas animas superesse sentit, intelligit implendam esse Christi Domini prophetiam, ut fiat unum ovile et unus Pastor. Sic enim et tu, *si reliquis* Christianis Principibus ad hoc ipsum ovile te adjungeres, serio Divinae gloriae et Ecclesiae Christi propagandae aeterna cum dignitate fortissimam operam dares.

# INTERROGATIONES ET RESPONSIONES

## *DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO.*

DESUMPTAE, AC BREVIORE ET DILUCIDIORE ORDINE DIGESTAE, EX LIBRO GENNADII SCHOLARII PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANI: IN GRATIAM ET UTILITATEM RUTHENORUM,

### *DISCIPULUS.*

Ex Scripturane divina potest ostendi, Spiritum sanctum mitti a Patre et Filio, hoc est, ab utroque procedere?

### *MAGISTER.*

Potest: Dominus enim Jesus dixit [1]): Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a

1) Joannes 15.

Digitized by Google

Patre: Et; Si abiero, mittam eum ad vos: Et; Quaecunque audiet loquetur: Et; Quae ventura sunt, annuntiabit vobis: Et; Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt: Et; Pater, mea omnia tua sunt [1]). Praeterea, Spiritus sanctus, Spiritus Christi dicitur, ac Spiritus veritatis. Et; Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus [2]): Et; Misit Pater Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater.

## *DISCIPULUS.*

Sancti ne Patres Graeci, ex istis S. Scripturae locis processionem Spiritus sancti ex Patre et Filio crediderunt, et scriptis suis testati sunt?

## *MAGISTER.*

Sanctus Athanasius ait: Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus sed procedens.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus [3]): Quoniam consubstantialis est Filio, et ex eo, ut Deum decet, procedit, omnem suam in omnibus perfectissimam operationem habens: ideo dicit: De meo accipiet.

Et rursus: Nam Spiritus veritatis nominatur: et Christus est veritas, et ab eo profluit, quemadmodum utique a Deo Patre [4]).

Et alibi: Quod igitur Spiritus sanctus qui in nobis est, nos esse Dei conformes ostendit, procedit autem ex Patre et Filio; apertum est divinae esse essentiae, essentialiter in ea, et ex ea procedentem [5]).

Ac rursus alibi ait [6]): Infundi, et ex propria nobis scaturire natura a Filio.

Sanctus Basilius: Quae necessitas urget, si auctoritate, et ordine tertius est Spiritus; eum natura etiam tertium esse [7])? Quod auctoritate quidem secundus a Filio sit, et ab eo habeat esse, et ab eo accipiat et annuntiet nobis, et in summa, ab ea dependeat causa religionis ratio tradit [8]).

Gregorius Nissenus [9]): Filius neque Spiritus est, neque dicitur, neque haec relativa consequentia convertitur: sed Spiritus Filii dicitur, quia ab eo accipit, ab eoque procedit, et ex eo est, quemadmodum ex Patre Spiritum susceptit [10]).

Sanctus Joannes Chrysostomus [11]): Venit Christus ad nos, dedit nobis descendentem ex eo Spiritum, et corpus nostrum suscepit.

Epiphanius [12]): Si Christus ex Patre creditur Deus ex Deo; et Spiritus ex Christo, vel ab utroque: ut Christus dicit: Qui a Patre procedit: Et, hic, de meo accipiet. At dicet quis: Ergo duos dicimus esse Filios: et quomodo unigenitus? Sane quidem, tu quis es, qui Deo contradicis? Nam vocat ex eo Filium, Spiritum vero sanctum ex utroque, quae fide tantum a luce data, lucidam vim habeat.

Et rursus [13]): Spiritus santus, Spiritus veritatis est, lumen tertium, a Patre et Filio est, num intellèxisti illud ab utroque? Spiritus veritatis est a Patre et Filio, quid demonstrat? Animadverte diligenter: et intellige: Nam nihil fortuitum, et eorum, quae sunt in continuo fluxu, circa haec versatur, sed anima.

Et rursus [14]): Quomodo nemo novit Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater: sic audeo dicere, quod neque Spiritum, nisi Pater et Filius, ex quo procedit, et a quo accipit: neque Filium et Patrem, nisi Spiritus sanctus qui vere glorificat, qui docet omnia, qui ex Patre et Filio est, et a quo procedit, et a quo accipit. Cum autem dicit, quod est a Patre et Filio, nondum intelligitis verbum, Est, quod est substantivum, et esse significat illius, de quo dicitur, quod est.

Et in eodem libro: Ergo Pater semper fuit, et Filius semper fuit, et Spiritus ex Patre et Filio spirat, id est, juxta modum Spiritui convenientem procedit.

Quin etiam Spiritus sanctus non confrater,

---

1) Rom. 6.
2) Galat. 4.
3) In 17. Joan.
4) In Epistola adversus Nestorium.
5) In 2. Thesaurorum.
6) In 7. advers. Her. et in Joan. 17.
7) Vide etiam in 5 advers. Herm.
8) S. Basil. in 3. advers. Eunom. ad Amphilochi.
9) Hom. 3. Super Pater noster.
10) Vide etenim in 1. lib. Cont. Euno. et in Ser. ad Ablabium.
11) Hom. de incarn.
12) In Ancora.
13) In eodem Ancora.
14) Ibidem.

Digitized by Google

sed ex eadem substantia, Patris et Filii; nam et ipse unigenitus dicit: Spiritus Patris, et qui ex Patre procedit. Et: de meo accipiet: ne diversum a Patre putaretur, neque a Filio.

S. Hilarius [1]): Credimus in sanctam Trinitatem, id est, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius essentiae, unius substantiae, unius potestatis, omnium creaturarum opificem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: Patrem a se, non ab alio, Filium ex Patre genitum: Deum verum, de Deo vero lumen verum de lumine vero: non tamen duo lumina, sed unum lumen Spiritum sanctum aequaliter a Patre et Filio procedentem.

Sanctus Joannes Damasceuus: Omnia quaecunque habet Pater, in generando tradidit Filio, praeterquam esse Patrem.

Et rursus: Ipse quidem mens est, Pater videlicet Filii abyssus, Filii genitor, et per Filium manifestatur Spiritus productor [2]). Et paulo post: Spiritus vero sanctus, manifestativa occultae divinitatis potentia Patris, ex Patre per Filium procedit, ut ipse scit. Et in historia Barlaam, et Josaphat: unum scias Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedentem: Deum perfectum et vivificantem, et sanctificationis largitorem.

Magnus Anastasius Antiochiae Patriarcha [3]): Sic et Spiritus oris ejus, id est, Dei, Spiritus sanctus dicitur, cum os sit unigenitus, et Spiritus rursus ex eo procedens [4]): nec solum a Patre, sed et a Filio missus. Ac paulo post: At qui Dominus a semet esse ostendens, discipulis insufflans dicebat: Accipite Spiritum sanctum.

S. Maximus [5]): Synodalium Actorum sanctissimi Papae nostri, non intot, quot scripsistis capitibus Regiae urbis homines comprehenderunt, sed duobus tantum: quorum alterum est de Theologia, quia dicit: et ex Filio Spiritum sanctum procedere: alterum de divina incarnatione: ubi scripsit Dominum sine originali peccato esse, ut hominem. Et in hoc Romanorum Patrum expositiones consentire demonstrarunt. Quin etiam et Cyrillum Alexandriae Episcopum, et ejus sacro tractatu composito in S. Joannem Evangelistam: ex quibus se non facere Filium principium Spiritus ostenderunt. Nam unum tantum Filii et Spiritus principium noverunt, illius secundum generationem, hujus secundum processionem, sed ut processionem per eum declararent, et hac ratione conjunctionem, et identitatem essentiae comprobarent.

## *DISCIPULUS.*

Ergo etiam Patres antiqui Graeci, qui sacris Conciliis interfuerunt, idem senserunt?

## *MAGISTER.*

Utique, nam S. Athanasius, et Hilarius Nicenae [6]), et D. Cyrillus Ephesinae Synodis intererant [7]). Atque in Actis primae Synodi scriptum est: Spiritum sanctum ex Patre procedere, proprium autem cum esse Filii et *ab eo* scaturire:

Et sexta et septima Oecumenicae Synodi, anathemathi subjiciunt rejicientes sanctorum Patrum, non solum Graecorum, verum etiam Latinorum sententias, pro dogmatibus Dei Ecclesiae constituendis, promulgatas, Athanasii, Hilarii, Basilii, Cyrilli, Augustini, Theophili, Joannis Constantinopolitani, Leonis sanctissimi Pontificis, Procli, Amphilochii, Magni Anastasii Antiochiae Patriarchae, ac similium.

## *DISCIPULUS.*

Cum Patres Latini Occidentis, et Africae idem ipsum senserint, loca saltem aliquorum, ad hanc veritatem spectantia, nosse desidero.

## *MAGISTER.*

Primum quatuor sanctissimorum Pontificum, quos vel ipsi Graeci venerantur, deinde *aliquorum* aliorum loca brevissime indicabo.

S. Damasus is, qui Constantinopolitanam

1) S. Hilar. qui fuit unus ex 318 Patribus in Nicen. Concil. in Ser. post Pente. in festo Sanctae trinitatis.

2) Cap. Theologicarum 13.

3) Hic ille est qui a S. monte Synai dicitur.

4) Vide orat. de rectis dogmat. veritatis ad nos pertinen.

5) Ad Mari. Cypr. Presbyterum.

6) Ubi sup.

7) In actis 1. Synodi.

Digitized by Google

Synodum secundam indixit, ac confirmavit, sic ait [1]): Spiritum vero Paracletum neque Patrem esse, neque Filium, sed ex Patre procedentem et Filio: est igitur ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed ex Patre procedens et Filio.

S. Hormisda [2]): Certum est, proprium Patris esse, Filium generare: proprium Filii Dei, aequalem Patri generari: proprium Spiritus sancti, ex Patre procedere et Filio, sub una Deitatis essentia.

S. Leo qui Chalcedonensem Synodum indixit, et confirmavit, inquit [3]): Cumque in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius sit Spiritus sanctus: non tamen alia Deitas, neque diversa natura est: si quidem; cum de Patre sit Filius unigenitus, et Spiritus sanctus Patris Filiique sit Spiritus: non sicut quaecunque creatura, quae et Patris, et Filii est, sed sicut cum utroque vivens et potens, et sempiternus, et ex eo, quod est Pater, Filiusque subsistit.

S. Gregorius Magnus, qui et a Graecis Dialogus dicitur [4]): cum enim constet, quia Paracletus Spiritus a Patre semper procedat e Filio: cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit? Sed quia discipuli Dominum in carne cernentes, spiritualiter quoque videre sitiebant, recte eis dicitur [5]): Si ego non abiero, Paracletus non veniet: ac si aperte diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor Spiritus non ostendo: et nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquam scietis me spiritualiter amare.

S. Ambrosius [6]): Spiritus quoque sanctus, cum ex Patre procedit, et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio, quomodo enim separari potest a Patre, qui Spiritus ejus oris est?

S. Augustinus [7]): Et sicut Spiritui sancto donum Dei esse, est a Patre procedere: ita mitti, est cognosci quod ab illo procedat: nec possumus dicere, quod Spiritus sanctus non et a Filio procedat: neque frustra idem Spiritus, et Patris, et Filii Spiritus dicitur: nec video, quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem Discipulorum ait [8]): Accipite Spiritum sanctum. Neque enim flatus ille corporeus cum sensu corporaliter tangendi, procedens ex corpore, substantia Spiritus sancti fuit: sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed et a Filio procedeer Spiritum sanctum. Quis enim dementissimus dixerit, alium fuisse Spiritum, quem sufflans dedit: et alium quem post ascensionem suam misit?

### *DISCIPULUS.*

Sed num sequentibus saeculis postea unquam convenere cum Occidentalibus Orientales, aut hanc veritatem ex eadem divina Scriptura et Patribus antiquis unanimi consensu admiserunt?

### *MAGISTER.*

Sane. Nam et superiore saeculo ante annos centum quadraginta Constantinopolitanus Patriarcha cum ipso Graecorum Imperatore Joanne Paleologo, cumque reliquis Orientis Episcopis, et praestantissimis Theologis, in Florentina Synodo sub Eugenio IV. Pontifice Maximo eandem veritatem, iisdem Patrum auctoritatibus, et verbo Dei, atque aliis efficacibus argumentis coacti agnoverunt, ac testati sunt. Quamobrem et unio inter Graecos, atque Occidentales est consecuta.

### *DISCIPULUS.*

Quaenam illa alia fuere argumenta quibus coacti sunt?

### *MAGISTER.*

Primum, quod nullibi apud sacram Scri-

---

1) In Confes. Cath. fidei ad Paul. Episc. Antioch.

2) In Epist. ad Justin. Imp. ad Nestor. et Eutichis blasphe.

3) Sermone in Pantecost.

4) In fi. 2. Dialogi.

5) Vide item lib. 30. Moral. c. 8. et in sua confes. fidei et hom. 26.

6) Ad Gratian. Imp. 1. lib. c. 10. de Spiritu Sanct.

7) Lib. 4. c. 20. de Tr. et Lib. 5. c. 14; lib. 15. c. 17. et 26. ac de fide ad Pet. c. 2.

8) Lib. Soli loq. c. 32. et ad Orosium et adversus Maxim. lib. 3. et 13. c. 14.

Digitized by Google

pturam, neque apud Doctores dictum invenitur, ex solo Patre procedere Spiritum sanctum.

Deinde, cum producere Spiritum sanctum, Patris operatio notionalis sit, eaque non origine prima et immediata, sed per primam quae generatio vocatur, necesse est etiam Filium, qui per generationem producitur, hujus productionis esse consortem, et per eum Spiritum sanctum procedere.

Praeterea, cum apud omnes Doctores in confesso sit, Spiritum sanctum prodire ex Filio, omnino prodeat naturaliter necesse est. Nihil enim in Deo aut praeter naturam, aut adventitium est. Nam creaturarum est, non prodire ex Deo natura. Si ergo secundum naturam ex Filio prodit Spiritus, processionem vero secundum naturam in divinis dupliciter oportet esse, vel per generationem, vel per processionem: per generationem autem non prodit ex eo (profecto enim esset Filius Filii etiam Spiritus) prodit ergo per processionem: itaque Spiritus ex Filio processio erit, tanquam ejus, qui procedit ex eo.

Amplius, Spiritum sanctum ex substantia Patris esse, et Filii omnes Doctores orientales pariter et occidentales clamant: sed quod in Trinitate ex essentia alicujus est, etiam ex hypostasi ejus est. Cum ergo Spiritus sanctus dicatur esse ex substantia Filii, est etiam ex ipsius hypostasi Quod si quis dicere audeat ea propter esse consubstantiale prolata fuisse, ac ut Spiritus ejusdem essentiae ostendatur esse cum Patre et Filio, id quidem verum est, tanto magis adjuvat nos: Nam sic magis est consubstantialis Patri et Filio Spiritus, quasi ex eorum essentia, et ex iis prodiens, sive procedens: quasi si consubstantialitatem simpliciter denotat, ut ipsi volunt, necesse esset etiam Patrem ex essentia Filii, et Spiritus, et Filium ex essentia Spiritus dici. Sed id hucusque nemo dicere ausus est, neque audebit, si Christianus esse voluerit.

Adhuc, a Magno Basilio et plerisque Sanctis dicitur Filius imago Patris, Spiritus imago Filii, et Filius operatio Patris, Spiritus operatio Filii: et Filius Patris verbum, Spiritus Filii eloquium: et Filius fragantia Patris, Spiritus fragantia Filii: Sed Filius dicitur esse haec omnia Patris, quia ex eo procedit. Ergo et Spiritus sanctus dicetur esse haec omnia Filii, eo quod ex illo procedat.

Accedit, quod si Spiritus ex Filio non esset, ab eo nunquam personaliter distingueretur. Cum enim personae divinae non distinguantur per absolutas proprietates, sed per relationes originis, certe si Spiritus sanctus non oriretur a Filio, non haberet relationem originis ad illum, atque adeo neque ab eo distingueretur, quod absurdissimum dictu est. Trinitas enim ita in dualitatem verteretur.

Item: Dicit Christus discipulis: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis: Et si abiero mittam eum ad vos: quare mitti in Deo, a causa esse demonstrat, ut Graeci loquuntur, vel a principio, ut Latini. Testis est D. Chrysostomus ad Arianos, qui dubitabant, quomodo ejusdem essentiae sit qui mittit, et qui mittitur. Is enim 29 Hom. dicit: Rursus ad humana orationem traducis, nec intelligis omnia haec ob nihil aliud dicta esse, nisi ut causam sciamus, neque in Sabellii morbum incidamus: Sed Spiritus a Filio mittitur: ex eo ergo est.

Ad haec, in Deo illa persona, quae est ejusdem naturae cum altera, et insuper dicitur esse illius, necesse est, ut ab illa procedat: ut Pater in Filio, respectu Patris: *sed Spiritus sanctus*, est persona ejusdem substantiae cum illo, et insuper in scripturis dicitur esse Spiritus Filii; igitur necessario ab illo procedit.

Item: Spiritus sanctus est relativum ad Filium, sicut ad Patrem: unde et dicitur Spiritus Filii sicut et Patris: ergo refertur ad Filium tanquam ad spirantem et producentem, sicut et refertur ad Patrem. Est ergo Spiritus sanctus ex Patre et Filio, tanquam spirantibus et producentibus cum. Denique Spiritus sanctus a Filio accipit: is enim dicit, de meo accipiet. Quod autem accipit, essentia ejus est, neque aliud est essentia ejus, aliud quod accipit: esset enim sane compositum, sed est in summo simplicitatis excessu tanquam Deus. Essentiam ergo suam, et esse accipit etiam ex Filio.

### *DISCIPULUS.*

Quid ergo tam expresso Dei verbo, tot sanctissimis Patribus, tam efficacibus argumentis, habent Orientales, quod objiciant?

### *MAGISTER.*

Nihil sane habent veri, sed quemadmodum Haeretici (ut inquit D. Chrysostomus) convin-

Digitized by Google

cuntur, sed non sanantur, ita Schismatici refelluntur quidem, et superantur ab Ecclesia Catholica, sed quandiu a radice, sive ab arbore praecisi manent, nec spiritum vitalem, nec veritatem percipiunt.

*DISCIPULUS.*

Quid? si qui ex simplicitate, ignorantiave, aut quoniam istam veritatem nunquam a Catholicis edocti fuerunt, vellent eam addiscere, nonne operaepretium esset illos docere?

*MAGISTER.*

Non solum esset operaepretium, sed operaepraemium aeternum. Nihil autem efficacius oravit Dominus Jesus, quam ut essemus unum, sicut et Pater, et ille unum sunt. Quamobrem qui haec docuerit, sentiet a Spiritu sancto maxima dona sibi impartiri.

*DISCIPULUS.*

Doce igitur me, quibus rationibus eorum objectiones dilui possent, qui veritatem adeo lucidam obducere errorum tenebris in suam perniciem tentarunt?

*MAGISTER.*

Faciam, si tu ordine ipsas objectiones proposueris.

*DISCIPULUS.*

In scriptura divina non est expressum, Spiritum sanctum a Filio procedere, sed mitti.

*MAGISTER.*

Cum quoties in eadem scriptura legimus Spiritum sanctum a Patre mitti, nihil ambigimus, quin id significet a Patre procedere: cur cum legimus a Filio eundem mitti, non intelligimus id ipsum esse quod Procedere?

Praeterea cum de Filio dicatur [1]), Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Et ipse Salvator: Ego a Patre exivi, et veni. Ac rursus alibi: Pater misit Filium Salvatorem mundi: quae omnia generationem Filii ex Patre demonstrant [2]): sic et de Spiritu sancto, quoniam Spiritum Patris audimus, Spiritum ex Patre intelligimus: Et Spiritum Filii, Spiritum ex Filio percipimus.

*DISCIPULUS.*

At dicunt Spiritum sanctum, non quia a Filio procedit, sed quoniam consubstantialis est Filio, dici Spiritum Filii.

*MAGISTER.*

Supra responsum est, sed et iterum respondeo, si res ut isti volunt, ita se haberet, sequeretur, Filium quoque dici Spiritus sancti: Patremque Filii quoque ac Spiritus sancti Filium, propter consubstantialitatem. Verum hoc nunquam reperietur, ac vel cogitatu est perabsurdum.

*DISCIPULUS.*

Cur Dominus dicens Spiritum veritatis, qui ex Patre procedit, non addidit item se ipsum?

*MAGISTER.*

Satis quidem addidit se ipsum, ut ex divinae Scripturae locis initio citatis constat: veruntamen et illud addo, nec negasse de se, quin a se ipso procederet Spiritus sanctus: licet ita loqueretur, ut Patrem sui, et Spiritus sancti ingenitum, ac primarium fontem indicaret. Sed neque satis id est, quod objiciunt ad suum errorem comprobandum. Nam de die et hora illa (inquit Dominus) nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi solus Pater. Ac rursus: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris. Et tamen nos recta ratione

1) Gal. 4; Joan. 16; 1. Joan. 4.

2) Galat. 4.

Digitized by Google

contrarium credimus, diemque illum et horam sic aperte ab eo sciri, sicut a Patre: doctrinamque ejus super omnia esse, cumque ipsum immensam esse sapientiam non dubitamus. Si ergo quae manifeste (ut videtur) negavit, nos cum laude contraria credimus: qui non item hic, quae non negavit, pie credimus?

*DISCIPULUS.*

A Graecis Patribus interdum dicitur Spiritus sanctus per Filium produci: non autem ex eo procedere?

*MAGISTER.*

A Graecis item Patribus (uti ostensum est supra) dicitur Spiritus sanctus ex Patre et Filio prodire, procedere, profluere, etc. sed et dictio illa, per, significat saepe causam, seu principium, ita ut tantundem designet, ac si diceretur: Ex Filio [1]). Jam cum scriptum sit, omnia per ipsum facta sunt, nemo non intelligit, Filium creaturae causam fuisse [2]). Et alibi, cum ab Eva dictum sit. Possedi hominem per Deum, idem utique est, ac si diceretur ex Deo: sicut Divus Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, observarunt [3]).

*DISCIPULUS.*

Sed Damasceni verba sunt haec: Ex Filio Spiritum non dicimus.

*MAGISTER.*

Non dixit, non esse, sed non dici, ut vitaretur eo tempore impia haeresis Eunomii asserentis, ex solo Filio Spiritum esse. Ex Filio (inquit) Spiritum non dicimus, neque ex Spiritu; sic idem ipse Damascenus Christi genitricem (ait) Virginem sanctam non dicimus. Et alibi: Ideo Dei genitricem Virginem sanctam praedicamus, perinde ac Deum proprie, et vere incarnatum ex eo genuerit: Nam Christum peperisse non ignoramus, quia Christum genuit: sed quia impius Nestorius ad evertendum id verbum, quo etiam Deum peperisse exprimimus, ea dictione abusus est. Porro Damascenus in eo loco praepositionem (ex) soli Patri attribuit: ut significaret illum esse primam in Trinitate personam, et qui a nullo producendi virtutem accipiat: praepositionem vero (per) Filio accommodavit: ut ostenderet, illum esse ordine originis secundam in Trinitate personam, et quae vim spirandi a Patre accipiat. Adde, quod, ut supra diximus, Damascenus in Historia Barlaam aperte dicit Spiritum sanctum a Patre procedere.

*DISCIPULUS.*

At nonne etiam Patres aliqui nonnunquam vitarunt illam dictionem, ex, ne Filium principium facerent, sicque non crederetur Spiritus sanctus duo esse principia?

*MAGISTER.*

Cyrillus Alexandrinus dixit, se unum tantum Filii et Spiritus sanctus principium facere, ad identitatem essentiae comprobandam. Quod vero dixit, se non facere Filium pricipium. minime, quod non sit ex eo, sed esse magis ostendit. Dicit enim, se non facere principium, videlicet principale, ut illa impia haeresis vitaretur, asserens Filium ex solo Patre, Spiritum sanctum ex solo Filio procedere. Idcirco sancti illi Patres ex Patre, vel Filio dicere interdum caverunt: id est, neque ex Patre solo, neque ex Filio solo, sed ex Patre per Filium: Et tamen per eum, et ex eo dicunt Spiritum sanctum prodire profluere, producere.

*DISCIPULUS.*

Verum objiciunt rursus dicentes, si quis ex ambabus personis, Spiritum sanctum dixerit procedere, nonne conjungentur in unam personam Pater at Filius?

*MAGISTER.*

Quia personae Patris constitutiva proprietas

1) Joan. 1.

2) Genes. 1; Basil. in Exponen. Gen. et ad Amphiloc.

3) Chrysostom. in Cap. 53 in Matth.; Cyril. in Epist. ad Nestor.

Digitized by Google

dicta est esse Paternitas, et generatio: spirare vero proprietas est, sive notio, quae sequitur personam constitutam ipsius, nulla necessitas est eum, qui communem cum illo habet eam proprietatem, quae personae ejus constitutiva non est, unam esse cum eo personam. Nam sicuti communicans cum Patre Filius, in eo scilicet, quod est, Spiritum ejus esse, quemadmodum et Patris, et mitti ab eo, quemadmodum et a Patre, tamen non cum eo persona communicat, quia Spiritum dici Patris vel ab eo mitti, non est paternae personae constitutivum; sic neque qui spirationem cum Patre communem habet, in unam personam cojungitur, quia spirare non est personae paternae constitutivum, quamobrem quousque ostensum non fuerit spirare esse personae paternae constitutivum; neque conjunctionem personarum poterit demonstrare?

*DISCIPULUS.*

Et tamen illis, qui divina mysteria sensu carnali metiebantur, mirum videbatur duo principia, vel duas causas non constitui, cum Spiritus Sanctus ex Patre, et Filio procedere diceretur?

*MAGISTER.*

Si mirum videbatur duas personas unum essepr incipium, ac non conjungi; magis debebat mirum videri, tres personas unum esse rerum creatarum principium, neque conjungi. Nec latini unquam duo principia dixerunt, vel primum, vel secundum principium; vel unum ex duobus constans principium; imo qui ita senserunt, hos anathemati subjecerunt. Sicut autem cum Gregorius Theologus dixit, principium de principio, ac Deum de Deo, non duos propterea Deos intelligimus, sic neque duo principia, cum Spiritum Sanctum ex utroque procedere asserimus.

*DISCIPULUS.*

Cum Latinorum Patrum mentionem feceris, dic obsecro, quibus vicibus ipsi ista pronuntiant?

*MAGISTER.*

D. Augustinus, Patrem et Filium ostendit non duo esse principia Spiritus Sancti, sed ambo unum principium ejus, neque quatenus duo, producunt Spiritum Sanctum, nec quatenus duo, Spiritus Sanctus principia sunt: sicuti creaturae non tria principia, Pater, Filius et Spiritus Sanctus sed unum ejus principium Trinitas Deus est [1]).

Praeterea quia una, et eadem numero virtute ipsi creant, et una, et eadem communiter Deitate producunt, idcirco jure unus Deus, et auctor dicitur unus non tres. Quia ergo una et eadem virtute simul Pater et Filius, Spiritum producunt, et quia a Patre accipit Filius hanc virtutem processionis causativam, ideo proprie, et vere una causa, seu unum principium est processionis Spiritus sancti.

*DISCIPULUS.*

Utinam ista errantes audire, aut discere voluissent. Sed age, quonam modo respondendum est iis, qui alio illo argumento fidem oppugnant, dicentes: vel perfecta est ex Patre processio, et inanis ea, quae est ex Filio, vel si necessaria ea est, quae ex Filio imperfecta ea quae est ex Patre?

*MAGISTER.*

Sicut perfecta est ex Patre mundi creatio, entiumque productio, et si eadem numero Filii, et Spiritus Sancti ad ea producenda operatio sit. Nec alia illius est, alia horum: sic perfecta est, et magis quam perfecta, ex Patre Spiritus Sancti processio, etiam si una et eadem numero sit cum ea, quae est ex Filio processio, non alia, et alia: Nec interdum ea, quae est ex Filio, interdum ea, quae est ex Patre, sed simul, et eadem aeque, cum una, et eadem numero potestate, uterque producat.

*DISCIPULUS.*

Sed et ex D. Dionysio illud objiciunt: solus fons superessentialis Deitatis Pater est: Itaque (ajunt) ex eo solo procedit Spiritus Sanctus.

1) Vide lib. 5. de Trinit. C. 14.



Digitized by Google

*MAGISTER.*

S. Athanasius enarrans illud Psalmi: Apud te est fons vitae: sciebat (inquit[1]) Pater, videlicet apud se habens filium fontem Spiritus.

S. Basilius[2]): Quid igitur (inquit) nos, quomodo ingenitum Patrem, genitum Filium confitendo secundum ipsum esse contradictionem vitabimus? Quid dicemus? Quod boni Patris bonus est Filius, ex lumine vero ingenito lumen effulsit sempiternum: et ex vere vita, vivificans profluxit fons: et ex virtute, quae per se est, Dei virtus desumpta est. Ac rursus: Idem fons vitae Filius inquit. Nam et Patrem dicit David: apud te est fons vitae: Et rursus alter[3]) Propheta de Judaeis dicit: Me dereliquerunt fontem aquae vivae. Viva vero aqua Spiritus Sanctus appellatur.

Deinde neque nos Filium dicimus fontem esse principalem vel ex se ipso habere, ut fons sit, sed ex Patre. Pater enim fons est supereſſentialis Deitatis, quia ex alio fonte non profluit, quippe qui ex alio non habet ut fons sit: quia prima ei nulla causa est, ut fons sit[4]): sed Filio Pater est, ac Pater fons est, ut genitor, et ut productor. Inde Pater simpliciter emanantis Deitatis fons est: Filius ipsius Spiritus Sancti tantum.

*DISCIPULUS.*

Sed nunquam illud audisti, quod dicunt, ut adhuc semetipsos fallant? sic enim ajunt: Joannes Baptista mysteriorum peritus conspexit Spiritum, quasi columbam in Christum descendentem, ergo quod non habuit, accipiebat, tantum abest, ut Spiritus Sanctus eo procedere dici debeat?

*MAGISTER.*

Respondeat isti coecitati ne dicam ineptiae S. Athanasius[5]). Ne credat quis, inquit, quod non habebat, accipiebat: is enim superne demittebat, ut Deus: et inferne eum suscipiebat, ut homo. Ex eo igitur in eum descendebat, ex ejus Deitate in humanitatem ipsius. Haec ille. Qui igitur in Jordane baptizabatur, vere Filius Dei erat, et omnia quaecunque habet Pater, ut Deus habebat, et habet: et quamquam ut homo in Jordane consisteret, paternum tamen thronum non reliquerat.

*DISCIPULUS.*

Cum Graeci dicant, nos in anathema incurrisse, quod symbolum fidei immutaverimus, verba illa addentes Constantinopolitanae, aliarumve Synodorum quarundam symbolo, secundum scripturas, et Filioque, quid istis respondendum est?

*MAGISTER.*

Si quid veritati in illis Synodis edoctae judicassent eam verborum declarationem, sive additionem adversari: nunquam illi ipsi Pontifices Maximi, vel alii quoque Sanctissimi Patres Graeci, qui Synodos illas approbarunt, aut iisdem interfuerunt, eandem in suis scriptis inseruissent. Et quidem anathemati subjiciuntur, qui aliter sentiant, aut doceant, quam senserit Ecclesia illa, quae eadem est cum praesente Catholica. Aliter autem senserunt Macedonius, et Eunomius, aliique ejusmodi, adversus quos anathema illud est latum. Quin vero non ipsi tantum iimet Patres, verum et concilium ipsum Ephesinum, unum e quatuor illis celeberrimis habitum apud Graecos diserte testatur, Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere. Quamobrem Graeci cum sese saepius errasse animadvertissent: saepius item, hoc est, quater decies, variis temporibus cum Ecclesia occidentali consenserunt, sicut etiam ante plusquam trecentos annos in oecumenica seu generali Synodo Lugdunensi sub Gregorio X factum est[6]), cum Graeci Episcopi eo venientes, tam reliquorum Orientalium, quam Imperatoris nomine publice professi sunt, Spiritum Sanctum aeternaliter ex Patre, et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedere: idque coram toto Concilio illo ter Graece, ac ter, Latine, cum iis verbis, secundum scripturas, Filioque similiter decantarunt.

1) In L. advers. Arian.

2) 2. lib. adversus Eunom.

3) Jerem. 2.

4) Apud D. Aug. ad Max. Libro III. C. 14.

5) Serm. de Incarnationis Dispensatione.

6) Extra de Summa Trinit. et fide Catholica.

Digitized by Google

Porro cum, sicut St. Augustinus dixit, saluberrima semper fuerit universalium Conciliorum autoritas: male cum sequentibus saeculorum Christianis actum fuisset, si quae priores Synodi docuerunt, ea posteriores Synodi, aut qui Ecclesiae praesunt, novis erroribus emergentibus declarare non potuissent. Quoquidem cum fiat in verbo Dei, quotiescunque opus est, nec tamen aliter, quam Spiritus Sanctus sentiat, Catholici Doctores illud exponant, cur non fiet, in iisdem Conciliis, quae ab eodem Spiritu Sancto proficiscuntur?

Imo in hac ipsa secunda Synodo, quam nobis objiciunt, hoc ipsum factum videmus: si quidem Patres hujus Synodi addiderunt Nicaeno Symbolo verba illa, Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, etc. Cum tamen in Nicena Synodo statutum fuerit, ne quid ultra adderetur Symbolo, quod ibi editum fuit.

*DISCIPULUS.*

O Catholicae Ecclesiae veritatem immobilem. Et o miserrimam schismaticorum coecitatem, blasphemantium quae nunquam didicerunt, nec discere voluerunt.

*MAGISTER.*

Ergo divinae bonitati, quae te ista docuit, non verbis tantum, sed et moribus Christiano dignis, gratias age: Deinde vero cogita, id quod te Spiritus Sanctus docuit, hunc a te requirere, ut etiam idem alios doceas: sic enim facile intelligent ex hoc uno, maximis rationibus, ac ipsa veritate Catholicos ad credenda reliqua adduci, sicque et ipsi fortassis aeterna Catholica dogmata verissima esse credent et amplectentur.

# EPISTOLAE

## *GREGORII XIII. PONTIFICIS MAXIMI,*

## *STEPNANI I. POLONIAE REGIS,*

## *JOANNIS BASILII MAGNI MOSCOVIAE DUCIS,*

## *ET ALIORUM*

QUAE CITRO, UTROQUE COMMEARUNT, DUM ANTONIUS POSSEVINUS LEGATIONES AD EOS OBIBAT.

### *GREGORIUS XIII.*

PONTIFEX MAXIMUS STEPHANO PRIMO, POLONIAE REGI.

Carissime in Christo fili noster, salutem, et Apostolicam benedictionem. Misit proprium ad nos Legatum Moscorum Dux cum litteris, et mandatis, qua de re curavimus Majestatem tuam certiorem fieri, per Nuncium nostrum. Remittimus Legatum, cumque eo dilectum filium Antonium Possevinum, Theologum, et Sacerdotem Sodalitatis Jesu prudentia, et fide spectatissima, multisque in rebus nobis probatum atque ad gravissima quaeque, Dei gloriae, et communis boni causa, tractanda paratissimum, aptissimumque et tuae Majestatis optime cognitum, quam etiam de causa, ipsius opera ad hoc negotium libentissime utimur. Cupimus igitur, ut ejus verbis omnem fidem tribuas, super negotio pacificationis, tantopere a Mosco expetitae: superque fide, quam idem Moscus postulat Legato suo concedi, secure ad se redeundi; qua etiam fide idem Possevinus indi-



Digitized by Google

gebit: denique super omnibus rebus, de quibus tecum aget nostro nomine. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15 Martii, 1581. Pontificatus nostri, anno nono.

## *GREGORIUS XIII.*

PONTIFEX MAXIMUS JOANNI BASILII, MAGNO MOSCOVIAE DUCI.

Dilecte fili, etc. Salutem, et Apostolicam benedictionem. Ex litteris Nobilitatis tuae, quas nobis reddidit Thomas Severigenus, Orator tuus, atque ex ipsius sermone cognovimus ea, quae nobis significare voluisti. Laetati sumus, gratiasque egimus Deo, cujus impulsu factum est, ut Princeps tam Magnus, ex regionibus tam remotis, et per litteras, et per Legatum nos salutaret, majorumque suorum, clarissimae memoriae Principum consuetudinem referret. Extant enim apud nos multae illorum litterae, atque utrinque responsa, summa utriusque partis cum voluptate, et officiorum commemoratione, reddita. Quae postulas (quantum quidem auctoritate, atque opera efficere poterimus) erunt semper tuae Nobilitati a nobis paratissima. De foedere eo libentius agimus, quo magis agnoscimus nostri officii, ac muneris esse, curare, ut Christianorum Principum vires quam conjunctissimae sint. Mittemus etiam, ut postulas, aliquem ex nostris cum Thoma: curabimusque ut possint quam brevissimo itinere illaesi, atque ab omni viae injuria tuti, ad te pervenire. Quod autem attinet ad Poloniae Regem, ut cum a Turcarum, Tartarorumque adversus Christianos foedere deterreamus, nihil opus esse arbitramur; nunquam enim de tali foedere aliquid audivimus, aut conjectura suspicari potuimus. Et quanquam hoc tempore nullum gerit cum perfidis bellum, tamen hoc illi cum ceteris Christianis Principibus commune est: quos constat esse animo erga Christianam Rempublicam optimo: multis autem, gravissimisque necessitatibus impediri, quo minus possint suo summo desiderio satisfacere. De praesenti bello nihil certum judicare possumus: jam enim biennium est, cum ipse quoque Rex publico scripto testatus fuit, summa sese necessitate coactum, id suscepisse, causasque permultas attulit. Quia vero nullo nostro merito, summa autem Dei Benignitate, impositum Universalis Ecclesiae pastoris, Christique Vicarii munus sustinemus, mittemus ad Regem, ut omnia comperta habeamus: quae vero cognoverimus, ea omnia per eum ipsum, quem ad tuam Nobilitatem mittemus, tibi significari curabimus. Offerimus autem utrique vestrum nostram auctoritatem, atque operam, si ea uti volueritis in vestris dissidiis componendis, unde etiam cesset tanta Christianorum strages. Sic enim existimamus, vos minime recusaturos rectum: aequumque vestris privatis rationibus anteponere: et, si qua injuria occupata sunt restituere. Rebus autem inter vos compositis, tum vero possent Christianorum arma omnia incommunes hostes converti: quod quidem, dum inter vos dimicatis, neque communi causae succurritis, sperare non licet. Sed nulla potest esse major, quam fidei, et religionis conjunctio: haec enim non humana continetur caritate (quae quidem tenuis, mutabilisque est) sed Divina. Una autem Ecclesia est: unus Christi grex: unus, post Christum, in terris ejus Vicarius, et Pastor universalis. Hunc vero Sancti Patres, et Ecclesiae Doctores, oecumenicaque Concilia omnia, Romanum Pontificem esse agnoscunt, et praedicant, idque etiam in Concilio Florentino (jam sunt anni centum fere, et quinquaginta) totius Graeciae Episcopi, cumque iis una Palaeologus Imperator Constantinopolitanus, qui tum ei concilio interfuit, apertissime, libentissimeque professi fuerunt. Qua in sententia utinam permanere voluissent: nunquam enim in tam graves miserias incidissent: Nunc autem, dum sese Romanae Ecclesiae, ac Pontificis complexibus subtrahere voluerunt, intolerabile immanis Tyranni jugum subierunt. Hoc igitur firmissimo Sanctae religionis vinculo dirempto, necesse est, ceteras conjunctiones tenuissimo, atque ad diuturnitatem brevissimo humanarum rationum nexu contineri. Hoc ut tecum diligentissime cogites, nostramque in hac cohortatione caritatem et tuae, tuarumque Provinciarum (quas per multas, et populorum refertas esse non ignoramus) salutis studium agnoscas, Deum assidue precamur, tuamque Nobilitatem, quantum possumus, rogamus. Haec una ratio est Christianorum omnium vires, atque animos tibi in perpetuum devinciendi: certissimas, et clarissimas ex Christianorum hostibus victorias, ac sempiternas a Deo coronas in coelo referendi. Mittimus ad Nobilitatem tuam volumen Concilii Florentini ex Archetypo ipso, quod apud nos est, fidelissime exscriptum: rogamus, ut id legas a tuisque Doctoribus quam diligentissime legi ma

Digitized by Google

des: magnum hinc Divinae erga te gratiae fructum speramus. Hoc enim unum cupimus, ut cum hac Sancta, et Apostolica sede quam conjunctissimus sis religione, et caritate. Cetera omnia erunt tuae amplitudini a nobis, atque ab omnibus Christianis Principibus paratissima. Omnia fusius cognosces ex dilecto filio Antonio Possevino, Theologo insigni, et Sodalitatis Jesu Sacerdote: nobis, Magnisque Christianorum Principibus (apud quos ejus opera prudentissima multis, maximisque in rebus ingenti cum fructu usi sumus) probatissimo, nobisque in primis caro, quem ad te mittimus. Cupimus, ut eum libenter videas, audiasque, et commendatissimum habeas: id enim pollicetur humanitas tua. Quod si ea, quam diximus, quamque incredibiliter optamus, religionis conjunctio, Deo adjuvante, fuerit inter nos constituta, hacque ipsa de causa Legationem ad nos miseris, dignam hoc negotio tam gravi, tam necessario, tamque a nobis, atque ab universa Ecclesia exoptato: nos quoque clarissima legatione, et omni honore, quo Magnos Christianae Reipublicae Principes amplecti consuevimus, nostram pat ernamerga te caritatem testificabimur. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15 Martii, 1581. Pontificatus nostri, anni nono.

## GREGORIUS XIII.

PONTIFEX MAXIMUS JOANNI, JOANNIS MAGNI MOSCOVIAE DUCIS FILIO PRIMOGENITO.

Dilecte fili, etc. Salutem, et Apostolicam benedictionem. Libentissime amplexi sumus hanc opportunitatem ad tuam Nobilitatem scribendi, teque salutandi, per dilectum filium Antonium Possevinum, Theologum insignem, ac Sodalitatis Jesu Sacerdotem, ac prudentia spectatissima, quem ad clarissimum, et potentissimum virum, Patrem tuum mittimus. Speramus has litteras, et salutationem non ingratam tuae Nobilitati futuram: proficiscitur enim a caritate paterna, atque ab optimo desiderio salutis tuae, et gratiae, quam tibi a Domino precamur toto pectore. Haec enim sola expetenda est: humanae enim res omnes, quamvis maximae, fluxae sunt, et caducae, brevissimoque momento convertuntur, atque intereunt: sola Divina autem gratia, est fons ille aquae vivae, salientis in vitam aeternam, quam pollicetur Dominus se tributurum iis, qui cum agnoscunt, atque ut oportet coluut. Hanc igitur tuae Nobilitati optamus, et precamur, qua nihil amplius, et praestantius optare, et precari possumus. Speramus etiam te, pro tua humanitate libenter Possevinum visurum, ejusque verbis omnem fidem tributurum. Erit id nobis gratissimum. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15 Martii, 1581. Pontificatus nostri, anno nono.

## GREGORIUS XIII.

PONTIFEX MAXIMUS THEODORO, JOANNIS MAGNI MOSCOVIAE DUCIS FILIO.

Dilecte fili, etc. Salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus ad virum clarissimum, et potentissimum, Patrem tuum, dilectum filium Antonium Possevinum, Theologum, et Sacerdotem Sodalitatis Jesu, doctrina, fide, prudentia, integritate spectatissima, nobisque his nominibus in primis carum. Mandavimus ei, ut has nostras litteras tuae Nobilitati redderet, eamque quam ascribimus, et a Domino precamur, salutem, et benedictionem, coram etiam diceret nostris verbis. Dedemus nos quidem amplecti paterna caritate omnes Christianos, in primis vero Principes potentissimos, possunt enim multis, maximisque in rebus prodesse Ecclesiae Dei. Hujus vero caritatis nullum possumus aliud certius argumentum afferre, quam in optandis Nobilitati tuae non his terrenis, et caducis bonis, quae neminem possunt beatum redere, sed permanentibus, et sempiternis illis, quae nos efficiunt filios Dei, et cohaeredes Domini nostri Jesu Christi. Speramus has litteras atque adventum Posseviui tibi non ingratum futurum, quaeque ex Possevino cognosces, te libenter auditurum: omnia enim exponet mandato nostro. Deus benedictus adsit Nobilitati tuae sua gratia. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15 Martii, 1581. Pontificatus nostri, anno nono.

## GREGORIUS XIII.

PONTIFEX MAXIMUS MAGNAE DUCISSAE MOSCOVIAE.

Dilecta in Christo filia, etc. Salutem, et Apostolicam benedictionem. Non putavimus omittendam esse hanc opportunitatem scribendi ad Nobilitatem tuam per dilectum filium Antonium Possevinum, Theologum eximium,

Digitized by Google

et Sodalitatis Jesu Sacerdotem integerrimum, nobisque imprimis carum: teque et per has litteras, et per ipsum etiam salutandi. Hanc ipsam vero, quam ascribimus salutem, et benedictionem, tibi, viro tuo, filiis, universaeque ditioni tuae a Domino Deo nostro precamur. Nihil enim est, in quo melius possimus nostram paternam erga vos caritatem significare. Humana enim omnia, quamvis amplissima, caduca, et fugacia sunt: sola Divina gratia, et caritas potest nos ad eam beatitudinem perducere, ad quam facti sumus. Speramus hunc nostrum animum tibi gratum futurum. Caetera exponet Nobilitati tuae Possevinus noster; cupimus, ut ejus verbis omnem fidem tribuas. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15 Martii, 1581, Pontificatus nostri, anno nono.

## *JOANNI BASILII*

MAGNO MOSCOVIAE DUCI,

ANTONIUS POSSEVINUS.

Credo jam Serenitati tuae innotuisse, Pontificem Maximum Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae Pastorem, Gregorium Tertiumdecimum omni humanitate excepisse Romae Thomam Severigenum aulicum tuum, quem cum litteris tuis ad eum misisti, una cum tribus, vel quatuor famulis tuis: inter quos erat ille, qui istic vocatur Theodorus Popler. Scribebat autem Serenitas tua Summo Pontifici inter alia, ut ipse ad Poloniae Regem, et ad Serenitatem tuam aliquem mitteret, qui et cum illo ageret de vitanda Christiani sanguinis effusione: ac tecum postea (sicuti et cum aliis Maximis Principibus Christianis) de foedere aliquo tractaret, ad infensissimos Christi Domini hostes expugnandos. Quae omnia, cum Summo Pontifici semper cordi fuerint, libenter aggressus est, quaecunque tua Serenitas cupiebat: meque ad Rudolphum Romanorum Imperatorem, atque ad Poloniae Regem misi, ut ab hoc intellectis rebus, quae ad mutuam conciliandam pacem, ac benevolentiam facerent, properarem ad Serenitatem tuam: cum qua, si tibi placuerit, habeo etiam alias res, quas ejusdem Pontificis Maximi, et aliorum Principum nomine agam, quae quidem ad propagandam Dei gloriam, celebrandamque perpetuo pietatem tuam pertinent. Cum autem Vilnam pervenissem, audivi ad Serenitatem tuam a Rege Poloniae missum fuisse Internuncium de pace, qui quidem esset quamprimum rediturus. Itaque dum ego cum Rege Poloniae coepi agere de iis, quae ad dignitatem tuam spectant: dumque iste Internuncius expectatur, veni Dzisnam (quo ipse etiam Rex praecesserat) ut ad Serenitatem tuam has statim litteras mitterem: quibus reverenter (ut facio) te rogarem, ut mihi Serenitas tua fidem publicam pro me, et undecim aliis itineris mei comitibus, mittere subito dignaretur. Cum enim tu, pro tua sapientia, in tam longo itinere cogitaveris eundem Thomam Severigenum, una cum aliis quatuor tantum, ad Summum Pontificem mittere: ne scilicet, si multo plures fuissent, suspicionem aliquibus Principibus, injecissent, aut impediti fuissent: ita Pontifex Maximus me cum paucis, easdem ob causas, ad tuam Serenitatem mittendum existimavit: sperans, compositis rebus, quae inter Serenitatem tuam, et Poloniae Regem controvertuntur, fore, ut tua Serenitas ad ipsum Pontificem Legationem amplierem, et Pontifex ad te honorificentissimam possit mittere. Ceterum habeo a Rudolpho Romanorum Imperatore fratre tuo litteras testes mei (nec enim semel a Summo Pontifice ad eum missus sum) ut possit Serenitas tua cognoscere, me in tuis rebus omnem fidelissimam operam praestiturum: qualem decet esse, qui Divini nominis propagationem cupit, per tam potentem Principem, quantus es tu, et a Principibus Christianis haberis. Habeo etiam quaedam pia dona, quae tuae Serenitati Pontifex Maximus amoris erga te sui causa mittit. Sed et quod vel donis, vel officiis prosecutus sit ipsum Thomam Severigenum, ex ipso cognoscere poteris qui Psagae ad mare discessit, priusquam ego illuc proficiscerer, quod nondum venerant litterae fidei publicae a Rege Poloniae, quibus posset mecum per Poloniam in Moscoviam venire. Litteras autem, quas ille idem Thomas Venetiis Serenitati tuae scripsit a te mitto, cum alteras, quas mihi Psagae dedit, sim ipse, Deo adjuvante, allaturus. Rogo igitur iterum Serenitatem tuam, ut Orsam quam primum jubeas ad me eandem fidem publicam pro me, et meis undecim mitti: Divinamque Majestatem precor, ut te omni coelesti misericordia cumulet, atque diutissime ad sui Sanctissimi nominis gloriam imperantem faciat. Dzisnae in Russia, die 9 Julii, Anno a Christo nato 1581.

Digitized by Google

## *STEPHANO I.*

POLONIAE REGI, ANTONIUS POSSEVINUS.

Is, qui Regiae Majestati Vestrae has litteras reddet, nobilis est Ruthenus, quem, apud nostros Vilnae litteris operam dantem in Moscoviam adduxi, ut praeter alterum hoc quoque interprete uterer. Qui cum mihi fidelem praestiterit operam, peneque omnibus rebus interfuerit, eum Vestrae Majestati praemitto. Quam demisse rogo, ut per ipsummet, atque per eos, quos meae, ac meorum, inter equites quoquoversum discurrentes, tutelae Vestra Majestas, isto in statu rerum, putabit esse necessarios, dignetur jubere, ut litterae tuti commeatus afferantur: quibus etiam alter Moscus nobilis, qui a meo Pristavo ad D. Palatinum Vilnensem mittitur, ac ceteri qui me deducunt, venire, ac statim tuto redire possint ad suos. Ceterumque pluribus scriptis, nec uno colloquio, cum Magno Moscoviae Duce, ejusque Senatoribus egi, ea referam Vestrae Majestati. Quod ut facilius, praeter alia ad me missionis rationem spectantia efficere possim, dignabitur dispicere, quinam mihi locus, nec incommodior, nec valde procul a tentoriis M. V. erit assignandus. Hoc enim praeter alia pro singulari beneficio agnoscam. Reliqui autem Magnum Ducem 14 die hujus mensis, in oppido Staricia ad Volgam, plus minus quadringentis passuum millibus hinc distante; qui mihi discessum paranti, assurgens, in suo illo procerum, et aulicorum consessu, alta voce dixit: Tu Antoni, qui a Pontifice Maximo de pace missus es, quemque redeuntem ad nos expectabimus, nostro nomine te inclinabis Stephano Poloniae Regi. Postea cum jam Staricia 150 milliaribus Italicis processissem, misit ad me magnis itineribus volumen haud breve, quo mihi praeter illa, quae presenti exposuerat, scribebat alia, quae cupiebat ut scirem; ac praesertim quaedam, quibus ad aliqua possem respondere Vestrae Majestatis epistolae, quam a Matthaeo Prevorski allatam, mihi Latine descriptam, per Senatores antea jusserat tradi. Sed et alia non pauca mihi, tum ejus nomine, tum alias ob causas, referenda sunt Majestati Vestrae. Hoc unum addo; Magnum Moscoviae Ducem, triduo postquam ab eo discessi, ad Trinitatis Monasterium, celebre apud hanc gentem, religionis (ut ajebant) causa, inde Slobedam parasse profectionem: inde vero paulo post Moscvam Regiam suam petiturum, quae duodecim tantum leucis ab oppido Sloboda abest. Majestati Vestrae Regiae omnia prospera, et fausta ex animo a Deo Optimo Maximo precor. Ex Bor pago, ad fluvium Szolonam, Plescovia distante (ut incolae referunt) paulo plus centum milliaribus Italicis, die 26 Septembris 1581.

## *STEPHANUS I.*

POLONIAE REX, ANTONIO POSSEVINO.

Pergratum nobis fuit, de reditu ad nos P. Vestrae cognoscere, quae ut quanto otius properet accedere, etiam atque etiam hortamur. Coram omnia, quae erunt cognoscemus. Litteras passus mittimus Vestrae Paternitati, quibus cautum est universo P. V. comitatui, atque ipsis etiam Moscis, qui una veniunt. Cum ad primas custodias Paternitas V. accesserit, poteris eos Moscos, qui redire volent, tuto a se dimittere: qui volent ulla accedere, id etiam summa cum securitate facient. Nos cum in propinquo Paternitatem V. intelligemus, ei nostros, qui eam pro dignitate accipiant, obviam mittemus, ac vicinum Paternitati Vestra locum divertendi apud nos, sponte nostra concedemus. Bene valeat Paternitas Vestra, ac salva veniat. Datum ex Castris nostris ad Plescoviam, die 29 Septembris, Anno Domini 1581. Regni vero nostri anno sexto.

## *JOANNI BASILII,*

MAGNO DUCI MOSCOVIAE, ANTONIUS POSSEVINUS.

Cum Dei clementia salvus ad exercitum Stephani Poloniae Regis pervenissem, nihil mihi potius fuit, quam ut de ratione omni pacis conficiendae cum eo agerem, qui diu me de rebus, quas tua Serenitas cupiebat, loquentem, et in frequenti suo Senatu, et privatim audivit. Primum autem, etsi grata fuit illi inclinatio, qua mihi discedenti significasti, ut tuo cum nomine salutarem: miratus est tamen cum suis Senatoribus vehementer, eas te arces nolle in Livonia dedere, quas tui ipsius Legati, tuo nomine, Vilnae promisissent. Cum vero quascunque poteram, rationes attulissem, quibus a fundendo Christiano sanguine desisteretur, non solum Rex ipse Stephanus, verum sane (ut tibi sincere omnia dicam) omnes ita mihi responderunt, ut nihil mihi restare aliud agendum existimaverim, quam, ut ipsum Deum enixe orarem, deinde vero, ut domesticum hunc nostrum hominem ad te quam citis-

Digitized by Google

sime allegarem, qui te de omnibus sincere faceret certiorem. Summa igitur earum rerum, quas mihi Stephanus Rex ostendit, haec fuit: se (quod antea tibi ipse indicaveram, quodque ille postrema sua epistola declaravit) nullis unquam pacis conditionibus, nisi prioribus, quas tibi indicaverat, assensurum. Quod quidem eo tibi magis faciendum esse dicunt, quo vides; quanto plus restitutionem illarum arcium distulisti, tanto facilius magnam earum partem venisse in manus Stephani Regis. Regem autem Sueciae Narvam (de qua pene sola erat in pace absolvenda cum tuis Legatis controversia) et Ivanhorod, Lapidem album, aliasque munitas arces cepisse; qui dum tu a Poloniae Regis exercitu, ex multis certe nationibus instructo, in hac regione oppugnaris, in tuas quoque ille, alia ex parte, interiores regiones sit progressurus, nisi cum Stephano Rege quam primum pacem firmaveris. Praeterea intelligunt, videre te Plescoviam peramplam, et inter omnes civitates tuas praecipuam in summo periculo versari, cui nisi pacis beneficium iis conditionibus admiseris, quae tibi proponuntur, gravissimum aliquod damnum sit eventurum: cum praeter trucidata praesidia, quae in eandem civitatem immittebas, captumque insignem Ducem Mikitam Chrostovium (quem ego his oculis vidi, ac de quo egi, ut in honestiore custodia una cum famulo liberius tractaretur) hac quoque nocte, dum haec scribo, milites tui, qui Novogardia venientes in eam ingredi tentarunt, fuerint profligati, ac multi capti. Populus autem ipse Plescoviensis, ut multus est, ac circumquaque ab Regis exercitu obsessus, ea patitur, quae pro sapientia tua potes intelligere. Et sane multos quotidie displosionibus tormentorum Regiorum, et morbis, animique moerore in civitate mori, relatum est mihi, sicut et plures in agris hostilem gladium expertos fuisse, his oculis vidi. Qui, quoniam subditi tui sunt, eorumque tibi ratio reddenda est Deo, vide, an facili negotio velis eorum saluti consulere; nempe, si Stephano Regi ea, quae a te petit, tradas. Quod quidem nunquam tibi, ut faceres, proponerem, si alias rationes perspicere potuissem, quibus in tuo proposito, cum tuorum incolumitate, tuaque cum nominis existimatione, stares. Verumtamen etiam id te movere maxime debet, quod, quantum ex amicis meis, Pontifici Maximo fidelissimis, intelligere potui, Stephanus Rex in Moscovia, tuaque reliqua ditione et hiemare, et bellum quoquoversum inferre statuerit. Qui propterea ex civitate Riga, magnam vim tormentarii pulveris, et globorum advehi huc jussit, ac supplementa alia militum externorum ante quartum abhinc diem expectat. Illud certe verissimum est, non solum Regem cum primariis pene omnibus domos sibi ligneas in castris excitasse; quibus ajunt, totam hic hiemem (si opus sit) sese traducturos, et in tuas ulteriores regiones excursuros: verum etiam militem reliquum, fossas sibi excavasse, quo frigus noctu sustineat, diem autem bello faciendo insumat. Jam vero et illud addunt, te pro tua prudentia intelligere, quid tantus Regis Stephani exercitus triennio, jam omnibus belli laboribus, et victoriis assuetus, efficere possit, cum praesertim difficiliores omnes vias superaverit, tormenta maxima invexerit, arcesque inditione tuatot ceperit, ut undequaque commeatus, militemque recentem ad se queat adsciscere: soluto vero gelu non jam mense Julio, vel Augusto anni insequentis, ex Polonia, Lithuaniave sit castra adversus te moturus, sed ex Imperii tui visceribus. In quae cum sine ullo impedimento pervaserit, quid facturum inquiunt, si jam in patentes, et ultra ipsos Moscvae campos expediti equitatus bonam partem educere voluerit? Quod illum sane facturum inaudivi, etiamsi Plescoviae obsidio protraheretur, quam, propugnaculis quibusdam, cingere decrevit: quamquam et eam omnibus viribus expugnare nitetur, nisi de tota re deliberaveris, mihique responsum citissimum miseris. Nam ut Rex hinc prius deducat exercitum, quam tu aliunde praesidia re ipsa deduxeris, nulla ratione ei potui persuadere. Quin vero, cum illum heri diligenter rogassem, ut a tanti populi, quantus Plescoviae est, caede abstinere juberet, si ad civitatis expugnationem veniretur (quod innocenti populo esset parcendum) id se quidem percupere significavit, sed (quod res est) futurum esse difficillimum, dixi; quod miles ipso oppugnationis ardore inflammatus, ne sibi quidem, si velit, queat temperare. Quamobrem, obsecro te, Serenissime Princeps, ut cogites, num propter illa, quae jam amplius non habes, expediat, ut reliqua in discrimen voces. Quae quidem (cum in tua manu positum sit, ut illa integra serves) si eadem, qua usus es, cunctatione in hostium tuorum manus pervenirent; audent isti Regii sibi polliceri futurum, ut populi tui non solum animis, ac voluntate, ve-

Digitized by Google

rum etiam rebus, ac corporibus ipsis a te ad istos alios Reges dilabantur. Quae omnia cum cognovissem, coepi aliis pluribus rationibus Stephanum Regem urgere ut saltem ad te, quemadmodum cupiebas, vel Legatos suos magnos, vel Internuncium aliquem mitteret, unde pacis tractatio fervorem hunc bellicum mitigaret. Sed cum nihil assequi possem; quod eximendo gerendi belli tempori haec, diceret a te requiri, sicut triennii superioris tractatio docuit: tandem Deo adjuvante, animum illius, auctoritate Pontificis Maximi, permotum, inflexi, ut si tuos Legatos aliquem ad locum, non adeo procul hinc dissitum, sed vel in Regione Novogardiensi, aut alibi situm, quam primum mitteres, ille suos statim sit missurus. Sed id petit omnino, ut quamprimum absolutissimam iisdem Legatis tuis facultatem conferas transigendi, paciscendi, ac quaecunque alia decidendi, praesidiaque ex arcibus statim deducendi: quam ipsam facultatem, quod ad Stephanum Regem attinet, curabo, ut primariis quoque Legatis suis ille impertiat. Ego vero, pro eo amore, quo te Summus Pontifex prosequitur (quam tibi fidem ad haec iterum tractanda pollicitus sum) praestabo, ut eundem ad locum cum Legatis tuis me conferam, rebusque constitutis ad te revertar: cetera acturus, quae ad Dei gloriam propagandam, tuumque decus amplificandum maxime spectant. Ceterum quod ad commercium et negotiationes pertinet, quas, si tibi Livonia esset cedendum, putabas a Stephano Rege posse prohiberi; nec vero cum Christianis Principibus, ac Pontifice Maximo eam amicitiam, quam optas, coli: ego, Deo ipso aspirante, quam firmissimis conditionibus potero, curabo, ut cum tuis Legatis caveatur, ne unquam ad te Principibus illis, vel item quibusvis mercatoribus, a te, atque a tuis ad illos, tutus per Lithuaniam, Poloniam, eamque Livoniae partem, quae ad Stephanum Regem attineat, non pateat aditus. Quod ipsum ii quoque Principes Christiani, ac praecipue Pontifex Maximus ut Sanctum, illibatumque sit, facile a Poloniae Regibus obtinebant. Quin vero, cum (Narva, et aliis arcibus, atque adeo Vica satis magno Livonicae orae maritimae, Pernaviam usque tractu, una cum arcibus Lode, Leal, Fekel, et Hapsel, a Serenissimo Sueciae Rege captis) hi videant, pene omnem tibi commeandi, vel merces importandi in Moscoviam aditum esse terra, marique interclusum; in ipsis autem oculis tuis victorem Stephani Regis exercitum cernant, qui jam Plescoviae, et Novogardiae itinera et vias omnes praecludit: conjicere potest, quantum tibi, ac tuis omnibus rebus accedet, si eosdem eadem, quam dixi, facultate absoluta Legatos citissime miseris (quod utinam et cum Sueciae Rege quamprimum faceres) meum vero hunc hominem statim remiseris; quasque mihi litteras scribes, easdem etiam per alterum tuum afferri mihi curaveris, ut si quid alterutri in itinere contingeret, tanti boni confectione differetur.

Quod autem attinet ad reliquas arces, quas extra Livoniam Stephanus Rex in ditione tua cepit, itidemque bellicos sumptus, quorum Vilnae cum tuis Legatis mentio facta est, ac de quibus tibi Stephanus Rex ultimis suis litteris scripsit, non desinam cum illo agere, nec de spe decidi, quin, ob Pontificis Maximi auctoritatem, et gratiam, aliqua de illis sit remissurus. Sed et post octo dies, si potero, mittam ad Palatinum Novogardiensem alias a te litteras, quibus intelligas, quid mihi a Stephano Rege responsum erit ad illa, quae ex arce Staricia mihi ad illius litteras scripsisti. Interea scito, me post biduum hinc dimittere P. Paulum nostrum cum iis litteris, quas mihi ad Pontificem Maximum aliosque dedisti: nec desinam hic captivos Moscos officiis Christianis, pecunia, ac quibusvis potero solatiis juvare. Quod ut perpetuo facerem, et Christiana caritas, et benignitas erga me tua continenter impellit. Ex Castris ad Plescoviam, mense Octobri, 1581.

## *JOANNI III. SUECIAE REGI,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Quod ex Magni Moscoviae Ducis ditione Majestatem V. me nunquam posse litteras mittere existimavi, ac tamen nunc facio; eo mihi jucundius est, quod V. Majestas intelliget, quacunque in regione sim, in ea me operam dare, ut benignitatis V. Majestatis erga me saepius collatae memoriam gratissimam servem. Nam et apud ipsum Magnum Ducem, cum Stariciae, (quae ipsius arx est) Moscva ipsius Regia triginta sex milliaribus germanicis distantis, mensem commoratus fuissem, saepeque cum eo, ejusque consiliariis egissem, incidi peropportune in sermonem eum, qui mihi a Summo Pontifice, atque adeo ab hoc Serenissimo Poloniae Rege antea injunctus, spectabat ad pacem sta-

Digitized by Google

tuendam. Quam Princeps ille non tam cum hoc Serenissimo Rege, quam cum V. Majestate capere quidem visus est, ac tamen si pacis aliqua inter V. Majestatem et ipsum Principem tractatio esset futura, ea ut per Legatos V. Majestas cum illo ageretur; quibus fidem omnem publicam, tutique, atque honorifici commeatus, sive passus litteras se traditurum pollicitus est. Ego vero, qui probe noram, quid ille V. Majestatis Legatis intulerat: quodque saepe de eodem Principe; V. mihi Majestas referre dignata fuerat; respondi, mihi nunquam credibile videri, ut prius V. Majestas Legatos ad illum suos allegaret, quin suos ipse praemisisset istuc, quos tuto et clementer acceptum iri pro certo habebam. Quippe, qui pro Pontifice Maximo Regis autem Catholici, atque adeo Rudolphi Caesaris rebus (qui sororem nuptui cupiebat V. Majestatis filio tradere) cum non semel legatione functus istuc fuissem, eram expertus, qua fide non ipsos tantum Pontificis aliorumque Principum Legatos, verum etiam ipsos Tartaros Majestas V. solebat excipere. Sed cum ille tum per Consiliarios suos, tum per Michaelem Andreae Beginum, Senatorem inter praecipuos suum, hac de pace agi se velle, mihi quinquies indicasset: ac propterea de me quaereret, num ego jussu, vel impulsu V. Majest. pacis aliquas conditiones afferrem, respondi (id quod res erat) nihil prorsus a V. Majestate mihi mandatum fuisse: Pontificem vero Maximum qui cum summa V. Majestate intercedit necessitudo, mandasse, ut cum mihi de pace inter Serenissimum Poloniae Regem, atque ipsum Magnum Moscoviae Ducem esset agendum, V. Majestas non praetermitteretur, sed ea, quae decet, dignitatis, et quietis Regnorum istorum ratio haberetur. Accessisse Serenissimae Poloniae Reginae preces, Serenissimi ejus conjugi Regi ea de re oblatas, ne si pax inter ejus Majestatem et Moscum sanciretur, V. Majestas excluderetur: sicque eadem pace tres inter Potentissimos Principes, ac Reges stabilita, V. Majest. pietatem latius restitueret: Christiani autem reliqui Principes, ipsorum exemplo adversus Christiani nominis hostes arma converterent. Quod quidem a Summo Pontifice rogaverat Moscus, ac postremo ejus Sanctitat. id ipsum litteris suis testatus est, se quam primum pace absoluta confecturum. Ergo cum haec acta essent, quaesivit de me Moscus, ecquid ipse de tota re cogitarem: an vero, si quas cepisset V. Majest. arces, easdem restituere vellet? Fore enim, ut ita cum V. Majestate pacem veram coleret. Tum ego; Quoniam mihi rationes Serenissimi Regis Sueciae ignotae sunt; audio vero eum sub signis copias habere victrices, si quid mihi tu, Princeps, proposueris, unde tractationem istam ordiar, id persequar, nec eum Regem pacem detrectaturum spero, si ad justas conditiones veniatur. Ad haec idem ipse Michael Andreae Beginus, Mosci Consiliarius, ad me confestim a Principe remissus: Vide, inquit, Antoni, quanam hoc ratione effici possit. Nam ut Princeps meus ad Sueciae Regem mittat Legatos, id nequaquam decet. Soliti enim erant aliquando Sueciae Reges, aut ipsa Finlandia Plescoviensibus, aut Novogardiensibus, qui sunt imperio nostri Principis subjecti, tributum pendere. Ego vero, inquam, id nescio: hoc unum scio, me duorum millium annorum historias legisse, quibus constat, Regnum illud semper habuisse Reges, qui nemini subderentur. Scio item Catholicum Regem ac Caesarem, uti et Summum Pontificem, non ita multo antea ad eum misisse Legatos: praeterquam, quod si ratio habenda est Serenissimi Regis Sueciae, uxoris, et filii, et illa ex Regio stemmate orta est, et Princeps jam grandis natu est, cui, qui inter Christianos Principes primarii sunt, virgines suas non detrectant nuptui dare. Itaque, quando nec Serenissimus Sueciae Rex fortassis huc missurus est Legatos suos, nec tu videris in id propendere, ut mittas tuos: scribam ego per me ipse eidem Regi, cui Summus Pontifex non semel litteras misit, quibus eum rogabat, (quod hactenus benignissime fecit) mihi ut omnem in omnibus fidem adhiberet. Quod cum Moscus non solum non abnuisset, sed ut animi sui propensionem ostenderet, addidisset, Mihi, quidquid pro ejusmodi rebus tractandis, aut hominibus mittendis expendissem, se libentissime repensurum: existimavi mihi faciendum, pro eo ac debeo, ut V. Majestatem quam primum de omnibus certiorem facerem, tentaturus quacunque ratione possem, ut hae litterae ad V. Majestatis manus, quam citissime hoc anni tempore fieri poterit, perveniant. Cum autem ipsius Mosci rogatu ex Staricia ad hunc Serenissimum Poloniae Regem in castra venirem, nuncius mihi allatus fuit, de Narva ab exercitu Majestatis V. capta, tum de Ivanhorod, Albo lapide, totaque Vica, quae fere Pernaviam cum aliis arcibus attingit, eadem felicitate in potestatem Vestrae Majestatis redactis. Quae omnia

Digitized by Google

ad eam pacis tranquillitatem in istis V. Majest. Regnis comparandam, non mediocre esse allatura momentum putantur: cum vel ipse Moscus ad aequiores conditiones descensurus sit; et quod ad Serenissimum Poloniae Regem attinet, facilius cum eo, summa animi in gerendis negotiis moderatione fertur, res illas veteres, et si quae restant adhuc, quas mihi V. Majestas olim referre dignata est, vel forsan alia, quae nova tractatione egebunt, transigere poterit. Quod cum factum fuerit, videor mihi intueri animo igniculos illos pietatis, qui a Spiritu Sancto, in V. Majestatis corde non semel excitati sunt, in flammam ingentem erupturos, quae tenebras istas errorum dispellat, pietatique locum avitum, gratissimi erga Deum animi ergo, restituat; sicque Regnum illud, quod est omnium maximum (nempe, sempiternum) V. Majest. sibi, ac populis suis comparet. Ceterum, cum apud eundem Magnum Moscoviae Ducem duos Ordinis nostri reliquissem, pollicitus ei sum, me quam primum, (sicut Deo volente faciam) ad eum rediturum, ut reliqua ad bonum commune, religionemque Catholicam spectantia, si non absolvere, saltem firmius insinuem. Nam et pro externis, atque pro iis, quos Summus Pontifex, Venetique mittent in Moscoviam, fidem publicam, mihi dedit, quibus in ejus ditione Catholicam religionem colere, et Sacerdotes habere Catholicos possint. Dona item Sebellinarum pellium Summo Pontifici, per hominem e nostris misit: meque a finibus regionum suarum usque ad ejus aulam, honorificentissime in Pontificis Maximi gratiam deduci jussit: convivioque splendidissimo, omnibusque humanitatis officiis accepit. Quae uti vera sunt, ita nolui non ea scribere V. Majest. ut intelligat, potentem esse Deum, qui inflectere animos quantumvis duros queat, quique soleat in multa patientia expectare etiam Moscos, ut resipiscant. Quod autem ad hoc negotium spectat, dispicict Majestas V. nonquid mihi, si quid aliud effici antea non posset, mandare velit, quod sincerissime, et fidelissime agam: num vero aliquem utriusque ditionis finitimum locum designari expediret, ut communicato cum hoc Rege negotio, Legati, et Mosci, et qui a V. Majestate mitterentur, sic convenirent, ut pax inter omnes statui posset. In qua si quid Pontificis Maximi auctoritas usui esse V. Majest. commodis poterit, video, non minimum pondus apud eum Principem hanc esse habituram. Quoniam vero credo post duos menses fere, ut ad Regem Poloniae Serenissimum revertar, summopere autem cupio pro eo, quod mihi Pontifex Maximus mandavit, toti huic negotio coronidem imponere: obsecro V. Majestatem ut mihi animum suum per litteras, quam primum aperiat, ad eas vero litteras, quas per Sacerdotem e nostris a Pontifice Maximo, et a Serenissimo Poloniae Rege de mense Junio Vilna V. Majest. misi, non dubito, quin responderit, quinve paulo post de iis aliquid sim accepturus, quod ejus Sanctitati quam primum mittere possim. Ex Castris ad Plescoviam, die 20 Octobris 1581.

## *JOANNES BASILII*

MAGNUS DUX MOSCOVIAE.

Misericordia, et benigna clementia Dei nostri, qui nos in Oriente ex altissimis praefecit, quique dirigit gressus nostros in viam pacis, ejus Dei nostri in Trinitate benedicti gratia, a Magno Principe, Imperatore, et Magno Duce Ioanne Basilii Volodimiriae, Moscoviae, Novogardiae, Imperatore Casanico, Astrachanico, Principe Plescoviensi, Magno Duce Smolenscensi, Tveriensi, Tuchoriensi, Permiensi, Viatciensi, Bulgariensi, etc. Domino et Magno Duce Novogardiensi, terrae Nisoviensis, Czernoviensis, Rezaniensis, Rostoviensis, Jaroslaviensis Bialojezeriensis, et Domino haereditario terrae Livonicae, Udoricae, Obdoricae, Condiniae, et totius terrae Severiensis, et Sebersciea, sis terrae Principe, et aliarum multarum terrarum Domino.

## *GREGORII XIII.*

PONTIFICIS MAXIMI NUNTIO,
ANTONIO POSSEVINO.

Scripsisti ad nos litteris tuis per hominem tuum Andream, venisse te in Castra Stephani Regis incolumen, et cum Stephano Rege, ac Senatoribus, quae nostra Majestas prescripsit, locutum fuisse, ac privatim ab eis interrogatum, atque auditum: Stephanum autem Regem respondisse, et omnes Senatores dixisse, aliud tibi non esse in primis faciendum, quam ut Andream Apollonium tuum ad nos mitteres qui nos de omnibus rebus certiores faceret, quae tibi Rex Stephanus respondendo dixisset. Te autem de Legatis Lithuanicis Rege Stephano persuasisse, ut eos ad nos Stephanus Rex mitteret, vel internuncium: quod cum as-

Digitized by Google

sequi non potuisses, Regem Stephanum, in gratiam Pontificis Maximi Gregorii XIII. tibi accessisse, ut nobis Legatos suos ad aliquem locum (nobis id ipsum facientibus) mitteret. Quam ad rem, tibi a Gregorio XIII. Pontifice Maximo mandatam, nos quoque hortaris: ut, scilicet, propter pacem Christianiam nostros Legatos mittamus, non procul a nobis, in terram Novogardiensem, aut alio, data illis plena instructione: Rex vero Stephanus ad eundem locum mittat Legatos suos, pacis statuendae gratia: tu autem ad eundem locum ad Legatos nostros cum Legatis Regiis venias, et agas nobiscum de omni bono Christiano, ac de pacis compositione. Quamobrem tuum Andream Appollonium misisti, ut eum audiamus. Nos igitur, ut Summus Princeps Christianus, semper optavimus, ut inter nos, et Stephanum Regem, sanguinis cessaret effusio, et initio id voluimus: qua de re tibi, Antoni, omnia diserte exposuimus, ac postea uberrimas litteras dedimus: cur, scilicet, inter nos, et Stephanum Regem sanguinis copiosior facta sit effusio. Propter pacem autem Christianam, et tuam admonitionem, et injunctum tibi munus a Pontifice Maximo, et nunc, et postea volumus, ut Christiani sanguinis effusio inter nos, et Stephanum Regem cesset. Quare, et ad conventum, qua Velicolucum Novogardia est iter, inter Porcoviam, et Zavolociam, ad Jamum Zapolscii pagum, Legatos nostros mittimus: data illis plena instructione de omnibus iis rebus, de quibus ad nos scripsisti, loquendi, ac loquendo, et tractando ea confirmandi, quae inter nos, et Stephanum Regem aequum est constituere. Tu vero, Antoni, Stephano Regi loquere, ac persuade, ut Plescovia discedat, et exercitum suum ubique prohibeat sanguinem Christianum effundere. Nos etiam exercitum nostrum per omnia loca idem facere jubebimus, et ne praelium committatur ullum, praecipiemus, quamdiu nostri Legati cum Legatis Stephani Regis in conventu mutuo aliquid recte constituerint, ut ex utraque parte effusio sanguinis Christiani cesset. Misimus autem per Zachariam Boltinum, antequam Legatos nostros mitteremus, ad Stephanum Regem fidei publicae litteras, propter Legatos Stephani, Regis. Tu itaque, Antoni, juxta praeceptum Pontificis Maximi, cum Legatis Stephani Regis venias ad eundem locum, inter nos, et Stephanum Regem, cum nostris Legatis pacem compositurus: et cogites, quanam ratione tuis consiliis, effusio sanguinis Christiani inter nos in Christianitate cesset, resque ad pacem deducatur, et in posterum quoque fiat immobilis. Ac quam primum noster prodromus cum nostris fidei publicae litteris ad Regem Stephanum venerit, Rex quoque Stephanus eundem prodromum, litteris, cum publicae fidei pro Legatis nostris, quam primum remittat, quas litteras nostri sequentur Legati et cum Stephani Regis Legatis, ac nostris, inter Porcoviam et Zavolociam, concurras ibidem, negotia pacis tractaturus, et constituturus. Interim nostri Legati cum nostra instructione, et plena praeceptione, cunt celeriter Novogardiam, expectaturi Novogardiae Stephani Regis litteras passus: litteras autem fidei nos per Legatos nostros mittimus, ut sciatur, ea, quae in conventu illo egerint Legati nostri, cum Legatis Stephani Regis, esse voluntatis nostrae. Stephanus quoque Rex Legatis suis similes fidei litteras tradat, quibus liqueat, ea, quae egerint Legati ejus, cum Legatis nostris, esse voluntatis Stephani Regis: ut et nostris, et Stephani Regis Legatis tecum, qui Legatus es Pontificis, in conventu illo, de omnibus negotiis statuere, et confirmare liceat, quo inter nos in posterum firma, fraterna amicitia, et societas cum Stephano Rege stabiliatur immobiliter. Scriptae in Imperio nostro, in aula Slobodiensi, anno 7090. Mensis Octobris die 23.

## *JOANNI BASILII,*

MAGNO MOSCOVIAE DUCI,

ANTONIUS POSSEVINUS.

Misi Serenitati tuae, cum primum ad Stephanum Regem perveni, Andream Appollonium nostrum, cum litteris meis, quibus significabam, quantopere tuis rationibus consulturus esses, si quam citissime ad propiorem locum, quam Mosova sit, Legatos mitteres tuos. Quem ad locum darem operam diligenter, ut suos item Legatos Stephanus Rex mitteret: cum quibus omnibus ipse quoque, Deo juvante, ad pacis tractationem absolvendam convenirem. Verum, quoniam pollicebar etiam Serenitatis tuae, me quam primum aliquid responsi a Stephano Rege elicere potuissem, ad ea, quae mihi in itinere ad ejus epistolam rescripsisti, id ad te missurum: litterarum autem earundem alterum exemplar statuebam ad te mittere, quas per Andream Apollonium misi, ut si quid illi, vel inter militum excursiones, vel in reliquo itinere accidis-

Digitized by Google

set, ad te tamen meae pervenirent: neutrum sane praestare potui, quamvis id sedulo curaverim. Nec enim Stephanus Rex respondere aliquid voluit responsioni tuae, inquiens, ista terendo tempori inservire: cum bellum re ipsa, non verbis, sit omnino continuandum; aut si ad justas pacis conditiones descenderis, pacem ipse stabilem, ac firmissimam, non ullam autem aliam amplecti velit. Interea vero, dum haec agerem, supervenerunt in haec castra novi milites, atque alius pulvis, et globi tormentarii: qua re in civitatem ipsam Plescoviam iterum summo conatu irrumpere statutum fuerat. Sed pro viribus egi, ne id hactenus fieret: Summi primum Pontificis usus auctoritate: deinde sistens me quasi vadem ipsi Stephano Regi, te ea, quae mihi a te, ac tuo nomine a Senatoribus tuis promissa sunt, nulla arte, vel cunctatione, sed Christiana sinceritate sic esse praestiturum, ut reliquis omnibus Christianis Principibus nulla unquam fidei, vel promissionum tuarum suspicio injici possit; mihi autem Tabellarium meum cum celeri responso te remissurum. Qui quoniam ad hanc usque diem non venit (quae quidem dies isti itineri faciendo, homini praesertim currenti, satis ipsis esse futura putabatur) angor animi vehementer, quod cum me non satis veracem suspicari possint, fortassis jam minorem in ipsa pacis tractatione fidem adhibebunt, quae tamen tuis rebus non inutilis futura videbatur. Quod si tu ea respondisti, quae maxime ad tranquilitatem rerum tuarum comparandam respondisse te credo; meus vero Tabellarius quam primum redierit, enitar id, quod Summo Pontifici, ac mihi optatissimum est, ne Christianus sanguis amplius effundatur. Sin minus, audio, non solum, vel nunc, vel primo vere maximam stragem hominum futuram, verum etiam, quod antea tibi scripsi, hujus exercitus latissimam in tuas pacatas regiones excursionem ac vastationem. Quod rursus praedictum tuae Serenitati volui ne Pontificis Maximi studium, aut operam meam tibi unquam defuisse, (si quid secus acciderit) intelligas. Scito autem, me certe difficillime consequi potuisse, ut has tibi litteras mitterem: misisse autem in Sueciam alias litteras, ut ordiri ex me pacis illam tractationem possem, quae dignitati et quieti tuae sit, (ut spero) commodatura. Deus te sua gratia, et coelestibus donis uberrime cumulet. Ex Castris Stephani Regis; ad Plescoviam, die 22 Octobris, 1581.

## *JOANNI BASILII,*

MAGNO MOSCOVIAE DUCI,

ANTONIUS POSSEVINUS.

Andreas Apollonius, quem Serenitati tuae cum meis litteris miseram, heri cum Zacharia Boltino Internuncio tuo rediit, quorum uterque mihi litteras tuas, pietatis, ac pacis desiderii plenas reddidit, quae me in Christo Jesu magna laetitia affecerunt: cum tu ob Dei honorem (sicuti Christianum Principem decet) Christianorum Pastoris Gregorii XIII. auctoritatem magnifacias, et consilium de pace, ac foedere cum Christianis Principibus ineundo libenter sequaris. Ego vero ipsas Serenitatis tuae litteras statim per legendas Stephano Regi curavi: quem, antea pluribus rationibus, et ipsa Pontificis Maximi auctoritate permotum, ne amplius sanguinem funderet, nec majore hominum caede expugnationem Plescoviae tentaret, nunc Boltini tui adventu, ac reditu ipsius Appollonii mei, facilius adduxi, ut ad omnia quae aequissima futura sint, se attemperet. Quamvis nulla ei ratione persuaderi potuerit, ut exercitum ex tua ditione deducat, priusquam sincera, et immobilis pax fiat. Saepe enim pro certo mihi affirmavit; nisi pax fiat, se hac hieme in istis provinciis exercitum, cum generali ejus Duce Joanne Zamoscio, Magno Regni Poloniae Cancellario, relicturum: Philonem autem Velicoluci cum magna militum manu, ceterosque Praefectos alias in arces, vicinas impositurum: se vero, excursurum in Lithuaniam ad majores copias comparandas, quas primo vere in regiones tuas interiores inducat. Quamobrem quanto maturius accedent Legati tui magni ad locum, a te conventui Legatorum, et mihi assignatum, et ad proponendas eas, quae sperantur, pacis conditiones, tanto minus vastationis fiet, aut sanguinis fundetur: restituesque his omnibus regionibus tuis optatam, ac certe necessariam tranquillitatem. Vt vero Legati tui magni Zapolsciam tutius veniant, curavi, ut statim Boltinus tuus una cum fidei publicae litteris, Stephani Regis remitteretur. Ego vero Novogardiam una cum Boltino mitto Basilium Zamoscium, quem Senatores tui noverunt, ut quam citissime ad me litteras a Palatino Novogardiensi, vel a Legatis tuis magnis afferat: quibus certior fiam, quo loco et die eos in itinere convenire potero, ac cum iis agere de ratione,

Digitized by Google

qua ipsi quoque Stephani Regis Legati, sine impedimento, aut damno, cum iis quamprimum conveniant, cum quibus ipse operam, et officium meum omnibus (ut mihi scribis) consiliis ad pacificationem sedulo interponam. Qua propter ubi Basilius meus redierit, statim me dabo in viam Porcoviam versus, ulteriusque progrediar, ubicunque intelligam, id pacis celerius conficiendae negotio magis expedire. Interea tuam Serenitatem precor, ut sibi persuadeat, me nullum fidelissimae, ac Christianae sinceritatis officium praetermissurum, quod huic Rei statuendae, ac Christianae paci confirmandae conducere posse existimabo. Dominus Jesus Serenitatem tuam, cum omnibus tuis felicissimam reddat. Ex Castris ad Plescoviam die 16. Novembris 1581.

## *STEPHANUS POLONIAE REX,*

JOANNI BASILII, MAGNO DUCI MOSCOVIAE,

EX RUTHENICO IDIOMATE.

A Magno Principe, Dei gratia, Stephano Rege Poloniae, et Magno Duce Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Liveniae, et Principe Transsilvaniae, etc. Joanni Basilii Principi Russiae, et Magno Duci Vlodimiriensi, Moscoviensi, Novogardiensi, Casanensi, Astrachanensi, Plescoviensi, Tveriensi, Permsciensi, Viatciensi, Bolgariensi, etc.

Dedisti ad nos litteras per Prodromum tuum Zachariam Beltinum, significans, misisse ad te Sanctissimum, et Maximum Pastorem Gregorium XIII. Pontificem Romanum, Nuncium suum, Antonium Possevinum, qui certiorem te per litterasfecerit de iis rebus, de quibus ad pacem nobiscum statuendam est locutus. Te vero pacis Christianae gratia tuos Legatos allegasse, ad conventum habendum inter Porcoviam, et Zavoloclam, via Velicolucensi, ad Jamum Zapolscii, data plena illis instructione, de omnibus rebus statuendi, et confirmandi. Litteras quoque fidei per eosdem mittis, tuae voluntatis illa esse declarans, quae tui Legati cum nostris egerint in eo conventu. Nos vero hortaris, ut ad eundem locum cum ejusmodi litteris nostros mittamus Legatos: quo et nostris, et tuis Legatis cum Nuncio Sanctissimi, et Maximi Pastoris Pontificis Romani P. Antonio Possevino, in conventu illo de omnibus rebus loqui, et confirmare liceat: utque nos Plescovia discedamus, et exercitum nostrum ab effusione sanguinis Christiani prohibeamus; id quod fieri non potest, antequam inter nos, et te confirmatio fraterni amoris, et amicitiae sanciatur. Nos autem ut semper, ita et nunc animum nostrum voluntate Dei omnia scientis obfirmamus, ut cum Principibus Christianis, ac tecum, ob Reipublicae Christianae bonum, amice, ac tranquille vivamus, et effusionem sanguinis Christiani vitemus: quam ad rem nunquam, sine justa causa, accedere voluimus. Quare et saepius tibi diserte declaravimus propensionem nostram ad pacem, propter Christianam tranquillitatem; si quidem tu, quod ad te attinet, sincere ac juste accesseris. Jam vero, post tuam ad nos Internuncii allegationem, eadem erga pacem Christianam propensione nostra, mittimus Legatos nostros eum ad locum, quem tu designasti, Jamum Zapolscii, inter Porcoviam et Zavoloclam, dedimusque iisdem integram instructionem, ac facultatem de omnibus rebus, quibus pacem statuere, et reliqua omnia componere, atque ad exitum perfectum deducere, ac concludere, ita ut par erit, valeant. Litteras quoque fidei publicae, Legatis tuis, per eundem Internuncium tuum Zachariam Boltinum, mittemus, quales habere voluisti, quibus libere eo veniant, atque inde redeant, unde voluerint. Quod autem scripsisti, ut Plescoviam discedamus, et exercitum nostrum ab effusione sanguinis prohibeamus, id quod etiam a nobis P. Antonius Possevinus nomine Summi Pontificis diligenter petiit (ut scilicet in gratiam ejusdem Summi Pastoris Romani Pontificis id faciamus) nos id, quemadmodum decet, maximi facientes respondimus, et indicavimus, quid in hac re praestare poterimus: illud interea curantes, ne nobis ipsis, et actionibus nostris detrimentum aliquod conciliemus. Ac tamen hoc in eo praecipue situm est, ut tui Legati quam primum ad locum a te assignatum, cum plena facultate, et instructione approperent, cum iis conditionibus, quibus acquiescere possimus: cum et nos nulla mora interposita, Legatos nostros eodem mittamus: dimittamus autem illico tuum istum celerem Internuncium. Ex Castris nostris ad Plescoviam, Anno a Christo nato 1581, mensis Novembris, die 16.

## *JOANNI ZAMOSCIO*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Quatriduo postquam e castris discessimus,

Digitized by Google

huc venimus: cum is, qui comes itineris fuerat nobis adjunctus, imperitus harum viarum, per flumina periculosa, diversasque vias nos circumduxisset. Praierat enim D. Zebridovius, ut equitatum obviam Moscis Legatis praemittendum cogeret, Sicque Divina providentia eo nos tutius deduxit, quam si eos equites habuissemus, qui nobis fuerant attributi. Sed bene habet, quod Cosaci longius aberant. Postridie ejus diei, quam huc venimus, supervenere Legati Regii, heri vero, inclinata jam die, D. Zebridovius Opocam versus ad Soletz equitatum praemisit: cum per varios tabellarios, ne aliquam Mosci suspicionem conciperent, eos admonuissem, ut prope Biscovicium nos esse intelligerent: quo in loco ne soli commoraremur, ac vero tantisper hic maneremus secuti sumus Illustris Palatini Braslaviensis consilium: qui eum istuc tabellarium mitteret, nolui non pauca haec scribere: simul rogamus, V. D. M. ut jubeat eum Cosacum (quem Novogardiam a me missum, Mosci suspicati sunt falso, auctorem fuisse Psagae comburendae, et caedis ingentis patrandae) ad nos Zapolsciam mitti quemadmodum Serenissimus Rex mihi se facturum pollicitur est. Neque enim ipsi causae, de qua conveniemus, parum commodabitur. Caeterum non despero bonum futurae tractationis nostrae exitum, quod etiam istis in castris haeretici Ministri, quos summopere odit Deus, non amplius perstrepent: qui neque a Deo sunt missi, nec ullam verbi Dei praedicandi auctoritatem habent. Quod si effecerit V. D. M. sciat eum, qui finxit oculum, quique nostras actiones, et cogitationes intuetur, atque altissime considerat, non defuturum iis coeptis, quae ad ipsius gloriam sincerissime referentur. Ut vero semper de salute V. D. M. sollicitus sum, ita obsecro eam enixe, ut sibi non tam forsan ab hostibus, quam ab aliis caveat. Quid me ita scribere faciat, si quaerat, equidem neminem possem prodere, sed res est plena timoris amor, et reverentia, qua interiore eam in Domino prosequor. Utinam Deus illam omnibus veris donis, et solidissimo honore cumulatam diutissime servet incolumem. Amen. Ex Monasterio B. Virginis, quod jam Monasterium non est amplius, in Koroczinici die 5 Decembris 1581.

## *JOANNI BASILII MAGNO*

MOSCOVIAE DUCI, ANTONIUS POSSEVINUS.

Magni Serenitatis tuae Legati, qui huc in Pagum Biscovicium heri pervenerunt, in quo eos expectabam, tibi significabunt, quid satis longi inter nos colloquii hesterna die fuerit. Ego vero, ut debito Legationis et officii erga te mei satisfacerem, antequam hinc longius discederem, existimavi mihi faciendum, ut non solum me tibi reverenter inclinarem, omniaque a Deo bona Serenitati tuae praecarer, verum etiam instructionis ejus exemplum ad te mitterem, quam mihi Stephanus Rex suo chirographo, signoque munitam tradidit, cum ab eo novissime discessissem ex castris. Ex hac enim, qui nam sit ejusdem Regis de pace animus propemodum intelliges, facileque cognosces, nihil a me praetermissum fuisse, quo illi suaderem, ut exercitum ex regione tua, pace quam primum composita, deduceret. Verum enim vero, ut dubito, vel peccata hominum, diuturnius, et gravius flagellum commerita, bellum producent: aut nisi pro ea, quae in pectore tuo residet pietas deliberes de aliquibus rationibus tuis adhuc potius remittere, quam ut Christiani sanguinis plus effundatur; vel denique nisi Deus ipse, multi fermi sua sapientia, Stephano Regi liquidius declaret, nolle se ut hoc bellum continueretur: erit mihi, ceterisque fidelibus tuis plus quam putabatur laborandum; praesertim si Stephanus Rex primo vere exercitu aucto Regeque Sueciae altera ex parte eodem tempore bellum gerente pergat in incepto. In quo, si nihil aliud promoveretur, certe miserandum, et horribile spectaculum erit, quidquid ubique Novogardiam usque (ne dicam alterius) cernitur. Templa enim diruta, vel in equorum stabula conversa sunt, ubi saltem Divini nominis laudes exaudiebantur. Imagines piae in ignem impie projectae, vel scommatis, et ludibrio ab iis habitae, qui coelites ipsos vix membra esse Christi agnoscunt. Hominum et puerorum cadavera passim jacent, et ab ipsis jam equis in itinere atteruntur. Nec desunt utriusque sexus imbellium rusticorum caedes, et raptus, ad quos rusticos in silvis venandos relicta ferrarum venatione avidissime discurritur. Virgines stuprantur, et turpius etiam violantur. Incendia vero latissima visuntur, incredibili cum tuae ditionis vastatione, quae ubique, agricolarum et jumentorum de-

Digitized by Google

fectu jam silvescit nullo cum fructu: difficilioreque autem ad multos annos advenarum commercio cum tuis. Quae quamvis ipsi Stephano Regi summopere displiceant, nec propterea cum iis quos copiis praefecit, disistat, his rebus omnia quae potest adhibere remedia: difficillimum tamen est, tam ingentem exercitum, ad quem plurimi concurrerunt externi, ac voluntarii milites, in vastitatibus istis in officio continere. Sed et ego eadem, quae Magni tui Legati, Serenitatis tua enomine, mihi narrarunt, ac multo quidem plura, voce ac scripto retuli. Verum quod ante triennium in Comitiis Regni Varsaviae de obtinenda Livonia decretum est, promissaeque a tuis Legatis magnis postremae conditiones, Vilnae: sumptus quoque bellici, quos propterea hoc etiam anno fecisse, Stephanus mihi Rex objecit: expugnatae vero a Sueciae Rege non paucae arces, quas tu obtinebas: copiis autem, quas Stephanus Rex in castris ad Plescoviam reliquit, stipendium persolutum, et ad annum usque assignatum ad bellum continuandum: dubium porro, in quo animus Regis versatur, ne semper nova belli materia praebeatur, nisi Livonia tota cesseris: ac jusjurandum ab eo, cum Regno inauguraretur, praestitutum, de Livonibus in libertatem asserendis: quodque tu (ut dicunt) foederis tempore, antea quidem Sigismundo Augusto Rege, Polociam; deinde Henrico Rege, Pernoviam invaseris: nec vero videatur futurum ut data occasione conquescas, et a bello, abstineas: rationes illae sunt quibus sibi in proposito omnino praestandum Stephanus Rex dicit: asserens, quamvis hactenus Plescovia a se capta non sit, obsidione tamen ita se illam praessurum, ut in suas manus veniat, nisi quam primum pax componatur. Scire enim se magnas civitates, ut sanguinis effusioni parcatur, hac ratione esse expugnandas: cum et felicis memoriae avus tuus, ipso quidem (ut ajunt) foedere vigente, Novogardiam non unius anni, sed septennii obsidione redegerit in suam potestatem. Quamobrem si post omnem diligentiam, et fidelissimam certe sinceritatem a me adhibitam, Stephani Regis Legati magni ad eas conditiones non poterunt descendere, quas tu cuperes: vel tui Legati magni a te non attulerunt ampliora mandata, quam ex eorum sermone hactenus videor mihi potuisse colligere: ipse tua cum gratia et voluntate, Deo juvante, excurram a te, ut si quid aliud iniri consilii queat ad reliqua absolvenda, id eodem volente Deo, fiat. Idcirco tuam Serenitatem rogo, ut ubi apud nos actum de tota re fuerit, digneris jubere, mihi ut ad Serenitatem tuam redeunti benignus, ac tutus ille aditus pateat, quem fidei publicae litteris Pontificis Maximi Legatis, ac Nunciis pollicitus es. Jesus tuam Serenitatem omni gratia, et benedictionibus cumulet. Ex Biscovicio pago, duobus milliaribus Germanicis prope Porcoviam tuam, die 7 Decembris, 1581.

## *STEPHANO POLONIAE REGI.*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Ex Corocinicio, ubi Monasterium erat, scripsi ante quatriduum Majestati Vestrae: deinde in Biscovicium pagum, Mosci Legatis et mihi assignatum, me contuli, cum ex itinere Percovienses egregie nos ferreis globis ex turribus salutassent. Postridie vero, cum eo perveni. Legati Mosci satis mature, ne expectato quidem Opocae Regio Majest. V. equitatu, supervenere. Qui me Magni Ducis nomine (ut solent) pluribus verbis consalutantes, accurate interrogarunt, ecquid a V. Majestate de pacis conditionibus deliberatum fuisset. Ad quae, cum id, quod res esset, respondissem: ceterum praeter Livoniae restitutionem, ac quaedam alia arces nempe captas esse retinendas, ob bellicos sumptus: nescire me si quid aliud V. Majest. Legati haberent in mandatis: interdum identidem unum illud verbum proferebant. Veliki, magna sunt haec. Cum vero paulo post sese venisse ea cum potestate referrent, ut eadem, quae Majest. V. attuleram, firmarent, et ad effectum adducerent: ego autem dixissem, nisi Livonia cederent, nulla me ratione intelligere, quorsum utrisque Legatis, ac mihi aliquo esset conveniendum: illico Beginus, Andreae Begini frater, secundus Legatus subdidit: Et est quiddam aliud, quod afferimus, quod cum a me petiissent, ut reticerem, nec vero prae illo, quod a V. Majestate petitur, magni monenti sit, spero Majestatem V. in bonam partem accepturam, si tantisper illud reticuero, dum in conventu proponetur. Sic enim expedit, ut fidem meam illis praestem, quam illibatam Vestrae quoque R. Majestati servabo. Praescriptos autem illis in proponendo gradus, (ne dicam terminos) fuisse, ex eo etiam intellexi, quod nunquam iis exciderunt

Digitized by Google

haec verba, suo more loquentibus: Quandoquidem, Antoni, Princeps noster demissior factus est; elatos autem deprimit Deus: aequum est, ut Stephanus Rex modum imponat suis petitionibus: tu vero, si qua in re videris haerere nos pertinacius, de ea nos admoneas. Sed ut prorsus Livonia Magnus Dux cedat, cui et commercia cum alienis gentibus, ac praecipue amicitia cum Summo Pontifice, et Christianis Principibus colenda sit, fieri non potest. Sed Stephanus Rex contentus sit ea, quae tradetur, parte, ne, cum totum voluerit, ne partem quidem illam fortassis postea consequi possit. Quid vero ad haec responderim, quidquam consilii in re praesenti ceperim, cum illi Tabellarium de suo in Biscovicium adventu, Magni Ducis mandato, in Moscoviam essent missuri: cognoscet V. Majestas ex adjuncto litterarum exemplo, quas eidem Magno Duci misi: ut si longior noster Legatorum conventus haberetur, ipse adhuc ad alias conditiones Legatis suis proponendas adigeretur, paxque Deo juvante, quam primum fieret. Postridie autem ejus diei, cum ad hunc pagum veniremus, male habebat illos, quod neque in Porcoviam arcem ingredi, neque necessaria capere possent. Verum denique rationibus, ac necessitati parverunt: quod nec dum pax esset, nec fidei publicae litterae a Vestra Majestate acceptae, quibus illi nitebantur, eo spectarent, ut eo praetextu obsessis aut opem, aut consilium aliquod afferrent. Cum vero de iis quaesivissem, num si paucorum dierum ipse inducias inter exercitum V. Majestatis et obsessos tentassem, id ipsi Magni Ducis nomine ratum habere possent: sic quidem, ut interim nemo ex obsessis arcibus egredi, nemo eas ingredi posset: se ejusmodi facultatem non habere dixerunt. Quamobrem postea nihil mihi negotii amplius facessivere, cum saepe viderentur antea mirari, cur V. Majestatis exercitus tempore tractandae pacis alio non deduceretur. Sed et cum occasione oblata innuissem, inaudivisse me, a V. Majestate propositum fuisse, ut Serenissimus Sueciae Rex inter ipsas pacis conditiones admitteretur, haud commode responderunt. Quamobrem credo vix eam rem habiturum inter reliqua locum. Porro hic biduum substitimus, quod Legati V. Majestatis antequam huc pervenissemus, litteras mihi scripsissent, quibus Jamum in Zapolscia combustum fuisse, coenobium autem esse in ditione V. Majestatis significabant, cui rustici isti jam jurejurando erant obstricti: in quo nisi Mosci vellent convenire, Paderovicium saltem pagum deligerent, procul hinc tredecim passuum millibus, quem ad locum omnes conventuros dicerent, licet octo, decemve tantum domus in eo extarent. Cui rei cum Legati Mosci statim assensissent, qui in ditionem V. Majestatis se ingredi non posse affirmassent, admoniti a Ducibus, seu Praefectis quibusdam equitum Polonis, qui huc nos adduxerant: Bolcinum hinc quatuor verstis abesse, commodum, et cujus in vicinia non rari sunt pagi, proposuere Legatis V. Majestatis locum illum: si vellent, eo se ituros, sin minus Paderovicium ab illis propositum se petituros. Quorum dum responsum exspectamus, quod hodie ad priores meas litteras miserunt: immutata eorum consilii ratio est, ut scilicet in Jamum eamus: quo quidem licet statim Mosci me audito statuerint summo mane crastina die proficisci, non potui tamen non dolere, vel immature res provideri, vel aliis tribui, quod in eosdem aptius cadit. Mitto autem V. Majestati et eorum Legatorum V. Majestatis schedam, ac quicquid illis respondi. Quod si fortassis illi dubitarunt, istos Magni Ducis Legatos, propius quam par erat futuros esse Porcoviae, id prospectum (antequam ipsimet aliud proponerent) oportuit. Sed fortassis posthac ista melius praenoscent, atque in rem conferent.

Jam cum nobis crastina die, vel perendie cum Legatis V. Majestatis conveniendum sit: possimque vereri, Livonia universa Moscum non cessurum: obsecro V. Majestatem ut me quam citissime certiorem faciat, num si soluto conventu Livonia cedere noluerint, ego in Moscoviam rediens ex me agere debeam, ut Moscus vel hos, vel alios Legatos Comitiorum tempore Varsaviam ad V. Majestatem remittat; an vero hinc id ipsum Mosco a me scribendum sit, ut hosce Novogardiae tantisper detineri jubeat, dum tempus veniendi appetat. Negotium enim hoc, quod ad Decretum Reipublicae de obtinenda Livonia pertinet, priusquam arma deponantur, aut tum habebit liquidiorem declarationem, aut Moscos Varsaviae praesentes ad solidio rem deliberationem adiget, si Ordines Regni in eodem perstantes viderint. Vestra porro Majestas sapiens est, quae novit momenta temporum, quaeque cernit, quantam in Regno suo molem habeat rerum aliarum explicandarum, quibus statuendis non minore jurejurando obstricta est, quam Li-



Digitized by Google

voniae obtinendae: quam tamen fortasse Deus iis tradere totam non vult, qui sese tradere totus in ejus obsequium nolunt. Ipse V. Majestas uberrimam suam gratiam, ac denique coelestem gloriam impertiat, quae plus omnibus Regnis, ac mundo ipso exoptanda est. Ex Czissenka pago, die 11 Decembris 1581.

## *LEGATIS REGIIS POLONIAE,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Ante horam accepi schedulam Vestrarum Illustrium Dominationum qua mihi significant, sese omnino statuisse non progredi ultra Jamum Zapolsciae pagum, quidquid antea secus deliberassent, atque ideo ipsae nobis diligenter eo iterfacientibus proposuissent, de Paderovicio pago potius deligendo: quandoquidem, ut scribebant, Jamum a Cosacis sic erat combustum, ut ne stipes quidem equis alligandis circumquaque reperiretur; nec vero in tota illa vicinia, quidquam esset, quod hoc mense Decembri nobis tegendis, hominibus vero, et equis sustentandis haberi posset ad manum. Quae nova D.D. V.V. Illustrium deliberatio licet visa sit non usquequaque commoda, facillime tamen Magnis Mosci Legatis persuasi, ut crastina die summo mane cum hac hora jam advesperascat, Paderovicium versus unam mecum se in viam dent, eo vero ulterius proficiscantur, quo magis V.V. D.D. Illustribus collibebit. Nam quod ad me attinet, in cujus gratiam se Paderovicium, ne mihi deesset hospitium, delegisse nunc denique scribunt; non est quod valde doleant, cui et reliqua, et bonus itineris Dux sic pene hactenus inter medios exercitus, et globorum ferreorum ei aculationes defuerunt, ut nisi in unam ipsius Dei voluntatem inspicerem, mentemque pontificis Maximi optimam prae oculis haberem, quae tota nullum ad privatum commodum, sed ad Christianam pacem spectat, alia quoque mihi justior immutandi consilii ratio subeunda erat. Quod vero V.V. D.D. Ill. pertinacia horum Mosci Legatorum fieri putant, quo minus in Iamum recta processerint, certe, ut ne quidem pro sexcentis Poloniae Regnis mentiar, ita fateor in hac eorum bidui commoratione nullam noxam, ac ne minimam quidem pertinaciae suspicionem me in illis agnovisse: cum neque in Spaga, vel Soltz expectato Regio equitatu (qui per duos Tabellarios illis fuerat promissus) statim acceptis litteris meis in Biscovicium magnis itineribus Novogardia accurrerint; nec ipsi quidquid nisi ex litteris, ac proposito V.V. Ill. D.D. decreverint. Quantopere vero Juri Gentium (ne dicam, pietati Christianae, ac Regiae) consulatur, quod illi mecum inter Cosacorum stationes, et militum aliorum, a quibus semper aliquid illis adimitur, relinquuntur, nullo cum praesidio, nullo item pro equis saltem collecto pabulo, quod saltem pecunia posset comparari, cum nulla eis facultas danda sit, ut sibi necessaria excurrendo conquirant, judicium esto V.V. D.D. Ill. praeterquam, quod si vera sunt, quae nobis de Jamo ipsaemet a nemine requisitae scripserunt, non video, quantopere ad rem faciet, ut sub dio maneamus diem ac noctem equites pene sexcenti: vel si Legati procul ab se aberunt, quantum temporis brevissimis hisce diebus deteretur, ante quam simul ad me conveniant: cum ut celerrime res espediretur, et Serenissimus Rex, et ratio temporis, et reliqua omnia postulare videantur. Ut ut igitur res habeat, venimus Deo Duce, qui jam unicus (ut ita dicam) Pristavus est noster, cum interim nihil amissum temporis sit eliciendis iis rebus, quas paci tractandae non incommodas fore, V.V. D.D. Ill. intelligent. Jesus V.V. D.D. Ill. sua sapientia, et desiderio sincero suae sanctissimae voluntatis impleat. Amen. Ex Czissenka pago, die 11 Decembris 1581. Ad vesperam.

## *JOANNI ZAMOSCIO,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Paucas ante horas accepi litteras V. D. M. octavo hujus mensis datas, quibus eo brevius respondebo, quod quaecunque Serenissimi Regi scribo, sic mitto ad V. D. M. manus, ut et ea perlegere; ac si quid ei venit in mentem, proponere ejus Majestati queat: ad quam non dubito, quin statim easdem omnes meas obsignatas proprio in fasciculo sit missura. Quae autem mihi scribit V. D. M. de caesis quibusdam sub ipsis Plescoviae moenibus, et captis decem nobilibus, quorum primarius Petrus Koltowski ajebat, copias cogi ad Nove-

Digitized by Google

gardiam, ferendae opis Plescoviae causa, eadem Legatis Mosci legenda curavi. Ipsi vero mirari, quid istud esset de copiis, quae cogerentur. Quicquid autem id sit, certe hujus modi litterae, si identidem ad me mittantur, quae vera contineant, incommodae non sunt eliciendis hominum sensibus, si qui latent adhuc interius, ut tandem pax. Christo Domino, qui nostra pax est, adjuvante constituatur.

Rogo autem V. D. M. ut per D. Schortium jubeat quaeri, quaenam spes valetudinis sit in meo Andrea Appollonio, quem istic sub patrocinio M. V. reliqui jacentem. Qui si sine magno salutis discrimine ad me mitti posset, is mihi pernecessarius esset. Sin ille attritis adhuc est viribus, obsecro V. Magnific. vel adolescentem illum ad me quam primum mittat, qui litteras Mosci mihi scriptas in itinere ex Ruthenico idiomate in Polonicum vertit, vel aliquem alium fidum tractandis, et Ruthenice interpretandis rebus. Unus enim Basilius si in morbum incideret, quo interdum laborat, non haberem, qua ratione negotia promoverem. De quibus si quid statuetur, certe allato mihi isto subsidio, neque a Deo praemium V. Magnific. deerit, nec ego istius beneficii memoriam unquam deponam. Deus interim cor, ac dexteram V. M. Ill. semper muniat coelesti suo Praesidio. Ex Czissenka pago, prope Porcoviam tribus milliaribus, ad noctem die 11 mensis Decembris 1581.

## *STEPHANO POLONIAE REGI,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Secundas heri ante diem litteras meas, post quam ex castris discesseram, misi Vestrae Majestati Regiae quibus quicquid vel Mosci Legati mecum egissent, vel ipse Magno Duci Moscoviae scripsissem, vel denique quid V. Majestatis Legati subinde mihi significassent, continebatur. At cum heri quatuor ferme milliaria processissemus, Legati Mosci ad hospitium meum convenerunt, de tota ratione tractandae pacis quaesituri, cum quibus ad multam noctem colloquio producto, ejusdem capita summatim V. Majestati scribam, cum et eadem uti quoque omnia alia) V. Majestatis Legatis hodie sim ostensurus. Sic enim paratiores erunt, ac breviore compendio tractatio absolvetur. Porro summa haec fuit, ut Deo se ex animo commendarent, in tanto negotio ad exitum promovendo: quod ut fieret, comitatui meo, praeter reliqua, orationes et Sacramenta hodie indixi. Qui sincerius agerent, Divinamque voluntatem rectius spectarent, iis tandem a Deo vel pacem, vel victoriam dixi adjudicatum iri. Me a V. Majestate discedentem habuisse Instructionem quandam, quam Ruthenice versam eis non minus ostendere volebam, quam feci cum V. Majestate de litteris iis, quas mihi Staricia profecto Magnus Dux in itinere misit. Ex ea illos posse cognoscere (ne tempus frustra teratur) quorsum V. Majestas spectet. Itaque et ipsi sua sic comparent, ut ne in disceptationibus vel altercationibus dies consumantur. Tum illi altius ordiri sua: Livoniam ab origine Mundi pertinuisse ad Magnos Moscoviae Duces: Principem suum abstinuisse a committendo praelio his annis, atque adeo nunc abstinere, ne sanguine populi sui: et subditorum V. Majestatis fuso, Turca se ad Moscoviam, Poloniamque capiendam facile insinuaret: viginti annis non expugnaturam V. Majestatis arces, quas petit, si singulas copiis obeat suis. Vidisse V. Majestatem aliam in aliis arcibus, aliam in Plescovia, et ejusmodi civitatibus expugnandis rationem esse: Plescoviae ad quindecim annos esse cibum, et commeatum: Habere V. Majestatem exercitum ex variis nationibus conflatum, qui cum stipendio, non voluntarie serviat, Reipublicae istius ea ratione exhauriri aerarium. Quod ubi prorsus exhaustum sit, scire Magnum Ducem, quam facile illi esset victorias suas cumulare, nisi mallet fundendo sanguini parcere. Ad extremum, se rogare, ut aequus velim esse judex, ac si cui rei pertinatius inhaeserint, eos ut dimoveam, paratos se ad ea omnia, quae aequissima sint, dum V. Majestas aequitate contenta sit; utque Mosco reliqua sint, quibus amicitiam cum Principibus Christianis foveat. Respondi autorem illis me esse, ne quid de Livonia, ab origine mundi Moscis subjecta, Legatis V. Majestatis dicerent: ne Moscorum quidem imperium fuisse ab origine mundi. Livoniam Catholicam fuisse, ac proinde ad Principes Catholicos initio semper attinuisse: ubi haeresibus discerpta est, discerptam item justissimo Dei judicio fuisse, ut nemo hactenus gloriari potuerit, eam se totam obtinuisse: obtenturum denique eam totam, cui in oculis Dei cor sit, illam serio ad avitam, et unam fidem redigere. Magnum Ducem rationes omnes mihi suas scripto, penitioresque formulas, ex Re-



Digitized by Google

gestis deprompsisse, quibus putabat sibi summum in ea jus esse; sed re vera vix aliquid solidi compertum fuisse, quod validis rationibus V. Majestas non evicerit Quod a praelio abstineat, ut sanguini parcatur, id esse pium, sed secus Polonos illam abstinentiam interpretari. Tot enim Moscis caesis superioribus annis, arcibusque et captivis in V. Majestatis manus redactis, non restare Magno Duci, quibus vel exercitum audeat credere, vel adeo justum exercitum possit conscribere. Livoniam vero difficilem expugnatu non videri, cum Serenissimus Sueciae Rex, Dux item Magnus, atque adeo vel unus nescio quis Buringus, arces illas quotidie capiant. Quod si V. Majestas Plescoviam caperet, quam re vera generali irruptione, vel assultu non tentaverit quidem adhuc, futuram denique difficillimam omnem pacis tractationem. Alias, quas dicerent arces esse captas, ejusmodi fuisse plerasque, ut fortissime dimicaverint Mosci milites; nec vero, ut dicebant, consederent, sed vel in mediis flammis, ad extremum usque spiritum, vel a globis tormentorum frustillatim discrepti, illas tuerentur. Quod Plescoviae tantus esset commeatus, aliud Plescovienses ipsos dicere. Quod variarum nationum exercitum V. Majestas comparaverit, id studio fecisse, ut Regni sui vires semper integras retineret. Polonicum autem, ac Lithuanum equitatum, cum in Moscovia aestatem et hiemem ex hostico vivat, relinquere uberiores, et intactos agros suos, sicque nihil roboris ex hoc bello Reipublicae Polonicae decedere. Quod aerarium exhauriatur, id tota re perpensa secus accidere. Quod enim in otio Poloni nobiles expendunt, id libentius utiliusque propagandis Reipublicae terminis velle eos impendere: cum etiam, qui sumptus in res alias fiunt, ii in mercatorum externorum cedant utilitatem; qui vero in ipsos milites vel Polonos, aut Lithuanos fiunt, hi in propriam domum et Reipublicae ipsius usum convertantur. Quod de meo judicio requirunt, si liberrimus essem judex, facillius rem confici posse. Sed quando V. Majestas victorem in hostico habet exercitum; nec vult semina serendi belli restare: nescire me, quantum mihi efficere liceat praeter ea, quae fortassis aliis quibusdam in rebus auctoritate Pontificis Maximi complanari poterunt. Hoc unum scire me, neutri parti, nisi quae optima esse intellexero, me esse adjudicaturum. Denique Magnum Ducem per suos Legatos Livoniam promisisse; quam si serio promittebat, cur promissum non praestat? Quod nisi serio, sed arte ad tempus eximendum, pollicebatur; ne mirentur, si Deus, quod sincere non agitur, id sincera justicia puniat.

Hic nocturni hujus colloquii exitus fuit, mirantibus Legatis, in rationum istarum angustias sic sese fuisse conjectos, ut sane vix responderint. Interea, cum media nox appeteret, Legati V. Majestatis mihi scripserunt, num velim, ut huc ad nos duobus milliaribus procul Zapolscia, venirent: cupere se ordiri hodie tractationem pacis. Qui litteras mihi attulerunt, dixere, in agris, si procedamus, utrisque Legatis esse hoc tempore manendum. Quid ipsis Legatis responderim, quos hoc diluculo expecto, cognoscet ex litterarum mearum exemplo, quas ad illos ea ipsa hujus noctis hora misi.

Reliquum quod agetur, accurate, ac singulatim V. Majestati significabo, sperans eam mihi sensum animi sui expositurum, si quid erit aliud mihi in Moscovia tentandum, cum illuc, Deo dante, rediero. Deus V. Majestati omnia faustissima concedat. Ex itinere versus Jamum Zapolsciae, die 12 Decembris 1581.

## *JOANNI ZAMOSCIO*,

ANTONIUS POSSEVINUS.

Quae, antequam omnes Legati convenerunt, mecum iterum egere, cognoscet V. D. M. ex iis litteris, quas huic adjunctas fasciculo mitto Regi Serenissimo. Quae vero postea sunt hoc biduo inter Legatos, me praesente, consecuta, ea pertinent, ad duo capita: quorum alterum spectat ad Plenipotentiam utriusque Legationis; alterum ad ea, quae utrique Legati hodie proposuerunt. Plenipotentia Moscorum simplicissima visa est, ac prae Regia satis infirma, ne dicam, suspicionis plena. Haec enim verba continet: Misisse Magnum Ducem Legatos suos, ut, pacis statuendae causa, cum Legatis Regiis colloquantur in conventu; et illas res, esse res Magni Ducis. Auctor igitur fui, ut quas Regi, mihique, per Boltinum Magnus Dux litteras scripserat, eae ipsis perlegerentur; quibus significabat, Legatos mitti plenissima cum potestate ad omnia transigenda, conficiendave. Ubi res diu disceptata est, Regii que Legati haererent (quod super infirmo fundamento tractatio haec pacis nec

Digitized by Google

niti, neque extrui debebat) dixi, restare duo, quae essent facienda, tum ut coram me de tota re protestarentur; tum ut mihi utraque pars Legatorum exempla suarum Plenipotentiarum traderet: noctem insequentem, re Deo commendanda, et consultanda: denique Legatis Mosci interrogandis accuratius, num aliquam alteram Plenipotentiam solidiorem haberent, me insumpturum. Quod ubi factum est, praesentibusque Regiis Legatis singulatim unumquemque Moscorum Legatorum quaererem, num semper ejusmodi patentes solitae sint a Magno Duce tradi, idque vellent jurejurando affirmare: Zacharias Vicenotarius se id facturum, inquit; qui cum Mosci Secretariae Acta centum annorum legerit, alias nunquam Plenipotentiarum formulas esse, quam istas, legisse, affirmavit. Mikita autem Notarius, unus e Legatis, idem asservit: quod et postea Romanus Basilii, qui aliquando ante viginti annos ad Sigismundum Augustum fuerat missus: ac denique Demetrius Dux, Legationis Princeps, testatus est, addens, sese ut Christianos Legatos venire ad hoc negotium integerrime conficiendum; nihil opus fore ad Magnum Ducem aliorum Internuntiorum remissione; In litteris Magni Ducis ad Regem, et ad me scriptis, extare suae Plenipotentiae expositionem; Visuros nos, si pax conficiatur, ad effectum omnia deduci. Ego, qui viderem multum terri temporis, nec praesentius aliquod, ipsa protestatione Legatorum Regiorum, esse remedium; testatus ipse Moscis, perpetuo illis dedecori hanc rem, si qua subesset calliditas, futuram, quippe, quae innotescere omnibus Principibus Christianis debebat, nisi ad rem veniretur. Nihil enim vel indutiarum, quae nondum essent, rationi, vel exercitus deductioni Serenissimo Regi ex hac tractatione perire: quae alioquin, si bonum haberet exitum multa bona parere posset; sin in irritum caderet, jus Regium apud omnes esset roboratura. Sic Regiis Legatis fatentibus, se Pontificis Maximi auctoritate, meoque consilio ita moveri, ut tamen vellent, antequam ab hac tractatione discederent, certo sibi, quae de Plenipotentia Mosci pollicebantur, in rem conferri; ad alterum, de que dixi caput, ventum est.

Id fuit de Livonia tota, quae erat in manibus Mosci, petenda, de arcibus superioribus annis captis, de Rege Sueciae Serenissimo inter conditiones pacis admittendo. Quae cum prudenter Palatinus Braslaviensis, ac cum dignitate proposuisset, multaque ultro citroque dicta fuissent; Moscis praesertim urgentibus, neque se posse tota Livonia cedere, nec vero, si possent, debere Legatos Regios ea reticere, quae ipsi contra vellent Magno Duci reddere, aut tradere, dies integra his colloquiis exempta est: cum Regii Legati respondissent, arces, quae ad Plescoviam pertinerent quatuor, jam captas, se traditurus, si tota Livonia cederetur. Tum in eo perstare Mosci, si Regii Legati dicerent, an reliquas omnes arces a Rege Serenissimo superioribus annis captas reddere possent, se hac nocte cogitaturos, quid responsuri crastina die essent. Addidi ipse Serenissimum Regem non parum esse traditurum, qui Plescoviam, et Novogardiam, non sine magna spe earum potiendi, esset relicturus: qui una cum Plescoviensibus arcibus, triginta miliaria Germanica ditionis Mosci, in quam hoc anno processum erat, (ab exercitu Regio finibus, usque pene Plescoviam, propagatis) si exercitus deduceretur, restituturus esset. In qua ubere regione si Cosacis varia loca distribueret, eorumque quasi Coloniis deductis varias arces excitandas traderet, ab iis perpetuo omnem interiorem Mosci regionem turbatum iri. At, ut Velicolucum, Velisia, et aliae arces traderentur, id esse pene plus, quam ipsum, quod Magno Duci Livoniae restat in manibus. Cum ergo Legati Regii discederent, (me eos orante, ne discederent; quod ita factum oportuit) in diem crastinam ea lege huc redituri ad me, ut liquidissime, quid unaquaeque Legatorum pars haberet in mandatis, exponeret: detinui Moscos apud me, re cum Legatis Regiis communicata, ut aliquid certi V. M. D. scriberem, quandoquidem nec Mosci Regiis omnino sese volebant aperire, et Regii Moscis testabantur, sibi non esse mandatum, ut arces superioribus annis captas ulla ratione redderent. Cum vero mihi dixissent, Serenissimum Regem jam Vilnae fortassis esse: Vestrae autem M. D. plenissimam esse relictam harum rerum deliberationem, scribendum de tota re liquidius mihi ad ipsam pe. certum Tabellarium existimavi.

Sciat autem me ex ipsis Moscis, qui Regiis Legatis abeuntibus, apud me fuerunt, haec cognovisse. Magnum Ducem, nempe, illis mandasse, ut nulla ratione arces, superioribus annis captas, Regi Serenissimo relinquerent, si Livonia tota esset iis cedendum, hoc est, arcibus, quae in Mosci ditione sunt. Ac ne

Digitized by Google

Neveliam quidem se Regiae Majestati relicturos; de qua difficillimum esse dixi, ut unquam Rex ei restituendae assentiatur. Tum vero me enixe, identidemque rogarunt, ut quatuor, sexve arces, saltem ad titulum in Livonia retinendum, omnino relinqui Magno Duci procurarem: tum enim me posse pacis spem Regi Serenissimo dare. Denique petierunt a me, ut eorum diligentiae, ac quanto studio rem sui Principis agant, Magno ipsorum Duci, non solum scripto, verum etiam ipso in reditu meo, velim testimonium reddere. Quae si serio dicunt, ut mihi (nescio, an fallor) verisimile sit, obsecro V. D. M. ut non minorem mihi, quam Mosci faciunt, adhibeat fidem, quo tota res ad Dei gloriam quam primum confici possit.

De arcibus autem, quae superioribus annis captae sunt, ut aliquae in Regis potestate maneant, curatur. At vero nisi omnino possent retineri, quaeso V. M. D. per sanguinem Christi, ne nimium volendo, cuncta amittamus; praeclarissimaque occasio clabatur e manibus, statuendae Reipublicae, ac tot Livoniae arcium assequendarum, et alia meliora aggrediendi: Exercitum vero non solum victorem, sed sapientis Imperatoris exercitum in arces Livonicas sic deducendi, ut Divinum eo nomen, cultusque Catholicus, duplici, cum Regiae Majestatis, ac V. M. D. laude inferatur. Ceterum, quae arces in Livonia a Moscis petantur, ex schedula, quam modo mihi Mosci Legati per Vicenotarium Zachariam miserunt, nocte ad gallicinium inclinante, videbit; quam schedulam mitto, ab eis Ruthenice scriptam, ad V. M. D. Ad quae omnia celerrimo, ac planissimo responso opus est, si cito in meliora hiberna exercitum suum cum gloria deduci velit.

Sed est quiddam non magni momenti, de quo V. M. D. rogatam in Domino velim. Andreas Apollonius, post reditum ex Moscovia suum, incidit in febrim, ex eaque istic in castris, antequam discederem, Sanctissimis omnibus Sacramentis expiatus, ad Christum post meum discessum abiit; adolescens optime de Republica meritus, proque ipsa, et pro perhonorifica pacis tractatione, tanto itinere ter confecto, perfunctus. Quod igitur ille praemium a Regia Majestate sperabat, id non dubito, opera et studio V. M. D. aliquibus, qui eum proxime consanguinitate contingunt, cum non adeo divites sint, datum iri. Id quod enixe V. D. M. rogo. Quod si fidum alterum Interpretem Ruthenum, ob reditum in Moscoviam meum, sicut antea scripsi, assequi potero, maximam habebo gratiam V. M. D. quae novit, haec me non nisi ad Dei gloriam propagandam, remque istam publicam, si quo possim officio, cum Divina gratia demerendam expetere. Haec vero omnia uti Serenissimo Regi scio esse mittenda a V. M. D. ita non dubito, quin me apud ipsam Majestatem Regiam excusatura sit, si minus alias meas ad has litteras adjunxero. Approperat enim Tabellarius, et haec satis futura videntur. Deus V. D. M. sua gratia coelesti impleat. Ex Chiverova Horca pago, prope Paderovicium, et Zapolsciam, nocte diei insequentis 15 Decembris 1581.

## *STEPHANO POLONIAE REGI,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Quartae hae sunt litterae, quas post discessum e castris meum, scribo Regiae Majestati Vestrae minus uberes futuras, quod aliis litteris omnia fere perscripserim, ac praesertim ante triduum iis, quas Magnifico D. Cancellario scripsi. Quas omnes perventuras ad manum V. Majestatis puto, antequam hae reddantur. Colloquii porro Legatorum, quod ab hujus mensis 13, usque in hanc diem quotidie pene apud me est habitum, nondum is fuit exitus qui optandus est. Mosci enim perstant in eo, ut arces, a V. Majestate superioribus annis captae (Polocensis, et quae ad eam attinent, haud petuntur) omnino eorum Magno Duci reddantur. Reliquas Livoniae omnes, quae sunt in potestate Magni Ducis, etsi ita se traditurus asserunt, ut aliquas sibi cupiant retinere, bona tamen spe sum, V. Majestati deditum iri. Sibi autem (me quaerente) responderunt mandatum fuisse, nulla ut interposita mora reddant. De Nevelia quantumcunque difficultatis, ac deinceps de Velisio, Velicoluco, et Zavolocia privatim illis objecerim, quod nulla ratione restituendas credam: nunquam tamen quantalibet industria usus, potui elicere, ut eas esse V. Majestati relicturos dicerent: praesertim si arcibus omnibus, quas habent in Livonia, cesserint. Haec res fecit, ut Legati V. Majestatis alterum, alterum ego una, Tabellarios ad Magnificum

Digitized by Google

D. Cancellarium miserimus, a quo planissime de V. Majestatis animo certiores fiamus. Quod autem tractationis hujus absolutionem urgeant Mosci Legati, quodque nulla fore opus ad Magnum Ducem remissione, mihi saepe asseveraverint, non omnino circuitionis, aut calliditatis signa esse videntur. Sed crastina die, vel perendie, omnia erunt (Deo dante) liquidiora, quae forsan, priusquam hae istuc veniant, a D. Cancellario citatis equis mittentur. Ego huic aurigae discedenti nolui nihil litterarum dare ad V. Majestatem quam Deus omnibus bonis et aeterna felicitate cumulet. Ex Chiverova Horca, prope Zapolsciam pago, die 17 Decembris 1581.

## *JOANNI BASILII MAGNO MOSCOVIAE DUCI,*

ANTONIUS POSSEVINUS

Scripsi Serenitati Tuae ex Biscovicio: postea una cum Magnis Legatis tuis huc in Chiverovam Horcam venimus prope Zapolsciam, cum Jamum a te Legatorum conventui assignatum a Cosacis, ita combustum fuisset, ut ne lignum quidem superesset, cui equi alligari possent. Incepimus, Deo adjuvante, de pace agere, in qua licet magna a Magnis Legatis tuis diligentia adhibeatur, ut quam primum absolvatur, Legatique Magni Stephani Regis varias rationes afferant, cur ea, quae petunt, obtineant, nondum tamen potuit statui aliquid certi. Quod tamen intra biduum, vel triduum spero Dei gratia futurum, non sine aliqua spe pacis. Tunc vero Tuae Serenitati scribam fusius ipseque omnia fidelissime scripta feram, quaecunque acta sunt: sperans Deum, qui percutit et sanat, ex hoc tam diuturno bello, multo diuturniorem, ac tranquilliorem pacem pariturum, pietatique tuae occasionem praebiturum, quo multo latius Imperii tui terminos propages, quam fortasse nunquam potuisses, nisi ista vexatione Divina providentia ostium tibi ad meliora aperuisset. Ceterum cum Magni Legati tui omnem mihi, ac meis in hac vastitate, atque omnium rerum penuria, humanitatem, ex Tuae Serenitatis mandato, et benignitate exhibeant, summas tibi nomine Summi Pontificis, et meo gratias ago; petoque Tuae Serinitatis a Sanctissima Trinitate perpetuam remunerationem, et ad omnia bona felicissimum exitum. Ex Chiverova Horca pago tuo, prope Zapolsciam, die 18 Decembris, 1581 media nocte.

## *JOANNI BASILII MAGNO MOSCOVIAE DUCI,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Georgius Puzik, Tabellarius Serenitatis Tuae heri huc pervenit, litterasque mihi reddidit tuas, quibus significabas, epistolam illam tibi meam redditam fuisse, quam per Basilium Zamoscium ad te Novogardiam miseram. Cum vero mihi jubeas, ut firmam inter te, et Stephanum Regem pacem efficiam. cognosces, ut spero, postea, quantopere in id omnibus viribus, Deo juvante, intenderim. Jam vero apud me utrique Legati Magni tum Stephani Regis tum tui, quinquies convenere, totos integros pene dies singulis tractationibus impendentes: cum quotidie non desinant Legati tui privatim ad me adire, deque omnibus iis rationibus agere, quibus cesset Christiani sanguinis effusio. Cum autem triplicem, eumque difficillimum nodum Legati Regis proposuissent, do operam, Deo juvante, ut dissolvatur. Nam Sueciae Rex, quem inter pacis conditiones Summus Pontifex et Stephanus Rex cupiebant admittere, cum ab illo Rege nemo conventui ablegatus esset, nec vero Stephani Regis Legati a Sueciae Rege quodquam in mandatis habere sese respondissent factum est, ut tractandum inter te, et Regem illum, negotium hoc sic differretur, ne tamen pacis confectio impediretur. Accedebat Stephani Regis altera conditio, ut titulo, jureque Livoniae cederes universae: qua de re egi diligenter, ut Regii Legati aut rem meo judicio differrent, aut si nollent, non propterea tamen reliqua pacis tractatio non procederet. Movebo autem, Deo adspirante, omnem lapidem, ne rebus aliis complanatis, hic nodus aut paci explicandae impedimentum, aut adeo tibi afferrat damnum. Sed et tertius reliquus est, isque per difficilis, in quo versamur, non solum de tota Livonia, quam nunc obtines, Stephano Regi tradenda, sed de iis quoque eidem arcibus relinquendis, quas hoc biennio superiore cepit, Velicolucum, Noveliam, Velisium, Zavolociam. Ac quidem reliquas jam, quae ad Plescoviae ditionem attinent, Chelmamque arcem, cum eo, qui ad

Digitized by Google

has spectat, agro universo, cujus tractus est multarum leucarum, tradere Serenitati Tuae contenti sunt. Verumtamen quod ad illas alias pertinet, cum Legati tui Magni affirmarent, nulla sibi ratione licere absque iis arcibus pacem facere, misi ad Poloniae Regni Cancellarium, cui a Stephano Rege, summa de his rebus facultas relicta est, ut Regios Legatos litteris suis urgeret, ad eas vel omnes, vel aliquas, aut eam saltem arcem restituendam, quae mihi videretur rationibus tuis aptius convenire. Quod extremum, cum difficillime obtinuissem, se quidem e quatuor illis unam, pro meo judicio, redditurus dixerunt, sed ita, ut Sebieszum arx in agro Polocensi a te Stephano Regi traderetur, in quo cum perstitissent, atque a conventu qua si non amplius redituri discessissent, misi ad eos hac media nocte, qua haec Tuae Serenitati scribo, ut nulla ratione ex pago discederent, ubi duabus abhinc leucis commorantur in Zapolscia, verum ad me cras saltem redirent, quod eos quidem propter Summi Pontificis auctoritatem spero esse facturos. Etsi autem intelligo Satanae, totius boni perturbatoris, antiquissimum esse, ut qui homicida fuit ab initio, is Christianum sanguinem maxime sitiat: de immensa tamen Christi Jesu bonitate spero eum non praevaliturum. Interea ego alterum in castra ad Cancellarium Regni Poloniae misi tentatum, num aliquam aliam arcem Stephanus Rex reddere decrevisset, mihi vero quam planissime sensum Regis aperiret: ac, si opus esset, ut citatis equis ad Stephanum Regem litterae mitterentur, id fieret; ne amplius in summis hisce aerumnis, quas ipsi passim conspicimus, populi tui penitus conficerentur. Quod si post triduum, quo is, qui in castra missus est, redibit, et afferet ea, quae Magni Legati tui cupiunt, ac diligenter curant, gratias agemus Deo, in cujus nomine pax fiet. Sin vero absque iis arcibus Livoniam tradere tui Legati non poterunt, enitar, quoad ejus fieri poterit, ut quemadmodum mihi scribis, responsum a Tua Serenitate expectetur. Quamquam vereor, quinsi res longior fiat, Stephanus Rex, qui jam ad novas copias comparandas Vilnam profectus, quique novissime commeatum Riga vehi in castra prope Plescoviam jussit, ubi viderit Januarium, et Februarium menses elabi, spe novi belli nullis, nisi tibi semper iniquioribus conditionibus, pacem amplius nolit. At et Legati ejus crufqenter objiciunt, plures ab aliis jam Livoniae arces esse captas, quas modo tua culpa, cum superiore anno tradere noluisses, assequi nequeant: se vero, si captas a Stephano Rege arces omnes tibi reddant, id plus regionis, complecti, quam quidquid eis ex Livonia traditurus sis. Quamobrem ut tibi (quod semper feci) animum meum ingenue aperiam, si spem aliquam concipere potuissem, unam vel alteram quantulascunque arces in Livonia me a Stephano Rege pro te posse obtinere, quibus recta liber tibi ad Livonicum mare aditus patuisset, eas maluissem, quam omnes pene reliquas illas, quas Stephanus Rex superiore biennio cepit. Ita enim e Livonia pedem prorsus haud extulisses: praeterque aliquem Livoniae titulum, Livonicum litus, fovendae Christianorum Principum, ac praecipue Summi Pontificis amicitiae, externisque mercatoribus, qui tuae sunt ditioni haud inutiles, tibi non fuisset ademptum. Sed quando hactenus Legati tui mihi non indicarunt, aliquam ejusmodi a te fuisse concessam potestatem, ut ipse hanc rem cum Legatis Stephani Regis tentarem; nempe, an Livonicam Novogardiam, quam petis, atque alteram similem (Derpatum excipio, de qua tibi relinquenda nunquam Stephanus Rex, ejusque Senatores quidquam voluerunt audire) tu vero carum loco arces, quas Rex cepit, Zavoleciam, Velisiam, Neveliam etiam ipsi Stephano Regi relinqueres: propterea nescio, quid de pace sperem: etsi id sincere testari possum, me usque ad mortem, Deo miserante, laboraturum, ut ea firmissima fiat. Sed et cum Stephanus Rex Sebieszum petat, id si tui Legati dare noluerint, erit certe, ut mihi videor *inau*dire, pernecessarium, ut eo deleto, ager qui ad eam arcem pertinet, Stephano Regi, si pacem volueris, tradatur. Porro ad haec omnia, petunt Regii Legati, ut rusticis, qui Regi ob belli metum, tantamque stragem jurarunt, ex tua ditione, ea cum ad te ob arces Plescovienses, sive ob aliquam aliam redibit, omnino parcas. Quod etsi non dubito Serenitatem Tuam facturam, obsecro te tamen, ut ei, quod ego hac in re tuo nomine cum Legatis tuis, Stephano Regi spondebo, acquiescas. Quod et ut faceres de captivis tam Livonibus, quam aliis, quos idem Stephanus Rex petit, vehementer opto: cum idem Rex, praeter alios plures, habere se ad Ducentos Moscos nobiles captivos mihi dixerit, ex quibus jure plus quam Ducenta florenorum millia petere possit. Et sane ex illorum captivitate putat accidisse, ut

Digitized by Google

justas tu copias bellumve instituere nequeas: cum etiam multos Rex Succiae ceperit, paucosque ante dies Joannes Zamoscius alios in paratas equitum insidias ex ipsa Civitate Plescoviensi pertraxerit, atque una cum Petro Koltowski in potestatem redegerit. Caput igitur hoc est, me fidelissima sinceritate huic negotio non defuturum. Itaque et tu, cum mihi respondebis, nisi composita pax erit, amplissimam Legatis tuis, mihique ejus statuendae facultatem mitte. Ceterum scito, Pontificem Maximum Gregorium XIII te ex animo, ac omni paterni amoris officio salutare. Te vero etiam atque etiam rogo, ut Sacerdos, quem apud te reliqui, mihi de statu suo quam primum scribat, quem tuae pietati cum altero nostro Michaele commendo. Sanctissima Trinitas omnibus te bonis cumulet. Ex Chiverova Horca, die 21 Decembris 1581.

## *JOANNI ZAMOSCIO*,

ANTONIUS POSSEVINUS.

D. Petrovius cum litteris V. D. M. hujus mensis Decima nona die scriptis, pervenit ad nos nudius tertius, atque paulo post a Regiis Legatis ad pagum ubi delegerunt hospitium, abductus, rediit heri ad me post meridiem: inquiens, se ab ipsis Legatis responso ad V. D. M. accepto, in castra properare: si quid vellem, darem, se recte redditurum. Miratus sum nonnihil, neque mihi chirographum V. D. M. de arcibus Magno Duci in Livonia relinquendis traditum: nec aliquid communicatum earum rerum fuisse, quas V. D. M. scripsit Legatis, eos inprimis esse mecum communicaturos. Itaque cum iidem Regii Legati supervenissent, rationibus iis adducti, quas D. Petrovius audivit, tandem chirographa duo deprompsere de sinu, mihique, ad quem mittebantur, reddidere. Tum auditis iis, quae a Moscis elicueram, meque non mediocriter affectum animadvertentes, quod praeter quaedam alia, triduum Mosci Tabellarius non sine levi totius causae incommodo detentus fuisset, antequam Magni Ducis litterae, et eae, quas mihi V. D. M. 13 Decembris scripserat, redderentur, ad pagum suum reversi sunt, aliquid (ut puto) ad reliquas litteras adjecturi, quas pridie ejus diei scripserant. Ac certe, quod ignorat medicina, non sanat: neque unquam peperit aliquid boni mixta suspicione diffisio eorum; qui trepidant, ubi non solum timendum non est, verum adeo, ubi sincerissimam operam non sine fructu experiuntur. Ceterum, quod ad rem attinet, ut illi consilio meo Moscis heri dixerunt, denique nihil de Livonia sibi agendum amplius esse, nisi prorsus totam redderent: ego vero communi consilio, Moscis Lucum obtulissem: ad Moscum autem cum adjunctas huic epistolae litteras scripsissem, quam primum V. D. M. animum mihi D. Zolkiewski aperuisset: idque propterea fecissem, ne quid morae negotio absolvendo adderetur, quod Legati Mosci arces a Rege captas cum aliquibus Livoniae arcibus permutandi mandatum habere se, noluerunt unquam (ut fecere postea) mihi indicare: advocavi eos diluculo, quo haec scribo, ad me, quantaque potui industria ostendi, si unguem tantum modo terrae possem iis in Livonia obtinere, debere illos optatissime arces illas Regi Serenissimo relinquere Zavolociam, Noveliam, Velisium, Lucum, me tantum apud Deum, et V. D. M. egisse, ut denique nonnihil illis Livoniae possem offerre. Quod tamen sensim, ac tanquam meo ipsius tantummodo judicio proponens, neque haec scire, quae ageremus, Regios Legatos dicens: insinuavi, quid mihi videretur ad rem Magni Ducis valde attinere: nempe, ut si Mosci Novogardiam Livonicam, et Serenescum obtinerent, ii de illis arcibus Zavolocia, Velisia, Nevelia, Luco nil amplius peterent. Denique item Lais adjeci, ultimam inquiens: hanc esse rationem, quam pacis conficiendae cernerem: itaque aperirent candidissime animum. Quod si tantam gratiam abnuerent, testari me coram Deo, hac ipsa hora, Deum ipsum omnem gratiam in Regis exercitum conversurum, qui facile, quae Magnus Dux haberet in Livonia, esset (ut alii jam faciunt) capturus: Plescoviam autem obsessam ad se redacturus, atque in Moscoviam copias inducturus, quae sunt sub signis: Legatos porro Mosci, qui mihi vulnus haud ostendissent, cui medicinam potuissem afferre, rationem effusi sanguinis esse Christo Judici reddituros. Consternati, atque identidem me rogantes, ut tantisper vellem adhuc paucis eos audire, sese mihi vel juramento, et crucis osculo nihil celaturos, haec addiderunt. Primo, si eorum singulis Decem capita essent, ea sibi amputatum iri, si quid Principis sui praetergressi fuissent, quod in mandatis non haberent: se

Digitized by Google

mihi hodie suam ostensuros Instructionem fidentissime. Tria se coram Deo videre, quibus pax, quam vel suo sanguine expetunt, coire possit. Inprimis, si tota prorsus Livonia, quam habent in manibus, cedendum sit, id se illico, ne spithamam quidem retinentes, facturos; si quas Stephanus Rex arces cepit, Lucum, Velisium, Zavolociam, Neveliam, cum Plescoviensibus, Magno Duci restituerit. Si velit hoc Rex; sese, si ipsi Zavolociam, et Lucum atque item Novogardiam Livonicam, et Kerepecium obtineant, cessuros reliqua Livonia, et Neveliam, atque Velisium Regi relicturos, Sebieszum vero habere in mandatis, ut comburatur, si Rex Drissam combusserit: fines vero Plescovienses, et Polocenses antiquum in statum redeant. Sic et Derpato, de que saepissime, et efficacissime me urserant, cedunt. Nisi Rex his conditionibus assentiat, nullam sibi restare rationem aliam, quam ut ad ipsum Magnum Moscoviae Ducem scribatur, a quo decem dierum spatio responsum pollicentur. Ad extremum contendere, ut omnino pacis absolutionem procurem. Inter loquendum autem dixere, Serenescum in Succiae Regis manibus omnino esse: Lais arcem esse in media Livonia, circumquaque aliis arcibus septum: Kerepecium esse arcem haud munitam, sed tamen audio a D. Petrovio, in potestate esse eam Ducis Magni, Regis Daniae fratris: de qua restituenda dispiciet, quid effici queat: ut promissum praestemus. Itaque hoc illud est, quod ad hanc usque horam, Deo juvante, efficere potui. Restat autem, ut quam planissime ad omnia, et quam citissime V. D. M. nobis rescribat, ac tandem aliquos ex his admoneat, ut vel serio, et in tempore mecum agant, aut liberaliter ipsimet per se tentent, quae effici possint. Petii vero a Legatis Mosci, mihi ut sub jurejurando fiderent, num una arce denique Zavolocia, vel Luco futuri essent contenti, si reliqua fierent, non autem duas illas omnino acciperent: responderunt, se certissime nequaquam posse: esse ea extrema, quae haberent in mandatis. Itaque et eadem itero, ut enixe a V. D. M. contendam, ut ita scribat, ut non restet ambigendi locus, vel de Sebieszo (sive ager, necne ejus reddatur) sive Drissa, necne comburenda sit. De captivis, si qui in manibus Regiis superfuerint, qua ratione illi vel redimendi, vel reddendi sint, deque aliis, liberrima, et plenissima Legatis facultas tradatur. Tum de modo restituendarum arcium, aliaque faciendi, quorum hac nocte hanc formulam concepi, ut V. D. M. eam in tempore perpendens, liquido mihi animum suum aperiat. Offero V. D. M. mea officia, precatus a Divina bonitate salutem, et omnem felicitatem. Ex Chiverova Horca, die 24 Decembris, 1581.

## *JOANNI ZAMOSCIO,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Nudius tertius scripsimus omnes V. Magnificentiae per D. Petrovium. Et erat meridies, cum hinc Regii Legati discedentes, judicarunt haud expedire, ut Moscos alloquerentur, postquam unam tantum ante horam tertias pacis conditiones a puero V. Magnificentiae accepissemus. Dilata igitur in hesternam diem res est, eo consilio, ut si quid ex Moscis interim elici potuisset, fieret: heri vero res ipsa liquidius illis declararetur. Usus ipse industria, ut Moscorum consilium rescirem, ut quam minima difficultas conficiendo negotio rostaret, scripto (ad vitanda postremo subterfugia) petii ea, de quibus omnino se deliberasse, ac posse conficere dixerant. Cum autem heri mane haec Regiis Legatis innuissem, ipsi hodie sese discessuros dixerunt, nec pene, quod aliud dicerent, habere. Quod fieri bene respondi, si quidquid 22 die hujus mensis V. D. M. ad nos scripserat, vel totum, vel ex parte, (sicut polliciti fuerant) Legatis Mosci proposuissent. Cum dicerent Regii Legati, se a mandato Regis pendere, nec iis conditionibus sese permoveri, quas V. D. M. scripserat, respondi, credere me, a V. D. M. sciri, et sincerissime proponi Regiam voluntatem: negotium, quod coepimus, nequaquam variationibus posse pertexi. Adjeci, me pro certo habere, ipsos, qui jam tertio hisce de rebus ad exquirendam Regis voluntatem, quae soli V. D. M. perspecta, et credita erat, in castra mississent, conquestos, plenam sibi re ipsa potentiam non fuisse traditam: non posse non adhibere fidem V. Magnificentiae sed id vel aliunde (quia novas se ex castris litteras accepisse dicerent) vel ex seipsis aliquam ob causam id modo consilii in mutando proposito, sive ad rem, sive ad speciem, cepisse. Quasi hoc causae conduceret, aut mecum, si Deo placet, esse necessarium: qui si aliud egissem, quam quod

Digitized by Google

summo conatu promotum est hactenus, non eo forsan redacta res esset, ut proximam (si vellemus) pacem haberemus. Nisi adhuc altiores in Moscis latebrae sint, quam quantacunque circumspectione vestigare potuerim. Porro non Moscos sed ipsos Legatos Regios hactenus mea opera usos, ut diem de die cum aliqua dignitate ducerent, donec a V. D. M. liquidiore subinde responsa accepissent. Sic denique eos rogans obnixe, ne tantae rei honorificum exitum impatientia desererent, aut si discedere statuissent, non id toties Moscis, sine effectu comminarentur: qui forsan ea de causa suspicabantur, Regiis licere aliquid, ultra id, quod obtulerant, concedere, dixerunt, meo sese heri usuros consilio, hodieque Rszovam, et arcem unam e duabus, Nevelia, et Zavolocia Moscis ad meum arbitrium proposituros, sicut et fecere. At Mosci mirati, Rszovam sejungi a Zavolocia, eamque divisionem majori ostentationi tribuentes, non abnuerunt tamen, ut sententiam meam de alterutra illarum arcium in hodiernum diem (quod Regiis Legatis a me petentibus feci) rejicerem Mosci autem cum mihi Instructionis suae capita ostendissent, atque aliarum forsan mitiorum pro Rege conditionum tanquam extremam schedam tradidissent, quidquid voluerunt Legati Regis ea de re a me audire, id omne illis retuli. Schedae vero ipsius exemplum una cum ejus versione mitto V. D. M. Nunc si a Moscis amplius aliquid extorqueri poterit, quod ego etiam hac nocte (nulla re adhuc de sola Velisia Regi relinquenda illis a me communicata) summo studio tentavi: hodie sciemus, si hodierna tantum dies dissolvendo conventui restat, ut Legati Regis dixerunt. Qui si ob unam arcem vel Novogardiam Livonicam Mosco, vel Velisiam a Moscis libere Regi relinquendam, paci nuntium remittere cogantur; ibo, quo Serenissimus Rex mihi concessit, in Moscoviam aliis de rebus: mihi certissime persuadens, Divinum oculum multo meliora, quam nos multo antea prospexisse, alterutri autem Principi (ne dicam utrique) ex belli continuatione, immensae suae sapientiae, atque justitiae vias, facto potius, quam dicto ostensurum. Itaque fiat sincerissime sola ejus voluntas, et gloria.

Interea vero non mentiar, si dixero, nonnihil me aegre sensisse variationes istas, quas etiam Mosci possint vereri, habere speciem licitationis. Sed ut ista minimi momenti sunt, nisi causa Reipublicae non mediocriter laedatur, facile fero, et feram omnia. Utinam vero fuisset hic V. D. M. unica die: pacem habuissemus. Ac tamen sive hoc, sive alio tempore (quidquid Satanas sanguinis humani sitiat, et oblatam Regi praeclarissimam occasionem bene merendi, suosque cum ipsa Republica promovendi ad multo majora, invideat) non desinam sperare meliora: licet interea videam, pro una arce, quae alterutri negatur, plures indies in Livonia cadere in alienas manus: reliquis autem consiliis non defuturas graves difficultates.

Quod si pax componi hodie aut cras posset, duo mihi venerant in mentem, alterum ut climandam pacis conditionum, quae scripto prodire debent, formulam V. D. M. proponeremus, ne quid in ipso rerum exitu morae interponeretur. Quam quidem formulam cum Regiis Legatis tentavi conferre, sed mirum discedendi desiderium ostenderunt. Quamobrem ut debito meae conscientiae satisfaciam, eam mitto V. Magnificentiae cum antequam cum Legatis conventurus sim, dixerit mihi D. Palatinus, ut V. M. scriberem, ad quem puer confestim approperet. Alterum autem est de D. Varsevicio a V. Magnificentia ad Serenissimam Reginam mittendo, qui illam faciat certiorem, quanta a Serenissimo Rege in hoc conventu ratio habita sit Serenissimi Sueciae Regis, atque eam animaret ad scribendum de tota re Serenissimae Sueciae Reginae, tum nomini item Serinissimi Regis nostri consuleret. Sed et eidem D. Varsevicio, ut post Suetica ista negotia maturius a Rege, ac Senatu tractata, forsan erit in Sueciam trajiciendum: quod aliquam gratiam et auctoritatem eo ab Rege, non incommodam celeriori expeditioni, conciliaret.

Sin autem pacem haud assecuti fuerimus, videat, si quid mihi in itinere scribere voluerit, in quo meae fidei satis probatae nunquam deero, tum erga Regem Serenissimum tum certe erga V. D. M. cui faustissima futuri anni initia, et progressus exopto. Ex Chiverova Horca, die 26 Decembris, 1581.

## *JOANNI ZAMOSCIO,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Quod mihi in scribendis aliis exciderat hoc erat. Mosci, cum heri ad multam noctem

Digitized by Google

a me saepissime, quod antea fecerant, petiissent, ut si nulla pacis alia ratio esset, decem dies, de quibus antea V. Magnificentiae scripsi, assequi possent, ut ad Magnum Ducem rescribere possent, ac responsum habere: cumque eam spem prorsus illis ademissem, quin vero item adjecissem, paratos esse equites, qui eos crastina die reducant in Moscoviam, saepe ingemiscentes, se Deum testari dixerunt, per se non stare, quin plus quam aequis conditionibus pax coivisset: sperare se, ejusdem patrocinio Virginis Mariae, ob cujus honorem, et templum ipsam tantum in Livonia Novogardiam Livonicam peterent, Deum non minus pro Moscis pugnaturum, quam ex arce Potzuri fecerat, ubi eadem Beatissima Virgo magna habetur in veneratione. Doluisse autem vehementer, Magnum eorum Dominum, quod Derpatum sibi esset restituendum, in quo cum cultum Divinum instituisset, Vladicam, Popos, et Archipopos constituisset, videbat fore, ut statim Lutherani, et alii haeretici ibi pedem essent fixuri: et templa, piasque imagines, ut passim fecerant, demolituri. Verumtamen, ne sanguis Christianus funderetur, cessisse Magnum Dominum ei desiderio: sed Deum justum Judicem, qui aufert, et statuit Regna, esse ista ulturum, in quem causam suam omnino rejecerant: cum tandem non minus futurus esset in armis Magnus Dux, quam Stephanus Rex fuisset. Respondi, Stephanum Regem, et V. D. M. plurimosque Polonos esse Catholicos, stare sententiam Regni, ne quid ejusmodi adversus templa Sanctorumque debitam venerationem consequatur, sed rectiorem adhuc cultum, id est, Catholicum in Livonia esse statuendum. Quae cum dixissem, subiit animum meum cogitatio, num inter pacis conditiones ea inserenda esset, tum ad indicandam mundo Serenissimi Regis pietatem tum ut milites, in praesidia imponendi, ab eo cohiberentur, quod certe Christianos, atque adeo ethnicos haud decet. Ceterum, cum illos acriter admonerem, ne sinerent item ipsi unam ob arcem occasionem sibi adeo commodam elabi, mitius responderunt. Quare in negotium incumbendum ea ratione, qua scripsi omnino est, ac omnis cunctatio, rebus jam satis complanatis, tollenda est.

## *JOANNI ZAMOSCIO,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

D. Thomas reddidit mihi litteras V. D. M. eo jucundiores, quod intellexi Novogardiae Livonicae, ceterisque in arcibus non periturum cultum Deo debitum, ac Beatissimae Virginis venerationem fore cordi V. D. M. cum primum Livonicae illae arces Regiae Majestati tradentur. Ceterum de Velisio caput meum Legatis Mosci obtuli, ut illam arcem Regi relinquerent, me inquiens, vel ipso vitae meae discrimine Mosco purgaturum illos, si quid hac in re mandatum Principis sui praetergrederentur. Post multa eo ventum est, ut Velisium integrum maneat Regi: sed, ut Sebieszum stet item integrum Magno Duci, nisi Velisium habeant, aut evertatur. Jam cum ego mentem Serenissimi Regis hac de re perspectam nonnunquam habuerim, spero id negotium nobis non exhibiturum, si alia successerint, ut cras fortassis in nomine Jesu absolventur. Stet Regi Drissa, Sebieszum Magno *Duci, de* quibus Deo dante, in reditu in Moscoviam *meo* agam, si qua ratione potuero eviucere, ut viva voce, rationes illum meae ad utramque arcem solo aequandam permoveant. Quod si pax fiet, illico Porcoviensis Palatinus Porcovia, et quinque alii Novogardia Magna, unius diei, ac noctis spatio, accersentur, ut arces Livoniae dedant, captas autem a Rego accipiant, datis a V. D. M. fidelibus viris, per quos ista peragantur. Ajunt autem Mosci distare Sebieszum Drissa centum verstis. Si stetisset iis Derpatum, concessuros fuisse, ut Sebieszum solo aequaretur. Quod si quid lucis amplioris ad ea, formulamque conditionum, a me missam, a V. D. M. accepissem, aliqua forsan, ad expediendum celerius totum negotium, his litteris addere potuissem. Sed non dubito, quin omnia Legatis perscripta sint: Hoc unum dicam, sperare me de Magnificentia V. eam jussuram, ut mature Cosaci, et reliqui illi ad sanguinem fundendum promiores, si cibum, et alia velint, jam a pueris, et innoxiis, nec militaribus hominibus manus abstineant: ne dum putant incutere hosti terrorem, desperationem inferant, laesaque patientia, fiat furor. Quod si V. Magnificentiae visum fuerit, ut hinc in castra nobilis aliquis Moscus mittatur, qui, post juramento Legatorum sancitam pacem, Plescoviensem Palatinum de tota re, evocato ex ipsa civitate aliquo, coram V. D. M. cer-

Digitized by Google

tiorem faciat, id forsan rationibus ipsius exercitus non erit incommodum. Cum vero Mosci instent, ut captivi liberaliter omnes tradantur, eaque res ad me a Legatis Regiis relata adhuc habeat difficultatem, quod Mosci diserte, ac plane in litteris velint, sine alia dilatione fieri: videat V. D. M. quid Christianam pietatem deceat. Equidem, puto, praestaret, ut qui sunt in castris captivi, vel mecum venirent, vel certe candide efficeretur, ne aliquo ab militibus ablegarentur. Sic fidelius cumulabit victorias Deus iis, qui fidem sinceriorem servabunt. Ac quidem hoc anni initio conclamata pace, partium V. D. M. esset, ut in die Epiphaniae jam appropinquantis, plurimi ad gratias Deo agendas, Sanctissimumque Sacramentum sumendum adducerentur: ut jam Polonicum Regnum, novi anni et exitus incremento, majora benedictionum coelestium, percipiat incrementa. Jesus V. D. M. cor, et dexteram Divinis numeribus ditet. Ex Chiverova Horca, ultima die Anni, 1581.

## *STEPHANO POLONIAE REGI,*

ANTONIUS POSSEVINUS.

Quas mihi Regia Majestas V. Duneburgo litteris scripsit, eas heri accepi cum non ita multo post, alias a Magno Moscoviae Duce accepissem, quas hac nocte, sicuti reliquas omnes, (ternas enim hic accepi) Legatis V. Majestatis legendas misi. Ex iis autem, quarum exemplum ad V. Majestatem mitto, cognoscet, quantum mihi pergat Princeps ille calcar addere, ut pacis compositionem procurem: quae (nisi aliud latet, quod mihi ignotum sit) intra biduum triduumve certis conditionibus statuetur, ita ut Majestati V. Moscus tota, quam habet in manibus, Livonia cedat, Velisium item relinquat, tormentorum partem iis in arcibus quondam de Polonis captorum restituat; intra octo hebdomadas arces illas omnes Livonicas dedat, quae in ejus potestate sunt; ab ipsaque civitate Derpatensi incipiat. V. vero Majestas Lucum, Zavolociam, Neveliam, Chelmam, quasque Plescovienses arces superiore anno cepit, cum iis tormentis, quae erant Mosci, Mosco restituat: exercitum Plescovia deducat, atque ad novem annos pax utrinque sit: quamvis ut haec sit longior (cum dixi, a Magno Duce litteras accepero) tentaturus sim. Restant dous de captivis. Secus enim, quam in castris statutum fuerat, nobisque V. Majestas dictaverat, Legati Regii dicunt fieri (novo mandato accepto) oportere. Hodie voro altera, in Legatorum conventu, Plenipotentia lecta est, quam Moscus misit: admonitus, primam invalidam esse. Missum est enim hinc ad ipsum Plenipotentiae V. Majestatis exemplum, quod ego tradideram Moscis. Cum vero ex aliarum litterarum exemplo, quas mihi Mosous paucos ante dies misit, sit adhuc V. Majestas planius intellectura, quod ipsi ex Biscovicio scripseram, propterea non est, quod longius respondeam litteris V. Majestatis quibus dignatur me urgere, ut curem a Mosco, quidquid habet in Livonia, libere tradi. Exemplum vero novissimae Plenipotentiae, quam Moscus misit, nisi Magnifici Cancellarii puer, qui in castra approperat, poterit expectare, per alterum istuc recta venturum confestim, Deo juvante, mittam. Nunc, quod ad ipsam tantae victoriae absolutionem spectat, fortissimo, et Christiano Regi fidenter proponam. Derpatum primaria civitatum Episcopalium est, quam Deus V. Majestati tradidit, earum inquam, quae nunquam in Regum Poloniae potestate fuerunt. In ea jam intellexi, quodnam V. Majestati consilium fuit; quasque litteras ad Pontificem Maximum scripsit: quidque mihi identidem dicere dignata est, cum et Episcopum Catholicum, et Collegium, atque ejus generis pleraque omnia Derpati, ex alibi statuisset imponi. Id igitur eo erit facilius V. Majestati quod, e quibus reditibus Vladica, Popi, atque Archipopi a Mosco attributis alebantur, ex iis, cum illi nunc revocentur in Moscoviam, Divinus cultus rite restitui poterit. Verum quoniam N. haeretico ad sua redeunte, novit Majestas V. quantum non alteri modo Collegio nostro, sed universae Catholicae religioni impedimenti illatum sit: obsecro V. Majestatem per misericordiam Christi, per quem Reges regnant, ut cum sincerum, neque nutantem Catholicum toti Livoniae praefecerit, tum arcibus eos praeficiat, a quibus nomen, Ecclesiaque Dei non blasphemetur. At vero Derpati nemo (quod sciam) aptior videtur, quam D. Zebridovius, qui sexennium, magno animo, magnis sumptibus, summa fide Catholica V. Majestati inservivit, praeter ejus patris antiquiora erga Rempublicam merita. Quem Zebridovium etsi in castris noveram, quod Lublini Collegium de Societate nostra cum instituisset, in

Digitized by Google

ipsa pene acie diligentissime me urgebat, ut in eam vineam satis incultam operarios quam primum mitti curarem: interius tamen ejus pietatem cognovi, cum mihi adhibitus est in hoc itinere comes, et dux; tempore autem hujus conventus fidissimam Reipublicae ac vere Christianam operam praestitit. Hunc ergo de Christiana nota V. Majestati commendo, testatus Deum, neminem hac de re mecum esse locutum, priusquam me rem Deo commendante, id mihi ipsi venisset in mentem. Quod si V. Majestas id effecerit, paxque haec videbitur non infirmis fundamentis niti, audebo in reditu ex Moscovia meo, rogare V. Majestatem Regiam ut Illustrissimum D. Andream Batorium paret ad eam vel legationem, vel missionem, quam in castris V. Majestatis scripto, ac voce opposui. Id enim quantae Dei gloriae, dignitatique Illustrissimi illius Principis, et Livoniae firmitati futurum sit, non dubito, quin optime V. Majestas intelligat. Quam hoc novi anni initio, omnibus Divinae sapientiae donis augeri percupio, atque a Deo contendo. Ex Chiverova Horca die S. Epiphaniae advesperascente, 1582.



Digitized by Google

# XX.

# ARSENII ELASSONIS

## ARCHIEPISCOPI

## ITER IN MOSCOVIAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

# XX.

# ARSENII ELASSONIS

## ARCHIEPISCOPI

# ITER IN MOSCOVIAM,

## UBI ET

## PATRIARCHATUS MOSCOVITICI INSTITUTIO

# NARRATUR.

---

Scias velim, frater, quod die prima Maji dum in castro Lobi versarer, perlatae fuerunt ad me litterae Sanctissimi Patriarchae Constantinopolitani Jeremiae, sapientis viri, quem alterum Jobum dixeris, atque Prophetae Jeremiae perfectum imitatorem. Scribebat autem se illinc discedere, atque Maximum Poloniae Cancellarium Joannem convenire, ut ab ipso, atque Poloniae Rege litteras acciperet, quibus Poloniae, atque Lithuaniae fines egredi posset, et ad Maximum Russiae Regem Theodorum Orthodoxum, potentia, et magnitudine praestantem, proficisci. Statim igitur ut litteras legi, summopere gavisus sum, et surgens e lecto, ac celeriter me ad iter comparans, equos, et currus emi, ceteraque omnia usui opportuna parata habui. Non post multos dies ad Poloniae fines advenit Patriarcha, misitque ad ipsum Cancellarium viros, ac litteras, enixe deprecans, ut in castrum suum Zamosc venire non dedignaretur. Quum audissem eum transivisse, et ad Cancellarium venire, properavi, ut Zamoscium praevenirem. Itaque media Parasceve a castro Lobi discessi, atque Dominica die Zamoscium perveni, ibique Patriarcham allocutus sum, summaque veneratione, maximoque cultu excepi, caput et genua amplexus. Vigesima Maji Dominica die cum benedictionem, absolutionemque largitus esset, jussit me assidere, multosque mecum sermones habuit moeroris plenos, adeo ut prae dolore flerem, dum varios labores narraret, quos passus erat apud Turcas in urbe Rhodi, ubi exulabat. Tum vero mihi subjecit: Quomodo res tibi succedunt cum hisce Polonis. Optime, inquam, Domine mi, benedictionis tuae praesidio. Tunc ipsum interrogavi, num et ego ad Maximum Supremum Russorum Regem cum eo venire possem: ipse vero suaviter respondit, veni mecum, fili mi, ut Russiam proficiscamur.

Cancellarius interea clarissimus illum, ejusque familiares et qui cum ipso erant, humanissime excepit, plurimoque amore complexus est, atque inde multis honoris signis illum dimisit, ut iter suum prosequeretur, obtentis a Rege litteris, quibus Poloniae fines egredi posset, pluribusque nos commendavit, donec Berestum usque ad confinia pervenissemus: quam ob rem cum in media Polonia, atque Lithuania versaremur, ubique nos benigne, comiter-



Digitized by Google

que exceperunt. Illinc egredientes, ut Vilnam pergeremus, viris aliis commendarunt per itineris cursum. Quinque dierum spatio Beresto Vilnam pervenimus, hospitio semper excepti. Ut autem adventum nostrum nobiles, aliique perceperunt, omnes a minimo usque ad maximum in occursum processerunt. Et plures quidem vidi nobiles viros, multis abundantes divitiis; at unus ceteris omnibus longe praestabat. Hic Consiliarius erat clarissimi Poloniae Regis, totiusque Lithuaniae Magnus Logotheta. Pocarpem dicunt nobilissimum hunc virum Orthodoxum, ceteris praestantem. Ibi porro duodecim dies diversati sumus, benignissime excepti, multisque honoribus affecti, ut benedictionem a nobis impetrarent. Nobilissimus autem, gloriosissimusque prae ceteris Pocarpes multis, variisque modis maximum erga nos amorem contestatus est.

Inde cum digrederemur, atque Orsiam versus, extremum Lithuaniae castrum prope Russiam, iter nobis capessendum foret, pluribus itidem in itinere viris nos commendarunt. Decem dierum spatio illuc pervenimus, et hospitio excepti fuimus: inde beneficiis pariter cumulatos nos homines illi dimiserunt usque ad Russiae oppida, in castrum, quod Smolenscum appellant, praeclarum, maximumque prope Borysthenem. Vojvodes ab ea civitate, in qua versabatur, viros misit, qui nos domum suam extra moenia civitatis intra rerum venalium forum ducerent, ibique maximo nos in honore habuerunt. Iterumque Legatos misit, ut omnes describeremur, et singulis demensum frumentum honorifice adsignaretur, quod impletum est; viros insuper emisit, qui celeriter profecti Maximo Regi nuntium ferrent. Singulis vero diebus multas nobis exquisitas dapes ipse, locique Episcopus suppeditabant, similiterque frumenti mensuram unicuique secundum proprium ordinem distribui jusserant.

Ubi ad Regis aures adventus nostri fama pervenit, viros illico misit, qui nos comitarentur: iidemque litteras tulerunt ab ipsomet Rege Patriarchae scriptas his verbis:

Theodorus Orthodoxus Maximus Rex Volodimeriae, Moscoviae, Magnae Russiae, Astrachani, Casani, Magnae Novogardiae, et Resaniae Maximae, totiusque Septentrionalis regionis, vastissimaeque Siberiae. Obsecro te, Domine mi, deprecorque, ut Moscam venire labores, ut fructu benedictionis tuae frui possim. Tunc Episcopus, et Vojvodes ad Ecclesiam, quae erat in civitate, nos duxerunt, ibique die sabbati, cum festum incidisset Coryphaeorum Petri, et Pauli, divinam liturgiam peregimus. Inde arrepto itinere cum Regiis Legatis Moscam progressi sumus, victu nobis ubique Regiis sumtibus parato, celeriterque iter perficere curavimus.

Decem dierum spatio Moscam civitatem pervenimus, celeberrimam, atque praeclaris aedificiis ornatam. Multi nobis occurrerunt nobiles viri, ceterorum autem hominum infinita prope multitudo; et in domum Episcopi Magnae Resaniae nos exceperunt.

Interim Rex nobilitate praestantes viros, aliosque plurimos superioris ordinis ad nos misit; singulisque diebus Regio sumtu mensa optimis, variisque dapibus instructa parabatur, atque tricliniarchae, coqui, pincernae, aliique omnes minores majoresque aptissime instructi erant. Vocavit autem Rex Magnum Patriarcham, ut ad Regale palatium veniret, plurimosque viros margaritis omnes circumvestitos, aureisque strangulis coopertos, splendideque ornatos misit. Igitur Patriarcha statim palatium versus sese contulit. Praecedebant nobiles minores majoresque, retro autem sequebantur Monachi nigra veste induti, medii vero cum Patriarcha nos Legati incedebamus, Monembasiensis Metropolita, et ego Elassonis Episcopus, humilis Arsenius ab Hellade profectus. Hoc comitatu ad Regalis palatii scalam pervenimus amplissimam, ornatissimamque. Ibi pedibus procedendum fuit ut in superius ascenderemus, ibique rursus praeclarum nobis Regis nuntium tulerunt dignissimi nobiles viri, atque haec Regis nomine effati sunt.

Theodorus gloriosissimus, Magnus Rex, atque Imperator Maximus Magnae Russiae te Patriarcham obsecrat, atque precatur, ut in superiorem palatii partem ascendas.

Sanctissimus Patriarcha sic illis respondit. Regis mandatum nulla interposita mora adimpleatur. Illinc igitur statim processimus, atque in superiorem partem domus ascendimus cum ingenti nobilium comitatu.

Misit rursus Maximus Rex praeclaros viros binos Logothetas, qui summa cum observantia locuti, Regis verba Patriarchae retulerunt. Theodorus Rex, Imperator Maximus, Rex Regum, totiusque Russiae obsecrat, atque precatur, ut ad ipsum venias: summo enim videndi te desiderio flagrat, tuamque benedictionem exoptat: quibus divinus Patriarcha Oecumeni-

Digitized by Google

cus Constantinopolitanus respondit: Regium mandatum statim impleatur, Rexque in aeternum imperet.

Tunc duo ipsum sub alis sustentare coeperunt, donec ad limina pervenimus palatii, auro circumquaque fulgentis. Ibi Maximus Rex super thronum sedebat, quamque nos vidisset, statim e throno surrexit, sceptrumque manu tenens descendit.

Patriarcha prope Regem stetit; ast primum praeclaram imaginem totius mundi Dominae, atque patronae Sanctissimae Deiparae, carbunculis, lapillis, adamantibus, saphiris, topaziis, aliisque plurimis margaritis ornatam, quae intra Regis thronum paululum ipsi Regi supereminebat, veneratus est. Postquam vero venerandae imagini reverentiam exhibuit, prope Regem stans, sanctum manum extulit, multaque Regi fauste precatus est, longaevam ut vitam duceret, atque longe lateque Imperii fines protraheret, ut in Regna omnia dominaretur, ejusque nomen in Orientis, atque Occidentis partibus coleretur; denique ut sui generis successorem relinqueret, qui solium occuparet.

Tunc Maximus Rex, caput diademate, atque corona pulcerrime circumdatum inclinans, Patriarcham veneratus est, atque his verbis eum est allocutus. Gratias tibi ago, Domine mi Patriarcha; Deusque super omnia benedictus, cuncta, quae mihi adprecatus es, sinu suo ferens, votis tuis benigne annuat: post quae adjecit: Opportune, Domine, advenisti, atque in diebus Imperii mei Sanctitas Tua Regnum hoc invisit. Postea sublimem thronum, aureumque Rex ascendit, atque edixit, ut Patriarcha a dextris ejus summo cum honore sederet, pariterque nos ad latus dexterum Patriarchae assidere jussit. Sedens in solio manu dextera elatum tenebat honorificum sceptrum affabre elaboratum, atque lectis lapillis, topaziis, gemmis, decoris carbunculis, magnis adamantibus, lucentibusque sapphiris circumdatum; et ad latera praegrandem habebat sphaeram ex auro conflatam, in quo totius terrae ambitus signatus erat. Ceteri autem omnes, sive Cneses, id est Provinciarum Toparchae, ac Duces, sive nobiles, atque universi Monachi, maxima observantia adstabant.

Surrexit iterum Rex, dixitque: Benedic mihi, Despota clarissime: quocirca accedens Patriarcha rursus benedixit, et fausta precatus est, ut sanctam, atque longaevam ageret vitam.

Postea Regem venerati omnes Patriarcha, et nos, maximo affecti honore discessimus, multisque viris stipati domum regressi sumus, in qua diversabamur cum nobilibus viris non paucis. Ibi postquam dies, hebdomadasque cum Regiis praestantibus viris pluribus commorati fuissemus, significavit Patriarcha, se illinc abire velle, et ad sedem suam Constantinopolitanam redire. Tunc clarissimus Archon primus inter Barones Regis, atque Reginae *Μαΐμων*, et Maximi Casani, cujus regionis fama per omnes terrae partes celebratur, Dux ad Patriarcham reverenter accessit, dexteramque ejus osculatus, Regis, Sanctissimaeque Reginae verbis salutem nuntiavit.

Patriarcha cum fausta precatus esset, quomodo valerent, interrogavit, cui nobilis vir respondit: Optime, divina opitulante gratia.

Postmodum surgens non sine timore, atque reverentia Patriarchae miro ordine retulit sermones, quos ad ipsum habuerat Maximus Theodorus Magnae Russiae Rex.

Maxime Patriarcha Constantinopoleos Oecumenice, Sanctorum Sanctissime, oro, obtestorque, ut sermones hosce, quos ad me habuit Rex, benigne excipias. Theodorus potentissimus, Maximus Rex Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae te obsecrat, atque deprecatur, ut in hac Moscoviae regione velis moram figere, atque Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae Patriarcha vocari, unde potiori ratione Oecumenicus appellabere; quam ob rem abundantissimum, innummerabilemque omnino censum tu, ceterique, qui tecum sunt atque congeneres tui habebunt.

Haec cum audisset Patriarcha, istud ex tempore responsum dedit. Theodoro Maximo Regi, Dominaeque Reginae Ireni plurimas habeo gratias pro summa erga me benevolentia, atque observantia, quodque regnum suum illustrare cupiant, propriumque habere Patriarcham exoptent, ex quo maximum ubique terrarum decus constabit. Verum eorum vota impleri nequeunt; me enim praestolantur minores omnes, majoresque, Episcopi, Presbyteri, et Monachi universi, et quotquot Constantinopoli commorantur: attamen, ut Regis desiderio aliquo modo fiat satis, servatis legibus, et Episcoporum consensu, alius hic eligatur. Ad haec vehementer indoluit nobilis inter Barones vir, Patriarcham manere non posse, atque discedendi facultate impetrata in palatium se contulit, ut Patriarchae dicta Regi referret: et



Digitized by Google

quidem cum illuc pervenisset, omnia, quae a Patriarcha audierat, ex ordine narravit.

Rex ubi haec intellexit, maximo moerore affectus est; quid, inquit, nunc consilii capiemus? Verum omnipotentis Dei, ipsiusque Patriarchae voluntati indulgendum est; conveniant itaque Episcopi omnes, atque Archimandritae Maximi, cunctique praefecti. Quamobrem statim edixit, ut Episcopi omnes, atque praefecti adessent in palatio. Convenerunt igitur Episcopi universi, et Archimandritae Maximi, omnesque praefecti, atque in aulae medio coram Rege Synodum coegerunt, in qua una voce omnes significarunt, rem sibi fore maxime acceptam, si vellet Patriarcha Constantinopolitanus Oecumenicus tota vitae suae cursu Patriarchatum in eos exercere, illosque sub sua ditione habere.

Tunc Rex, Episcopi, ceterique omnes Synodum celebrantes nobilem virum Andream Tzalcanem aetate provectum, mirabili prudentia, doctrina, et virtute praeditum, celeberrimumque, nec non germanum ejus fratrem nobilem Basilium miserunt, qui Synodi decretum Patriarchae referrent. Hi quum ad Maximum Patriarcham, virum ubique terrarum nunquam satis commendandum venissent, manus primum, et caput, ac genua complexi sunt, et ab ejus dextera benedictionem acceperunt. Postea totius Synodi, Regisque Consilium ipsi aperuerunt his verbis.

Benignas, quaesumus, aures praebe Sanctissime, divineque Patriarcha. Theodorus Rex, qui Russiam peramplam ab Oriente usque ad Occidentem, universamque Septentrionalem regionem imperio suo moderatur, et Episcopi, praefectique, quotquot in Russia sunt, te deprecantur, et obsecrant, ut Imperii hujus Patriarchatum toto vitae tuae tempore exercere velis; propter quod eximia dona, regiones, civitates praeclaras, parvas, magnasque, et frumenti mensuram a Rege, et aspra Nogratia mille singulis diebus consequeris; viris etiam, qui tecum sunt, propriae constituentur regiones, ut maximo in honore sint, multisque facultatibus, ac omnibus ad usum necessariis abundent. Haec locuti, Patriarcham venerati sunt.

Ipse autem sic eos affatus est. Theodoro Maximo Regi, Sanctaeque Reginae Ireni plurimas, quas possum, refero gratias pro munificentissimo eorum erga me animo, pariterque Sanctissimae Synodo, quod regnum hoc illustrare studeant, mihique ejus Patriarchatum votis suis destinarint. Verum fieri nullo modo potest, ut ego hic maneam, atque Moscoviae Patriarchatum in me suscipiam. Episcopi enim, Presbyteri, atque Cives universi Constantinopolitani a minimo usque ad maximum nunc ad me miserunt, ut ad eos revertar. Quapropter Regem celeriter invisam, ut statim proficisci queam, et ad Ecclesiam, quam veluti matrem suspicio, me conferam, eamque infirmam, atque consenescentem tuear, et plurimos, ac praestantes illius filios maximis bonis, et divitiis ab ea cumulatos, sustentem, qui modo eam prope dereliquerunt, neque satis confiderant, quod facultates omnes ab ea acceperint, neque solamen ullum praebere curant. Ego igitur primus ejus filius, fratrum meorum ultor, et custos, matris meae senescentis curam gerere malo, ut sanctam ejus benedictionem promerear, digneque bonorum omnium hereditatem accipiam, quod sane illius votum est. Verum ejusdem matris meae voluntate, atque fratrum omnium meorum consensu, servatis legibus ex ordine, Patriarcham universae Russiae constituam, ut Regis voluntas impleatur, totiusque praeclarae Synodi Russorum voto satisfiat.

Legati Patriarcham venerati, ad aulam perrexere, ut Regi, totique Synodo haec referrent. Cum relata audivissent, omnes Episcopi, et Presbyteri, a minimo usque ad maximum, ingenti dolore correpti sunt, dicebantque, quid consilii modo superest, nisi ut Dei omnipotentis, ipsiusque Patriarchae voluntati morem geramus?

Rursus itaque binos Episcopos venerabiles, atque prae ceteris virtute insignes miserunt, qui maximo cum honore ad Patriarcham Constantinopolitanum venerunt, et reverenter sanctam ejus manum osculati, Regis nomine salutem nuntiarunt.

Maximus Russiae Rex, et Domina Regina Irene, et Episcopi, ceterique in Synodo congregati, Sanctitati Tuae salutem plurimam dicunt. Illud persuasum habe, Domine mi, Regem, ceterosque omnes a minimo usque ad maximum vehementi dolore affectos fuisse; propterea quod hic manere, atque Patriarcham totius Russiae Oecumenicum renunciari nolis, simulque divitias multas, et ingentes facultates, civitates, plurimasque regiones parvas, magnasque possidere, et insuper frumenti mensuram a Rege, et aspra Nogratia mille singulis diebus accipere, quo in rerum statu civitates etiam, insignia decora, divitiae, ceteraque ad vitam

Digitized by Google

necessaria iis, qui tecum sunt, non defuissent. Quandoquidem vero moram hic figere, ac Russiae Patriarcha fieri nequis, omnes te minores, majoresque, Rex, Regina, Episcopi universi orant, obtestanturque, ut eum, quem Rex, ceterique elegerint, Maximum Moscoviae Patriarcham constituas; atque omnino precantur, ut modo ad Metropolitanam Ecclesiam venire non pigeat, ad electum Patriarcham renuntiandum, cujus deinde fama totum per orbem late pervadat.

Ad haec celeberrimus, Maximusque Constantinopolitanus Patriarcha Oecumenicus Episcopis illis a Synodo legatis responsum dedit. Dei omnipotentis per omnia benedicti, cujus sane consilium est, et Maximi Regis Magnae Russiae, Volodimeriae, Moscoviae, atque universae regionis septentrionalis, tum venerandae Reginae Dominae Ireneis, nec non Episcoporum, et Synodi voluntas impleatur.

Tunc vero ad Metropolim perreximus, cumque omnes a minimo usque ad maximum, Rex, Episcopi, nobiles viri, Archimandritae Maximi, universique praefecti nobis occurrissent, tandem progressi ad Ecclesiam pervenimus, mirum servantes ordinem; et primum quidem Episcopi pallio ornati, tum Presbyteri, et Diaconi sacris vestibus induti; omnesque facta salutatione Ecclesiam ingressi sumus. Patriarcha in throno consedit; Episcopi autem in sanctuario, ubi sedes positae erant, proprias singuli occuparunt, atque una cum Episcopis sedit Monembasiensis Metropolita Hierotheus, et ego pariter humilis Arsenius Elassonis Episcopus ex Hellade profectus.

Ibidem autem nos secundum ordinem tres Episcopos elegimus, ut eorum unus Patriarcha eligeretur, singulique Episcopi nomen propria manu scripserunt, quod ipsis visum est.

Deinde surreximus, atque hinc abeuntes ad Patriarcham venimus, ejusque lateri adhaesimus. Quumque Rex per nuntios advocasset, illinc cum Patriarcha discedentes in aulam perreximus, ubi ad limen usque Rex in occursum venit, acceptaque a Patriarcha benedictione capitis, pectoris, et dexterae, altissimum solium conscendit, et Patriarcha propius sedit, ac deinceps consederunt Episcopi omnes, ceterique, qui aderant, nobiles viri, atque praefecti. Tunc surrexit divinus Patriarcha una cum Theodoro Magno Russiae Rege, et Patriarcha electos Regi exhibuit, ut eorum unum eligeret. Rex vero electos cum reverenter accepisset, Deum optimum maximum elata voce primum adprecatus est. Gratias tibi ago, nomenque tuum et optimam providentiam, prudentissimumque consilium summopere veneror, propterea quod ad nos mittere dignatus es Maximum Patriarcham Constantinopolitanum Oecumenicum, eo quidem voluntatis proposito, ut Regno huic nostro Patriarcham praeficeres. Rursus etiam maximo Patriarchae gratias egit, ipsum sic alloquens. Gratias plurimas habeo Sanctitati Tuae, Domine Patriarcha Constantinopolitane, quod Regnum hoc nostrum Russiae adveneris, atque Moscoviam praesentia tua cohonestare volueris; nunc obsecro, ut Jobum Metropolitam totius Russiae Patriarcham renunties.

Patriarcha his verbis Regi respondit, ipsumque sic affatus est. Faxit Deus omnipotens pro infinita, qua res omnes gubernat, providentia, ut tua impleantur vota, omniaque prospere succedant; neque dubium ullum mihi est, quin hoc, quod tantopere cordi habes, Deus super omnia benedictus, eximie perficiat.

Tunc salute data illinc discessimus, et domum reversi sumus. Quinta die suffragiis confirmata fuit electio Jobi in Patriarcham Moscoviticum. Dominica die rursus venerunt Episcopi, atque nobiles viri aulici multi, clarissimique.

Inde profecti omnes a minimo, usque ad maximum in Ecclesiam convenimus, et Patriarcha quidem praegrande pulpitum ascendit, quod in medio Ecclesiae contra altare statuerunt, duodecim gradibus decore ornatis distinctum. A summitate solii usque ad sacrum altare extendebatur villosum sericum, quod auro, et nigro, coccineo, caeruleo, varioque colore contextum erat. Sedes quoque paratae erant, quibus Patriarcha, atque Theodorus Magnae Russiae Rex assiderent, tum aliae in gradibus recto ordine dispositae Episcopis omnibus. Ibi Patriarcha vestibus magnae Ecclesiae indutus est, acceptamque pulcerrimam, ac pretiosissimam mitram, capiti imposuit: nos vero cuncti sanctuarium ingressi sacras vestes induimus, pariterque mitras praeclaras, non parvi pretii nobis traditas capiti imposuimus. Vestibus ita amicti scamnis consedimus, et Patriarcha, atque Rex proprium occuparunt subsellium.

Interea missi sunt duo Diaconi ceteris praestantiores, Leontius nempe Magnae Ecclesiae Diaconus, alterque Diaconus Magnae Rus-

Digitized by Google

siae, qui Episcopis retulerunt Patriarchae, Regisque mandatum, ut bini ad proprias sedes ex ordine procederent: quocirca cuncti recta profecti sumus, et singuli ordinatim proprias sedes tenuimus. Posthaec biceps pulvinar pulcerrimum prope sacrarii portam posuerunt, ubi erant armati viri, diligenter locum custodientes, donec adduceretur praeclarus vir omnium suffragio electus, Jobus nomine, animi sanctitate praecellens, Episcoporum maximus, Moscoviae Metropolita. Adfuit igitur ille, seditque super pulvinar, et inde reverentiam omnibus exhibuit; postea ingens liber allatus est, ut coram omnibus divinum symbolum proferret, et coram Patriarcha, cunctisque Episcopis symbolum alta voce recitavit. Patriarcha autem, Rex, et Episcopi interea sederunt.

Tunc vero Protopapas Magnus, et Maximus Archidiaconus Magnae Ecclesiae eum ante Patriarcham adduxerunt, qui Spiritus Sancti gratiam prolixa precatione super eum invocavit, ut Magnae Russiae Patriarcha deinceps foret, et osculum de more dedit ei, quod et a singulis Episcopis praestitum est. Deinde prope Patriarcham consedit, donec minor ingressus (seu introductio libri Evangeliorum) fieret; quibus absolutis Episcopi omnes, Presbyteri, atque praefecti venerationem eidem praebuimus.

Sanctuarium omnes ingressi hymnos, et responsoria ibidem canere coepimus, eodemque tempore scamnum coram mensa positum est, et Magni Patriarchae, Maximique Regis Volodimeriae, Moscoviae, ac totius Septentrionalis regionis celebratae sunt laudes. His absolutis elata voce trisagium τό δύναμις cecinerunt psaltae, Magnus nimirum Domesticus Paschalis ex Constantinopoli, ceterique cum eo Patriarchae cantores.

Completo hymno trisagio, Patriarcha universo coetui benedictionem impertitus est, et electus Jobus a dextris Patriarchae stetit, qui alta voce Jobum electum divinum Metropolitam renuntiavit his verbis.

Divinitus affluens gratia ex metropolitano throno te altius evehat, ut Patriarcha sis Volodimeriae, Moscoviae, totius Russiae, omnium Hyperboraeorum, et universae Septentrionalis regionis. Cuncti vero Episcopi, et Presbyteri gratias agebant, elataque voce Kyrie eleison, similiterque τό dignus a minimo usque ad maximum una cum praefectis canebant.

Absoluta divina institutione, singuli Episcopi, Presbyteri, et bini Patriarchae, praefecti, atque Archimandritae divinam liturgiam peragere agressi sunt, et mysticas sacras preces fuderunt, ac Patriarcha maxime ad Deum clamabat. Post sacram liturgiam cuncti divini corporis communione refecti sunt, omnibusque expletis sacras vestes exuimus in ipso altaris septo. Patriarchae vero ambonem relinquentes indumenta sacra pretiosissima, praestantissimaque, margaritis, lapillis, adamantibus ornata pariter deposuere, acceptoque pallio consederunt, et nos ad eos accessimus.

Rex autem Patriarcham Russiae multis cumulavit donis. Surrexit enim, et una cum eo surrexere bini Patriarchae, Episcopi, Praefecti, atque Archimandritae; jussitque novum Patriarcham pallium exuere, et ipse propria manu elegantissimum encolpion (thecam nimirum sanctorum reliquias, aut vivificae crucis particulas continentem, quae e collo gestabatur in pectore) ex aureo pendens funiculo imposuit; iterumque propriis manibus splendidissimum, multique pretii pallium ex villoso serico Venetiis allato, lapillis pretiosis, plurimisque adamantibus a vertice ad pedes usque exornatum largitus est. Tum lineas dedit candidas rubeis intextas, nec non electos lapides, multasque margaritas. Similiter Calimauchium album lectis lapillis, atque margaritis ornatum dedit, quod in superiori parte supra verticem venerandam Servatoris Christi Jesu crucem praeferebat. Erat autem multis carbunculis, ac rotundis margaritis, topaziis, gemmis, magnisque adamantibus exornatum; et circa medium, ac summitatem inscripta erant haec verba, Regis donum Patriarchae Jobo. Baculum insuper praestantissimum aureum, multi pretii, pulcerrimumque, preciosis lapidibus, et plurimis margaritis decoratum, et quatuor in nodos distinctum. Postea hos sermones ad eum habuit. Domine Sanctissime, Venerando Patriarcha, Pater patrum, totiusque Russiae Primas, Magnae, inquam, Russiae, Volodimeriae, Moscoviae, Septentrionalium regionum, Astrachani, Casani, Magnae Novogardiae, atque Rasani, totiusque Siberiae Patriarcha. Primatum supra ceteros Episcopos ad te spectare declarat Majestas mea, edicitque, ut in posterum admirandum saccum gestes (vestem nempe Patriarcharum manicis carentem, corporique astrictam instar sacci) mitramque, ac magnam cappam, atque per omnia Imperia, Regna, et dominatus Patriarcha renuntieris, nec

Digitized by Google

non aliorum Patriarcharum, Constantinopolitani, ceterorumque frater habearis.

Eodem tempore benedictionem accepit a Moscoviae, ac Volodimeriae Patriarcha, simulque psaltae canora voce Regis, et Magni Patriarchae Constantinopolitani, juniorisque Patriarchae Moscovitici laudes celebrabant.

Exinde discessimus, atque in aulam, quae tota erat auro strata, ascendimus, omnesque Rex, Episcopi, ac bini Patriarchae, praefecti, nobiles, atque Archimandritae ad mensam consedimus.

Primum quidem sedit Rex, deinde Constantinopolitanus Patriarcha Oecumenicus, tertius recens electus Patriarcha Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae, postea Episcopi omnes, suo quisque ordine, universique praefecti, tum nobiles omnes, qui aderant, clarissimique Duces. Sederunt etiam Nobiles Iberiae, qui inde legati fuerant, ut Moscorum Regi debitum venerationis cultum praeberent, atque vectigal penderent, eique tanquam Regi, atque legitimo Domino se subditos testarentur, aeternam obedientiam polliciti.

Quum igitur omnes memorati viri, Rex, Episcopi, atque praefecti consedissent, versus canere coeperunt, atque Patriarcha Constantinopolitanus dextera benedictionem impertitus est. Quomodo vero rem plane admirandam persequar, atque enarrem, quot ibi nobiles viri, quae divitiarum copia, et quae auri affluentia? Vidimus argenteos cados aureis coronis circumdatos, et phialas, aliosque calices exquisitissimo Monembasiensi mero repletos, vinumque optimum ex Romania ministrabatur, quin et omnium ubique terrarum exquisitissimum, Cretense, ex apianis uvis confectum. Vidimus itidem aureas amphoras complures, et praegrandes, supra quam cogitari possit, alias aliis majores, quarum unam neque duodecim viri simul juncti afferre poterant. Et aliae quidem leonem, aliae ursum, lupum aliae, nonnullae boves, equos, lepores, cervosque repraesentabant. Monoceros etiam ingenti cornu instructus, variaque quadrupedum genera, tum etiam pulli, pavonesque aureis alis ornati, grues, ciconiae, anates, anseres, grandioresque pelicani conspiciebantur: tum struthiones plurimi, minores, majoresque, phasiani, columbi, perdices, turturesque, omnia quidem apto ordine, concinneque disposita, ex auro, vel argento conflata. Quin et venator exhibebatur pedicam aptans, affabre adeo expressus, ut praedae inhians videreur. Ceterum tanta erat istius modi amphorarum, atque cyathorum multitudo, ut eam dinumerare nequeam. Quid quod, tanta auri copia affluebat mensa, ut nullius sane mens percipere valeat infinita vasa parva, maximaque optimo, purissimoque auro constantia. Postquam de mensa surreximus, Patriarcha, Rex, ceterique, Magnus Vestiarius Regis Moscoviae, totiusque Russiae, Astrachani, Casani, Novogardiae, terrarum Septentrionalium, vastissimaeque Siberiae in medio stetit, multis eum comitantibus, et praeclarissima dona ferentibus. Hic autem Magnum Patriarcham Constantinopolitanum Oecumenicum allocutus est.

Maxime Patriarcha Constantinopolitane, Sanctorum Sanctissime, et Oecumenice. Inclitus Theodorus Magnus Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Septentrionalis regionis Rex, haec tibi plurima dona largitur, ut pro ejus Dei ceteroquin praesidio fulti, Deoque accepti, salute preces habeas. Maximum tibi deauratum calicem, exquisito artificio elaboratum, pulcerrimeque coopertum tradit, nec non villosum sericum Venetum, et pannum sericum adinstar contexti e villis caprinis, et rasum, et more Damasceno confectum, pulcraque *χλάδια*, pellesque muris Pontici ex Siberia, multaque demum Nogratia Magna Regiam effigiem prae se ferentia, ut pro eo, faustoque illius imperio preces ad Deum fundas, ut et diuturno tempore imperet, et firma valetudine polleat.

Tunc Patriarcha Sanctissimus elatis manibus Regi fausta precatus est, atque benedicens, adsit illi Deus, inqui, Optimus Maximus, unaque Sancti Archangeli, Apostoli, Episcopi, Martyres, ceterique Divorum albo adscripti cum semper magis magisque sospitent; quumque invocati fuerint, benignas semper praebeant aures, ut multos vivat in annos, ac latius semper illius fama pervadat, et Imperii, quod moderatur, fines augeantur. Multa adhuc verba pervenusta, et sanctitate, sapientiaque plena unius horae spatio protulit.

Postea salute data, ex ordine iterum ad mensam sedit. Vestiarius autem divinum Metropolitam, sapientissimum Hierotheum, Maximumque Episcopum secundo loco allocutus est. Audi, Monembasiensis Metropolita, quae tibi munera dedit Theodorus Maximus Moscoviae, Volodimeriae, Novogardiae, totiusque Russiae Rex, ut eum Dei praesidio fultum, Deoque acceptum precibus tuis amplius commendes, atque toto vitae tempore sorte tua

Digitized by Google

contentus sis. En tibi argenteum calicem deauratum pulcerrimum, atque decorum, venusteque coopertum tradit, unaque villosum sericum, et pannum rasum, et Venetum more Damasceno confectum, aliumque sericum adinstar contexti e villis caprinis, atque Nogratia propria effigie signata. Ad haec Metropolita venerandas manus extulit, atque ex animo Regi fausta precatus est, multaque alia dixit, non secus, ac Patriarcha, demumque Regi veneratione exhibuit.

Tertio Vestiarius ad Elassonis Episcopum omnium minimum Arsenium peccatorem abjectissimum se convertit, atque haec effatus est. Humillime Elassonis, inclitae et celebratissimae regionis prope Helladem Episcopi, ubi est sapientium omnium decus, atque oratorum splendor, ad pedes Olympi Occidentalis, non vero Asiatici, Theodorus Rex, Maximusque Imperator Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae multis te muneribus atque beneficiis ornat, ut pro illius preceris salute. Argenteum calicem auro obductum, venustissimum, et belle coopertum praebet, villosumque sericum perpulcrum, et rasum pannum, atque Venetum more Damasceno confectum, aliumque sericum adinstar contexti e villis caprinis, et pelles muris Pontici e Siberia, et nummos Nogratios Regia effigie signatos.

Tunc ego humilibus manibus sublatis, ex animo Regi fausta precatus sum, ut firma constaret valetudine, et ad seros usque nepotes vitam protraheret, plurimasque gentes Imperio suo moderaretur. Multa quoque alia, uti fecerat Patriarcha, locutus sum, ut Deus super omnia benedictus ipsum laetitia repleret, natumque concederet, qui Regalem thronum post multos annos occuparet.

Deinde Maximum Regem veneratus sum, et salve, inquam, Rex, diuque vale. Inde profectus iterum proprio loco consedi, aliique, qui cum Patriarcha venerant, surrexerunt. Postquam muneribus omnes cumulati fuere, Rex singulis propria manu pocula ministravit, quumque ex ejus manu Episcopi, Presbyteri, et nobiles universi potum hausissent, surreximus, et maximas de omnibus beneficiis, quae munificentissima liberalitate in nos collata fuerant, egimus gratias, Rexque sceptrum tenens nobiscum e mensa egressus, omnes honeste dimisit; indeque progressi sumus, donec ad propriam domum perveniremus, multis facibus, luminibusque, et a multis praeclarissimis viris comitati.

Crastina die sub auroram, secunda nempe feria missus est a Rege Vestiarius cum memoratis omnibus muneribus, quae praecedentis diei Dominicae vespera servanda ibidem reposuerat, Januarii nimirum die 26 qua ordinatus est novus Patriarcha anno ab origine mundi 7097 (Christi 1589) omniaque ex ordine singulis distribuit, primum quidem Patriarchae, a quo vicissim munus accepit. Sed et alia multa non parvi pretii adtulerunt, quibus nimirum pulpitum opertum erat atque coccineum quidem pannum viri quatuor, villosa serica auro contexta tres alii, nigra vero quatuor iterum viri ferebant praeter ea, quae prius enumeravimus sub vesperam a Rege tradita, quae cum allata essent, singulis ex ordine, uti scriptum erat, erogata sunt.

Posteaquam munera cuique distribuisset, Maximum Patriarcham veneratione complexus est, atque vicissim Patriarcha illi, ceterisque, qui cum eo aderant, benedictionem largitus est, qua accepta in aulam ille se contulit, ut Regem verbis Patriarchae salutaret.

Feria tertia, illucescente pariter die, Episcopi tres junioris Patriarchae nomine ad Maximum Patriarcham accesserunt, atque salute data, his verbis eum allocuti sunt.

Domine Sanctissime Constantinopolitane, Moscoviticus Patriarcha te plurimum obsecrat, atque precatur, ut Patriarchalem curiam invisere velis, ibidemque panem simul comedere, atque benedictionem impertiri.

Annuit statim Patriarcha, aitque, fratris mei Patriarchae Jobi voluntati indulgendum est. Quapropter surreximus omnes, simulque cum Patriarcha, et Episcopis, et aliis viris ex comitatu Regis, atque Moscvensis Patriarchae Jobi profecti sumus; cumque jam appropinquaremus, Episcopos omnes, et clericos cum facibus, multisque thuribulis in occursum misit, qui et Maximi Patriarchae Constantinopolitani Occumenici, ceterorum Principis, laudes concinebant, donec junioris Patriarchae scalam ascendimus cum Patriarcha. Ibi obviam nobis fuit novus Patriarcha Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae, atque vicissim alter alteri benedixit. Mox amplissimam domum ingressi paulum consedimus, variosque bini Patriarchae sermones miscuerunt admodum utiles, multaque sapientia refertos. Dum vero consideremus, venit nobilis vir clarissimus Regis nomine, atque in medium procedens duos Pa-

Digitized by Google

triarchas Constantinopolitanum, et Moscvensem, sic allocutus est.

Sanctissimi, divinique Patriarchae, ceteriquo Episcopi, et Metropolitae. Theodorus Orthodoxus, Maximus Rex Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae jubet, vos Regiam aulam conscendere, ut vobiscum de aliquibus rebus communicet, et sollicito animo expectat. Surreximus itaque, unaque voce pronunciatum est: Regis voluntas inprimis adimpleatur; et gradum moventes amplissimam, praestantissimamque aulam concessimus. Rex statim surrexit, et solium reliquit, ut Patriarcham exciperet, quem his verbis effatus est. Opportune advenisti, Domine mi, Maxime Patriarcha, una cum fratre tuo Jobo recens in Patriarcham electo, ceterisque Episcopis; atque utinam Deus eorum preces exaudiat. Jam te oro, obtestorque, ut mihi fausta preceris, atque benedictionem impertiaris, quae nunquam a me recedat. Patriarcha sublatis manibus, et fausta precatus, Theodoro inclito, Maximo Regi Moscoviae, totiusque regionis Septentrionalis, Magnaeque Russiae benedixit. Postmodum haec verba ad Regem habuit: Deus super omnia benedictus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, aequalis dignitatis, non confusa Trinitas Sanctissima, incolumem te jugiter servent, firmamque valetudinem praestent, ut Imperii fines longius proferre, omnesque tibi adversantes subjicere valeas.

Postea sedit primum Rex, deinde Patriarcha Constantinopolitanus, tum Moscvensis, ceterique demum Episcopi, Archimandritae, atque praefecti.

Adfuit etiam Reginae legatus, qui vocem coram omnibus extollens, sic Patriarcham ceterorum Principem Oecumenicum allocutus est.

Maxime Patriarcha totius Orientis, atque Occidentis, Constantinopolitane, Oecumenice, Irene Orientis pariter, atque Occidentis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae, Astrachani, Casani, Magnaeque Novogardiae, terrarum Septentrionalium, atque Siberiae Regina deprecatur, et obsecrat, ut ad eam cum Episcopis venias, atque benedictionem largiaris. Quumque haec dixisset, praestito reverentiae cultu, detectoque capite in medio stetit, ut Patriarchae responsum acciperet. Confestim surrexit Magnus Patriarcha, unaque Theodorus Magnae Russiae Rex atque Patriarcha Moscvensis, ceterique Episcopi, Archimandritae, atque praefecti; et Maximus Patriarcha vocem hanc protulit: Reginae jussis libentissimo animo obtemperamus: omnesque illinc cum Patriarcha, et Rege profecti sumus.

Et primum quidem incedebat Rex, tum Patriarchae, et reliqui ex ordine Episcopi, Archimandritae, atque praefecti, clarissimusque nobilium comitatus. Postquam ad alteram aulam pervenimus, omnes ibidem constitimus a minimo usque ad maximum.

Aderant autem ibi mulieres plurimae, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae Reginae famulantes, albae omnes a vertice ad pedes usque, ut nivem ipsam, atque gossypium, ipsiusque Solis radios aemularentur, neque ornamentum ullum aliud vel minimum gestabant, sive aureum, sive coccineum. Ibidem admiranda simulacra videre erat praeclaris ornamentis, lectisque lapillis splendida, pretiosisque stylobatis superposita. Tunc secundo reserata est aurea illa janua, unde Maximo Regi haec retulerunt.

Irene Orientis, atque Occidentis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae Regina precatur, ut in mediam aulam, ubi eadem sistit, vobis placeat concedere, ut vos obviam habeat. Primum igitur ingressus est Rex, tum Patriarchae, nosque deinde Episcopi, ultimumque summus, nobilissimusque Baro Regis legatus, atquae Reginae *Μαΐμων* post quem clausa est pulcerrima janua, neque alii cuipiam aditus patefactus est. Ibi venustissimam, religiosissimamque, et Sanctam Reginam Irenem vidimus, quae cum nos conspexisset, illico surrexit, et e Regali sede recessit. Tunc Patriarcha sic eam alloqui coepit.

Ave Domina Irene, religiossima, et Maxima, plurimumque Deo accepta Regina. Salve ceteras inter Reginas Princeps, atque dominarum Domina, grande Russorum, atque Septentrionalium terrarum decus, atque Orthodoxae fidei nostrae praesidium. Mox dexteram extollens, et fausta precatus, Reginae benedictionem largitus est.

Secundo loco recens electus Russiae Patriarcha eidem Reginae fausta precatus est, quod et ceteri deinde Episcopi, ex ordine singuli venerabundi praestiterunt, multaque in ejus laudem unusquisque proferebant, atque praestantissimam Reginam his ferme verbis compellabant. Ave Domina Irene, religiosissima, et plurimum Deo accepta Regina. Deus super omnia benedictus, qui cuncta sinu suo fovet, optimum tibi salutis statum, effusumque

Digitized by Google

in omnibus gaudium concedat, et omnia vota tua impleat, Regnique prae ceteris successorem praebeat.

Tunc Sancta, et numquam satis celebranda, Deique amantissima Irene Regina alta voce ad Constantinopolitanum Patriarcham Oecumenicum conversa, proprio eum ore allocuta est, unde profecto mirabamur sermonis suavitatem, splendorem, atque praestantiam. Gratias enim egit Maximo Patriarchae, lectoque, et honorifico sermone ejus laudes prosecuta est, atque concinna orationis forma ita loqui coepit.

Gratias tibi plurimas habeo, Domine Patriarcha Maxime, Constantinopolitane, Oecumenice, Sanctissime, ceterorum Patriarcharum Princeps, quod e longinquo huc adveneris una cum istis Sanctitatis Tuae filiis, sanctoque, et venerabili ubique terrarum conspectu tuo frui nobis liceat, ac summopere tibi obstricti sumus, quod per multos labores in propria hac nostra regione te conspiciendum praebueris, plurimamque ex Sanctitate Tua, Domine Sanctissime Oecumenice, gratiam meruerimus. Quocirca honor et gloria sit Deo optimo maximo omnium creatori, prae omnibus sanctis celebrari digno, et Dominae Sanctae Deiparae, nec non Archangelorum, omniumque Sanctorum coetui, quorum beneficio plane datum est nostris hisce diebus infinita paene animi laetitia te excipere, quo sane nihil honorificentius, atque majori laude dignum contingere poterat, unde et maximum huic Ecclesiae decus allatum est, quum a Metropolis gradu ad Patriarchalem evecta fuerit, totiusque Regni splendor mirifice adauctus est, ut ceterorum omnium famam jam superet. Hoc primores Reges nostri beatissimi ardentissime expetiverunt, neque tamen confectam rem videre umquam, piumque licet honorem consequi meruere. Deus omnipotens modo laboribus aliquot, atque molestiis ad eum te finem perduxit, ut supra ceteros gloriam, honorem et gratiam adeptus sis. Hic finem fecit, atque ex ordine reverentiam adhibuit. Rex interim lateri dextero Irenis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae, piissimae adhaerebat, ex sinistro vero latere nobilissimus vir Baronum supremus, Reginae Irenis frater, Magnaeque Russiae primus legatus, et in regione ad Casanum fluvium, qui postea in maximum Volgam confluit, sita imperium exercens, detecto capite venerabundus, humili modo, summoque honore aderat.

Ibidem rursus nobilissimae Ducum uxores videbantur omnes a vertice ad pedes usque alba veste indutae, aptoque inter se ordine dispositae, manibus secundum ritum decussatis, timoris, atque venerationis plenae, visuque pulcerrimae.

Itaque Regina Irene primam earum accedere jussit, quae manibus gerebat pretiosissimam patinam linteolo coopertam, multis margaritis, plurimoque auro confertam, adeo ut sex margaritarum millia ferme numerari possent, una cum pulcerrimis achatibus auro inclusis. Haec autem propria manu Patriarchae tradidit, qui cum et propriis manibus eximium donum accepisset, benedixit, et fausta precatus est, ut longaevam duceret vitam, Deique optimi maximi praesidio nunquam destitueretur.

Res profecto admiranda fuit, et pulcer aspectu Reginae illius ornatus. Neque mens hominis complecti valet, quot illius caput pretiosis condecoratum esset ornamentis. Conspicuam, mirabilemque gerebat coronam pretiosissimis lapillis affabre compactam, atque plurimis margaritis in duodecim veluti turres divisam, exemplo, atque comparatione duodecim Apostolorum, Christum ubique terrarum praedicantium, ut omnes ad illius fidem converterent. Multis etiam carbunculis, adamantibus, topaziis gemmis, atque rotundis margaritis distincta erat, atque in circuitu eximios habebat amethystos, ac sapphiros, pendebantque ex ea velut prolixi gyri, tres quidem dextrorsum, et tres sinistrorsum quorum pretium nemo certe possit aestimare; cuncta enim plurimis pretiosis lapillis contexta erant. Omnes blandus quidam horror perstrinxit, cum subirent oculos rarii generis ornamenta, plurimique smaragdi, omnes subpallidi coloris, ingentes, rotundi, et suapte natura fulgentissimi, ut vel unius pondus, aut pretium statui difficillime posset.

Prolixam vestem infra ungues demissam ferebat ex villoso serico mira arte contexta, plurimaque habebat pervenusta χλαδία margaritis pretiosissimis mira arte dispositis circumscripta, atque inter media χλαδία pretiosos lapillos, topazios, gemmas, et carbunculos coccinei plane coloris. Λόγηρα vero supra vestem erat, quae licet simplicissima, et sine artificio videretur, plurimum tamen pretium obtinebat ob eximiam artis praestantiam: hujus profecto variam structuram, et subtilissimum opus nemo describere potest, non secus ac splendidiores carbunculos, rotundas margaritas, sapphiros, gemmas, lapillos, et adamantes cir-

Digitized by Google

cumpositos. Quis vero, licet decem habeat capita, totidemque linguas, enarrare valeat latas manicas, quibus instructa erat, quam mirabili artificio rotundis margaritis, aliisque praestantissimis lapillis essent exornatae? Quis hominum comprehendere queat eximium illum torquem, quis pulcerrimum diadema, plurimis smaragdis subpallidi coloris, ingentibus, rotundis, et suapte natura fulgentissimis condecoratum? Omnia haec nostris vidimus oculis, quamquam minima pars haec tantum sit, unamque ex decem vix constituat Regii ornatus. Ad ipsam aulae concamerationem si considerare velimus, nullam aliam sub toto coelo praestantiorem inveniri crediderim. Tota sphaerica ex auro purissimo, et simulacris constabat, mirumque in modum resonabat ob exquisitum artificium; plurima etiam exhibebat χλαδία, silvas, et uvas astaphides, Rhodiasque, nec non varias volucres. Medium autem tenebat leo perbelle expressus, serpentem dentibus prehendens, ex medioque serpente multa praeclariora pendebant candelabra pretiosis lapillis, atque canistris affabre contextis et margaritis conspersis, ornata.

Domus vero circuitum describere plane nequeo, terret enim dicendorum copia, neque ullo modo errare velim. At vehemens desiderium impellit, ut scribam, etiamsi mens singula assequi non possit. Innumerae profecto circumspiciebantur imagines opere musivo varias historias repraesentantes, Deiparae Virginis, mundi Dominae, manibus Redemptorem ferentis, nec non Angelorum, Jerarcharum, Martyrum, Sanctorumque, pulcerrimae omnes, pretiosis lapillis, adamantibus, pluribusque margaritis condecoratae. Singulae pariter venustissimis coronis instructae erant, substratisque aulaeis insigni, et decoro prorsus ornatu. Neque enim dicere prosequar margaritas, carbunculos, sapphiros, topazios, nitidiores gemmas: at dicendi potius finem faciam, cum multa, et infinita plane describere nequeam.

Tuno vero iterum Volodimeriae, Moscoviae, ac totiusque Russiae Rex Patriarcham rogavit, ut nobilibus illis feminis universis benedictionem impertiretur. Cum igitur omnes ad Magnum Patriarcham accessissent, multa observantia manum ejus deosculatae sunt, ac singulae pulcerrimam mappam obtulerunt. Sanctam manum osculatae, iterum, egregia, convenientique forma, ac pio metu in proprium locum sese restituerunt. Interea nobilis quidam vir multo in honore habitus, aetate, prudentia, doctrinaque insignis nutu Reginae in medium processit, atque ad Patriarcham conversus sic eum affatus est. Maxime, Sanctissimeque Patriarcha Constantinopolitane, Oecumenice, Irene Orientis, atque Occidentis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae, Astrachani, Casani, Novogardiae, terrarum Septentrionalium, Magnae Siberiae, vastissimaeque Iberiae Regina, postquam maximo venerationis cultu te excepit, muneribus, atque beneficiis cumulare cupiens, ut pro sua, Regisque salute preces ad Deum habeas, argenteum tibi calicem deauratum, atque egregia forma, et arte coopertum, villosum item sericum Venetum, et pannum sericum ad instar contexti ex villis caprinis, et rasum, aliumque more Damasceno confectum, et χλαδία, et muris Pontici pelles ex Siberia largitur; multos quoque argenteos nummos Regis imagine percussos tradit. Tu vero pro ipsa, et Rege precabere, ut diuturnam vitam agant, firmaque corporis valetudine polleant, utque precibus tuis Deus commotus, filios, filiasque ipsis concedat.

Patriarcha sublata dextra Reginae, simulque Maximo Regi fausta precatus, benedictionem eis impertitus est. Deus, inquit, optimus maximus, vobis jugiter adsit, nec non Archangeli, Prophetae, Apostoli, Episcopi, et Martyres, Sanctique omnes. Deus, inquam, omnipotens, qui Erythraeum mare divisit, atque Israelitas omnes, Hebraeos, Judaeosque parvos, majoresque per medias undas traduxit, qui ex summo rupis vertice aquae fluenta derivavit, quibus iidem ardentissimam sitim explerent, eosque postea in terram promissionis deduxit, qui Gabrielem Archangelum misit, ut incarnationis mysterium annuntiaret Sanctissimae Virgini intemeratae, Dei gratia plenae, quam vere dixeris vas manna continens, montem sanctum, rubum incombustum, in qua Christus habitavit, cum venit in mundum, omnesque Adae filios, justosque universos a communi servitute liberavit, ipse nos laboribus, atque angustiis premat, donec proprii ventris partum tibi concedat una cum maxima gratiarum effusione. Postea Maximus Patriarcha Ireni Russiae Reginae, similiterque novus alter Moscoviae, totiusque Russiae Patriarcha benedixerunt. Rursus venerabilis senex vocem extulit, atque sapientem Metropolitam Hierotheum allocutus est. Episcope Maxime inclitae Monembasiensis civitatis in Peloponneso, Irene Orientis, atque Oc-

Digitized by Google

cidentis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae Regina munera tibi plurima dedit, ut precibus eandem Dei praesidio fultam, Deoque acceptam juvare non cesses. Ingentem tibi calicem deauratum, miroque artificio, et forma coopertum tradit, nec non villosum sericum Venetum, et pannum sericum ad instar contexti e villis caprinis, et rasum, et more Damasceno confectum, pulcraque χλαδία, et Pontici muris pelles ex Siberia; multa insuper Nogratia Magna argentea Regis imagine impressa largitur, ut ipsi, Regique longaevam vitam, firmamque valetudinem preceris, votisque tuis filios, filiasque a Deo impetres. Metropolita elatis in coelum oculis, Reginae, maximoque Regi fausta precatus est, tum ipsi Sanctissimae, piissimaeque Reginae Ireni summam adhibuit reverentiam.

Tertio loco venerabilis senex ad me Episcoporum omnium minimum sermonem convertit. Humillime, ait, Episcope Elassonis, celebratissimae regionis, quae prope Helladem, ubi sapientum gloria, et oratorum decus, ad pedes nempe Olympi, Occidentalis quidem, non vero Asiatici. Irene Orientis, atque Occidentis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae Regina plurimis te beneficiis, atque muneribus exornat, ut pro sua, Regisque salute precibus tuis apud Deum instes. Argenteum tibi calicem praegrandem, atque deauratum, aptoque modo, atque venusto coopertum tibi largitur, unaque praeclarum ex Venetiis villosum sericum, et pannum sericum ad instar contexti ex villis caprinis, et rasum, et more Damasceno confectum, atque χλαδία, pulcrasque muris Pontici pelles ex Siberia. Multas insuper Nogratias pecunias ex argento purissimo Regis typo percussas, ut precibus tuis Deum exores, qui longaevam vitam, firmamque valetudinem ipsi, Regique praestet, et votis tuis annuens natos, natasque concedat.

Tunc ego elatis in coelum oculis, Reginae, Maximoque Regi fausta precatus sum, ut diuturna vita, optimaque valetudine fruerentur. Deus, inquam, optimus maximus iis ubique adsit, multaque alia ex animo profatus sum, quae utinam prospere cederent. Mox debitum cultum exhibui, caput ad solum usque demittens, quod erat pulcerrimum, Persicis aulaeis serico, auroque contextis coopertum, in quibus opere phrygio pictae plurimae ferae conspiciebantur, leones, cervi, lupi, damae, simulque venatores, qui feras insequebantur, arcubus, sagittis, longisque contis armati. Sed et aves plurimas parvas, majoresque videre erat, grues, cygnos, anseres, anates, phasianos, turtures, aliasque parvulas volucres ob suavem vocis concentum multo in pretio habitas, aderatque venator, qui laqueum aptabat, vehementi eas capiendi flagrans desiderio. Inde abiens in pristinum locum concessi, unaque cum ceteris Episcopis sedi. Post haec praeclarissima illa, plurimumque Deo accepta Regina Irene humillima forma tristes iterum ex corde fudit coram omnibus sermones, primum quidem ad Patriarcham, tum ad Episcopos singulos ex ordine conversa. Domine mi Sancte, inquit, Maxime Patriarcha, Pater patrum, ceterique Domini mei Episcoporum celeberrimi, altissimo accepti, Deique optimi maximi cultores, atque ministri, qui plurimum apud Deum, Sanctissimam Virginem, sanctosque omnes Domini cultores, gloriam, et honorem, atque coronam promeritos, gratia valetis, et cum iis colloquia confertis, oro vos, obtestorque maxima animi veneratione atque intimo cordis *gemitu*, pro Rege, ac pro me minima vestrum omnium *filia* Regina Deum omni studio orate, ut preces vestras benigne excipiens nobis filiis utique vestris natum concedat, successoremque hujus Regni Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae. Vehementissimo enim dolore, maestitiaque premimur, incendimurque ob eam causam omnes, tam Rex, quam ego, ceterique congeneres, nobiles, et aulae Principes, Cneses, Vojvodes totius Regni. Omnes hisce vocibus ad fletum moti prae dolore lacrimas fudimus, et tanquam uno ore sic locuti sumus. *Desuper* Deus optimus, et altissimi Mater, omnesque Sancti una cum Praecursore lacrimas tuas, nostrumque omnium pro te deprecantium gemitus conspiciant, et faxit Deus omnium rerum creator, ut vota tua, quemadmodum dicebas, impleantur. Altissime Deus, cujus oculis subjecta sunt omnia, beneficentissime, gloria tibi, atque gratiarum actio in omne saeculum, quod Regnum hoc divitiis cumulaveris; da praeterea, quod maximum omnium est, filium Imperii heredem.

Post haec omnes ab aula discessimus, Patriarcha, Rex, et Episcopi universi, et ipsemet Maximus Rex extra aulam nos duxit, ibique dimisit. Quocirca summa Regi reverentia adhibita ad Patriarchale palatium reversi sumus, ubi ad mensam consedimus, quam novus Patriarcha paraverat; Maximusque Patriarcha

Digitized by Google

mensae benedixit, atque omnes ex ea repleti sumus, a minimo usque ad maximum, Episcopi, Praefecti, atque Archimandritae.

Tunc asseclae Jobi recens electi Patriarchae Moscvensis dona pulcerrima in medium attulerunt, Patriarchae maximo exhibenda, atque ceterorum Princeps, dum illa offerret, elata voce Patriarcharum Coryphaeum allocutus est.

Patriarcha Maxime Constantinopolitane Oecumenice, Sanctissime, Jobus Volodimeriae, ac Moscoviae Sanctus Patriarcha, atque in Spiritu Sancto Frater, et Comminister haec tibi munera tradit, confidens, futurum ut ea tu libenti animo accipias: encolpium scilicet margaritis praestans, et quatuor carbunculis, ac jaspide in medio ornatum, quod Christum gloriae Dominum, Deumque optimum maximum totius orbis judicem inscriptum gestat, unaque imaginem Mariae Virginis totius mundi Dominae, atque Conciliatricis, Christum Creatorem omnium optimum, Dominum gloriae manibus ferentis, carbunculis, multisque margaritis, splendidissimoque auro circumdatam: argenteum praeterea calicem deauratum, egregiaque forma coopertum, nec non villosum sericum, et pannum rasum, aliumque more Damasceno confectum Venetum, venustaque σάρια et pelles Pontici muris nĩgras, longioresque ex Siberia, ut toto vitae tuae tempore pro ipso preces ad Deum habeas, quemadmodum et ipse vicissim pro te rogare nunquam desistet. Patriarcha sublata dextra benedixit, et optimam valetudinem precatus est.

Dein nobilis vir ad Metropolitam Hierotheum senem conversus, humilis Episcope, inquit, Monembasiensis civitatis inclitae in Peloponneso, Sanctissimus Patriarcha Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae, Jobus imaginem totius mundi Dominae, atque Mariae Conciliatricis infinita laude dignissimae, Dominum gloriae Deum optimum maximum Creatorem omnium inter ulnas ferentis, tibi largitur, simulque craterem argenteum, ac deauratum, atque insigni artificio coopertum, nec non pulcerrimum pannum Damasceno more confectum, atque villosum sericum, eximiasque muris Pontici pelles ex Siberia, ut quamdiu mortalem hanc vitam duces, memoriam illius perennem serves in precationibus tuis, quemadmodum ipse facturum se pollicetur. Metropolita inclinato capite, Deus, inquit, optimus maximus tibi semper adsit.

Idem nobilis vir tertio ad me ceterorum Episcoporum minimum sermonem convertit. Humillime Episcope celeberrimae, frequentissimaeque regionis prope Helladem sitae, Elassonis, quae vere sapientum gloria, et oratorum decus dici potest, Jobus Sanctissimus Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae Patriarcha imaginem tibi totius mundi Dominae, ac Conciliatricis Mariae intemeratae Dominum gloriae Christum optimum maximum Creatorem omnium prae manibus gestantis, auro, argentoque fulgidam, et corona deaurata ornatam tradit, tum etiam rotundum craterem deauratum, atque singulari artificio elaboratum, nec non pannum Damasceno more confectum, aliumque rasum, venustasque muris Pontici pelles ex Siberia, ut toto vitae tuae tempore precibus tuis illum adjuves, quemadmodum et ipse pro incolumitate tua preces suas ad Deum indesinenter habebit. Tunc humi fere stratus, Deus, inquam, optimus maximus illi jugiter adsit. Exinde calicem propriis manibus accipiens Patriarchae potum dedit, multisque eum precibus prosecutus est, postea ceteris Episcopis propria cuique manu potum ministravit. Archimandritae, atque praefecti, cunctique nobiles viri a minimo usque ad maximum ex eodem calice biberunt, collectisque reliquiis mensae finis impositus est. Surreximus igitur omnes, atque gratiarum actione peracta Deum super omnia benedictum celebravimus, ac Theodoro Regi, pariterque Reginae fausta precati tandem profecti sumus. Patriarcha Jobus ultimum nobis valedixit et honestissime dimisit una cum Episcopis, Presbyteris, Praefectis, Archimandritis, et nobilibus viris quamplurimis; et quisque domum suam rediit.

Crastina die hora tertia Vestiarius advenit litteras ferens, et una cum eo viri plurimi Reginae munera manibus gestantes; cumque Patriarcha salute data benedictionem dextra impertitus esset, ille Patriarchae primum Reginae Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae dona tradidit, tum unicuique secundum ordinem. Post haec accepta iterum a Patriarcha benedictione, adhibitaque a nobis reverentia, in aulam ad Irenem Orientis, atque Occidentis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae Reginam reversus est. Eodem fermo tempore viri alii adfuerunt Patriarchae Jobi pulcerrima dona ferentes, eorumque dux chartam manibus tenebat, ut cuncta unicuique secundum ordinem dispensaret. Huic Patriarcha salute data benedictionem largitus est; ipse

Digitized by Google

vero Moscoviae, ac Volodimeriae Patriarchae Jobi munera Patriarchae primum, deinde ceteris ex ordine distribuit. Demum benedictione a Patriarcha, nostrumque omnium salute accepta, ad Sanctissimum, Maximumque Moscoviae, Volodimeriae, totiusque Russiae Patriarcham se contulit.

Interea epulae a Rege iterum missae sunt; omnesque usque ad vesperam genio indulsimus. Dominica tyrophagi cum advesperasceret, adfuit nobilissimus vir Regis legatus maximus, atque Reginae Irenis frater Baro nomine, Princeps Casani, et cum eo nobiles pariter, atque decori, venustique duo Regis Maximi consobrini, quibus cum benedictionem largitus esset Patriarcha, ad Baronem conversus: instat, inquit, tempus, ut Constantinopolim revertar. Nobilissimus vir respondit, Regi se cito nuntiaturum, ut voluntas ejus impleretur, atque integra salute iter susciperet. Rursus itaque benedictione accepta in aulam se contulerunt, Regique Patriarchae dicta nuntiarunt. Quocirca Rex statim nobilem virum Andream misit, qui Patriarcham Maximum sic allocutus est. Patriarcha Maxime Constantinopolitane, Rex, Reginaque te deprecantur, ut hic subsistas usque ad praeclaram Paschatis Dominicam; postea libenter, et incolumi salute proficiscceris.

Absoluto jam statuto tempore misit Theodorus Potentissimus Russiae Rex, viros clarissimos ad Maximum Patriarcham Constantinopolitanum Oecumenicum, quem sic affati sunt: Bielkiae (*Βελίκης*) Rex Sanctitatis tuae accessum sustinet, ut salute data, acceptaque in locum tuum, Constantinopolim nempe, migrare possis. Patriarcha vero inquit: Theodori Regis jussis alacri animo obtemperandum est. Omnesque una cum Patriarcha in Regis aulam perreximus, ingressique, Maximum Regem ad portam invenimus cum nobilium virorum comitatu, qui villoso serico, auroque ornati erant, ingentique desiderio Patriarcham Jeremiam Episcopum Maximum videndi flagrabant. Patriarcha Theodoro Magnae Russiae Regi fausta precatus benedictionem impertitus est; Rex autem Patriarchae tradita manu, una simul in praeclarum solium ascenderunt. Consedit Rex, et ad ejus latus dexterum Patriarcha; ceteri vero maxima cum reverentia stabant. Tunc in medium allata sunt pulcerrima, praestantissimaque dona non parvi sane pretii, atque dignitatis. Principio quidem mitra super disco prolata est, quam propria manu accipiens Rex Patriarchae Constantinopolitano Episcopo Maximo piissime obtulit, et hos ex tempore sermones ad eum habuit idem Theodorus Potentissimus Magnae Russiae Rex. Accipe, Sanctissime Patriarcha, mitram hanc, quam tibi trado, ut aeternum sit Patriarchatus mei, atque parentum meorum beatissimorum monumentum. Erat autem illa pretiosissimis margaritis, atque lapillis ornata, nec non sanctorum imaginibus: in medio Christum totius mundi Dominum, clarissimumque Joannem Baptistam, superius vero circa verticem dormitionem Deiparae gratia plenae repraesentabat, quin et Sanctos plurimos, Angelos, Episcopos, Martyres Sanctosque viros, ac mulieres, omnia tam insigni, subtilique artificio elaborata, ut ea mens comprehendere nequeat. Theodorum pariter Stratelatum Magnum, atque Irenem Martyrem, et Virginem Sanctam exhibebat propter nomina, quibus compellabantur Rex, atque Regina Moscoviae, totiusque Russiae. Inscriptas etiam habebat plures Russicas litteras apte compositas, et affabre delineatas, supra quam animo concipi possit. Patriarcha propriis manibus mitram hanc pulcerrimam a Rege accepit, summoque venerationis cultu fausta precatus benedixit, aitque: Dei optimi maximi praesidium tibi jugiter adsit.

Quum igitur Patriarcha mitram ex disco tulisset, nos ex Patriarchae Constantinopolitani divinissimi Episcopi manibus eam accepimus. Sedit postea Rex in solio, atque Vestiarius divinum Patriarcham sic allocutus est. Patriarcha Maxime Constantinopolitane, Oecumenice, Sanctissime, Theodorus gloriosissimus, Maximus Rex Volodimeriae, Moscoviae, Magnae Russiae, multa tibi munera dedit, ut pro illius Dei praesidio fulti, Deoque accepti salute preces offeras. Argenteum tibi calicem deauratum affabre elaboratum, egregiaque forma coopertum tradidit, unaque villosum sericum Venetum, et pannum sericum ad instar contexti ex villis caprinis, et rasum, nec non more Damasceno confectum, simulque pulcra *κλαδία*, et muris Pontici pelles ex Siberia; tum multos Nogratios nummos Regis imaginem ferentes, ut ipsi, atque Reginae vitam longaevam, integramque salutem impetres.

Patriarcha sublatis manibus, Maximo Russiae Regi fausta precatus, reverenter benedixit, Deus, inquiens, optimus maximus jugiter illum praesidio suo foveat. Postea in medium allata sunt Reginae dona multae dignitatis, et

Digitized by Google

pretii. Iterumque Vestiarius alter Patriarcham Maximum Constantinopolitanum affatus est. Patriarcha Maxime Constantinopolitane, Sanctissime, Oecumenice, Irene Orientis, atque Occidentis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae, Astrachani, Casani, Novogardiae, terrarum Septentrionalium, Magnae Siberiae, Iberiaeque celeberrimae Regina haec tibi munera tradit, ut pro sua, Regisque salute preceris: argenteum calicem deauratum eximia arte, pulcerrimeque coopertum, et villosum sericum Venetum, et pannum sericum ad instar contexti ex villis caprinis, et rasum, et more Damasceno confectum, et pulcra κλαδία; ac muris Pontici pelles ex Siberia: tum Nogratias pecunias multas argenteas Regis typo percussas, ut precibus tuis apud Deum instes, quibus diuturnam vitam, firmamque valetudinem obtineant, non secus ac filios, filiasque.

Patriarcha sublatis in coelum oculis Reginae, Regique maximo fausta precatus benedixit, aitque, Dei optimi maximi praesidio nunquam destituantur, atque deprecatores habeant Archangelos, Prophetas, Apostolos, Episcopos, Martyres, Sanctosque omnes; quumque haec dixisset Patriarcha, summam Regi praestitit reverentiam.

Secundo divinum Metropolitam Hierotheum Episcopum allocutus est. Audi Monembasiensis civitatis Metropolita: tibi munera largitur Rex Maximus Theodorus Potentissimus Magnae Moscoviae, Volodimeriae, Novogardiae, Magnaeque Russiae, Rex, ut ipsum Dei praesidio fultum, Deoque acceptum precibus tuis commendes; argenteum calicem deauratum pulcerrimum venusteque opertum, atque villosum sericum, pannumque rasum, nec non Damasceno more confectum Venetum, aliumque sericum ad instar contexti ex villis caprinis; ac Pontici muris pelles, demumque Nogratios nummos Regis effigie cusos. Metropolita venerandos extulit manus, totoque corde Regi fausta precatus multa locutus est, eo ferme modo, quo Patriarcha, et ex ordine reverentiam exhibuit.

Tertio se convertit ad Elassonis Episcopum omnium minimum Arsenium humilem, miserrimumque, atque haec ad eum habuit verba. Humillime Episcope Elassonis inclitae illius, frequentissimaeque regionis prope Helladem sitae, quae sapientum honor, et oratorum decus est, Imperator Theodorus Maximus Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae Rex plurima tibi largitur dona, ut preces ad Deum habeas pro illius salute: argenteum calicem deauratum eximium, apteque coopertum, unaque villosum sericum, et pannum rasum, et Venetum more Damasceno concinnatum, aliumque ad instar contexti ex villis caprinis, ac muris Pontici pelles ex Siberia; tum Nogratias pecunias imagine Regis insignitas, ut precibus tuis longaevam impetres vitam, integramque salutem. Tum ego humiles manus extuli, omnique studio Regi fausta precatus sum, multos ut viveret annos, optimaque valetudine frueretur, plurimasque gentes sub ditione sua teneret. Multa alia dixi, Patriarcham imitatus, ut Deus optimus maximus eum laetitia repleret. Postea Maximum Regem veneratus: Ave, inquam, Rex, plurimumque vale; abiensque in pristino loco consedi. Tunc ceteros omnes, qui Patriarcham sequebantur, allocutus est. Salvete, gaudeatque cor vestrum, quotquot Patriarcham sequiminor, copiosam enim eleemosynam vobis largitur Rex. Quocirca omnes Theodorum potentissimum, strenuumque Imperatorem veneratione prosecuti sunt.

Ego vero rursus adhibita Regi Maximo Orthodoxo reverentia coram alta voce brevem hanc orationem habui. Theodore Orientis, atque Occidentis, Volodimeriae, Moscoviae, totiusque Russiae, terrarum Septentrionalium, Magnaeque Siberiae Rex fortissime, piissimeque, Dei gratia, et sanctitate illustris, atque piorum decus. Ego Episcoporum omnium vilissimus humilis Arsenius inter alios minimus summam humanitatem, quam in omnes tam indigenas, quam peregrinos exerces, benignitatemque, ac misericordiam singulis diebus propiismet oculis conspiciens semper admiratus sum, ex quo a propinquis conterraneis meis, meaque provincia absum. Dies, noctesque orabo, ut ad seros usque nepotes vitam producas integra valetudine, multisque universim gentibus domineris, atque optima consilia, quae versas animo, perficias, et vitae tuae dies singulos praeclarissimis gestis illustres.

Quum haec dixissem, humi fere stratus, iterum Theodorum Regem Christianorum splendorem veneratus sum. Rex vero hilari animo, humaniterque ait, confide plurimum, ac pro certo habe, meum tibi subsidium nunquam defuturum; multas civitates, earumque regiones possidebis, iisque omnibus Episcopus praeeris.

Ad haec rursus humi stratus maxima eum veneratione prosecutus sum, simulque preca-

Digitized by Google

tus, ut Dei optimi maximi consilio semper adjuvaretur.

Cum haec ego dixissem, Maximus Patriarcha multos habuit praeterea sermones, plurimasque gratias agens Theodoro Magnae Russiae Regi, rursus benedixit. Tandem data, acceptaque salute facta est nobis discedendi facultas, et Maximus Rex Patriarcham novae Romae abeuntem comitatus est ad auream usque palatii januam, ibique, postquam uterque sibi invicem valedixisset, multis nobilibus comitantibus, profecti sumus, et ad proprias domos reversi.

**VOLUMINIS SECUNDI**

**FINIS.**

Digitized by Google

# INDEX

## RERUM HIS IN DUOBUS VOLUMINIBUS OCCURRENTIUM.

## VOLUMEN I.


I. SIGISMUNDI HERBERSTEJNII

*Rerum Moscoviticarum Commentarii* . . . . . 1 — 100.

Modus inaugurandi Principes . . . . . 14.

Institutiones Magni Ducis jam inaugurati . . . . . 16.

Religio . . . . . 19.

Canones cujusdam Joannis Metropolitae, qui dicitur Propheta, quos raptim ut potui adsequi, adjungere volui . . . . . 24.

Quaestiones Cyrilli cujusdam, ad Episcopum Niphontem Novogardiensem . 27.

Baptismus . . . . . 26.

Bulla Alexandri Papae, ex qua baptismus Ruthenorum abunde constat . . „

Confessio . . . . . 28.

Communio . . . . . „

Festi dies . . . . . „

Purgatorium . . . . . 29.

Divorum cultus . . . . . „

Jejunium . . . . . „

De decimis . . . . . 32.

Ratio contrahendi matrimonium . . . . . 33.

Ordinationes a Joanne Basilii Magno Duce, anno mundi, 7006 factae . . 36.

De ingressu in alterius domum . . . . . 38.

De moneta . . . . . 39.

Chorographia Principatus et dominii Magni Ducis Moscoviae . . . . 42.

Itinerarium ad Peczoram, Jugariam et Obiusque fluvium . . . . . 55.

Ad Principatus Moscoviae redeo . . . . . 57.

De Tartaris . . . . . 59.

De Lithuania . . . . . 70.

Navigatio per mare glaciale . . . . . 76.

De modo excipiendi et tractandi Oratores . . . . . 79.

Itinera in Moscoviam . . . . . 89.

Reditus . . . . . 93.

Iter secundae legationis . . . . . 98.

II. PAULI JOVII (Novocomensis)

*De legatione Basilii Magni Principis Moscoviae ad Clementem VII. Pontificem Maximum liber* . . . . . 1 — 13.

III. JOANNIS FABRI

*Moscovitarum Religio* . . . . . 1 — 13.

IV. CLAUDII GUISANI

*XII quaestiones et Graecorum ad eas responsiones* . . . . . 1 — 9.




Digitized by Google

V. JOANNIS LEVENCLAVII
*De Moscovitarum bellis adversus finitimos gestis, Commentarius* . . . 1 — 17.
Epistola Mosci . . . . . 11.

VI. CLEMENTIS ADAMI
*Anglorum navigatio ad Moscovitas* . . . . . 1 — 13.
De Moscovia, quae et Russia dicitur . . . . . 7.
De Moscva urbe regia . . . . . „
De re militari Moscovitarum . . . . . 9.
De Legatis Ducis Moscovitarum . . . . . 10.
Novogardia . . . . . „
Jaroslavia . . . . . „
Vologda . . . . . „
Plescovia . . . . . „
Cholmogoria . . . . . „
De dissidentium lite et quibus arbitris finiuntur certamina . . . . 11.
De furum suppliciis . . . . . „
De gentis religione . . . . . „
De idololatris Moscovitis, Tartaris conterminis . . . . . 12.
De aedium privatarum forma, et de cultu populi . . . . . 13.
Ad Serenissimum Regem . . . . . „

VII. ALEXANDRI GUAGNINI (Veronensis)
*Omnium regionum Moscoviae descriptio* . . . . . 1 — 48.

Caput I.
*De Moscovia regione urbeque ejusdem nominis praecipua* . . . . . 3.
Ducatus Volodimiriae . . . . . 6.
Ducatus Novogardiae Inferioris . . . . . „
Ducatus Resanensis . . . . . „
Vorotinensis Ducatus . . . . . 7.
De Tanais fluvii fontibus . . . . . „
De Magno Severiensi Ducatu . . . . . „
Ducatus Smolenscensis . . . . . 8.
Bielskia Ducatus . . . . . 9.
Rschoviae Ducatus . . . . . „
Ducatus Tverensis . . . . . „
Ducatus Pscoviensis . . . . . „
Ducatus Novogardiae Magnae . . . . . 10.
Vodzka regio . . . . . 11.
Corella provincia . . . . . „
Dvina provincia . . . . . „
Ustiuga regio . . . . . „
Vologda provincia . . . . . 12.
Bielo-osero Ducatus . . . . . „
Jaroslaviae Ducatus . . . . . „
Rostoviae Ducatus . . . . . „
Susdaliensis Ducatus . . . . . 13
Viatca regio . . . . . „
Permia regio . . . . . „

Digitized by Google

Sibir provincia . . . . . 13.
Jugra regio . . . . . 14.
Peczora regio . . . . . „
Obdoria regio . . . . . 15.
De idolo aureae anus . . . . . „
Condora regio . . . . . „
Lucomoria regio . . . . . „
Loppia regio . . . . . 16.
Czeremissi populi . . . . . „
Mordva populi . . . . . 17.

Caput II.

*De religione Moscovitarum omniumque Ruthenorum* . . . . . „
Jejunandi mos apud Ruthenos . . . . . 20.
Confitendi mos . . . . . 21.
Sacrosanctae Eucharistiae usus . . . . . „
De matrimonio . . . . . 22.

Caput III.

*De expeditione bellica* . . . . . „

Caput IV.

*De consuetudine moribusque Moscovitarum* . . . . . 24.

Caput V.

*De Magni Moscoviae Ducis, Joannis Basilidis tyrannide* . . . . . 26.
Initium tyrannidis Moscorum Principis Joannis Basilidis : . . . . . 28.
De Rostoviensis Ducis nece . . . . . 29.
De Joannis Pietrovicz Palatini Supremi Moscoviae falso accusati, crudeli nece . 30.
Cancellario suo quid fecerit . . . . . 31.
Sales et joci Magni Ducis circa mensam . . . . . „
Quali munere Magnus Dux suos honoravit . . . . . 32.
Somniorum egregius interpres Magnus Dux . . . . . „
Turpis matronarum Nobilium apud Magnum Ducem abusus . . . . . 35.
De injuria expostulantibus quid acciderit . . . . . 33.
Qualem gratiam Magnus Dux socero suo exhibuerit . . . . . „
De crudeli Magni Ducis Moscorum tyrannide, quam in Novogrodia Magna, Pscovia, Tveria, et Narva civitatibus perpetravit, Anno Domini 1569 . „
Archiepiscopo Novogrodensi quid contigerit . . . . . 35.
De tyrannide, quam super Intimum Secretarium Consiliariumque suum Magnus Dux exercuit . . . . . 36.
Magnus Dux sex praestantes viros propter loricam inauratam crudelissime necari jussit . . . . . 37.
Quid acciderit istis, qui inquirere voluerunt, quidnam ageret Magnus Dux . „
Quali venatione Magnus Dux plurimum oblectetur . . . . . 38.
De truculento facinore, et crudelitate summa, quam ille summus Dux exercuit in captivos, Lithuanos, Ruthenos, et Polonos . . . . . 39.
De fratricidio perpetrato a Magno Duce, 1570 . . . . . 40.
Quo amore mutuo se prosequi solent Moscovitae . . . . . „
Miserabilis et indignissima laniena, cum duorum Procerum Moscovitarum, tum etiam reliquorum Lithuanorum, ac Polonorum captivorum, quibus paulo ante pepercerat Magnus Dux . . . . . 41.



Digitized by Google

De truci carnificina, quam exercuit Magnus Dux in clarissimos quosque suos Consiliarios, et optimates . . . . . 43.
Quo pacto Magnus Dux suos exercet, et instituit in ratione pugnae, adversus inimicos . . . . . 46.
Quo praemio et mercede ampla soleat Magnus Dux suos adulatores afficere . „
Religio et pietas Magni Ducis Moscoviae . . . . . 47.

VIII. MATTHIAS A MIECHOVIA
*De Moscovia* . . . . . 1 — 6.
De regionibus Scythiae Perm, Baskird, Juhra et Corela, per Ducem Moscoviae subjugatis . . . . . 5.

IX. TILEMANNI BREDENBACHII ET PHILIPPI OLMENI
*Belli Livonici Historia* . . . . . 1 — 25.
Prooemium . . . . . 3.
Exemplar epistolae denuntiatoriae belli, quam Magnus Moscoviae Princeps ad Livoniae Proceres misit . . . . . 5.
Origo et principium belli . . . . . 6.
De publica eaque terribili Livonum vindicta, quae religionis mutationem et vitam in omne flagitiorum genus projectissimam secuta est . . . . 12
Secundi belli historia inter Ordinis Teutonici Magistrum et Regem Poloniae . 14.
Tertii belli descriptio quod Magnus Ruthenorum Imperator contra Livones gessit anno 1558, quo civitas et provincia Dorpatensis a Principe Moscovitarum expugnata, victa et subjugata est . . . . . 15.
Brevis, perspicua et vera narratio proelii commissi inter Moscovitas et Lithuanos, Anno 1564, die 26 Januarii . . . . . 24.
De secunda Moscovitarum clade et fuga . . . . . 25.

X. JACOBI ULFELDII
*Legatio Moscovitica sive Hodoeporicon Ruthenicum* . . . . . 1 — 29.

# VOLUMEN II.

XI. JONNIS MORONI (Cardinalis):
*Ad Magnum Moscoviae Ducem et ad Rudolphum Clenchen epistolae.* . 1 — 10.

XII. JOANNIS COBENCELII:
*De legatione ad Moscovitas epistola.* . . . . . 11 — 20.

XIII. DANIELIS BUCHAVI:
*Magni Moscoviae Ducis Genealogia.* . . . . . 21.
Narratiuncula de successione Moscoviae Principatus subjicienda genealogiae praefixae . . . . . 28.
Subjicienda narratiunculae praefixae . . . . . 29.
De titulis Magni Moscoviae Ducis . . . . . „

XIV. DE JURE MAGNI MOSCOVIAE DUCIS IN LIVONIAM EPISTOLA . . 31 — 34.

XV. PAULI ODERBORNII:
*De Russorum religione et ritibus narratio* . . . . . 35.
Russorum Religio et Doctrina . . . . . 37.

Digitized by Google

Archiepiscopus . . . . . 37.
Templa . . . . . 38.
Conciones . . . . . ”
Missa . . . . . ”
Statuae nullae, sed imagines pictae . . . . . 39.
Baptismus . . . . . ”
Sacerdotes . . . . . ”
Schola . . . . . ”
Nuptiarum ritus . . . . . 40.
Funerum ritus . . . . . 41.
Connivia funebria . . . . . ”
Aliae superstitiones . . . . . 42.
Leges et Judicia . . . . . ”
Ludi . . . . . ”
Merces, ferarum venatio, castores . . . . . ”
Vestitus . . . . . 43.
Formae corporum . . . . . ”
Musica . . . . . ”
Libri . . . . . ”
Victus . . . . . ”
Aedeficia . . . . . ”
Monetae . . . . . 44.

XVI. Acta in conventu legatorum Stephani, Regis Poloniae et Joanni Basilii, Magni Moscoviae Ducis 1581. . . . 45.
Plenipotentia legatorum Mosci, quae Ruthenice, id est, Moscovitice fuit scripta . 48.
Plenipotentia Regis Poloniae, quae Polonice fuit scripta, utroque signo Poloniae Regni, et Lithuaniae Ducatus, obsignata . . . . . ”
Die 14 Decembris secunda legatorum sessio . . . . . 49.
Die 15 Decembris sessio legatorum tertia . . . . . 50.
Die 18 Decembris sessio legatorum quarta . . . . . 51.
Die 20 Decembris quinta sessio . . . . . 52.
Epistola Joannis Zamoscii, Supremi Cancellarii Regni Poloniae, et generalis Capitanei, ad Antonium Possevinum . . . . . 53.
Alia Epistola Zamoscii S. C. R. P., et G. C., ad A. Possevinum . . . ”
Antonii Possevini responsio ad eundem J. Zamoscium . . . . . ”
Die 22 Decembris, sessio sexta . . . . . 54.
Joannes Zamoscius C. R. et C. G., A. Possevino . . . . . 55.
Conditiones primae . . . . . ”
Conditiones secundae et ultimae . . . . . ”
Die 23 Decembris, sessio septima . . . . . ”
Joannes Zamoscius, Antonio Possevino . . . . . ”
Conditiones postremae . . . . . 56.
Die 25 Decembris, sessio octava . . . . . ”
Die 27 Decembris, sessio nona . . . . . ”
Die 28 Decembris, sessio decima . . . . . 57.
Die 29 Decembris, sessio undecima . . . . . 58.
Diei primae Anni 1582, sessio duodecima . . . . . 59.
Diei secundae Januarii 1582, sessio decima tertia . . . . . 60.

Digitized by Google

Nomina Arcium a Mosco tradendarum . . . . . 61.
Nomina Arcium quae in manu Sueciae Regis sunt . . . . . „
Die 5 Januarii, sessio decima quarta . . . . . „
Die Sanctissimae Epiphaniae sessio quindecima . . . . . „
Exemplum secundae Magni Ducis Plenipotentiae . . . . . 62.
Die 7 Januarii, sessio decima sexta . . . . . 63.
Die 8 Januarii, sessio decima septima . . . . . „
Die 9 Januarii, sessio decima octava . . . . . 64.
Die 10 et 11 Januarii, sessiones . . . . . „
Die 15 Januarii, sessio ultima . . . . . 65.
Conditiones pacis, a Magno Moscoviae Duce petitae, a Serenissimo Poloniae Rege Stephano concessae, et per Sanctissimi Domini Nostri legatum transactae in Zapolsciae Jamo. A. D. 1582, die 15 Januarii . . . . „
Protestatio regiorum legatorum, ab A. Possevino admissa . . . . . 66.
Literae compositionis pacis, legatorum Magni Moscoviae Ducis . . . . . 67.
Subscriptio cum sigillis . . . . . 71.
Literae compositionis pacis legatorum Serenissimi Poloniae Regis . . . . „
Annae Reginae Poloniae, Antonius Possevinus . . . . . 76.
Stephano Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . „
Stephano Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . 77.
J. Zamoscius, Antonio Possevino . . . . . „
J. Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . „
J. Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . 78.
J. Zamoscius, Antonio Possevino . . . . . 79.
J. Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . 80.
Stephano Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . 81.
Pontifici Maximo, Magnus Moscoviae Dux . . . . . „
Anna Poloniae Regina, Antonio Possevino . . . . . 82.
Joanni Basilii Magno Moscoviae Duci, Antonius Possevinus . . . . . „
Gregorius XIII, Joanni Basilii Magno Moscoviae Duci . . . . . 83.

XVII. REJNHOLDI HEJDENSTEJNII:
*De Bello Moscovitico commentariorum libri* 6 . . . . . 85 — 186.

XVIII. PAULI ODERBORNII:
*Joannis Basilidis Magni Moscoviae Ducis vitae libri* 3 . . . . 187 — 272.

XIX. ANTONIUS POSSEVINUS:
*De Moscovia**) . . . . . 273.
Commentarius Primus
*De rebus Moscoviticis, ad religionem spectantibus* . . . . . 275.
Difficultas, spes, ratio Catholicae religionis in Moscoviam promovendae . . 281.
Spes et exempla . . . . . 282.
Rationes . . . . . 284.
Commentarius Alter
*Ad Gregorium XIII Pontificem Maximum* . . . . . 287.

*) Cum iis quae ad evincendos schismaticos attinent, ad Gregorium XIII Pontificem Maximum duobus commentariis absoluta.

Digitized by Google

Mosci, qui nunc rerum potitur, evectio ad Magnum Moscoviae Ducatum, propagatio imperii, et varii casus . . . . . 287.
Celebriores Mosci civitates et populi . . . . . 288.
Mosci munitiones, et ratio earum defendendarum, cum oppugnantur . . . 289.
Vires aliae Mosci . . . . . 290.
Consiliarii Mosci . . . . . 292.
Mosci Magni Ducis Moscoviae filii . . . . . ,,
Ratio legatos in Moscovia excipiendi, et cum iis agendi . . . . . 293.
Qui a Mosco ad Externos Principes mittuntur, nec ejusdem generis sint omnes, et quonam modo mittantur: quidque legatis, cum A. Possevino ad Pontificem Maximum venientibus a Mosco, in toto itinere acciderit . . 296.
Ingenium Mosci et Schisma . . . . . 299.
Quaenam spes sit de Mosco, ac de ejus promissis ad propugnandum in Asiam et alio Sanctissimum Christi nomen et fidem . . . . . 300.
Observanda, si qui a sede Apostolica, vel ab aliis Catholicis Principibus in Moscoviam mittendi sint . . . . . 303.
Mittendi cum legato . . . . . ,,
Hi vero libri fuerint . . . . . 304.
*Literae a Summo Pontifice ad Moscum, quales; dona item, quaenam esse debeant* . 305.
Quibus vestibus et rebus uti legatus, et sui: ac quomodo in aliis quibusdam rebus sese gerere debeant . . . . . 306.
Cautio in procurandis (si opus fuerit) literis ab aliis Principibus, ad Magnum Moscoviae Ducem . . . . . 307.
Quid dandum Pristavis, in discessu a Principe . . . . . ,,
In tota legatione eundo, manendo, redeundo, quanam ratione, ubere cum fructu, legatus se gerere poterit . . . . . ,,
Ultima inscriptio literarum Sanctissimi D. N. Pontificis Maximi ad Magnum Moscoviae Ducem . . . . . 308.
*Primum publicum colloquium, de religione Catholica, habitum die* 21 *Februarii* 1582. *Cum Joanne Basilii, Magno Moscoviae Duce, in ejus regia, Senatoribus ejus, ac centum aliis proceribus praesentibus* . . . ,,
*Alterum die* 23 *Februarii colloquium A. Possevini cum Magno Moscoviae Duce, ac cum Senatoribus ejus* . . . . . 313.
*Tertium de religione colloquium Magni Moscoviae Ducis cum A. Possevino, eodem in procerum consessu, Senatoribus autem adstantibus. Quid item post illud contigit ea ipsa die, quae fuit* 4 *Martii, et dominica prima Quadragesimae, cum Evangelium legitur „Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a Diabolo“* . . . . . 314.
*Capita, quibus Graeci et Rutheni a Latinis in rebus fidei dissenserunt, postquam ab ecclesia Catholica Graeci descivere, tradita in magno consessu Procerum, Joanni Basilii Magno Moscoviae Duci,* 3 *Martii* 1582. *in civitate Moscva, quibus brevis, dilucida et solida errorum Graecorum et Ruthenorum refutatio continetur* . . . . . 316.
Errores alii Ruthenorum, qui Orientale Schisma secuti sunt, postquam Graeci ab ecclesia sese praeciderunt . . . . . 322.
*Scriptum Magno Moscoviae Duci traditum, cum Angli mercatores eidem obtulissent librum, quo haereticus quidam ostendere conabatur, Pontificem Maximum esse Antichristum* . . . . . 326.

Digitized by Google

*Interrogationes et responsiones de processione Spiritus Sancti a patre et filio, desumtae, ac breviore et dilucidiore ordine digestae, ex libro Gennadii Scholarii Patriarchae Constantinopolitani in gratiam et utilitatem Ruthenorum* . . . . . 330.

*Epistolae Gregorii XIII Pontificis Maximi, Stephani Primi Poloniae Regis, Joannis Basilii, Magni Moscoviae Ducis, et aliorum, quae citro, utroque commearunt, dum Antonius Possevinus legationes ad eos obibat* . . 339.

Gregorius XIII Pontifex Maximus, Stephano I Poloniae Regi . . . . „

Gregorius XIII Pontifex Maximus, Joanni Basilii Magno Moscoviae Duci . 340

Gregorius XIII Pontifex Maximus, Joanni, Joannis Magni Moscoviae Ducis filio primogenito . . . . . 341

Gregorius XIII Pontifex Maximus, Theodoro, Joannis Magni Moscoviae Ducis filio . . . . . „

Gregorius XIII Pontifex Maximus, Magnae Ducissae Moscoviae . . . . „

Joanni Basilii Magni Moscoviae Duci, Antonius Possevinus . . . . 342

Stephano I Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . 343.

Stephano I Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . „

Joanni Basilii, Magni Duci Moscoviae, Antonius Possevinus . . . . „

Joanni III Sueciae Regi, Antonius Possevinus . . . . . 345.

Joannes Basilii Magnus Dux Moscoviae . . . . . 347.

Gregorii XIII Pontificis Maximi Nuntio, Antonio Possevino . . . . „

Joanni Basilii, Magno Moscoviae Duci, Antonius Possevinus . . . . 348.

Joanni Basilii, Magno Moscoviae Duci, Antonius Possevinus . . . . 349.

Stephanus Poloniae Rex, Joanni Basilii, Magno Moscoviae Duci ex Ruthenico idiomate . . . . . 350.

Joanni Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . „

Joanni Basilii, Magno Moscoviae Duci, Antonius Possevinus . . . . 351.

Stephano Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . 352.

Legatis Regiis Poloniae, Antonius Possevinus . . . . . 354.

Joanni Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . .

Stephano Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . 355.

Joanni Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . 356

Stephano Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . 358

Joanni Basilii Magno Moscoviae Duci, Antonius Possevinus . . . . 359

Joanni Basilii Magno Moscoviae Duci, Antonius Possevinus . . . . „

Joanni Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . 361.

Joanni Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . 362.

Joanni Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . 363.

Joanni Zamoscio, Antonius Possevinus . . . . . 364

Stephano Poloniae Regi, Antonius Possevinus . . . . . 365

XX. ARSENII ELASSONIS (Archiepiscopi):

*Iter in Moscoviam* . . . . . 367 — 384.

**FINIS VOLUMINIS SECUNDI.**

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3 2044 037 321

**WIDENER LIBRARY**
Harvard College, Cambridge, MA 02138: (617) 495-2413

**If the item is recalled, the borrower will be notified of the need for an earlier return. (Non-receipt of overdue notices does not exempt the borrower from overdue fines.)**

| | |
|---|---|
| | WIDENER<br>SEP 11 2006 |
| | |
| | |
| | |

***Thank you for helping us to preserve our collection!***

CONSERVED
6-2003 SB
HARVARD COLLEGE

Digitized by Google

WIDENER LIBRARY
HX VBCF X